G c/8
62629/B
Pts. 1/2
J c/23

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HILLER, M.

T9

HIEROPHYTICON
SIVE
COMMENTARIUS
IN LOCA SCRIPTURÆ SACRÆ
QUÆ
PLANTARUM
FACIUNT MENTIONEM

diſtinctus in duas Partes,

Quarum Prior de ARBORIBUS,
Poſterior de HERBIS dicta complectitur.

AUCTORE

MATTHÆO HILLERO,

Sereniſſimi Wirtenbergiæ Ducis Conſiliario
& Abbate Regiofontano.

Cui accedit Præfatio

SALOMONIS PFISTERI

Profeſſoris Bebenhuſani,

Continens B. Auctoris Vitam, Merita, & Libros
tam editos quam MSStos.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

TRAJECTI AD RHENUM
ex Libraria JACOBI BROEDELET.
cIↃ IↃ CC XXV.

L E C T O R I

S.

SALOMON PFISTER.

Praefationem quominus operi ſuo praemitteret Auctor, ſenectutis ſubito ingraveſcens imbecillitas viriumque defectus ipſimet fere ſapientiſſimo ſeni inopinatus impedivit. Acceſſit operis ante annos quinque jam confecti minus opportuna retardatio, negligentia ne dicam an malitia facta eorum, qui libri primum, deinde Indicis Trajectum mittendi curam ſua quidem ſponte ſuſceperunt. Ut parum abfuerit, quin de libro ſuo, in alterum jam annum periclitante quidquam reſciſceret ante obitum, laborisque hoc dulci fructu prorſus privaretur Auctor. Obtigit tamen optimo viro iſthaec ante mortem felicitas, ut quem perditum ac velut expoſitum foetum crediderat, eundem vivere adhuc, meque e publicis Eruditorum literis, quas novellas vocant, nuncio, brevi luci redditum iri publicae, nil tale ſperans intelligeret. Quinimo cura ſingulari editoris, Honeſtiſſimi atque Integerrimi Viri, Dn. Broedeleti; factum eſt, ut typis expreſſus ad manus pervenerit beati Viri, quem incredibile dictu, quanto gaudio exceperit, quam avide perlegerit ſuumque agnoverit & in omnibus probaverit laboris ſuimet ipſius multo accuratiſſimus cenſor. Et aequum ſane fuerat, ut haec omnia ita evenirent. Etenim poſtquam fidei aliorum commiſiſſet edendi libri omne negotium, inter quos

cura praecipue vigilavit J. Kaiſeri pii non minus quam eruditiſſimi viri, eumque de perdito libro ſolari aliquando conaretur uxor; id egiſſe ſe, cum librum dimitteret, pius ſenex profeſſus eſt, ut Deum rogaret, vellet aut perdere, ſi nihil prodeſſet; aut ſi frugi eſſet futurus, ipſemet ſecundare eundem & in publicum provehere Eccleſiae emolumentum. Et quidni voti ſui damnatum eſſe judicemus Auctorem, cujus tam fuit ſcopus laudabilis atque glorioſus, & ipſe laboris ſucceſſus proſperrimus. Apparet inde, non eſſe poſthumum opus, quod tibi traditur Lector, ſed Tubingae jam ante aliquot luſtra per diſſertationes edi coeptum; quas dein recollegit Abbas Koenigsbrunnenſis factus, auxit, curateque perpolivit & ad hanc juſtae magnitudinis menſuram perduxit. Ne vero quidquam deeſſe videretur tanti viri tam eximio operi; imo ne quid deeſſet vel fidei, vel curae ac dexteritati laudatiſſimi Broedeleti, praefationem nos popoſcit idem, quae ſi nil aliud, ſaltem vitae B. Auctoris librorumque tam editorum quam MSStorum brevem quendam contineret recenſum.

Et fateor ſane, me, antequam monerer, in eo jam fuiſſe, ut ſeligerem unum e ſtudioſis noſtris Bebenhuſanis, qui de vita ac meritis B. HILLERI, Soceri mei & in hoc ipſo munere quondam anteceſſoris, ſermonem haberet panegyricum eo quidem in loco, in quo olim inclareſcere coepit vir doctiſſimus; indecorum ratus, obire viros de Academia, Patria, de univerſa Eccleſia, de optimis literis tam praeclare meritos ſine ullo literarum officio: pulcrum autem genero, C. Taciti exemplo gratum eſſe adverſus ſocerum tam comem, tam blandum, tam liberalem ac beneficum, tam omni ex parte laudabilem, verbo, deſideratiſſimum. Faciam tamen, quod meditor modeſte, interque acidularum hauſtus, qui ferias

rias indicunt ingeniis, & muneris publici explendas partes, breviſſime, ſtylo non ad ambages nec fucum faciendum, quo HILLERUS non indiget, ſed ſimplicem vitae commemorationem compoſito.

Ipſum librum Auctorisque inſtitutum, quod per ſe manifeſtum eſt ad *Bocharti* exemplum quam proxime, mutato ſaltem genere, accedere, non attingo; nec lucem affundo rebus iis, quae ſuamet luce radiant; inficetum exiſtimans, quod vulgo fit, ſummisque viris prorſus indignum, impotenti auſu juvare velle eorundem conatus, & de ſua pauperie largiri, quibus non eſt opus, cum perfecto nil poſſit addi. Auctorem potius ipſum ſpecto, ejusque tibi vitam a primis incunabilis ad ultima fata usque ipſo naturae ordine narrare ingredior benevole Lector.

Natus is fuit non humili loco, nec craſſo ſub aere, ſed ingeniorum ſummorum feraciſſimo, Wurtembergico inquam, in ipſa quidem patriae metropoli *Stutgardia* anno 1646. d. 15. Febr. Majores habuit longa ſerie togae addictos, nobilitatem partim adeptos, partim meritos. Hillerianae enim & Kielmannianae proſapiae antiquitatem & ſplendorem inter nos exterosque, Danos inprimis & qui ſunt in curiis S. Imperii, quis eſt, qui neſciat qui non veneretur? Atque ex utroque latere utriusque ſtirpis propago is fuit minime degenerans. Patre uſus eſt juris ſcientiſſimo viro, Sereniſſimo Principi noſtro in Senatu Regiminis a literis ſecretioribus, Joanne Marco Hillero, qui ad ſumma quaeque adſpiraturus fuiſſet, ni aevi brevior contigiſſet uſura; Matre Anna Chriſtina Dreheria, nomine inter nos non incelebri, femina & pia & prudentiſſima; id quod educatio tot filiorum tam proſpera ſatis demonſtrat. Nomen in S. Baptismatis foedere non ſine omine ſortitus eſt Matthaei; pro-

pterea quod antiquo familiae more Euangeliſtarum nomina filiis imponebant parentes, eventu hujus quoque patris totidem propemodum, de quarto enim incerti ſumus, filios nacti deſtinationem comprobante. Joannem quippe genuit Gymnaſii Eſſlingenſis celebrem Rectorem, poſteaque Eccleſiae iſtius Paſtorem; virum longe doctiſſimum; deinde noſtrum; tum Marcum poſthumum, nuper defunctum, poſtquam Camerae Principali diu a conſiliis fuit, omnes profecto eadem probitate, eruditione ac meritis inclutos.

Prima literarum fundamenta, patre jamjam fatis functo, cum triennis eſſet noſter, in ejusque matrimonium ſuccedente Senatus Regiminis Wurtemb. & Circuli Suevici Secretario Mullero itidem mature mortuo, jecit in Paedagogio Stuttgardiano, ubi, verba venerandi Praeſulis, quae Bibliis inſcripſit, repeto, Praeceptorem longe fideliſſimum habuit M. Eraſmum Schabhartum Paedagogarcham. Adultior factus trivium reliquit Sereniſſimi Principis, divi Eberhardi III. juſſu promotus in Coenobium Hirſonianum. Anno 1662. quo poſt luctuoſum tricennale bellum, idem denuo alumnis recipiendis erudiendisque patuit. Inde Anno 1664. ſub veris initium tranſlatus cum ſtudiorum, ſociis Bebenhuſam, ſuperius monaſterium, Tubingae vicinum & velut ſuburbanum, ubi Anno 1665. ſub Decano Chriſtophoro Caldenbachio gradum Baccalaureorum capeſſivit, regreſſus, ut fieri aſſolet, cum laurea Bebenhuſam, quod ſuperfuit ſtadium annuo tempore emenſus eſt feliciter pervenitque Tubingam. Ibi triennio in Illuſtri quod vocant, Stipendio exacto, Ao. 1669. Auguſto menſe Philoſophiae Magiſter antiquo more factus eſt. Poſthaec totum ſe tradidit Theologiae, diligentius ceteris linguarum Scripturaeque Sacrae ſtudio incumbens & concionando non

minus

minus quam ſaepius diſputando ſe exercens. Ex quo factum eſt, ut Ao. 1672. non ſolum cum laude ſuſtineret, conſuetum in Ducali Conſiſtorio examen Theologicum, ſed dignus etiam haberetur, qui uno anno interjecto 1673. Repetitionis adiret Magiſterium. Quod munus cum inter trecentos ſtudioſos ad pauciores, ut plurimum ſeptem, pertineat, qui reliquorum ſtudia moresque obſervare curatius tenentur; Noſtro quoque, tum jam ſcribere occipienti & (*a*) *Sciagraphiam* adornanti *Grammaticæ Hebrææ*, amplioris fortunae atque dignitatis fuit praeſagium. Etenim nunquam interrupta ſerie, licet per gradus, optimam tutiſſimamque viam, ad ſummum contendit Infulaque eſt ornatus. In quo illud memoratu eſt digniſſimum, quod per omnem vitam nullum munus ambivit, honores nullos ſectatus, ſed ſponte omnes conſecutus eſt manifeſto indicio, umbrae ſimilem eſſe veram gloriam, fugientes ſequi, fugere inſectantes. Nam poſtquam Ao. 1676. Canſtadium miſſus, vices Superintendentis concionando egiſſet, anno poſt in ipſam metropolim Stuttgardiam accitus, eadem munia obivit per biennium, continuis fere, ut ſaepe queſtus eſt, concionibus ob graſſantem tum febrim malignam occupatus. His peractis abſolutoque laudabiliter Academico curſu, ad Diaconi Herrenbergenſis ſimulque Paſtoris Haſiacenſis munus ſuſcipiendum Ao. 1677. rite vocatus eſt; eodemque anno uxorem duxit lectiſſimam virginem Mariam Catharinam, Jo. Caſparis, Mercatoris Eslingenſis filiam, quacum triginta annos una vixit, matrimonio ſterili quidem, at honeſto tamen neque injucundo: Herrenbergae annos tranſegit ſex, cum ad Academica iterum ſtudia retrahendus videretur aequis tanti ingenii aeſtimatoribus, quorum nutu, Deo ſic diſpenſante Bebenhuſam

(*a*) Sciagraphia Grammaticae Hebraeae. Tubing. edit. 1674.

huſam repetebat Ao. 1685. muſis ſuis aptiſſimam ſedem, ut ibi tum praeconis ſacri, tum Praeceptoris Monaſtici, ſive Profeſſoris, eodem quippe loco habentur, ornaret Spartam. Et ornavit ſane plurimum. Non enim ſolum doctiſſimi viri ex ipſius ſchola prodierunt; ſed libros quoque compoſuit religionis non minus quam doctrinae locupletes teſtes. In quibus (*a*) *Liber Cantionum*, quod poëſin in omni ſermone amabat plurimum, carminis inprimis in lyrico ac rhythmico genere mirus artifex, cum notis editus ſummis Theologis, Melchiori Nicolai praeſertim, perjucundus fuit. Eodem tempore (*b*) *Lexicon* vulgavit *Latino Hebraicum* impenſas ſubminiſtrantibus auditoribus ſuis, quo potiſſimum voces extra Scripturam S. in Rabbinorum Theologicis & Philoſophicis ſcriptis obviae recenſebantur. Alia meditabatur praeterea, quae poſtea perfecit Tubingam pertractus. Neque vero tam obſcura eſſe potuit Tubingenſibus viri e propinquo inclareſcentis excellens eruditio, quin de ipſo in ſuumet ordinem cooptando cogitarent ſaepius, tandemque communi conſenſu publica Senatus Academici auctoritate, ſuffragante Ser. Principe, inſcium ipſum declararent Ao. 1692. Logicae, Metaphyſicae & Ebraeae linguae Profeſſorem. Quo tempore ſimul, fuit enim ad omnes res aptus laboriſque patientiſſimus, Paedagogarchatum in ſuperiori Wurtembergiae tractu geſſit & omnes propemodum officii partes viceſque gratis obivit pro Caldenbachio, Eloq. Hiſt. & Poeſ. Profeſſore, integrum ſexennium aegrotante, &, ne quid deeſſet laborum cumulo, Rectoratum quoque Burſae S. contubernii Academici adminiſtravit atque non ſemel, quod ridens narrabat ſaepius, univerſam facultatem Philoſo-

(*a*) Liber hymnorum S. German.
(*b*) Lexicon Latino Hebraicum ed. Tubing. 1685.

loſophicam repraeſentavit unus fere ac ſolus: ut mirandum magnopere ſit, potuiſſe de libris ſcribendis cogitare occupatiſſimum virum. Atqui cogitavit tamen ſcripſitque plurimos eruditiſſimorum virorum cum primis exterorum communi applauſu exceptos. Quales erant Tractatus de Gemmis in pectorali ſummi ſacerdotis Hebraeorum, Diſſertatio de origine gentium Celticarum, de Philiſtaeo exule, aliaeque quas junctim poſtea edidit & (a) *Syntagmata Hermeneutica* vocavit. Quibus dein acceſſerunt Sulammitidis deliciae rurales in Cant. VIII. comm. 11-14. Sulammitidis votum in cap. VII vſ. 1--7. Hyrthymna Sa' Ithiopiia, Calamitas Aethiopiae ſive Commentarius in cap. 18. Jeſ. Itemque Quæſtionum Hebraicarum de Plantis in Scriptura S. memoratis decas prima & ſecunda, operis videlicet hujus primum velut ſtamen, edit. 1716. Maxime vero famam Noſtro peperit (b) *de Arcano Kethib & Keri* libellus plane ſingularis, quo vix edito, in orbem continuo univerſum eruditum inventi tot ſeculis abſconditi fama penetravit, applaudentibus paſſim tam noſtrae quam Romanae Eccleſiae Philologis, admirationemque ac gaudium idcirco ſuum literis humaniſſime teſtantibus: in quibus Jo. Chriſtophorus Wagenſeilius, Noricorum maximum decus, firmiter perſuaſus erat, non ſine afflatu aliquo divino haec Auctori veniſſe in mentem, eumque unum laborem ſuperaſſe Maſoretarum omnium. Quod idem judicium publice repetiverunt commentatores varii, cumprimis Trivoltienſes p. 2187. Ut aut tacere debeant, aut meliora afferre, qui ut aegre faciant S. Codici ejusque integritati, pro ingenii luſu venditare haec talia non erubeſcunt.

Secutum eſt alterum opus praecipuum (c) *Onomaſticum*

(a) Syntagmata Hermeneutica Tubing. edit. 1711. (b) De Arcano Kethib & Keri Tubing. 1692. (c) Onomaſticum Sacrum Tubing. edit. 1706.

cum Sacrum, ex eoque extractus ab Auctore Index nominum propriorum, quae in S. literis leguntur & a B. Jo. Reinh. Hedingero Bibliis annexus Wurtembergicis, additis duabus tabulis Geographicis juxta cum delineatione Urbis Hieroſolymitanae: accuratam enim illius deſcriptionem retinuit, ne in nimiam molem excreſceret opus, nobisque manuſcriptam reliquit. Eundem vero Indicem Pentaplis ſuis quoque inſeruerunt Auctoris conſenſu Amſtelodamenſes, erga ipſum quidem minime ingrati. Porro cum multa dudum deſideraſſet in Hebraicis Grammaticis, difficile opus quod tum jam meditabatur, cum Sciagraphiam adornaret juvenis, adgreſſus eſt tandem, ſcripſitque (a) *Inſtitutiones Linguae Sanctae*, quibus analogia Hebraismi ad breves easdemque generales & nullis impeditas exceptionibus regulas revocabantur, easdemque anno poſt redegit in compendium. Operis magna expectatio, major autem fuerat applauſus apud eos, qui ſupra vulgus ſapiunt, quorum magnum numerum adducere poſſem, ni brevitati eſſet ſtudendum. Illud unum addam, *Paralipomena Lexicographorum Hebraicorum* ſcribere jamjam coepiſſe virum ſedulum, quo linguae ſanctae omni ex parte inſtauratorem ageret; dimotum tamen a propoſito per Georg. Burckard. Rumelinum Cl. Virum diſcipulum ſuum; utpote qui eodem tempore Lexicon Biblicum ſecundum Hilleriana principia in lucem publicam emiſit.

Haec ſunt fere, quae Tubingae edidit, quamdiu Profeſſor fuit: cetera tum referemus, cum, quibus proemiis atque dignitatibus fuerit ornatus, paucis oſtenderimus.

Poſtquam annos ſex Profeſſor fuiſſet, decedente Caldenbachio, cujus vices geſſerat, Poedagogarcha eſt factus Ao. 1698. mox magiſter Domus in Illuſtri ſtipendio

(a) Inſtitutiones Linguae Sanctae Tubing. 1711.

pendio: tum Theologiae Profeſſor extraordinarius alius enim fieri noluit, ſed Logicam potius & Metaphyſicam cum Graecae & OO. LL. profeſſione commutavit, auctis ſubinde majorem in modum ſalariis. Praeterea Rector Academiae Magnificus creatus eſt ſemel; Decanus Facultatis ſexies, ſaepiſſime ſupremus Deputatus & multorum ſtipendiorum aequiſſimus adminiſtrator, tandem deſignatus Abbas Albae Dominorum.

Conjuge priori vivis exemta, Ao. 1708. d. 11. Julii, alteram thori ſociam acquiſivit Nobiliſſimam juxta ac venuſtiſſimam, imo & ſapientiſſimam feminam, Eleonoram Sibyllam, parentibus Hechleriam, Patria Mompelgardenſem, B. D. Chriſtophori Reuchlini, Tubingenſis quondam Chryſoſtomi, etiamnum deſideratiſſimi viduam. Quidni enim in his quoque Capnioni ſuccederet Capnioni in reliquis ſimillimus? ex qua anno poſt filium ſuſcepit unicum Jo. Fridericum, vivo adhuc Patre in ſtipendium Theol. Tubing. clementiſſime receptum, ejusdemque, prout ſperamus, veſtigia ſecuturum: duas autem filias ab uxore ejus domui illatas aeque dilexit ac ſi ex ſe eſſent genitae. Quarum minorem natu Juris Doctori atque Advocato Jo. Jac. Beuttelio, majorem mihi elocavit, ſuis utramque de ſumtibus ſatis liberaliter. Felix in hoc divino beneficio ſenex, quod fratribus ſine prole demortuis, nactus eſt, quantumvis ſero, qui amarent eum, colerent, ſolarentur ac foverent; felix etiam, quod ſenectutem agere honorificam, quietam, commodam nulloque niſi extremis duobus annis morbo inde a prima pueritia tentatam licuit.

Namque Ao. 1716. ipſis Cal. Febr. quibus vitam finivit, valedicere, alio quidem munus ipſius prenſante, Academicis laboribus clementiſſime juſſus eſt, in Monaſterium dimiſſus Regiofontanum, omnium longe amoe-

niſſimum, ut Abbatis ſumma dignitate condecoratus meritorum ſuorum fructu tranquille ibidem gauderet laetusque ad finem vitae usque perfrueretur. Verumenimvero licet gratiſſimo animo acciperet Sereniſſimi Principis inſignem clementiam: non quievit tamen ſacri laboris amantiſſimus Praeſul; ſed inſolens inertis otii ignavaeque voluptatis, non ſolum ſacra munia ipſemet obivit & diebus Dominicis ſingulis concionatus eſt; ſed multo etiam plura ſcripſit quam Tubingae potuit. Primum opus quod in iſthoc receſſu adgrediebatur, hoc ipſum, erat (a) *Hierophyticum*, cui plurimam profecto operam impendit, nullis etiam ſumtibus parcens vel in coëmendis auctoribus, vel & plantando horto Botanico ad quem ſtudium hoc ipſum induxerat veteres imitatum, qui a republica diſcedentes arbores plantabant, alteri ſaeculo profuturas. Alterum non minori ſtudio elaboratum vocavit (b) Ἰσοδύναμα *Scripturae Sacrae*, exaſciatum certe nitidiſſimeque conſcriptum opus & ad prelum dudum paratum. In Geographia quoque ſacra excellens commentatus eſt in *Hieronymum* de locis Ebr. jungendus utique Jo. Clerico, & qui contra hunc ſcripſit Jacobo Rhenferdio Celeberrimis Viris, ſi ad umbilicum perduxiſſet opus.

Sunt alia, faſciculo juncta, quibus titulum nondum ſatis elaboratorum ipſemet inſcripſit, quae nunc perluſtrabo, poſtquam nuperrime demum hoſpitio meo excepta eſt cum vidua, ſocru cariſſima, Bibliotheca quoque Hilleriana, non magnae illa quidem, quod mireris, molis, ſed exquiſitis auctoribus conſtans: nec concedam, ut vel filio haeredi ullus liber, vel unica erudito orbi ſchedula pereat, quae publico inſervire deinceps poſſit. Cum primis autem lucem meretur poſtremum Viri opus, omnium praeſtantiſſimum, quippe in quod tanti Interpretis

(a) Hierophyticum. (b) Ἰσοδύναμα Scripturae Sacrae.

pretis eruditio univerſa velut in centrum confluxiſſe videri poteſt, & cujus perfectioni nihil deeſt amplius, niſi in chartam puram deſcriptio. Servet Deus Broedeleto noſtro optimo humaniſſimoque viro hanc mentem, quam literis teſtatus eſt, velle ſe hujus quoque libri edendi curam ſuſcipere; nec ulla in nobis mora erit, publico quamprimum fieri poteſt, gratificandi. Audi titulum Lector Benevole, & ex ungue cognoſce leonem: (a) *Theſaurus linguae ſanctae Hermeneuus, in quo perſpicua brevitate non ſolum Idiotismi ſive peculiaria ac ſingularia divini codicis loquendi genera, ſed & aequivalentia ſive* Ἰσοδύναμα, *locutiones* ἐκ παραλλήλου *& cognatae ſignificationis vocabula, verba item tranſlata & figurata, ea quoque, quae per ſimilitudines & parabolice & typice, quae porro proverbialiter, denique ea, quae ad actionem pertinent & ex ritu veteri dicta ſunt &c. exponuntur. Opus omnibus Sacri Codicis ſcrutatoribus perquam utile, imo fere neceſſarium &c.* Huic tanto tamque praeclaro operi, cum perfectum jam ſit ne verbulum quidem addemus ex noſtro, ſed manum ſaltem deſcribendo commodabimus ac calamum.

Ceterum illud unum ſupereſt, Lector, idque graviſſimum, ipſius viri ejusque vivendi moris ac virtutum commemoratio, eo quidem brevior futura, quo fuit in omni vita modeſtior, & quo difficilius eſt, tanti viri exprimere perfectam imaginem. Nos primas ſaltem lineas ducemus. Nimirum, quod primum ac praecipuum eſt, in religione ac cultu Numinis ſimplex ac candidus fuit, hypocriſeos omnis oſor maximus, Deo magis innoteſcere, quam ab hominibus ſpectari ſatagens. Inde Theologiam quoque amavit ſimplicem illam & antiquam, id eſt, Scripturariam; exegeſi non e profanis,

(a) Theſaurus Linguae Sanctae Hermeneuus.

ſed ipſismet Sacris Auctoribus inſtituta ; tricas quoque ac rixas, innovandi pruritum , ſectarum ſtudia, Zelum οὐ κατ' ἐπίγνωσιν , ſed & pacificandi illud praepoſterum ſtudium deteſtatus maxime , Deo & tempori , non hominum arbitrio transmittens Ecceleſiae pro diverſa periodorum ratione incrementa. In vita communi ſuperiores ex animo reveritus eſt ; pares , Collegas inprimis , ſincero amore omnique officio proſecutus : nemini gravis , nemini moleſtus , erga omnes mire pacificus extitit , in congreſſibus , conviviis aliisque ſolemnitatibus feſtivus, hilaris, prorſusque jucundus. Inferiores quibusque imperabat , blande ac comiter ; ſed nec ſine gravitate tractabat, in omni officio nil odio , nihil amori , nil utilitati ſuae tribuens. Facies viro decora ac gravis, vox virile quiddam ſonans, lingua minime praeceps elegantiaeque in omni ſermone ſtudioſiſſima , ut typis exprimi illico potuiſſent , quae vel ex Eccleſiaſtica vel Academica cathedra eſt locutus : ſtatura mediocris , robuſta tamen & erecta , inceſſus membrorumque motus lentus ac aequabilis, totusque corporis habitus ad decus ac ſeveritatem compoſitus : capilli autem nigri & criſpi vultui ſic imminebant , ut velut natura ſignante ad Hebraica ſtudia natus atque conformatus eſſe videretur ; Nathanaëli tamen ſimillimus, in quo fraus nulla nullus dolus inerat. Ingenio erat ad ſtudia aptiſſimo , non nimis veloci, nec tardo etiam ; ſed attento maxime & ad inveſtigandum accommodatiſſimo. Judicio aeque pollebat ac memoria, cujus utriusque vim ad vitae finem usque perduraſſe, nequicquam imminuto alterutrius vigore oculorum quoque ſervata admiranda acie, in tanto Philologo rarum quiddam fuiſſe autumo. Multum vero profuit ad Sapientiam Hillero noſtro, quod uti ipſius ſapientiae, quod difficillimum eſſe Tacitus judicat ; ſic rerum quoque ceterarum

omnium

omnium modum tenuit, de nulla re ſolicitus magnopere, niſi de ſtudiis ſuis. Procul ira ac odio, procul cupiditate omni vel honoris, vel opum, vel deliciarum, ut Stoicum ferme dixiſſes fuiſſe, animum ſemper in aequilibrio atque ſuos intra circulos tenuit. Quae cauſa eſt etiam, quamobrem accedente diaeta, quam ſcitiſſime obſervavit, valetudo ipſius nunquam turbata ad ſenectutis tantum faſtigium Deo ſecundante pervenerit. Extremo autem vitae tempore ante duos hos annos calculi dolore vexatus, non amplius ad priorem incolumitatem rediit; ſed ſenſim decreſcens, dolores quidem medicina, theriacae in primis immodico uſu ſopivit, ipſe tamen interea contabuit, animo in ſpem melioris vitae erecto ſubindeque Sacro epulo corroborato, & ſolatia Theologica propinante tum uxore fidiſſima ſocia, tum Vicario ipſius Dn. M. Jo. Ulrico Hellwagio, in ſella ſedens, ſine ullo mortis ſenſu pie placideque obdormivit, Februarii tertio die Ao. 1725. poſtquam vixiſſet annos ſeptuaginta novem, demtis diebus duodecim. Elatus honeſto funere, non intra templum, quod prohibuit; ſed pone iſtius parietes eſt ſepultus & funebris ſermonis textum ipſemet praeſcripſit ex Evang. Joh. C. 17. vſ. 24. Monumento ſepulchrali ex aere fuſo ſequentia inſcripſi ex lapidario genere:

D. O. M. S.

HIC. SITVS. EST.
MATHAEVS. HILLER.
STVTGARDIANVS.
ABBAS. REGIOF. PER. ANN. FERME. IX.
ANTEHAC. VLTRA. V. LVSTRA.
THEOL. GRAEC. ET. OO. LL. PROFESS. TVBING.

GENE-

GENERE. VIRTVTE. RELIGIONE. AC. ERVDITIONE.
SI. QVISQVAM. CLARVS.
NON. PATRIAE. NON. GERMANIAE. SED. EVROPAE
ATQVE VNIVERSO. ORBI. LITERATO.
NOTVS.
ET. GRAECIS. ET. BARBARIS. CHARVS.
SVIS. DESIDERATISSIMVS.
OCTOGENARIVS. FERE.
OBDORMIVIT. IN. DOMINO.
CAL. FEBR. ANN. MDCCXXV.

Habes Lector, B. HILLERI, qui probitatis omnis, eruditionis atque virtutis viva imago fuit, non Ἀποθέωσιν, ſed vitae ipſius meritorumque brevem quandam σκιαγραφίαν, breviorem futuram, ſi quidem licuiſſet ob dicendarum rerum multitudinem. Tu memoriam Viri ſerva, poſteris mihique fave & Deum roga mecum, ut plures ejusmodi operarios extrudere in meſſem ſuam velit. Vale. Scripſi Bebenhuſae volante ob feſtinationem Dn. Editoris calamo. d. 14, Julii 1725.

ARGUMENTA
CAPITUM.
PARTIS PRIMÆ.

CAP. Pag.

I. *Arbor, & Arborum ultima Origo.* 3

II. *Arborum partes Radix, Truncus, Cortex.* 13

III. *Rami.* 24

IV. *Folia. Germen. Flos arborum.* 32

V. *Fructus.* 41

VI. *Arborum Propagatio, Sexus & Præputium.* 55

VII. *De his, quibus arbores juvantur.* 62

VIII. *Arboribus infeſta.* 68

IX. *De Fruticibus.* 74

X. *De Silvis, Nemoribus & Lucis.* 77

XI. *De Hortis.* 88

XII. *Arborum uſus & abuſus.* 95

XIII. *De lignis Algummim, id eſt, gummiferis, Ebeno, Bdellio, Santalo &c.* 100

XIV. *Arborum ſpecies. Arbor vitæ. Arbor ſcientiæ boni & mali. Malus, Cedrus magna.* 107

XV. *Palma.* 122

XVI. *Malus Punica.* 143

XVII. *Ficus & Sycomoræa.* 150

XVIII. *Olea.* 174

XIX. *Similitudines ab olea ductæ. Oleas infeſtantia.* 180

CAP. Pag.

XX. *De Oleo Sacro & ipſius confectione, item de Uſu Olei Sacri.* 192

XXI. *Ab Oleo ductæ ſimilitudines;* Necoth *olea tuſa.* 205

XXII. *Amygdala.* 215

XXIII. *De Nuce & Kidda ſive Storace.* 222

XXIV. *De Myrto & Myrrha.* 231

XXV. *De Sycamino ſive Moro.* 250

XXVI. *Juniperus.* 253

XXVII. *Dudaim ſive Ceraſa.* 257

XXVIII. *De Vite.* 270

XXIX. *De Uvis.* 288

XXX. *De iis, quæ Vitibus inimica ſunt.* 295

XXXI. *Racematio.* 301

XXXII. *A Vitibus & Vinea deſumtæ Similitudines.* 303

XXXIII. *Vinearum leges.* 315

XXXIV. *De Vino & Sicera.* 319

XXXV. *De abuſu Vini.* 335

XXXVI. *Loca Vitibus ac Vino celebrata.* 339

*** XXXVII.

ARGUMENTA CAPITUM.

CAP. Pag.
XXXVII. *Quercus*, *Eſculus*, & *Ilex tinctoria.* 347
XXXVIII. *Fagus*, *Hebr. Libne*, *Pinus Oren*, *Picea Thidhar.* 365
XXXIX. *Abies.* 370
XL. *Cupreſſi*, *Hebr. Berothim.* 374
XLI. *Cedrus. Similitudines a Cedro deſumtæ. Cedri uſus.* 377
XLII. *De Ahalim ſive Ahaloth*, *id eſt*, *de Cedrio. Item de Aloe.* 394
XLIII. *Buxus. Acer*, *Hebr. Theaſcur. Platanus*, *Hebr. Harmon.* 401
XLIV. *Thus.* 404
XLV. *Therebinthus.* 399
XLVI. *Balſamum.* 419
XLVII. *Lentiſcus.* 425
XLVIII. *Schitta*, *id eſt*, *Acacia.* 426
XLIX. *Siliquæ ſive Ceratoniæ.* 429

CAP. Pag.
L. *Thirza*, *id eſt*, *Tilia.* 431
LI. *Salix & Hebenus.* 435
LII. *De Fructicibus. De Cinnamomo & Caſia.* 439
LIII. *Galbani frutex.* 448
LIV. *Copher ſive Cyprus.* 451
LV. Kikajon *ſive Ricinus.* 453
LVI. *Malluach ſive Halimus.* 456
LVII. *Hedera.* 460
LVIII. *De Fruticibus*, *qui ſpinis armantur*, *Kots & Schamir.* 462
LIX. *De generibus ſpinarum Choach*, *Sirim & Sillon.* 465
LX. *De Spinis*, *quas Sicchim*, *Schajith*, *& Tzinnim vocant Hebræi.* 469
LXI. *Roſa*, *Rubus*, *Cynosbatus.* 473
LXII. *Barkanim*, *id eſt*, *Oxyacanthæ*, *Hakrabbim*, *id eſt*, *Rhamni*, *Chedek*, *id eſt*, *Prunus ſilveſtris. Aſpalathus.* 483

ARGUMENTA
CAPITUM.
PARTIS SECUNDÆ.

CAP. Pag.
I. *De Herbis in genere.* 1
II. *De Gramine & de Oleribus.* 12
III. *De Lilio.* 19
IV. *De* Chabbatzeleth, *id eſt, Aſphodelo, & de Narciſſo.* 30
V. *Crocus.* 34
VI. *Porrum, Allium, Cæpa.* 36
VII. *De Abſinthio.* 39
VIII. *De Hyſſopo & Mentha.* 41
IX. *Anethum, Ruta, Cuminum, Coriandrum.* 47
X. *Panaces Heracleum.* 50
XI. *Malanthium & Centaurium.* 53
XII. *Cichorium. Lactuca & Hebræorum* Merorim *ſive Pierides.* 56
XIII. *Cucumeres & Pepones.* 58
XIV. *Sinapi.* 60
XV. *Nardus.* 64
XVI. *Bor ſive Borith, Lomentum.* 67
XVII. *De Agricolatione.* 67
XVIII. *De Satione.* 80
XIX. *De Frumento.* 98
XX. *De Tritico.* 112
XXI. *De Spelta, Hordeo &* Dochan *ſive Panico.* 120

CAP. Pag.
XXII. *De Lente, Cicere & Faba.* 124
XXIII. *De Lino.* 130
XXIV. *De Byſſo.* 141
XXV. *De Sponte nato.* 143
XXVI. *De Meſſe.* 145
XXVII. *De Fructuum retrimentis, Gluma, Stipula, Stramine & Quisquiliis.* 158
XXVIII. *De Pane.* 163
XXIX. *De Panibus Faciei.* 182
XXX. Ἄρτος ἐπιούσιος. 185
XXXI. *Panis Euchariſticus.* 188
XXXII. *Quæ de Pane per Tropum dicta.* 190
XXXIII. *Tribulus, Carduus, Urtica.* 194
XXXIV. *Aloë vulgaris aculeata.* 197
XXXV. *De Arundine generaliter accepta. Arundineæ Naves. Mel arundinum.* 199
XXXVI. *Calamus Aromaticus.* 205
XXXVII. Agmon, *Arundo gracilis.* Gome *Scirpus ſive Juncus.* 209
XXXVIII. *Papyrus, Alga;* Achu,

CAP. Pag.
chu, *id eſt, Sparganium.* 214
XXXIX. *De Fungis.* 218
XL. *De Plantis Palæſtinæ, quas in ſacris literis haut obvias Authores commemorant.* 222
XLI. *Recenſentur Plantæ Thalmudis Scriptoribus cognitæ.* 232
XLII. *Plantarum nomina Thalmudicarum, quæ Gloſſarum Scriptores non interpretati ſunt.* 240
XLIII. *Traduntur Stirpes, quas in Thalmude memoratas recentiores Rabbini vel varie exponunt, vel cum ignariſſimis ignorant.* 242
XLIV. *Enumerantur Plantæ Syriæ, quarum vel maxime Veteres mentionem faciunt.* 245
XLV. *Hodegum præbet Homileticum pro Concionum Exordiis.* 257

HIERO-

HIEROPHYTICI,

SIVE

COMMENTARII

IN LOCA SCRIPTURÆ SACRÆ,
QUÆ PLANTARUM FACIUNT
MENTIONEM,

PARS PRIOR

DE

ARBORIBUS.



CAPUT PRIMUM.

DE ARBORIBUS IN GENERE, ET ARBORUM ULTIMA ORIGINE.

ARBORIS DEFINITIO עץ *arbor & lignum; reſpondet in communi Græcorum Dialecto* ξύλον. *Arbor collective ſumitur pro arboribus.* Arborum *in mites & feras* diſtinctio. Arborum origo. Arborum ſimilitudines. *Arbor indigena comparatur cum improbo, Arbor viridis cum Juvene, arida cum ſene, rurſus, viridis cum Chriſto, arida cum Judæis. Arbor revireſcens opponitur homini non redivivo. Arbor altiſſima typus imperii ſummi. Arbores Domini ſunt, quæ ſponte in eximiam proceritatem elatæ. Arbor rivalis denotat aſſiduum verbi divini ſtudioſum, arida eunuchum, cantantes & plaudentes arbores commune gaudium. Arbores vivaces ſymbolum longævitatis. Arbor Chaldæorum Regis imago.* Loca *ab arboribus denominata.*

I. ARBORIS DEFINITIO.

ARBOREM ſolemus appellare quicquid ab radice ſtatim ſimplici caudice brachiatum, ramis ſurculoſum diſſolutuque contumax aſſurgit, quemadmodum olea, ficus, & vitis conſpiciuntur. Hebræorum עץ proprie quodvis lignum ſignificat, deinde arborem, quia lignum eſt. Ac proinde ξύλον dialecto communi in Sacris Literis pro δένδρον paſſim ponitur. Nimirum vocem Ebraicam duplicis poteſtatis in Græcam vertentes ejus poteſtatem

 ali-

aliquando Græcæ tribuunt. Ita *δύναμις* & *vim* & *exercitum* ſonat *Marc.* 13. 25. *Luc.* 21. 26. quia *vim* & *exercitum* notat חיל *Exod.* 14. 28. *Joël* 2. 11. *Gen.* 47. 6. Sic *ῥῆμα verbum* & *rem*, *βίβλος librum* ac *recenſionem*, quoniam ex conſuetudine Hebræorum דבר *res* & *verbum*, ספר *liber* & *recenſio* dicitur. & 1 *Cor.* 15. 5. *νῖκος æternitatem* ac *victoriam*, 1 *Cor.* 15. 54. ſignificat, quoniam & Hebræis id ſonat נצח *Pſal.* 13. 2. *Prov.* 21. 28. Sic *θυμός* pro *veneno*, *Apoc.* 18. 3. quia id denotat חמה *Deut.* 32: 32. & *Pſal.* 58: 5. Latinis autem arbor & generale nomen eſt, & ad arbuſta etiam & frutices transfertur, & quicquid altius excreſcit & ramos producit. Ipſum vero עץ Hebraicum ſæpius collective, & in ſenſu plurium ſumi ſolet, ut *Gen.* 3: 4. *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie* DOMINI DEI, *in medio arboris horti. Gen.* 3. 2. *De fructu arboris horti comedere poſſumus.* Sic & arborum nomina accipiuntur, ut *Quercus*, 1 *Chr.* 10: 12. pro eo enim legitur *ſub Nemore.* 1 *Sam.* 31: 13. & *Gen.* 12: 6. quod de Abrahamo dictum, *Habitabat ad quercum Mamre*, id *Geneſ.* 13: 18. effertur *Habitavit ad quercus Mamre.* Sic Debora, ut *Judic.* 4. 5. legitur, *habitabat ſub Palma Debora*, id eſt, *ſub Palmeto Deboræ.*

II. ARBORUM DIFFERENTIÆ.

Arborum quædam ſunt ſilveſtres, mites vel urbanæ quædam, quæ fructu aut aliqua dote umbrarumve officio humanius juvant. Nobiliſſimæ & præſtantiſſimæ in mitibus cenſentur Arbores Edenis, cum quibus idcirco Babyloniæ Reges comparantur. *Ezech.* 31: 16, 17, 18. A caſu Aſſyrii *conſolationem cœperunt in terra infima*, apud inferos, *omnes arbores Edenis*, Reges Babylonii defuncti, Merodach Baladan, filius Baladanis, olim Edenitidis, in qua terreſtris paradiſus fuit, Domini, quos regno Aſſyrius privaverat. *Quo cum ita gloria & magnitudine æquaris, arboribus Edenis*, i. e. priſcis Babyloniæ Regibus *cum illis arboribus* ſcil. Edenis *dejicieris in terram imam, in medio præputiatorum cubabis, cum confoſſis gladio.* Talis eſt Pharao & tota multitudo ejus. Vid. Noldius *Annotat. ad Concord. Partic. num.* 1124.

Sylveſtres aut feræ arbores, quæ proveniunt in locis incultis cum Malo, miti & fructuoſa arbore comparatæ, imaginem præbent hominum & angelorum qui dotibus ſuis Chriſto ſunt inferiores. *Cant.* 2. 3. *Ut Malus inter arbores ſylvæ, ita eſt Amicus meus inter filios.* Filii dicuntur homines & Angeli, & homines quidem ſeculi hujus filii,

filii, & filii Dei. In Angelis Dei filii ſunt filii lucis. Cum Chriſto comparati cenſentur arbores ſylveſtres, Homines, quia ſunt ignobilis ortus, & ex impuro concepti ſemine, quibus etiam ex incorruptibili ſemine renatis adhæret pravitas. Angeli vero, quia Chriſto primogenito Dei ſubditi ſunt *Pſal.* 97: 7. qui poteſt eis apponere lucem *Job.* 4: 18. Porro in ſylveſtribus humiles dixeris hominum filios, proceriores in ſylveſtribus, quales cedri videntur, Angelos. Mali arboris ſimilitudinem de Chriſto explicatam, vide *infra* cap. XIV.

III. Arborum Ortus:

Arborum origo initialis à Conditoris rerum omnium juſſu & voluntate repetenda. Id quod Moſes nos docuit *Gen.* 1: 11, 12. *Germinet terra arbores frugiferas edentes fructum in ſpecies ſuas, in quibus inſit ſemen ſuper terra, & fuit ita: Nam produxit terra arbores edentes fructum, in quibus ſemen ſuum eſt in ſpecies ſuas.* Efficaciſſimæ juſſionis hujus vi etiamnum arbores, nullo antea jacto ſemine producit terra. Nam & in ædium combuſtarum ruderibus, & in humo altiſſime egeſta, ubi aëris facta libertas, & ſol affulſerit, & pluvia humectaverit, quas ut *Lucretius* canit,

Pater æther
In gremium matris terræ præcipitavit.

protinus vel herbaſcunt, vel fruticantur. Quin imo, ut à fide dignis hominibus accepi, & in ſylvis deſertiſque locis, quo nullum vel ab homine vel à ventis delatum ſemen eſt, maxima copia poſt cæſas fagos betula naſcuntur, quæ viginti & amplius annis inter dejectas fagos non comparuerunt. Nec dici poteſt ex latente hactenus ſemine betulas proveniſſe; Quod enim ſemen ex arbore natum, tanto temporis intervallo non corrumperetur? Verum igitur eſt quod dixi, vi primævæ juſſionis divinæ fieri, ut, quo loco nihil ſatum, prorſus, ut in prima conditione betulæ terræ jugera conveſtiant. Quas vero naturæ ſtirpes debemus, eæ vel ſemine ut fagi, aut ab radice ut ſurculi, vel ab inſitione ut malus, ut pyrus, aut pacto in terram ramo, ut ſalicis cæſus ramus atque pactus creſcit in arborem; aut taleis propagatur, ut Oliva *Plin.* L. XVII. cap. 11.

In arboribus propagatur ſuum cujuſque ſemen arboris principium & finis, imo inchoata arbuſcula. (Quod ut intelligatur notandum eſt, ſemen arborum duplicem habere differentiam: Aliud

eſt maſculum, aliud fœmineum. In aliis ineſt & maſculum & fœmineum in iiſdem ſcilicet vaſculis conjunctum, ut in malo, pyro, corno, malis perſicis atque cydoniis. In aliis nec in vaſculis aut loculis iisdem, ſed diverſis, ut in quercu, picea, pinu noſtra ſilveſtri; Aliæ ſemen maſculum intra ſe, fœmineum extra ſe in planta congenere habent, ut Palma. Sunt quæ ſemen continent ſterile & infæcundum, ut ſalicis pleraque genera: ſunt item quæ nullum, ut malus ἀπύρηνος. Uvas Agrigartas vinaceis vacuas recenſens Theophraſtus à Scaligero refutatur. Dubitatur etiam an ceraſi fructus extiterit ſine oſſiculis, Berberis ſine nucleis: mali punici ſingulare genus, quod nullum in acinis ſemen contineat. De his plura Excellentisſimus D. Camerarius *Epiſt. de ſexu Plantar.*) Surculi ab radice nati, ut proſpere inſerantur, Palladio monente, ſint novelli, fertiles, nodoſi, de novo nati, ab orientali arboris parte deciſi, crasſitudine digiti minoris, bifurci vel trifurci, gemmis pluribus uberati. Inſitionis autem genera antiqui tria tradiderunt. Primum, quod inter librum & lignum fieret; alterum quod in trunco fiſſo; tertium quod emplaſtrationem vel inoculationem vocant, quo, ut autor eſt Columella, ipſas gemmas, cum exiguo cortice in partem ſuam delibratam recipit. In Sacris Literis tria propagandarum arborum genera memorantur, unum quod fit ſemine, alterum quod ſurculis, tertium quod inſitione. Semine, ut vitis *Ezech.* 17: 5, 6. Surculo ab radice pullulante. *Jeſ.* XI. I. & *Dan.* XI. 7. *Poſtea exiſtet e ſurculo radicum ejus vitiarium ejus.* Inſitione. *Rom.* XI. 19. 23, 24.

IV. אזרח ARBOR INDIGENA, ἰθαγενὴς CUM IMPROBO COMPARATA.

ARBORES, quibus locis proveniunt cives in iis ſunt, non hoſpites, πολῖται, inquam, non ἐμπολιτευόμεναι, ut ait Socrates ad Philippum. Et privatim quercus neutiquam ſunt hoſpites in opacis. Scaliger *lib.* 2. *in Theophr. de cauſ. Plant. p.* 126. *D. Pſal.* 37: 35, 36. *Vidi improbum magna vi erumpentem, ac ſeſe explicantem, tanquam arbor indigena virens, tanquam quercus. Deinde præteriit, temporis momento tranſiit, & ecce non erat amplius, nam quæſivi eum, ſed non inventus eſt.*

V. ARBOR VIRIDIS JUSTUM, ARIDA IMPROBUM SIGNIFICAT.

Ezech. 20: 47. vel 21: 3. *Conſumet in te ignis omnem arborem viridem,* &

& omnem arborem aridam. Confer *capitis* 21. *comma tertium.*

VI. Arbor viridis Christus: Arida Judæi.

Luc. 23: 31. *Si in virente ligno* (in arbore vivente) *iſta faciunt, in arido quid fiet?* quaſi dicat: ſi hoc fit, divina diſpenſatione, in humido vel ſucculento, quid fiet in ſicco & ſterili? Senſus loci; Si ego juſtus do pœnas, quid fiet vobis Judæis? Sic *Exech.* 20: 47. *Exſcindam & viridum lignum & aridum*, i. e. ut ipſe interpretatur *c.* 21: 3. *juſtum atque improbum.* Contra arbores emortuæ & Chriſto & Baptiſtæ vocantur homines à pietate deſtituti. *Grotius.* Eadem Chriſti ad ſupplicium ducti verba Theophylactus hunc in modum enarrat. *Si Romani hæc in me deſignant, in me, inquam, arbore viridi, h. e. frugifera, ſemperque virenti ac perenni &c. In vobis populo, dico, qui eſtis aridum lignum, omnis juſtitiæ vivificæ expers, ac infructuoſum, quid non deſignabunt?*

VII. Arbor reviresCens opposita homini in hanc vitam non redeunti.

Job. 14: 7, 8, 9, 10. *Nam eſt arbori quod expectet ſi exſcindatur, repullulaſcet, ſe ipſa quaſi renovabit, & ſtolo ejus non deficit, non conſummatur, non exareſcit. Si conſenuerit in terra radix ejus, etiam pulvere moriatur truncus ejus ſucciſus: Ab odore aquæ floreſcet, quum ſenſerit aquam revireſcet*, & faciet ſegetem, *ramorum copiam, ut planta recens, quaſi denuo plantata. At homo moritur & debilitatur, privatur viribus* quaſi dicat: In reliquis manet aliqua vis, nulla in homine; *& ubi exſpiraverit homo, ubi eſt?* Senſus dictorum: non ut arborum ſeneſcentium renovatio; ita homini datur ſtatus miſeri cum meliori commutatio: lex enim peccati hominem perſequitur uſque ad mortem. Coccejus *ad h. l.* Similis eſt Moſchi *in Epitaphio Bionis* querimonia, p. m. 63.

Αἲ Αἲ ταὶ μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλονται,
Ἢ τὰ χλωρὰ σέλινα, τό, τ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον,
Ὕστερον αὖ ζώοντι, καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι·
Ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες,
Ὁππότε πρῶτα θάνωμες, ἀνάκοοσι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμανα νήγρετον ὕπνον.

Id eſt Interprete *Whitefordo*:

Hei mihi! floriferis quoniam macreſcit in hortis
Malva ſacrumque apium, aut caulis florentis Anethi:

Eri-

Erigiturque iterum , & renovato vere reſurgit:
Fortibus, ingenioque viris præſtantibus , (atra
Cum ſemel invadens animam mors abſtulit) altus
In promptu ſopor eſt , æternaque vincla coercent.

VIII. ARBORES REVIRESCENTES DICUNTUR STUDIUM AC SOLICITUDINEM SUAM MANIFESTANTES.

Philipp. 4: 10. REVIRUISTIS. Non dicit Apoſtolus Philippenſes in ſolicitudine ipſius refloruiſſe aut vigorem recepiſſe, quod interim aridi fuiſſent aut mortui , quantum ad ſtudium Pauli ; ſed quod hujuſmodi ſtudium atque affectus in animo latens, non ſe tunc exſeruent. Eſt enim metaphora ab arboribus ſumta, quæ cum per hyemem mortuæ videantur, eo, quod vis earum contracta lateat, vere rurſus florent , ac frondes emittere incipiunt , id quod Theophylactus quoque annotavit. Hyperius & Eſtius *ad h. l.*

IX. ARBORES EXCELSÆ: IMPERIA MUNDI QUÆ CHRISTO SE OPPONUNT: HUMILES ECCLESIA VEL REGNUM CHRISTI.

Ezech. 17: 24. EXPERIENTUR *omnes arbores agri* (omnes gentes) *me eſſe* DOMINUM, *dejicere arborem altam , exaltare arborem dejectam , exſiccare arborem florentem , virentem, & facere , ut floreat ſicca.*

X. ARBORES DOMINI.

Pſal. 104: 16. *Satiantur arbores* DOMINI, *Cedri Libani , quas plantavit.* Arbores DOMINI, quæ ſponte ſua, ſine ulla hominum cura oriuntur & creſcunt , à ſolo Deo productæ, *ſatiantur,* irrigantur & ſola Dei providentia nutriuntur.

XI. ARBOR RIVALIS, VERBI DIVINI STUDIOSUS.

Pſal. 1: 2. CUJUS *oblectatio eſt in lege* DOMINI, *in verbo Dei, & qui de lege illius meditatur interdiu & nocte. Is eſt ſicut arbor plantata ad rivos aquarum ;* reficitur rivulis gratiarum & ſolatiorum, quas Spiritus S. verbum ſuum aſſidue meditantibus præbet.

XII. ARBOR ARIDA, EUNUCHUS.

Jeſai. 56: 3. NEQUE *dicat Eunuchus: En ego ſum lignum aridum vel arida arbor.* i. e. indignus, quem in populo ſuo Deus cenſeat. Eunuchus enim arcebatur a templo infamis & a privilegiis populi exclu-

excluſus. *Deut.* 23. 1. Recte Calvinus : *Legis Moſaicæ obſtaculum Spiritus S. diligenter rejicere voluit, tum ut conſuleret conſcientiis Gentilium, qui ad Chriſtum acceſſuri erant, tum quia magna erat Iſraëlis pertinacia, qua gentes erant ab Eccleſia Dei repulſuri.* Vid. *Act.* 11: 12. & 15: 7.

XIII. Arbores laudantes.

Pſal. 148: 9. Laudate *Dominum arbores, fructus*, i. e. fruendorum fructuum fertiles, vel hortenſes, *omnesque Cedri*, i. e. Silveſtres, non eſculentum ferentes fructum.

Laudant arbores ſuum Conditorem, opus artificem. Concelebrant infinitam ejus potentiam, qui vim genitalem in prima rerum omnium productione ſtirpibus inditam poſt tot ſecula ipſis conſervat, facitque, ut e ſemine cortex, truncus, rami, brachia, flores, fructuſque prodeant, & a perexiguo rudimento in ampliſſimas altiſſimaſque ſtirpes adoleſcant. Laudant benigniſſimi Creatoris largitatem ubertate admirabili, & fructuum varietate, quorum non guſtatus ſolum, ſed odoratus etiam & aſpectus hominem reficit; mille præterea uſibus, ſine quibus vita degi non poſſit. Arbore ſilveſtri ſecamus maria terraſque admovemus, arbore ædificamus tecta. Nidos & umbram volucribus, iis denique & feris pabulum præbent. Quod ad varietatem attinet, ut reliqua taceam, generum diverſitate plurimæ excellunt, neque numerum eorum quisquam computaverit. Autor Operis *l'Abbregé de bons fruits*, anno 1667. *Pariſiis* editi, in Gallia fœcundiſſima frugum atque pomorum matre, pirorum plura quam ſeptingenta & quinquaginta genera, Prunorum centum & ſeptuaginta recenſuit. Genera vitium numero comprehendi poſſe, unus exiſtimavit Democritus, teſte *Plinio*, cuncta ſibi Græciæ cognita profeſſus; Cæteri innumera atque infinita eſſe prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis. Nec omnia dicentur, ſed maxime inſignia, quippe, quæ totidem pene ſunt quot agri *Lib.* XIII: *cap.* 2.

XIV. Cantus Arborum silvestrium.

Jeſ. 44: 23. Fragorem *edite montes cantu, ſilva & quæcunque arbor eſt in ea.* i. e. Montes & ſilvæ omneſque arbores ſilveſtres perſonant vocibus & cantu Iſraëlitarum celebrantium vindictam & redemtionem Dei ſui.

Pſal. 96: 12. *Exſultabit ager, & quicquid eſt in eo: tum cantabunt omnes arbores ſilvæ.* Exſultabit gentilitas ob præſentiam Chri-

ſti, judicantis orbem terrarum per juſtitiam & populos per fidem. ℣. 13.

XV. PLAUSUS ARBORUM.

Jeſ. 55: 12. COLLES *fragorem edent coram vobis*, a cantu, redeuntium ex captivitate, *& omnes arbores agri complodent manum.* i. e. Vociferantibus & plaudentibus vobis plaudentium clamor & vociferatio jugis montium & agris, vel ſaltibus repercuſſa, videbitur reſpondere.

XVI. ARBORUM VIVACITAS.

Jeſa. 65: 22. UT *ſunt dies arboris*, *dies erunt populi mei; & opus manuum ſuarum ad vetuſtatem habebunt electi mei. Dies arboris*, cujus ſcilicet longiſſima vita, ex quo genere olea, palma, platanus, quercus, ilex, juniperus, & cupreſſus. E diverſo breviſſima vita eſt punicis, fico, malis. Ex his præcocibus brevior quam ſerotinis dulcioribus quam acutis, & dulciori in punicis. Item in vitibus præcipueque fertilioribus. In plenum dici poteſt, utique quæ odore præcellant, ea æternitate præſtare, (i. e. firmiſſimas ad vivendum eſſe) de quibus *Plin.* XXVII. *c.* 40. 44. *Ad vetuſtatem habebunt* Hebr. יבלו vetuſtum exhibebunt. Senſus dicti: Diutiſſime vivet Iſraël, populus meus, & quod elaboraverint, id vetuſtatem adipiſcetur. In hæc verba Druſius *in Proverbiis ſacris p.* 552. *Poteſt verti, ut ætas arboris: Jonathan, ut dies arboris vitæ. De hac arbore ſcribunt Hebræi; Arbor vitæ creſcit annos quingentos. Secundum meam ſententiam, arbor vitæ dicitur arbor longæva, ut fons vitæ fons perennis. Nam vita in Hebraiſmo, quod diu durat. Unde vita eſt etiam benevolentia ejus, quod expono in Quæſtionibus, benevolentia ipſius durat. Arbor vitæ appellatur hodie novi Orbis nova ſtirps, patrum memoria ex Canadas ſeptentrionalis Americæ provincia, primum in Europam advecta ſub Franciſco I. Galliarum Rege Chriſtianiſſimo, de qua arbore videndus Dodonæus, & alii.*

XVII. LOCA SINE NOMINE A VICINIA NEMORUM SYLVARUMQUE DENOMINATA.

Judic. 4: 5. DEBORA *Prophetiſſa habitabat ſub Palmeto Deboræ, Ramam inter & Bethelem, in monte Ephrajimitarum.*

Judic. 6: 11. *Veniens Angelus Domini conſedit ſub querceto, quod eſt prope Hophram urbem Joaſchi Abiezritæ*, quæ dicitur etiam *Gideonis, Judic.* 8: 27.

Judic. 4: 11. *Tetenderat Cheber Kenæus tentorium ſuum uſque ad Eſculetum in Tzahanajimis, quod eſt prope Kedes Cadeſum.*

Ju-

Judic. 9: 37. *Agmen unum veniebat* verſus Sicemum *à via Querceti Mehonenæorum.* Tremellius: *planetariorum*: alii *præſtigiatorum.* Videntur a loco vel oppido traxiſſe nomen.

1. *Par. cap.* 10. *vel* 11: ℣. 12. *Sepeliverunt Jabeſitæ oſſa Saulis & filiorum ſub querceto prope Jabeſum.* אלה collective hic accipi patet ex loco parallelo 1 *Sam.* 31: 13. ubi pro אלה ſcribitur האשל id eſt, *nemus*, vel *arboretum.* Non approbo ea, quæ *Heinſius* annotavit ad Chriſti dictum *Johann.* 1: 49. ὑπὸ τὴν συκῆν εἶδόν σε. *Uſitatum eſt*, inquit, *Hebræis, nomina locorum, quæ non ſatis certa aut diſtincta, ex arboribus notare. Sic Rebecca dicitur ſepulta* ὑπὸ τὴν δρῦν: *quod Helleniſtis* ὑπὸ τὴν βάλανον. *Ita paulo ante Jacob ſimulacra cæterorum Deorum* ὑπὸ τὴν τερέβινθον τὴν ἐν Σικίμοις, *abſcondit Gen.* 35: 4. *cujus iterum, ut quidam volunt, capite Joſuæ ultimo, fit mentio. A quibus ipſis quoque locis nomen, unde vallis terebinthi.* 1 *Sam.* 17: 2. *& alibi non ſemel. Ita Deus primum Abrahamo* ὑπὸ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλὴν *ut Helleniſtæ, ad quercum Moreh, ut Hebræi, apparuiſſe dicitur. Nam* μεθερμηνευομένοις *in talibus utuntur Helleniſtæ. Ita* 1 *Regum* 13: 14. *Vir Dei,* ὑπὸ τὴν δρῦν *ſub quercu ſive terebintho, ut alii, ſicut hic Philippus, ſub ficu, invenitur. Locus enim aliquis ab arbore ſic dictus, aut conſpicuus notatur. Notum autem non in Ægypto tantum, ſed & Oriente reliquo, frondoſam mire ac denſam eam arborem fuiſſe. Ut ſit ſenſus: Tum quoque cum tu ſub denſa illa admodum lateres ficu, non tam vidi te, quam mores indolemque, mi Philippe, tuam penetravi.* Miror doctiſſimum Virum in his explicandis toties halucinatum. Hebræis ait uſitatum eſſe locorum nomina ex arboribus notare. Sed pro Hebraicis, Helleniſtarum, quos vocat, locutiones retulit. Ex una & ſingulari arbore, putat notari locorum non ſatis diſtincta nomina. Atqui exempla, quæ adducit, non de una ſolum arbore ſed de pluribus nemora aut ſilvas conſtituentibus intelligi debent. Collective enim & plurali ſenſu dicitur אלון eſculentum, ſubter quod, non, ut Heinſius putat Rebecca, ſed Debora Rebeccæ nutrix ſepulta, *Gen.* 35: 8. Rebeccam enim ſepeliverat in ſpelunca, quæ fuit in agro Macpelæ, e regione Mamre, i. e. Hebronis. *Gen.* 48: 30. 31. Idem ſentiendum de אלה ſive Querceto Sicymis vicino, ſub quo Deos alienos familiæ & comitum ſuorum abſcondit Jacob a Meſopotamia redux *Gen.* 35: 4. & de אלה i. e. Eſculeto, quod ſitum erat ad Sanctuarium Domini, in territorio Siluntino. Nunquam enim Domini Sanctuarium Sicymis

viſe-

viſebatur. Vicinum tamen Sicemitarum agro fuit. *Joſ.* 24: 1. In quo etiam a Joſua in teſtimonium erectus ingens lapis, ſub אלה ſeu Eſculeto, quod erat vicinum Sanctuario Domini, *in agro Siluntino.* Exiſtimo enim quod nec in urbe Sichem dicta, nec in Silunte, ſed extra hanc urbem, in agro ejus, fuerit erectum Sanctuarium. Idque ex eo colligo, quod Heli nuncium præſtolatus de exitu belli Palæſtini ſedit ad latus viæ ducentis ad caſtra, in loco aperto & in proſpectum patente. Et vero Siluntem inter Sanctuarium & urbem interjectam fuiſſe, ex eo liquet, quod nuncius cladis e caſtris veniens primum urbem, & relicta urbe Sanctuarium petiit. Deinceps veritati vel maxime conſentaneum eſt, extra hominum turbam ſtetiſſe Dei habitaculum, quoniam & in deſerto extra Iſraëlitarum caſtra fuit, ut conſtat ex *Num.* 11: 26. ubi cum prope Tentorium Conventus ſeptuaginta viri e Senioribus populi in judicandi munere Moſi adjungerentur, ex ipſis duo memorantur, qui ad Tentorium non venientes remanſerunt in caſtris Quin & ante conditum Templum Tabernaculum Dei nec Hieroſolymis nec Gibhone fuit, ſed ab urbe ſejunctum in Excelſo Gibhonis, ut legitur 1 *Par.* 16: 39. *& cap.* 21: 29. Porro Quercum ipſius More, ſeu Elon-More, quæ vocatur, manifeſtum eſt, quercetum ſignificare, quoniam ſynonyma ejus pluraliter ſonant אלון ממרה, Δρύες τȣ̃ Μαμβρὲ *Gen.* 14: 13 *&* 35: 27. & אלוני מורה Δρύες τȣ̃ Μωρὲ *Gen.* 12: 6. Quercus vero ſub qua vir Dei inventus 1 *Reg.* 13: 14. & Ficus, ſub qua Nathanaelem, quem lapſu memoriæ Heinſius bis Philippum vocat, abſens vidit Dominus, nomen loco non fecerunt. Fruſtra igitur in exemplum allatæ ſunt.

XVIII. ARBOR CHALDÆORUM REGIS EMBLEMA.

Dan. 4: 17. 18. 19. ARBOR *illa, quam in ſomnis vidiſti, quæ crevit & roborata eſt, cujus altitudo pervenit ad cœlum, & aſpectus in totam terram, cujus rami pulchri & fructus multi, & cui cibus pro omnibus ineſt, ſub qua umbram captabant,* (& habitabant ℣. 9.) *beſtiæ agri, & in cujus ramis ſedebant aves cœli: Tu es, o Rex, qui creviſti & roboratus es; nam amplitudo tua ita crevit, ut pervenerit ad cœlum.* Proximam Deo inter homines dignitatem & faſtigium tenes, Rex Regum. *Ezech.* 27: 7. *ac dominium tuum pervenit ad fines terræ*, longe lateque dominaris. *Subter te umbram captant beſtiæ agri*, id eſt, ſub gratia tua præſidio & tutela degunt Regni

tui

tui Primores, Satrapæ, Antiſtites, Præfecti, Senatores, Legisperiti, juſtitiæ exſecutores, Domini Provinciarum, & qui his obediunt tenuioris conditionis homines. Regis Procerumque favore & auxilio indigentes. Tua quoque gratia tuetur ac protegit *Aves Cœli ſub ramos habitantes*, id eſt, eos, quibus res ſublimiores & cœleſtia curæ ſunt, Babyloniæ Sapientes, Magos videlicet, Aſtrologos, Chaldæos & Haruſpices. *Dan.* 4: 4.

CAPUT SECUNDUM.

De Arborum Radicibus.

De *Arborum radice. Radicum ſtirps ſeu origo. Radicum ſimilitudines. Radix ad aquas ſymbolum affluentiæ. Radix pernicioſa avaritiæ. Radix abſinthii, Idololatriæ apoſtaſias, & hæreſeos. Radix eſt emblema firmitatis, incolumitatis, ſpei & fiduciæ, ſedis item fixæ & ſtabilimenti. Cæſa arbore ſuperſtes generis notat reliquias. Eradicatio exitium. Securis ad radicem imminens excidium. Res improborum perituras arbor eradicanda. Exciſæ arboris relicta radix emblema ſpei reſtaurandæ. Radix, arboris fundamentum, divinæ promiſſionis.* De Trunco, *Virgula infra truncum Iſai. Trunco ſimilis homo convertendus.*

I. Arboris Radix.

Neminem fere præterit Arbores radice, trunco, ramis & foliis conſtare. Radix eſt I. ex qua procedunt arbores. Similitudinem hinc duxit Paulus Apoſtolus, qui Patriarchas Judaicæ Gentis auctores, Radicem gentis vocat. *Rom.* 11: 16. *Si radix ſancta, & rami ſancti ſunt.* q. d. Patres ſancti ſunt: Ergo non eſt de poſterorum ſanctitate deſperandum. Sancti ſunt rami, id eſt, adhuc vocati ad ſalutem, non penitus rejecti. Balduinus: *Patres Apoſtolus radicem vocat, ex qua ipſi reſecti exciderunt; novam tamen inſitionem promittit. Unde ſequitur, Judæos, vi promiſſionis patribus ſuis & ſemini ipſorum factæ aditum habere ad beneficia & privilegia Dei, tantum abeſt, ut de ipſorum ſalute penitus deſperatum ſit.* II. A radice plantarum omnium nutritio & accretio pendet maxime. In petra ſeminatum, propterea, quod non habebat radicem, exaruit. *Marc.* 4: 6. hinc Radix arefacta & tabeſcens interitum deſignat, *Jeſa.* 5: 24. *Radici iſtorum* (qui ad avaritiam & luxum propenſi ſunt) *qua-*

ſi tabes inerit, & flos iſtorum ut pulviſculus peribit. Job. 18: 16. *Inferne* improbi hominis radices *exareſcunt, & ſuperne ſucciditur ramus ejus.*

II. עקר HEKER STIRPS RADICIS.

עקר vel Chaldaico effatu עקר *hinkar* ſtirps, unde radicibus creſcendi exordium. *Dan.* 4: 12. *Stirpem radicum ejus in terra relinquite.* Translate familiæ authorem ſonat. *Levit.* 25: 47. *Peregrino habitanti apud te,* (aut familiæ peregrinæ auctori) *ſi vendiderit ſe frater tuus.*

III. RADIX AD AQUAS EXPLICATA UBERTATIS ET AFFLUENTIÆ SYMBOLUM.

RADIX *mea erat aperta ad aquas, & ros pernoctabat in ſegete mea. Job* 28: 18. *Aperta ad aquas*, hoc eſt, explicata & extenſa, ut humorem continue hauriret. *Ros pernoctabat in ſegete mea, Segetem dicit ramos, ut Job* 14: 9. *Pſal.* 80: 12. *Spiritualiter radix eſt fides, qua accipimus ſalutariter omnia bona à Deo. Notatur autem & affluentia gratiæ ac benedictionis divinæ omnigenæ, atque omnis temporis, ut nulla eſſet non modo interruptio, ſed & nulla parte ſui aut forma benignitatis non participaret.* Coccejus

IV. RADIX PERNICIOSA AVARITIES VEL AMOR PECUNIÆ.

RADIX *omnium malorum eſt avaritia: quam quidam cum appetunt, aberrarunt à fide, & ſe ipſos undique transfixerunt doloribus multis.* 1 *Tim.* 6: 10. Radicem malorum vocat, tum quia vitiorum multorum mater eſt; Ex avaritia enim ſunt furta, fraudes, mendacia, calumniæ: homicidia, omnis denique injuſtitia, tum quia multas homini pœnas accelerat. Unde recte dixit ſapiens: *Avaro nihil eſt ſceleſtius: hic enim & animam ſuam venalem habet. Eccleſ.* 10: 9. Exempli mali affert ex communi experientia, quod videlicet aliqui φιλάργυροι pecuniæ cauſa in errores fidei inciderunt magno ſuo cum malo; multis enim doloribus ſe implicarunt, morſus conſcientiæ ſenſerunt perpetuos, gratiam Dei & favorem piorum omnium amiſerunt, paſſim contemti & exoſi. Quis enim eum curet, qui pecuniam plus curat quam Deum & religionem veram. *Balduinus ad loc. laud. p.* 1371. *a.*

V. RADIX, FEL ET ABSINTHIUM PROFERENS IDOLOLATRIÆ APOSTASIAS ET HÆRESEOS AUTHOR.

Deut.

Deut. 29: 18. Ne *ſit in vobis radix proferens fel aut abſinthium.* i. e. Ne ſit in vobis autor amaritudinis, qui exacerbet me hæreſi & idolorum cultu, aut qui mutet in abſinthium, hoc eſt, qui corrumpat & faſtidium faciat popularibus ſuis verborum Dei. Confer *Hebr.* 12: 15.

VI. Radix firmitatis similitudinem declarat.

Firmitudinem habent arbores, quæ radices ſuas in profundum agunt, ut Robora, & Eſculus, quæ ſi *Virgilio* credimus, quantum corpore eminet, tantum radice deſcendit, vel quæ ſpatio & plenitudine maximæ ſunt, ut cedri, ab ea platani, roboris & glandiferarum; vel quibus radix vivacior ſuperficie, ut lauri. Non abs re igitur radicem *Schoreſch* a firmitate adpellarunt Hebræi, voce a שרש verbo derivata, quod Chaldæis firmum aut ſtabilem eſſe ſignificat.

VII. Radix non commota status firmus et incolumis.

Prov. 12: 3. Non *ſtabilietur homo improbitate. Radix autem Juſtorum non dimovetur.* id eſt; Improbitas hominem non præſtat ſtabilem, nec res ejus firmat; Juſtorum autem inconcuſſa & perennis eſt conſtantia. Ventorum furorem eludit arbor, quæ radices ſemel egit validas, fibriſque fortius per terram diviſis, ipſam ſtirpem robore armavit. Ita animus Deo devotus ſua in Deum fiducia, humilitate cæteriſque virtutibus nititur, tantumque abeſt eum adverſis terrenarum calamitatum aſſultibus dimoveri, ut tanto fortius erigatur, quanto vehementius imminent & inſontem quatiunt.

VIII. Radix altius pacta firmitatis symbolum.

Hoſ. 14: 5. Et *panget radices ſuas ut Libanus.* Id eſt, propagabit firmabitque radices ſuas, ut Libanicæ arbores, quæ radices agunt in latiſſima ſpatia; Latiſſime fundabitur Eccleſia.

IX. Radix dicitur spes et fiducia quæ contra ingruentia mala firmat, munitque justum.

Prov. 12: 12. Desiderat *improbus præſidium malorum ſed radix juſtorum dat illud*, id eſt, *deſiderat improbus* adverſus mala defenſionem atque munimentum, *ſed radix*, id eſt, ſpes firma & fiducia quæ contra mala & calamitates juſti animum firmat, roborat & ſtabilit, præſidium illud dabit.

X.

X. RADIX EST FIXA ET STABILIS SEDES.

Judic. 5: 14. Ex *Ephrajimo illi, qui radices egerunt in Hamalek* (monte) *ſequuti ſunt te. Ex Ephrajimo*, id eſt, ex Ephratæis, conditoris nomine pro poſteris accepto, ut hic ℣. 15. Jiſſacar pro Jiſſacaritis, Reuben pro Reubenitis, *qui radices egerunt*, Hebr. שרשם pro אשר שרשם quorum radix, id eſt, quorum fixum eſt domicilium, *in monte Amalek*, ſive juxta Amalek montem. Fuit is in ſorte Euphrathæa, in quo Pirhathon extabat, patria Habdonis filii Hillel, Judicis Hebræorum. *Judic.* 12: 17.

XI. RADICARI EST FIRMARI, STABILIRI.

Epheſ. 3: 17. Ut *inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati.* Charitatem Dei erga nos intelligit, quæ alias vocatur gratia & miſericordia Dei. In ea radicamur ac fundamur omnium firmisſime. Deus enim fidelis eſt qui ſe ipſum non abnegat, igitur quæ ex gratia promiſit, etiam præſtiturus eſt propter Chriſtum. Hujuſmodi radices agere vult fidem Eccleſiarum, ne in tentationibus aut tribulationibus Deo diffidant, aut ſpem ſalutis abjiciant; ideo radices & fundamentum fidei ipſis a Deo precatur tanquam auctore & conſummatore fidei noſtræ. *Balduinus l. c. p.* 899.

Coloſſ. 2: 7. *Radicati & ſuperſtructi in Chriſto Jeſu Domino, ac confirmati fide, ſicut edocti eſtis, in ea cum gratiarum actione excellentes.*

Jeſa. 27: 6. *Venientes radicem aget*, id eſt, ſtabili domicilio fruetur, *populus Jacobi, & implebunt faciem orbis. Radicem aget, ſive radicatus erit* ישרש a nomine שרש derivatum verbum Hiphilicum, tranſitive accipiendum. Jacob pro gente poſitum nomen pluralis nominis notionem habet.

2 *Reg.* 19: 30. *Reſiduum domus Jehudæ, quod relictum fuerit, radicabitur inferne*, (ſtabilietur atque firmum erit) *& fructum proferet ſuperne*, velut ab ſtirpibus lætius feraciuſque renatum, fructuoſum erit.

Job. 5: 3. *Vidi ſtultum radices agentem, cujus exſecratus ſum tabernaculum repente. Vidi ſtultum*, improbum ut *Pſal.* 107: 17. & *Pſal.* 69: 6. qui deſerta ſpretaque pietate opibus ſuis lætabatur. *Radices agentem* vel *radicatum*, id eſt, in ampliſſima fortuna & florentiſſimis opibus adverſum caſus infeſtos firmatum. *Sed exſecratus ſum*, non per invidiam & iram, ſed quod ab iſtius periculoſo ſtatu abhorrerem,

rem, tantum abſuit ut appeterem illam beatitudinem.

Jerem. 12: 2. *Cur plantas improbos, etiam radicantur*, id eſt, firmantur contra fortunæ mala, *etiam edunt fructum*, id eſt, improbitas eorum ipſis fit lucroſa.

Job. XIX: 28. *Tamen dicitis: quam perſequemur eum? cum radix rei reperiatur in me*, id eſt, juxta Junium, cum pia fide in Deum radicatus ſim, quia perrexi adhuc in mea integritate, & nunc verba veritatis coram Deo profero, ut fidei talis fructus, non autem folia, aut fallaces verborum flores, quales vos effunditis.

XII. Radix cæsa arbore superstes generis notat reliquias.

Jeſa. XI: 10. Erit *tempore illo, ut radicem Iſai, quæ exſtat in ſignum populorum, gentes quærant; eritque locus quietis ipſius in gloria.* Radix hoc loco, non ut *Rom.* 11: 16. generis authorem denotat, ſed quod arbore ſucciſa relictum in terra, ut *Job.* 14: 8. *Quum valde ſenuerit in terra radix arboris ſucciſa, & in pulvere jam moriturus erat pes ejus*, id eſt truncus ejus, *ex odore aquarum regerminat & agit ramum velut planta.* Intelligitur autem Chriſtus, qui Davidis familia pene extincta & exciſa, & poſteris ad plebem dejectis, ut cedro exciſa radix, relinquendus. Hunc, ait Propheta, in altitudinem ſigni coram gentibus elatum iri, hoc eſt, gentibus dominaturum, quem dicti ſenſum & Apoſtolus docuit, qui hunc locum laudans, *Rom.* 15: 12. pro verbis, *ſtabit in ſignum*, hoc repoſuit: *exſurget ad imperandum gentibus.* Et vero vexillum eminentiam notare liquet encomio, quo ab Eccleſia Chriſtus ornatur. *Cant.* 5: 10. *Dilectus meus eſt candidus & rubicundus* דגול מרבבה *Sublimis & elatus inſtar ſigni in myriadibus. Signum hoc gentes quærent*, id Apoſtolo interprete eſt, *in ipſo gentes ſperabunt*, eritque *locus quietis ejus in gloria*, id eſt, Eccleſia, in qua tanquam in domo & poſſeſſione ſua habitabit, erit glorioſa.

Jeſ. 14: 30. (*al. cap.* 15: 3.) *Quum enecavero radicem tuam & reſiduum tuum, Palæſtina, interfecerit hoſtis.*

Apoc. 22: 26. *Ego ſum radix & genus David*, id eſt, ſuperſtes ex ſtirpe Davidica, *Stella ſplendida, matutina. Apoc.* 5: 5. *Ecce vicit Leo ille, ex tribu Juda, Radix illa Davidis.*

Jeſa. 14: 29. (*al. cap.* 15: 2.) *Ex radice ſerpentis*, (id eſt ab eo quod poſt conciſum ſerpentem reliquum) *prodibit homorrhois, & ex fructu illius* ſerpentis *preſter volans.* Conferatur *comma ſequens trigeſimum*,

geſimum & cap. 4: 1. *comma primum.*

Malach. 4: 1. *Non relinquet eis radicem & ramum*, id eſt, Ne liberos quidem habebunt ſuperſtites, quorum cauſa tot injuſta facinora fecerunt. Judæi ex his verbis colligunt *in Thalm. Cod. Sanhedrin*, *cap. ultimo.* Parvulos impiorum, etſi in parentum debita ob ætatem minime conſentientes, manere pœnam æternam. Sic enim ajunt: Parvuli impiorum Iſraëlitarum, non erunt participes vitæ futuræ, quia dictum eſt apud Malachiam, non relinquitur ipſis radix & ramus. Radix enim ſpectat parentes impios morte præpropera abreptos; rami autem infantes eorum, antequam adoleverint, mortuos, & ut pœnas dent, æternæ damnationis reos. At hæc expoſitio a textu & mente Malachiæ eſt aliena. Is enim hoc minatur improbis, Deum nec radicem, hoc eſt, ſuperſtitem nullum in familia, nec ramum, unde reparari gens improba quaſi per inſitionem poſſet, ultionis die relicturum.

XIII. RADIX RES INFIMA.

Job. 36: 30. RADICES, id eſt, profunda *maris tegit Deus.*

Job. 13: 27. *Ad radices pedum meorum facis tibi notam*, hoc eſt, annotas omnia veſtigia mea. Radices pedum ſunt veſtigia vel plantæ.

XIV. ERADICATIO FUNDITUS DELETORUM EXITIUM.

Pſal. 52: 7. DEUS *demoliturus eſt te in æternum*, *abripiet te*, *& avellet e tentorio eradicabitque e terra viventium*, *ex hoc gratiæ* ſeculo, ubi præter naturalem vitam & vitam gratiæ degimus, exſtirpabit. Conf. *Pſal.* 27: 13. & 142; 6.

Job. 18: 16. *Inferne radices ejus exareſcunt*, *& ſuperne ſucciditur ramus ejus*, hoc eſt, cum omni domo, familia, fortuniſque omnibus diſpereunt. Radices ſunt cauſæ εὐθηνίας, meſſis vel ſeges ramorum felicitatem proſperitatemque ſignificant, *Pſal.* 37: 35.

Hoſ. 9: 16. *Percutietur Ephrajim*, *radix ipſorum exareſcet*, ſine ulla ſpe inſtaurationis, *fructum non ſunt facturi.*

Jeſ. 5: 24. *Quemadmodum comedit ſtipulam lingua ignis & ſtramen flammæ* (hoc eſt inflammatum) *reſolvitur; radix ipſorum ut putor fiet*, *& flos ipſorum tanquam levis pulvis aſcendet*, id eſt, ira divina tanquam tabe conſumetur, vel putreſcet, *& flos ipſorum*, gaudium eorum, *ut pulvis abibit*, vanum evadet, quia contemnunt doctrinam Domini, Dei exercituum, & ſermonem Sancti Iſraëlis ſpernunt.

nunt. *Radicem populi Abarbanel intelligit Patres, florem filios. Verum eſt antiquam fuiſſe in populo Iſraelitico defectionem, & filios reos factos fuiſſe peccati patrum ſuorum Matth.* 23: 31. 32. *Rurſus & illud verum eſt, Judæos defectores, regnum Chriſti rejicientes computruiſſe in ſuis peccatis, & ipſorum filios in iiſdem evanuiſſe, & factos eſſe tanquam pulverem coram vento.* Coccejus.

Jeſa. 40: 24. *Diſponit Deus Dominatores in nihilum; Judices terræ ſicut rem inanem efficit. Neque plantantur, neque ſeruntur, neque radicatur in terra ſucciſus truncus eorum: quin etiam ſufflante illo in illos exſiccantur, ac turbo quaſi ſtipulam tollit eos*, id eſt, principes ab ſtirpe tollit, ita ut nec plantari queant amplius, nec ſeri, nec radicari in terra ſuperſtites eorum, nec ulla maneat vis calamitati ſuæ reſiſtendi, vel in ſtatum priſtinum ſe reſtituendi. Nam, ſi vel ſufflaverit in eos iratus Deus, ut floſculus exareſcent, & ad inanitatem redactos turbo quaſi leviſſimam ſtipulam e loco ſuo auferet.

Matth. 15: 13. *Omnis planta, quam non plantavit Pater meus cœleſtis* (quocunque etiam colore oculis adblandiatur) *eradicabitur*. Nimirum fruſtraneus eſt omnis cultus, qui non pro fundamento habet præceptum ſeu inſtitutum Dei, ſed hominum duntaxat. *Sonzez Epiſcopus Conimbricenſis in Matthæi decimum quintum, Tract. I.* De pravitate voluntatis & doctrinæ loquitur Dominus, de doctrinis hominum & traditionibus illis, de quibus ℣. 2. 4. 9. Nam Pater cœleſtis non plantaverat has doctrinas hominum, de non ſubveniendo parentibus, propter oblationem in templo faciendam, nec præceperat lotis ſemper manibus edere.

Job. 31: 8. *Propagines meæ eradicentur*, id eſt, progenies mea ὁλοῤῥιζῶς pereat, funditus exſtirpetur.

XV. Securis ad radicem arboris poſita ſignificat imminere cervicibus impoenitentium extremum et irreparabile excidium.

Matth. 3: 10. Jam *vero etiam ſecuris ad radicem arborum ſita eſt. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum exciditur, & in ignem abjicitur.*

Securim intelligit *Hieronymus* prædicationem Euangelicam: *Gregorius* Chriſtum, qui conſtet ex humanitate, velut manubrio, divinitate, ut ferro. Sed cum tota oratio ſit tropica, totus potius textus intuendus eſt, quam ſingulæ partes. Itaque excludit alte-

rum emendationis impedimentum, ſpem ſcilicet differendi ſupplicii. Jam enim ſecuris poſita eſt, non ad ramos, ut ſuperflua decidendo levius caſtigentur, ſed ad ipſam RADICEM arborum, ut funditus excidantur & pereant. Significat enim jam imminere cervicibus extremum & irreparabile excidium, non ſolum Judæis inferendum per Titum & Veſpaſianum, vel per translationem Euangelii ad Gentes, ut quidam intelligunt, ſed etiam ſingulis hominibus infligendum per æternam damnationem. Hoc enim eſt quod ſequitur: *Omnis arbor*, ſeu homo, etiamſi nepos, aut filius carnalis fuerit Abrahæ, ſi ſterilis bonorum operum, EXCIDETUR, jamjam (Græce ἐκκόπτεται) ex hac vita ſcilicet per mortem. Et in ignem mittetur inextinguibilem ℣. 12. ſeu ſupplicii æterni. Dicitur hoc jam poſt adventum Chriſti fieri magis quam ante, quia nunc palam cœpit in toto mundo prædicari. Scripturæ autem phraſi res tunc fieri dicitur, cum palam innoteſcit. Hinc antea ignorantia & infirmitas magis veniam, ſuppliciique diminutionem ac dilationem merebantur. *Corn. Janſenius Comment. in Evangelium Matthæi p.* 25.

XVI. INCREMENTUM ET STABILITÆ IMPROBORUM RES CUM ARBORE PROCERA FIRMITERQUE RADICATA, SED FUNDITUS TANDEM PERDENDA COMPARANTUR.

Job. 8: 14. Succoſus (ut arbor viridis) *fuerit iſte improbus ante ſolem* (quantumvis urente ſole) *& ſupra hortum ſuum* (in quo plantatus) *tener ramus ejus*, ſummus vertex, qui in arbore tenerrimus, *prodierit*, ramis ſuis proceſſerit ultra murum (quæ locutio obvenit *Gen.* 49: 22.) id eſt dignitate & opibus excelluerit. *In acervo radices ejus implexæ fuerint domum lapidum inſpexerit*, id eſt, altiſſime fuerit & firmiſſime radicatus. *Si quis exſcindat iſtum*, vel ſi exſcinditur, *e loco ſuo ementietur eum locus dicens: Non vidi te.* Nullum priſtinæ magnitudinis veſtigium relinquet, nuſquam locorum reperiendus.

XVII. EXCISÆ ARBORIS RELICTA RADIX, SYMBOLUM EST SPEI AD PRISTINUM STATUM REVERTENDI.

Dan. 4: 12. EXSCINDITE *iſtam arborem*, Nebucadnezarem Babyloniæ Regem deſignantem, *& amputate ramos ejus, dejicite folia ejus, vagentur beſtiæ, ne ſubſint ei, & aves a ramis ejus: Verum ſtirpem* RADICUM *ejus relinquite.* עקר שרשוהי Hebraice diceretur

ceretur עקר שרשו id eſt ſtirps radicis ab exciſione arboris relicta. Hinc per metaphoram עקר dictus peregrinus, ex peregrina gente ſuperſtes. Unde & Philiſtæorum ex Cappadocia profectorum urbs vocata עקרון id eſt, a peregrina gente venientium civitas. *Vide Diſſertationem noſtram de Philiſtæo exule.*

XVIII. Radix Arboris fundamentum: divina Promissio.

Rom. 11: 18. Ne *gloriare adverſus ramos: quod ſi gloriaris non tu* Radicem *portas, ſed* Radix *te.* Rami ſunt Abrahami poſteri, à Deo propter infidelitatem abjecti. ℣. 15. 23. Radix dicitur verbum promiſſionis Abrahamo de Gentibus factum. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes Gen.* 12. 3. 18: 18. 22: 18. & 26: 4.

XIX. De Trunco vel caudice.

Truncus eſt id, quod ſive ex ſato, ſive ex plantato extra terram extat. Truncus autem ſucciſus, ſive id quod arbore ſucciſa extra terram apparet, Hebraice dicitur Gezah à ſuccidendo. Habet enim vox reſiduam in Arabia radicem, quæ declarat ſecare, reſecare, & ſpeciatim in conjugatione octava ligna de arbore amputare. Juxta *Kimchium* notat העץ הנכרת lignum undique frondibus ſucciſum, caudicem frondibus amputatis ſuperſtitem. Igitur idem *Kimchius in locum Jeſa.* 11. 1. Licet Iſraël in Babylonia exul habuerit ſe ut Truncus ſucciſus, tamen ex illo orietur ſurculus, Rex Chriſtus.

XX. Virgula infra truncum Isai, Jesus Christus.

Jeſa. 11: 1. Prodibit *Virgula infra truncum Iſai:* Vox מגזע meo judicio per ellipſin ſcribitur loco מתחת הגזע id eſt infra truncum. Sæpius תחת poſt *Mem* præpoſitionem ſubauditur, quod ab aliis non obſervatum, exemplis probo. *Et ſpoliatos ſe præbuerunt Iſraëlitæ ornamentis ſuis* מהר חרב id eſt, מתחת חרב *juxta montem Chorebi. Exod.* 33: 6. *Deficere feciſti eum* מאלהים pro מתחת אלהים *infra Angelos Pſal.* 8: 6. *Hebr.* 2: 7. 9, *Non cado* מכם pro מתחתכם *infra vos*, *Job.* 12: 3. *Ferrum & æs* מנעלך pro מתחת נעלך *ſub calceo tuo*, *infra calceum tuum. Deut.* 33: 25. Congruit cum interpretatione hac, quod Chriſtus inde adpellatur נצר *netzer*, Surculus e radicibus Iſai effloreſcens, vocabulum enim Netzer, idem declarat, quod חטר choter: idemque ſenſus verborum ויצא חטר מגזע ישי & eorum quæ ſequuntur ונצר משרשיו יפרה & quod in ultimis Davidis legitur: *Quum tota ſalus mea* ſive perfectio & conſummatio ſalutis meæ,

totumque deſiderii mei complementum futurum ſit , *quando non faciet Deus ut* domus mea *floreat* ſeu *germinet*. 2 Sam. 23: 5. *Præter alia* ſcribit Glaſſius , *ſtirpis Davidicæ* [*tempore nati Meſſiæ*] *conditio his verbis exprimitur* , *quod futura ſit inſtar trunci* , *quæ olim florida & patula arbor fuerit*, *in ea vero nil niſi radices fere permanſerint*, *hoc eſt*, *quod futura ſit humilis valde & deſpecta : & quod nihilominus celebratiſſimam ſuam plantam & ſurculum laudatiſſimum* , *ex ea* DOMINUS *ſit excitaturus* , *hoc eſt* , *Meſſiam benedictum. Euangelic. Text. Exegeſi* , *part. I. p.* 440.

XXI. TRUNCO QUODAMMODO SIMILIS AC DISSIMILIS EST HOMO CONVERTENDUS.

VERBIS , quibus Theſſalonicenſes docet *Paulus* I *Epiſt. cap.* 2: 9. convertiſſe ſe ad DEUM ,monere vult,nos non converti inſtar ſtipitis aut trunci , in quo nullus eſt motus aut ſenſus ; ſed Spiritus Sanctus ex non volentibus faciet volentes, novoſque excitat motus in corde, ut homo ſpiritui Sancto obediat , cui antea reſiſtebat. Dicitur alias hominem habere ſe in ſui converſione, inſtar trunci, quia truncus nullam habet aptitudinem activam ad ſtatuam, quæ ex illo efformetur : ita homo convertendus non eſt aptus præparandi ſe ad gratiam ſeu adjuvandi eam. Sed non convertitur ut truncus. Magna enim eſt diverſitas inter truncum & hominem convertendum. Ille non habet aptitudinem paſſivam , hoc eſt, non eſt ſubjectum converſionis habile : hic vero eſt ſubjectum habile , imo non eſt altius creaturæ converſio , quam hominis. Truncus non poteſt reſiſtere fabro in ſe agenti : homo autem reſiſtere poteſt Spiritui Sancto converſionem in ipſo operari volenti , quemadmodum Stephanus de Judæis dicit, quod reſiſtant Spiritui Sancto. *Act.* 7: 51. & Chriſtus de Hieruſalem. *Quoties volui te congregare ; ſed noluiſti. Matth.* 23: Truncus recipit actionem ſine motu & ſenſu : voluntas vero hominis mota a Spiritu Sancto non ita recipit actionem Spiritus Sancti ; ſed incipit velle & operari , ita , ut ſtatim lucta difficilis oriatur inter carnem & Spiritum Sanctum. Hanc rationem agnoſcit etiam Bellarminus , qui *Lib.* 2. *de gratia* , *& Lib. Arb. c.* 6. ad argumentum Pelagianorum, a præceptis ſumtum reſpondet : Scripturæ, dum hortantur homines ad converſionem, id monent, ut, cum a Deo vocantur & excitantur, non reſiſtant Spiritui Sancto , juxta *Pſalmum : Hodie* , *ſi vocem ejus audieritis*, *nolite*

nolite obturare aures veſtras. *Balduinus Comment.* 1. *ad Theſſal.* 1. *p* 1128.

XXII. De Cortice.

Trunci obducuntur libro aut cortice, non tantum ut ſint à frigoribus & à caloribus tutiores, ſed etiam ut per corticem ſuccus purior in flores, folia & fructus transmittatur. Pars corticis inferior eſt liber Græcis βίβλος dictus, in qua veteres ſcribebant, unde & volumina ſcriptorum libri, & Sacri Codices Biblia vocantur. Cortex in magno uſu agreſtium. Buccinas paſtorales, vaſa corbesque ac patentiora quædam meſſibus convehendis faciunt, atque prætexta tuguriorum. *Plin. lib.* 16: *c.* 9. Jacobus, Labanis Gener, virgas populeas & plataninas uſque ad alburnum decorticatas pecori ad bibendum venienti in canalibus objecit, gregemque ſuum, Deo artem benedicente, ex minimo in maximum auxit. *Gen.* 30: 37. 38.

Quæri heic ſolent varia, ut 1. *unde artificium hoc Jacobus didicerit.* Reſpondetur *ab Angelo* in ſomno edoctus. *Gen.* 31: 12. quem *Chriſtum* fuiſſe probat *Novatianus de Trinit. cap.* 27. 2. *An effectus hic fuerit naturalis?* Alii affirmant; & videtur omnino Moſes ipſe phantaſiæ ovium concipientium tribuere. Quantum in conceptu matris imaginatio poſſit animo, vel ante vel poſt impreſſa, multis exemplis docet *Bonfrerius*, ut & *Cornelius à Lap.* Qua de re *Valeſius in Sacra Philoſophia*, *Lemnius de occultis nat. mirac.* *Delrio lib.* 1. *Diſq. Mag. c.* 3. *Vairus de Faſcino &c.* Ut adeo hanc in formatione fœtus imaginationis vim non debuerit negare *Otho Caſmannus Angelograph. p.* 2. *c.* 24. Sed & *Johannes de Mey in S. Phyſica ſuper Geneſ.* fuiſſe hunc effectum naturalem diſputat: & quomodo talia contingant ſubtiliter diſquirit. Quamquam quæ ſit illa animæ imaginantis actio tam fortis, ut corpus quoque immutet, neſcio, an quis cogitando poſſit aſſequi. Alii tamen effectum hunc divinæ benedictioni adſcribunt, quam concurriſſe indubium eſt, & hiſtoria ipſa indicat; hinc monitus ille divinus *cap.* 31: ℣. 11. & fiducia Jacobi in Deum, juſtæ ſuæ cauſæ fautorem *cap.* 30: ℣. 33. Quare patet, quid reſpondendum ſit ad 3. quæſitum; *fueritne hoc artificium licitum, & an non peccarit Jacobus?* Peccaſſe pictores putant, & qui hanc hiſtoriam nono Decalogi præcepto appingunt. Sed ℞. Actus ipſe mala fraude vitiatur, & per ſe ſpectatus illicitus eſt. Hic autem contra fraudulentum & injuſtum hominem exercitus, vacat culpa, quia divino monitu perficitur. Dei autem omnia

nia noſtra ſunt, nec ulli facit injuriam, cum pro lubitu adimit & alteri donat digniori: quia Jacob non intendebat damnum ſoceri, ſed juſtam tot annis exantlatorum laborum mercedem; nec malis artibus, aut ſoli vel induſtriæ, vel naturæ efficaciæ, verum divinæ Providentiæ fidebat. Judice alio abſente, coram quo injuriarum dolorumque malorum reum perageret avarum & infidum ſocerum, Dei arbitrio cauſam ſuam commiſit. *Urſinus Arboreti Bibl. Sect. II. cap. 4. p.* 106. 108.

CAPUT TERTIUM.

DE RAMIS.

RAMORUM nomina *&* differentiæ. Hanaph *generis nomen.* Haphaim, *rami cum fructibus.* Kippa *vireſcens ſimilis improbo.* Cappoth, *rami palmarum.* Baddim, *rami, dilatationis & amplitudinis imago.* Amir, *ramus ſummus.* Tſammereth, *turio, teneræ ætatis princeps.* Dalijoth, *rami altiores.* Joneket, *ſurculus vel ramus recens.* Surculus *diffuſus augmenti ſymbolum.* Pura *ramus frugifer opulentiæ.* Schippim, *ramuſculi depaſti, penuriæ, vel defectus pabuli.* Scappoth, *avicularum latebræ.* Katzir, *ramorum multitudo, affluentiam notat & copiam.* Liberi *cum ramis comparati.* Jobech, *rami perplexi.* Sanſannim, *rami palmarum ſummi.* Rami *defracti vocantur de populo Dei excluſi. Denuo inſerti Eccleſiæ uniti.* Ramorum *in feſto tabernaculorum uſus. In ſignum ſubmiſſionis in viam ſtrati.* Palmæ *geſtatus ramus victoriæ ſymbolum.* Eximiorum *ramorum amputatio præſtantium virorum interitus.*

I. RAMORUM NOMINA ET DIFFERENTIÆ.

RAMI ſunt, qui ex trunco & brachiis arborum oriuntur. Termes autem veteribus dicebatur ramus cum ſuo fructu decerptus, aut ex arbore direptus. Spadica Dorici vocant avulſum e palma termitem cum fructu, teſte *Gellio Noct. Attic.* 17: 26. In Hebraico ſermone multis rami inſigniuntur vocabulis, quorum diſcrimina, prout potero, indicabo. 1. ענף *hanaph*, generis nomen eſt, *Malach.* 4: 1. *Dies Domini non derelinquet eis radicem &* RAMUM, id eſt, internecione delebit eos. Idem nunc de vitis palmite accipitur,

tur, ut *Pſal.* 80: 11. *Operiebantur montes* Canaanitidos *umbra ejus* (vitis quam tranſtuliſti ex Ægypto) *&* palmitum *ejus cedri maxima*, id eſt, omnes alias gentes gloria & Dei gratioſa propinquitate ſuperabat. *Ezech.* 17: 8. *Iſta* vitis *in agro bono*, in Judæa fertili, *ad aquas multas plantata, editura* Ramum, *& latura fructum*, id eſt Tzedekiæ Judæorum Regi, pluribus à Deo & Rege Babylonio beneficiis adjuto, copia fuit ampliandi ac ditandi regnum ſuum. Nunc de arboris denſæ frondis ramo, *Levit.* 23: 40. *Sumtis arborum denſarum ramis* feſto tabernaculorum, *cum ſalicibus torrentis lætabimini coram Domino Deo veſtro ſeptem diebus.* Cognatum ejusdem notionis nomen eſt ענף *Heneph. Ezech.* 36: 8. *Vos montes Iſraëlis* Ramum *edituri eſtis & fructum veſtrum laturi populo meo Iſraëli.* Significat florentem ſtatum Judæorum poſt reditum e Babylone, & Eccleſiæ poſt Chriſtum. *Menochius.*

II. עפאים Haphaim.

עפאים Chald. עפאי *haphim*, Termites rami fructibus onerati. *Dan.* 4: 14. *Amputate ramos ejus, dejicite* עפיה Termites *ejus* &. *Dan.* 4: 9. *Videbam* עפיה Termites *ejus pulcros, & fructus ejus multos, cibumque pro omnibus ineſſe ei.* Significat homines præſidio Magiſtratuum tegi & varias utilitates per ipſos accipere, ut præſtet ſub tyranno ſæviſſimo, quam ſub anarchia vivere. *Salvinus.*

III. כפה Kippa.

Est ramus major & robuſtior arboris qui *Columellæ* brachium, quod vernaculo ſermone Aſt dicitur. *Jeſ.* 9: 13, 14. *Exſcindet Dominus ex Jiſraële caput & caudam* Ramum *& juncum die eodem*, id eſt, ſummos & infimos, robuſtos & imbecilles. *Non exiſtet in Ægypto opus, nihil quod faciat caput, aut cauda*, hoc eſt, Princeps aut vates, principe ſcilicet multo infirmior; ut explicatum *cap* 19: 15. Ut adeo fallatur *Druſius*, qui putat ramum & juncum proverbio dici pro *omnes*, cui ſimile, *parvi properemus & ampli. Proverb. Sacr. p. m.* 538.

IV. כפה Cappa.

כפה plur. כפות à curvando dictæ Palmarum ſpathæ, ſive rami, quibus in tabernaculorum feſto utebantur ad extruenda tabernacula Jiſraëlitæ. *Levit.* 23: 10.

V. בדים Baddim.

Sunt rami robuſti, quaquaverſum ſparſi & ſeparati. *Baddim, Coccejo* judice, id fortean, quod Latini *duramina* vel *duramenta* in

vite dixerunt LXX. *ἀπώρυγας*, quos *ἀκρέμονας* dixeris. Acremon eſt ramus major, in quam vitis ſpargitur. Conſentit Arabici verbi notio بدّ *badda* ſeparavit, ſparſit, disjunxit. *Baddim* tribuunt viti *Ezech.* 17: 6. 8. *Iſta vitis* (Tcedekiæ Regi aſſimilata) *in agro bono, ad aquas multas plantata fuit, editura* (ſi mens non læva fuiſſet) *ramos robuſtos & latura fructum. & cap.* 19: 14. *Exiens ignis e ſcipione ramorum robuſtorum ejus*, id eſt, e trunco, unde prodierunt rami robuſti, *fructum ejus conſumit.* Per *robuſtos ramos* intelligit filios, quum ipſorum ætati paululum jam roboris acceſſiſſet, a Babyloniæ Rege ante oculos patris jugulatos. *Jerem.* 52: 10.

VI. אמיר AMIR.

RAMUS ſummus, pro ראים a themate ראם a quo & ראמה exaltata fuit, *Zach.* 14: 10. *&* ראמות *ramoth* excelſæ, pro ראמות *reamoth*, *Prov.* 24. 7. & verbum יתאמרו exaltatos ſe præbebunt, *Pſal.* 94: 4. Legitur autem אמיר *Jeſa.* 17: 6. *Et relinquetur in eo racematio, ut cum ſtringitur olea, duæ tresve baccæ in vertice* SUMMI RAMI. Item *Jeſa.* 17: 9. *Tempore illo erunt civitates robuſtæ ſimiles derelicto virgulto* SUMMOQUE RAMO, *quas dereliquerint Aſſyrii propter filios Iſraëlis; & ſumma erit deſolatio.*

VII. צמרת TSAMMERETH.

VERTEX arboris, qui turio *Columellæ*, *lib.* 20: 49. Turiones autem vocantur teneritates ſummitatum arborum, vel arbuſtorum. A lanea mollitie dicitur *Tſammereth*; idem quippe ſonat quod צמר *lana*; quemadmodum ſynonyma habentur אדר & אדרת *magnificentia*, עצב *dolor.*

TURIO TENERÆ ÆTATIS PRINCIPEM DESIGNAT.

Ezech. 17: 3, 4. *Aquila quædam maxima*, Nabuchodonoſorus Rex Chaldæorum, *magna, alis alatiſſima*, velociſſimi volatus, *ſcatens pennis*, non laborans pennarum defluvio, atque adeo auguſtæ & ſpectatiſſimæ formæ, *cui eſt ſpecies phrygionici operis*, Rex, populis lingua & habitu variis ſtipatus, *veniens ad Libanum*, ad ſedem Regum Judaicorum, Hieroſolyma, quæ cedros, id eſt, Reges genuit, *deſumſit Ramum ſummum cedri*, teneræ ætatis Regem Jeconiam; Erat enim ſolum duodeviginti annorum. *Summitatem tenerorum ramorum ejus decerpſit*, Auguſtam, matrem Regis, & fœminas Regis ac aulicos, principes Judæ; homines, qui mollitie ſua, deliciis & nimio luxu animum infirmaverant. *Jerem.* 29: 2. *Reg.* 14: 15. *&*

detulit

detulit illam in terram negotiatoris, in Babyloniam, celeberrimum Aſiæ emporium.

VIII. דליות Dalijoth.

Rami altiores, q. d. evectos ſive elatos. Notantur hoc vocabulo, α. Rami altiores olivæ, *Jerem.* 11: 16. *Strepitu ingenti incendet ignis folia ejus*, olivæ ſcilicet virentis, *& ramos ejus altiores confringent* hoſtes, ſpem fructuum. β. Eminentiores vitis palmites. *Ezech.* 17: 7. *Fuit aquila quædam magna alia*, Pharao Ægypti Rex, *ad quam ecce Vitis iſta applicuit radices ſuas, palmites ſuas emiſit ad eam, ut irrigaret ipſam ex areolis plantationis ipſius*, id eſt, Tsedekias Rex deficiens à Babylonio, pacto cum Ægypti Rege fœdere, opibus illius regnum ſuum munire, vireſque ejus alere ſategit, & quo ſalutem & vitam ſubditorum tueretur, benevolentiam & præſidium Ægyptii ambivit. γ. Ramos folioſæ Cedri ſignificat nomen *Dalijoth*, *Ezech.* 17: 23. *Volucres cujuſcunque alæ, in umbra ramorum cedri illius magnifice habitabunt*, id eſt, Gentes quævis ad protectorem & tutorem Chriſtum, regia ſtirpe ſatum ſe recipient. *Ezech.* 31: 12. *In omnibus vallibus deciderunt rami ejus* Cedrique Aſſyriorum Regi comparatur.

IX. יונק Jonek vel יונקת Joneket.

Est ſurculus recens natus ad arboris truncum, *Jeſai.* 53: 2. *Aſcendebat coram Jehova ut ſurculus recens*, id eſt, ex humili ſtatu exaltabitur; Deo faciente & proſperos ſucceſſus dante.

Job. 8: 16. *Supra hortum ſuum tener ſurculus ejus recens prodierit*, id eſt, ſupra muros horti excreverit, conf. *Gen.* 49: 22. vel ſupra alias horti arbores aſcenderit, ſine allegoria: maxime inter homines ævi ſui eminuerit. *Job.* 15: 30. *Surculum ejus recentem arefaciet flamma*, id eſt, liberos, divitias, ſplendorem, opes & præſidia omnia, juxta *Mercerum*, *arefaciet flamma*, id eſt, diſperdet caſus cui obſiſtere nequit. *Hoſ.* 14: 7. *Diffundent ſe ſurculi ejus recentes*, (Iſraëlis, quem Libani cedris comparavit) id eſt, magnis augeſcent incrementis, perpetimque vivent ac

X. פארה Pura.

פארה Ramum arboris explicant ab ornamento dictum. *Kimchius* a פרה deducere maluit putatque א literam redundare. Ego literam א trajectam exiſtimo, & פארה dici pro פראה *fructificata*, & hoc pro פריה quemadmodum *Hoſe.* 11: 7. תלואים ſcriptum pro תלוים. Ex פראה trajectis literis natum פארה pro פארה. Sic ſane & in אפרים *A-*

 leph

leph ex ה mutatum tranſponitur pro פּראים unde excuſum אפרים Ephrajim, Patriarchæ nomen. פּארה ejuſdem ſignificationis & originis pro פּראה uſurpatum eſt. Itaque *Ezech.* 31: 12. א litera non tranſpoſita ſcriptum eſt פּראת, quam vocem non recenſuerunt lexicographi. *Jeſa.* 10: 33. *Ecce Dominus Jehova* DEUS *exercituum collocaturus eſt* RAMUM FRUGIFERUM, *vel eximium violenter, adeo ut proceri ſtatura exſcindantur & alti deprimantur.* Interlucatio arboris moderata luxuriem ramorum coerceret, arboremque roborat, fructumque ejus promovet. Sic paterna Dei caſtigatione mens attollitur & viget, perque damna & cædes opes animumque ſumit. *Gregorius Nazianzenus*:

Perferre damni quippiam lucrum puta,
Ut fructuoſam ſi repurges arborem. *Lib.* 9: *c.* 4.

Contra, ſi frugiferi dejiciuntur rami, & violenta fuerit interlucatio arbores necabit. Rami hoc loco violenter collucandi ſunt Principes, quorum opes & majeſtatem a ſe depreſſum iri comminatur Deus.

Ezech. 17: 6. *Abiit in vitem ediditque ramos robuſtos, & emiſit* RAMOS FRUGIFEROS, id eſt, Regem proſtitit Tzedekias, ſatis opulentum atque potentem, ſubditiſque ſuis neceſſaria ſufficientem.

Ezech. 31: 5. *Multiplicantur redundantes rami ejus prolongabanturque* RAMI *ejus* FRUGIFERI *vel fructificati.*

Ezech. 31: 12. *In omnibus vallibus deciderunt rami ejus altiores & fracti ſunt* פּראתיו Cedri nempe illius qui Aſſyriorum Regem repræſentavit. RAMI FRUGIFERI *in omnibus depreſſis terræ locis.*

XI. סעפים SEPHIM.

RAMUSCULI, quos vel vituli abſumant, vel ſub quibus nidificent volucres.

URBIS DESERTÆ DESCRIPTIO, IN CUJUS DESTRUCTÆ COLO VITULI PASCUNTUR RAMIS.

Jeſ. 27: 10. CIVITAS *munita erit ſolitaria, caula disjecta, & derelicta velut deſertum: Ibi paſcet vitulus & ibi recubabit, etiam abſumet* RAMUSCULOS *ejus.*

סעפּה Genere tantum & forma, non ſignificatu differt a præcedente.

RAMUSCULI TUTELÆ ET QUIETIS SYMBOLUM.

Ezech. 31: 6. 13. IN RAMUSCULIS (Cedri Aſſyriæ) *nidificabant omnes*

omnes aves cœli & ſub ramis ejus pariebant omnes beſtiæ agri, & in umbra ejus ſedebant omnes gentes ampliſſimæ.

XII. סרעפה Sarhapha.

Compositum ex שרע סעפה redundantia ſive luxuriam ramuſculorum. ס & ש ut crebro alias, permutantur.

Ezech. 31: 5. *Multiplicabantur luxuriantes ramuſculi ejus prolongabanturque rami ejus*, id eſt, magis magiſque Aſſyriorum regnum amplificatum eſt.

XIII. קציר Katsir.

Ramorum ſeges, id eſt, multitudo ramorum.

Job. 14: 9. *Agit radix aut pes*, id eſt, truncus exciſæ arboris, *ramorum multitudinem, ut planta recens.*

Pſal. 80: 12. *Emittebat ramorum ſuorum multitudinem uſque ad mare* Mediterraneum & mare Mortuum: *& ad flumen*, ad Euphratem, *teneros ramos ſuos*, id eſt, filiorum ac poſteritatis ſedem verſus Septentrionem ortumque & occaſum Canaanitidis protulit.

Jeſa. 27: 11. *Arefactorum ramorum ſeges frangetur, mulieres venientes incendent illos*, id eſt, locus erit deſolatiſſimus. Debiliſſimi quique ſatis virium habebunt ad cremandum eos.

Job. 29: 19. *Radice mea explicata ad aquas, ros pernoctabat in multitudine ramorum meorum*, id eſt, Liberi mei favore cœleſti feliciſſime habebant. Liberorum pulcra ex omni ramorum genere ſumi ſimilitudines poſſunt. *Radix*, initima arboris parentibus reſpondet. *Rom.* 11. 16. *Jonckoth*, teneri & quaſi lactentes ramuli pueris, infantibus & parvulis aſſimilantur. *Kippa* & *Baddim*, rami robuſtiores cum adultis habent ſimilitudinem. *Puroth* rami frugiferi, fæcunda liberorum conjugia ſignificant. *Amir*, ſummus ramus, & *Tſammereth*, turio ſeu venter arboris, ſpeciem refert ejus, qui unus inter fratres eminet. *Dalijoth*, rami altiores, ſunt ad opes & dignitatem profecti filii. *Katſir*, ramorum ſeges, & *Sarappa*, redundans ramus, liberorum intimant multitudinem.

XIV. שבך Schobec.

Rami arboris perplexi, verbi gratia, in quercu, quibus caput Abſolomi fugientis detentum, 2 *Sam.* 18: 9. Plerique interpretes exiſtimant *cæſariem* Abſolomi arctioribus implicitam ramis, ſuſpenſum eum detinuiſſe. Præivit ipſis *Joſephus*, qui ſic habet. *Delatus cum impetu & motu levi implicita ei cæſarie aſperræ arbori, magnis ramis maxime patulæ miris modis ſuſpenditur.* Primus ab hac

ſententia diſceſſit *Theodoretus*, qui, quod in Scripturis nullam cæſariei mentionem fieri intelligeret, exiſtimat Abſolomum non capillis, ſed capite inter duos arctiores ramos ſuſpenſum hæſiſſe. Collectaneum nomen סבח *Sebach* dicitur de vepribus perplexis, quibus detinebatur Aries, quem Abrahamus immolandi filii ſui ſuccedaneum Deo obtulit. Ridiculam rem inquit *Hieronymus*, *Quæſtionib. in Geneſ.* in hoc loco *Emiſſenus Euſebius* locutus eſt; *Sabec*, inquiens dicitur hircus, qui rectis cornibus ad carpendas arboris frondes ſublimis attollitur. Rurſus Aquila συχνὸν interpretatus eſt, quem nos vepretum poſſumus dicere vel ſpinetam, &, ut verbi vim interpremur, condenſa vel inter ſe implexa virgulta. *Gen.* 23: 10.

סבך־עץ *Pſal.* 74: 5. ſunt perplexa vel implexa ligna vel materiæ, quæ & השבכות encarpi implexi, 1 *Reg.* 7: 41 & סבכים ramoſa columnarum templi ornamenta, 1 *Reg.* 7: 17. Vertam igitur Pſalmi locum: *Nobilis habitus eſt eorum quiſque, prout efferebat ſecurim ſurſum, contra implexam encarporum materiem.*

XV. סנסנים SANSINNIM.

RAMI ſummi palmarum, ubi fructus eſt. Palmæ enim licet procera ſit arbor, non ſunt rami ex trunco prodeuntes, ut aliis arboribus, ſed in ſummo cacumine ſunt folia, *Cant.* 7: 9. *Dixi, conſcendam palmam, prehendam palmites eos ſummos*, id eſt, cura mihi carpendi fructus tuos, & in mentem reponendi opera tua, charitatem, fidem & tolerantiam. *Hebr.* 6: 10. *Apoc.* 2: 19.

XVI. RAMI DEFRACTI.

Rom. 11: 17. QUOD *ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem, cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adverſus ramos.* Rami defracti ſunt Judæi ex Patriarchis quoad carnem oriundi, ſed ex populo Dei propter infidelitatem excluſi, non tamen omnes ſed aliqui. Supra enim Paulus ſe ipſum exceperat & reliquias, quas conſervavit Dominus a malo. Oleaſter ſunt gentes in populum Dei per fidem in Chriſtum Servatorem inſerti. Vid. *Balduinus in hunc locum.*

RAMI DEFRACTI DENUO INSERTI SUÆ ARBORI.

Rom. 11: 20. QUIDAM *rami cum arbore vitaliter uniti:* id eſt, vera Eccleſiæ membra, *propter infidelitatem ſupervenientem fracti ſunt, & rurſus insererentur, ſi non manſerint in incredulitate. Potens enim eſt Deus iterum illos inſerere.* Iterum inſeri, dicit omnino habitum priſtinum eumque vivum, qualis eſt Electorum. *Schertzer*

Brev.

Brev. Hulſemanni enucleato p. 1244. *cap.* 17.

XVII. Ramorum Usus.

Palmarum ſalicumque & myrtorum ramos I. in feſto Tabernaculorum, non ſolum geſtabant manibus ſed tabernacula etiam ex ipſis conſtruebant ex præcepto legis *Levit.* 23: 40. *Sumetis vobis die prima fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro per ſeptem dies.* In quæ verba erat diſputatio inter Phariſæos & Sadducæos, quo fine hi rami & frondes præciperentur. Sadducæi exiſtimabant deſignari ad conſtructionem tabernaculorum, ſed Phariſæorum ſententia erat fuiſſe ramos & fructus arborum; deſignatos, ut hoc feſto manibus geſtarentur, eosque re ipſa geſtabant. Itaque prima die feſti parabant ramos palmarum, ſalicum & myrtorum, eosque colligabant funiculis aureis, & argenteis, vel alii vittis, & tota feſti die manibus geſtabant. Mane quis ædibus exiens habebat ſuum *Lulab*, ſic enim hunc ramorum faſciculum vocabant, nec ullo tempore, ſeu araret, ſeu eſſet in Synagoga, manu eum dimittere licebat, nec reliquis feſti diebus unquam ſine eo ad templum veniebat. Erat locus paulo infra Hieroſolymam, qui vocabatur *Motza*, & videtur fuiſſe ad ripas torrentis *Kidron*, unde unusquisque ſibi duos ramos ſumebat, unum in ſuum *Lulab*, ſeu ad eum colligandum cum ramis palmarum & myrtorum, alterum vero Altari. Cum igitur ſibi ipſum *Lulabh* comparaverant, & ramum ſalignum Altari, quotidie atrium ingrediebantur, & circumeuntes altare ramoſque verſus id porrigentes, clamabant, Hoſanna, vel *ſerva, quæſo, o Domine. O Domine, rogo te, mitte nunc proſperitatem. Pſal.* 118: 25. Interim tuba canebat, & ſeptima die ſepties circumibant altare vocabaturque id *Magnum Hoſanna.* Quotidie cum abibant, clamabant: לך מזבח יופי לך מזבח יופי *Pulchritudo tibi o Altare! Altare!*

II. Et in Purificatione Templi thyrſos & ramos ſpecioſos etiamque palmas geſtaſſe Judæos legimus 2 *Maccab.* 10: 7.

III. In ſignum ſubmiſſionis & honoris maximi Chriſto Regi veſtimenta ſua & ramos olearum & palmarum termites in viam ſternebant populus, quum paſſionem ſuam ſuſcepturus ex Oliveti monte pergeret Hieroſolymam. *Matth.* 21: 8. *Johan.* 12: 12. 13.

IV. Palmæ in manibus turbæ illius innumerabilis ex omnibus gentibus collectæ, quæ coram Dei throno & Agni conſpectu amicta

ɛ̃ta ſtolis agni ſanguine dealbatis, denotant lætantes de ſuperatis in mundo tribulationibus. *Apoc.* 7: 9. 10. 14.

XX. RAMOS EXIMIOS AMPUTARE EST AD INTERITUM SUMMOS VIROS REDIGERE.

Jeſa. 10: 33. ECCE DOMINUS JEHOVA *collucaturus eſt ramos eximios cum violentia; adeo ut proceri ſtatura exſcindantur, & alti deprimantur.*

CAPUT QUARTUM.

DE FOLIIS, GERMINE AC FLORE ARBORUM.

DE foliis arborum in genere. Emblemata *à foliis arborum deſumta. Arboris perpetua folia, divinæ legis ſtudioſus. Fidelis item à charitatis exercitio & vitæ probitate non deficiens. Eadem juſti imago, quem tota vita Spiritus Sanctus vegetat. Folium marceſcens, ſenſim pereuntis figura. Folium deciduum interitus, folium decuſſum imbecillitatis, agitatum perſecutionis typus.* Foliorum uſus *ad veſtes, ad coronas, ad ſcripturam, ad cibos, ad procurandam ſanitatem. Folium pro ramo folioſo.* Germen *dicitur quivis terræ fœtus. Germen vocatur Chriſtus; idem Germen Domini, Germen juſtum. Arbor regerminans oppoſita homini in hanc vitam non redituro. Germinare ex pulvere.* Flos *arborum; Perach, flos clauſus & apertus. Flos injuſtorum. Nitza, flos, qui racematim prodit. Tzitz, flos arborum & herbarum non racematus. Homo, flos caducus. Odor florum Libani, celebritas famæ.*

I. DE FOLIIS ARBORUM IN GENERE.

FOLIA ſunt immediatus arborum fœtus, eum in finem eis data, ut antequam evolvantur flores eos tueantur, ut paulatim vim aëris ferant; explicata fructus potiſſimum tenuiores, ut uvas a nimio calore defendant. Hinc nutritioni folia inſerviunt; nam eorum fibræ per parenchyma, ſpongioſum & laxum multum ſucci nutritii trahunt ex trunco ad radices. Deinde, cum ſucci nutritii pars crudior in folia contendit, quæ purior eſt, in flores abit, aut fructus, aut ſemina. *Vid. Philoſ. Burgund. Phyſicæ Part. II. p.* 528. Itaque foliis avulſis veluti dolent atque mordentur arbores, & ulceroſum iis quoddam accidit detrimentum ac denudatio indecora,

&

& non tantum, ut voluit Empedocles,

Τῆς δάφνης τῶν φύλλων ἀπὸ πάμπαν ἔχεσθαι χρή,
Omnino foliis debemus parcere lauri.

Sed & reliquis omnibus arboribus, neque nos ornare illorum cum dedecore, vi & contra naturam foliis eos ſpoliando. *Cælius Rhodiginus Lect. Antiqq. lib.* 17. *p.* 1530.

II. Arbor perpetuifolia, Justus qui meditatur assidue Dei verbum.

Pſal. 1: 3. Est *enim ſicut arbor, plantata ad rivos aquarum, quæ fructum ſuum edit in tempore ſuo, & cujus folium non decidit: ideo quicquid faciet proſperabitur.* Arborum aliis decidunt folia, aliis ſempiterna coma virent. Harum generi non decidunt oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupreſſo, rhododendro. Ex ſilveſtribus abieti, pino, pinaſtro, junipero, cedro, piceæ, buxo, ilici, aquifolio, ſuberi, taxo, tamarici, acutæ ſpinæ, quibus fruſtra & laricem *Plinius* annumerat, quæ ſane non perpetuas habet frondes, ſed annuas. Fons erroris, quod *Theophraſti* πεύκην vocat laricem *lib.* 16. *c.* 20. Has dictum eſt ab *Empedocle* frui verna temperie toto anno. Pſaltes igitur per arborem ad aliquem rivulorum plantatam, & ἀείφυλλον non niſi palmam intelligere videtur. Palma enim, ut ſcribit *Plinius*, gaudet riguis, totoque anno bibere cum amet, anno ſitienti. *lib.* 13. *c.* 4. neque folia ejus decidunt *lib.* 16. *cap.* 20. Et oleam conſtat ſempiterna fronde virere, ſed riguis gaudere eam, nec experientia hactenus docet, nec apud Scriptores rei ruſticæ invenio. Nec audiendus hic eſt *Plutarchus in libro de Pithya*, ubi palmam ſcribit non eſſe φιλυδρὸν φυτὸν, plantam quæ gaudeat aquis. Falſitatis cum arguit *Bochartus* & Plinii & ſacrarum literarum fultus teſtimonio. " Palmæ, inquit, juxta fontes deſcribuntur *Exod.* 15:
" 27. & ἐν αἰγιαλοῖς *Eccl.* 24: 15. ubi dicit ſapientia, ut *palma ex-*
" *altata ſum in ripis, & ut roſæ plantaria in Jericho.* Verum quidem
" eſt pro ἐν αἰγιαλοῖς, quomodo legunt editiones Aldina, Baſileenſis,
" Romana & Pariſina 1628. alias legiſſe ἐν Γαδδοῖς, id eſt, ἐν γα-
" δδὶ vel Ἐγγαδὶ, qui locus fuit prope Jericho, palmis fertiliſſimus,
" atque id ſequi Syrum & Arabem, Vulgatum etiam qui habet in
" Cades, pro in Gadis. Sed mihi perinde eſt, quia palmas Hieri-
" chuntis & Engadi conſtat in locis riguis proveniſſe. Proinde
" *Joſephus Belli Jud. libri quinti, capite quarto*, ibi deſcribit τῶν φοι-
" νίκων ἐπαρδομένων γένη πολλὰ ταῖς γεύσεσι καὶ ταῖς παρηγορίαις διά-

„ φορα, palmarum irriguarum multa genera, tam ſapore, quam „ nominibus diverſa, & ipſum nomen Enguedi vel Engadi a fon- „ tibus deductum eſt. Quin eodem refero, quod is ipſe locus alio „ nomine dicebatur Aſaſon-Thamar 2 *Par*. 20: 2. Nam Aſaſon He- „ braice חצצון idem eſt quod Arabice خضخض vel خضاخض locus „ multis aquis affluens, quomodo exponunt Arabes. Itaque Aſaſon- „ Thamar locum ſignificat irriguum, palmis frequentem. *Hieroz.* „ *Part. II. lib.* 6. *p.* 820. Rivuli virorem palmæ perpetuum ſignificant fluenta gratiæ & donorum Spiritus Sancti, quæ aſſidue meditantes Dei verbum reficiunt, ut viribus nunquam defecti in decentiſſimo ſanctimoniæ & fidei tenore permaneant, *fructuſque ferant ſpiritus in omni bonitate & juſtitia & veritate. Eph.* 5: 9. & quidem ſuo tempore, id eſt, data ad exercendum has virtutes occaſione. Unde quicquid *vir juſtus* tulerit fructuum, id ad commodum ejus redundabit. יצליח hic, ut alias intranſitivum interpretor, ſucceſſum vel utilitatem habebit.

III. ARBORES PERPETUIFOLIÆ AD FLUMEN, QUOD EX DEI TEMPLO EGRESSUM, SATÆ, IMAGO SUNT FIDELIUM, QUI IN CHARITATIS EXERCITIIS ET VITÆ SANCTIMONIA NON DEFICIUNT.

Ezech. 47: 12. *Ad flumen autem aſſurgunt in ripa ejus hinc & inde arbores eſculenti fructus, quarum folia non decidunt, & quarum fructus non conſumuntur, annifera ſunt, nunquam deficiunt, menſibus ſuis, tempore ſuo, primogenita proferunt*, id eſt, præſtantiſſimos fructus edunt, quia aquæ earum e Sanctuario prodeunt: *ideo ſunt fructus earum cibo, & folia earum curationi.*

Flumen ex Templo, Dei throno, promanans Spiritus Sanctus eſt, virtute ſua & gratia in corda fidelium ſeſe inſinuans; quo fit, ut ſinceræ charitatis ac ſanctimoniæ ſtudium non refrigeſcat. Illo enim gratiæ divinæ ſucco contra frigus vitiorum muniti fideles ſervant tenorem perpetuitatis, *fructuſque eorum ſunt cibo, & folia eorum curationi*, id eſt, ipſorum charitas proximo victum & nutricationem, & contra conſcientiæ vulnera ex Dei verbo ſolatia & medicinam præbet.

IV. FOLIUM PERPETUO VIRENS JUSTUS.

Prov. 1: 28. *Qui confidit in divitiis ipſe decidet, ut marceſcens folium; at tanquam folium ſucciplenum Juſti vernabunt.* Juſti, qui ſcili-

ſcilicet non opibus, ſed in Deo ſolo confidunt. Ut Folium juſti germinabunt, notat hoc juſtos perpetuo ſui ſimiles decentiſſima totius vitæ ratione, & alios amœnitate ſua oblectantes.

V. Folium marceſcens extinctionem vitæ notat.

Jeſai. 1: 30. Similes *eritis quercui cujus marcent folia.*

Jeſa. 64: 5. *Emarcuimus velut folium omnes nos*, id eſt, nec vigorem Spiritus, nec vitam Dei in nobis oſtendimus: *& pravitates noſtræ velut ventus auferunt nos*, id eſt, Exilii & exitii noſtri cauſa pravitas factorum noſtrorum eſt.

VI. Folium deciduum ſignum interitus.

Jeſa. 34: 4. Totus *cœlorum exercitus decidet, ut decidit folium de vite, & ut deciduum e ficu.*

VII. Folium decuſſum agitare eſt acerrime perſequi imbecillem, et qui reſiſtere nec poteſt nec vult.

Job. 13: 25. Num *folium decuſſum agitares, & paleam aridam perſequereris?* Hic ſe comparat vir ſanctus folio decuſſo, quod non poteſt arbori, unde vitam habuerat, uniri; ſed in terram prolapſum areſcit. Quærit, an folium decuſſum inſuper quatere velit, cum quod decuſſum ſemel eſt, magis decuti non poſſit. *Coccejus.*

VIII. Folii ſtrepitus caſſa formido.

Levit. 26: 36. Inducam *mollitiem in animum eorum, ita ut perſequente eos ſtrepitu folii agitati fugiant fugá, tanquam à gladio.* Sic *Lucanus lib. de Pompejo fugiente:*

Pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum.

IX. Foliorum uſus.

Usum foliorum, quem arbori hærentia præbent, ſupra expoſui; at etiam in his, quæ a ſua ſtirpe diviſa, reperiuntur, quæ plurimum vitam juvant. Primos homines, conſutis foliis ficus, feciſſe ſibi præcinctoria, legimus *Gen.* 3: 6. 7. Ex palmarum foliis ſtrata veſteſque & calceos parari, & capitum, contra ſolis ardorem, levia umbracula, menſas item rotundas, quas نفية *naphiathon* Arabes vocant, & cophinos texi, ab autoribus vulgatum. Foliacea corona, in agonibus, præmia erant victorum. Scripturæ etiam folia antiquiſſimis ſeculis uſum præbuiſſe, indicio ſunt, quæ de Sibylla canit *Virgilius, Æneidos lib. 6.* Fuiſſe autem illa præcipue pal-

marum & malvarum, teſtis eſt *Iſidorus lib. 6. c.* 12. quorum illa aſperiora quidem, ſed calami magis patientia: hæc molliora, ſed quæ vix mucronem ejus ſuſtinuerunt, adeoque glutine & aliis firmari opus habebant. Paſſim hic mos in Græcia obtinuit, antequam Ægyptus ab Alexandro Magno in poteſtatem eſſet redacta, à quo tempore charta frequentari cepit, manente interea foliorum nomine paginis librorum, ſive illi e ligno, ſive e papyro, ſive ex membrana conſtarent. Sed & in cibos folia venerunt. Diogenes ſummas foliorum extremitates manducabat, illa enim ſuppetebant. *Ælianus V. Hiſt. lib.* 13: *c.* 26. ubi Kuhnius, *Non ignoro*, inquit, *veterum Græcorum aliorumque cibum hunc fuiſſe. Seneca lib.* 3. *de Ira cap.* 20. de exercitu Cambyſis: *Suſtinebant famem primò tenerrima frondium & cacuminum arborum.* Et *Epiſt.* 110. *Tunc te admirabor, ſi ſcieris cacumina arborum explementum eſſe ventris. Ariſtophanes in Pluto:*

σιτεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων.
Μαλαχῆς πτόρθος ἀντὶ ἡ μάζης φύλλ'
ἰσχνῶν ῥαφανίδων.

Iſidorus quoque meminit *lib.* 1. *ep.* 132. & de hoc genere ἀκρίδας, quibus veſcebatur Johannes Baptiſta explicandas putat. Imprimis autem folia levandis pellendisque morbis comparata remedia, quæ plurima poſt *Theophraſtum* & *Dioſcoridem* recentiores Herbarii tradiderunt. In ſacris denique literis arbores laudantur, quarum folia ſunt curationi. Illæ, quas Ezechiel Propheta vidit ad ripas fluminis (quod e ſacrario manans ſpiritus Sancti charismata figuravit) medicæ ſalubritatis folia protulerunt, *cap.* 4: 7. & ſignificant multitudinem electorum, qui fertiles ad omne opus bonum. *Col.* 1: 10. Folia, honos & decus arborum ſtudium decori inſinuant, tum erga fratres, fidei conſortes, tum erga extraneos decenter ſe gerentium, juxta illud Præceptoris Chriſti monitum: *Facite, ut ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra*, ut nimirum his permoti redeant ad ſaniorem mentem, & *glorificent Patrem cœleſtem. Matth.* 5: 16. Sic Johanni *Apocal.* 22: 42. oſtenditur ex utraque parte fluminis procedentis ex throno Dei & Agni *Arbor Vitæ, ferens fructus duodecim per menſes ſingulos edens fructum ſuum, cujus folia ſunt ad ſanationem gentium.* Arbor vitæ, vitæ vel immortalitatis cauſſa, meo judicio, potentia & virtus divina dicitur, fructus vero & folia, quibus continuatur vigor & beatitudo,

&

& conſervatur immortalitas beatorum cœlitum eſt infinitæ illius potentiæ & virtutis operatio, ἐνέργεια τῦ κράτος τῆς ἰσχύος Θεῦ.

X. Folium pro ramo folioſo.

Nech. 8: 15. Afferte עלי־זית *ramos folioſos olivarum & ramos folioſos arborum olei feracium, ramoſque foliatos myrti & palmarum cum ramis folioſis arborum denſarum ad faciendum tabernacula.* עץ־שמן Arbor ferax pinguedinis vocatur fagus, cupreſſus, nux juglans, laurus.

Gen. 8: 11. *Venit ad Noachum columba tempore veſpertino; ecce autem ramus folioſus olivæ recens in ore illius.* Sic LXX. vertiſſe θαλλὸν docet *Auguſtinus*, *Loquution. lib.* 1. טרף recentem ramum atque viridem ſonare liquet ex *Ezech.* 17: 9. *Omnibus frondibus germinis ſui exſiccabitur vel exareſcet.*

XI. צמח Tzemach, Germen.

Germen in ſcripturis dicitur, quicquid herbarum vel ſtirpium protulerit terra, vel qui ex ipſis ſtirpibus naſcitur ſurculus aut fructus.

Subvertit Dominus *germen*, hoc eſt omnem fœtum terræ Sodomorum. *Gen.* 19: 25. *Copioſam, ut germen agri*, id eſt, ut ſata, ut arbores reddidi te. *Ezech.* 16: 7. *Ut terra copioſiſſime profert germen ſuum*, id eſt, fœtus ſuos, *& ſicut hortus ſata ſua, ita* Dominus Jehova Deus *producturus eſt juſtitiam. Jeſa.* 61: 11. *Ut germinare faciat, vel ut proferat* מצא דשא: *ſufficientiam herbæ*, id eſt ſufficientem. *Job.* 38: 27. Idem ſenſus verbi מצא *Num.* 40: 22. & 1 *Sam.* 19: 21. *Paravi mihi piſcinas aquarum ad irrigandum illis* צומח עצים *nemus, quod pullulet arboribus*, e radicibus ſcilicet vel ſemine *natis Ecclеſ.* 2: 6.

Ita Germen adpellatur granum frumenti, quod calamus gerit, *Hoſe.* 8: 7. *Quum ſeminaverint, turbini metent, calamus nullus erit ei: Germen non efficiet farinam. Pſal.* 65: 11. *Germini ejus frumento ejus benedicit.* Germen vitis vocatur palmes *Ezech.* 17: 9. *Fructum ejus vitis ſuccidet Dominus, ut ſicca fiat: omnibus frondibus germinis* (id eſt palmitis ſui) *exſiccabitur.* Ita Germen dicitur Chriſtus Jeſus, in ſecula benedictus, quia ad truncum Iſai ſuccifum e radicibus ejus effloruit. *Jeſa.* 11. 1. Locus *primus*: *Zach.* 3: 8. *Ecce ego adducturus ſum ſervum meum*, Germen. *Servus* dicitur, quod redemtionis noſtræ opus peragendo, Patri ſuo ſeſe ſubmiſit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Philip.* 2: 7. 8.

Servus erat ratione œconomiæ & voluntariæ ſubmiſſionis, nec non ratione officii ſuſcepti à θεανθρώπῳ.

Locus *ſecundus. Zach.* 6: 12. *Ecce virum, cujus nomen eſt* GERMEN, *qui e loco ſuo germinabit & ædificabit templum Domini. Tzemach* LXX. reddunt ἀνατολὴν, ἀπὸ τοῦ ἀνατέλλειν, ſed nimis late; quia verbum ἀνατέλλειν ſumitur; tum in genere de rebus quibuscunque, quæ de novo proveniunt ac oriuntur ut de ſole atque Luna. *Jeſa.* 60: 19. *Matth.* 13: 6. tum in ſpecie de rebus e terra naſcentibus, tanquam germen & herba, ut fit *Geneſ.* 2: 15. *Ezech.* 17: 9. 10. Sciendum itaque non in priori ſenſu vocem ἀνατολὴν ſumendam eſſe, ſed poſteriori. Nam hic error erat Græcorum Patrum, qui exiſtimabant in prima ſignificatione hanc vocem hic poſitam: & Latinorum, qui propterea vocem *Orientis* in Vulgata verſione retinuerunt. Solus *Hieronymus* obſervavit nativum Ebrææ vocis ſenſum, & verbum ἀνατολὴν hoc loco per ἀναφύειν καὶ βλάημα plantationem & germen expoſuit, quia, inquit, ex ſe repente ſuccreſcet, atque ex radice ſua in ſimilitudinem germinis pullulabit; ut ita, qualis ortus ejus ſit futurus, juxta indicetur. *Sub eo germinabit.* In Ebræo מתחתיו de ſub ſe vel de eo quod eſt ſub ſe vel de loco ſuo germinabit: & eſt ratio, cur Meſſias appelletur *Tzemach*, ſcilicet cauſaliter, quia de loco ſuo germinabit, quaſi dicat Propheta: ubicunque regnum Chriſti fuerit, multitudo germinum, id eſt fidelium orietur, ipſo ſpiritualem germinandi vim & ſucceſſum tribuente. Idcirco recte monet *Lutherus Enarr. in hunc locum pag.* 543. *col.* 1. Ubicunque Chriſtus erit, ubicunque ipſius verbum erit, ibi creſcet & germinabit; non enim in uno tantum eſt loco, ſed in toto mundo per Euangelium. *Joh. Hulſeman. ad cap.* 6: 9. *Zachariæ.*

XII. GERMEN DOMINI.

Jeſa. 4: 2. TEMPORE *illo erit Germen Domini gloriæ & honori, & fructus terræ excellentiæ & ornamento ſuperſtitibus Iſraëlis. Germen* DOMINI, id eſt Filius, quem daturus eſt, quem excitabit Dominus. *Erit gloriæ* יהיה לתפארת גאון erit ornatui excellentiſſimo, *& honori* יהיה להדר תהלה וגודל erit decori, laudi & magnitudini. Electis ſuis fiet ſanctificatio, juſtitia & redemtio, ut liquet ex commate tertio ſequente. *Fructus terræ*, Chriſtus in terra ex Virginis natus utero. Maternum uterum imas terræ partes vocavit *Pſaltes. Pſal.* 139: 15. *Superſtitibus Iſraëlis:* Hebraice לפליטת, iis, qui ex cladibus

dibus gentis & periculo ſeductionis evaſerant.

XIII. Germen justum.

Locus *quartus. Jerem.* 23: 5. *Excitabo Davidi Germen juſtum, qui regnabit Rex, ſecundabiturque, ac exercebit jus & juſtitiam in terra. Germen juſtum* omni labe peccati carentem, & juſtitiæ amantiſſimum. *Regnabit Rex*, non uni duntaxat urbi, ſed univerſo terrarum Orbi.

XIV. Arbor ab odore aquarum germinans.

Quum *valde ſenuerit in terra radix arboris, & in pulvere jam moriturus eſt pes* (id eſt truncus) *ejus. Ex odore aquarum regerminat, & agit ramum velut planta. Job.* 14: 9. *Ex odore* vel *ad odorem*, id eſt ad rigationem aquarum, quaſi dicat, ubi primum aquas olfecerit. Eleganti figura ſenſum arbori tribuit: nam qui communem ſibi imaginantur omnium rerum naturalium animam, & alii, plantis animam & ſenſum ineſſe credunt, ac vitam quam vegetatricem appellant: unde & lædi & occidi dicuntur plantæ, etiam in Sacris literis. *Pſal.* 78: 47. *Occidit grandine vites eorum.* Paulus quoque plantis & vitam & mortem adſcribit. 1 *Cor.* 15: 36. Quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. *Vid. Joh. de Mey p.* 96. *Comment. Phyſic.*

Germinare ex pulvere.

Job. 8: 18. Si *deglutiverit, e conſpectu tollat, conſumſerit eum Deus, a loco ejus, abnegabit eum locus, dicens: Non vidi te (Ecce hæc eſt lætitia ejus) & ex pulvere alii germinabunt;* juſtis ſcilicet abjectis & contemtis res in melius mutatæ ſuccedent, ſecundum vitæ curſum habebunt.

XV. Flos Arborum.

Flos, fructus inchoatus eſt, atque adeo res imperfecta. *Scaliger in Theophraſtum de plantis p.* 60. Apud Hebræos tria florum vocabula reperio: פרח נצה ציץ *Perach, Nittza & Tzitz*: quæ ſic diſtinguenda cenſeo.

(1.) Perach *eſt & flos clauſus*, qui gemma dicitur *Num.* 17: 23 *Ecce germinaverat Virga Aharonis protruſeratque perach gemmam, & effloruerat* ציץ *florem, & ablactaverat amygdala*, verbum פרח latius patens ita per ſpecies explicatur & *flos apertus: Jeſa.* 5: 24. *Flos injuſtorum hominum ut pulvis aſcendet*, id eſt, fructum factorum fruſtra ſperabunt. Fraudati erunt fructu operum ſuorum. Alii locum intelligunt de omnimodo interitu & evanitione felicitatis eorum, inſtar

inſtar arboris, cujus & radix contabeſcit, & flores putreſiunt; ita ut nullus inde fructus enaſci poſſit.

Flos Libani apertus, id eſt Arborum Libanicarum *languebit. Nachum* 1: 4. *Labium lacus arei fuſi ſimile erat operi labii calicis, aut floribus apertis lilii.* 1 *Reg.* 7: 26. פורחות Porechot deductum nomen ex verbo פרח, quod Chaldæis eſt volare, non ſignificat *floralia*, ſed *avolantes. Ezech.* 13: 2. *Quibus vos ibi venamini animas, ut ſint avolantes.* Sic Pagninus; Munſterus, Tigurium, Anglica, Belgarum & Coccejus *lexico p.* 512. R. *Salomon* inquit, להיות פורחות על־ידיכן לגיהנם *ut avolent per vos in gehennam.* Similia habent *Kimchius* & *Ben-Melech in hunc locum.* Uſus vocis Chaldaicus eſt: ubi פרח *perach*, pro volare, frequens. Exiſtimo tamen לפרחות ultimum, referendum non ad נפשית animas; ſed ad culcitras. Nam culcitris Deus minatus fuerat, quod vellet brachiis abripere eas: idque ut avolent. Puta, ſeu ut plumæ, ex quibus conſtant, ſeu ut flos, *Eſai.* 5: 24. Alluſione facta ad פרח *perach* florem, Buxtorfius, Tremellius, Belgæ & cæteri vertunt פרחות floralia. Sed ſenſus, quem Belgæ explicant in notis, quaſi populus alliceretur in hortos ad idola, incertus eſt, & e textu vix habet aliquid ſubſidii. *Noldius Annotat ad Concord. Particularum p.* 1070.

(2). נצה *Nittza*, flos eſt, qui racematim prodit ut vitis *Gen.* 40: 10. Vitis *ea quaſi germinavit* erupit נצה *flos ejus racematus. Jeſa.* 18: 5. *Ante meſſem, quum perfecta gemma & omphacio educato exſtitit* נצה *flos ut oleæ: Job.* 15: 33. *Abjiciet ſicut oleæ* נצתו *florem ejus.* A נצה dicuntur נצנים *Nittſanim*, racematim florentia. *Cantic.* 2: 12. *Ecce hyems tranſiit, pluvia præteriit, abiit: Racematim florentia*, vitis, olea, palma, *conſpiciuntur in terra.* Arborum flos eſt pleni veris indicium & anni renaſcentis, flos gaudium arborum. Tunc ſe novas aliaſque quam ſunt, oſtendunt: tunc variis colorum picturis in certamen uſque luxuriant. *Plin. lib.* 16. *cap.* 25.

(3). ציץ *Tzitz:* Flos arborum & herbarum non racematus. *Num.* 17: 23. *Protruſerat Aharonis virga gemmam, & effloruerat* ציץ *florem & ablactaverat amygdalam. Job.* 14: 2. 3. *Homo natus muliere brevis ætate, & ſatur commotione*, id eſt, inquietis, ſolicitudinis, laboris ac doloris plenus: *ut flos* ſimulac egreſſus eſt *ſucciditur.* Exigua eſt humanæ vitæ brevitas. *Jeſa.* 40: 6. *Omnis caro*, omnis homo ex carne natus, *gramen eſt*, vel herba exareſcens *etiam omnis benignitas, omnis præſtantia*, pulchritudo, ſplendor & gloria *ejus, ſimilis*

milis eſt flori agri, caduco & brevis ævi. Pſal. 103: 15. *Novit* Dominus *ipſius mortalis ſimiles fœno dies eſſe; ſicut flos agri, ſic florere ipſum.*

XVI. Odor florum Libani.

Cant. 4: 11. Odor *veſtium tuarum qualis odor Libani:* hoc eſt arborum Libani, vel certe qualem flores, qui in monte illo exhalant.
" Credibile autem eſt odorem illum eximium fuiſſe; ex quo ca-
" piendum & illud. *Hoſ.* 14: 7. *Odor ei tanquam Libani*, ſubaudi
" odor. Niſi mavis, *tanquam Libanus*, quod eandem ſententiam
" continet. Nam per Libanum ſignificantur arbores aut flores Li-
" bani, quantum mei judicii eſt. Quod autem ait, *Odor ei*, per
" odorem intelligit, ut opinor, famæ celebritatem, quæ ceu odor
" quidam longe lateque per hominum ora vagatur. Licebit uti de
" quovis odore grato & jucundo. Simile *Gen.* 27: 27. *qualis odor a-*
" *gri cui benedixit Dominus. Druſ. Prov. Sacr. p.* 564.

CAPUT QUINTUM.

De Fructu arborum.

Fructus Peri *dicitur a fructificando, vel* Mahaſe, *opus id quod facit arbor, vel* Chajil, *id eſt vires arboris.* Thenuba *eſt proventus arborum.* Bul, & Jebul, τὰ ἐκφόρια. Habur, *fructus anni præteriti.* Tze'et'zaim *progreſſa ex terræ ſinu.* Melea, *maturus fructus.* Kajitz, *fructus æſtivus: in racematione relictus omnimodam notat deprædationem.* Megadim, *fructus pretioſi, & ſui generis laudatiſſimi.* Zimroth haaretz, *regionis fructus decantatiſſimi.* Gereſch Serachim, *fructus menſtrui.* Biccura, *fructus præcox.* Lechem, *fructus arboris eſculentus.* Debaſch, *fructus mellei ſaporis.* Gargerim, *baccæ, minores arborum fructus.* Arbores in hoſtico ſuccidendæ. Emblemata & ſimilitudines a fructu petitæ. *Fructus menſium perpetui, nunquam intermiſſa bonorum operum ſtudia. Fructus veteres & recentes reconditi ſunt virtutis priſtinæ & novæ cuſtodia. Fructus arboris bonitatem commendat, doctrina doctorem. Fructus arborem, authorem opus arguit. Fructus terræ* Deo *dicati. Arboris novellæ fructus interdicti. Fructus ſalutis Verbum divinum. Fructus pudendus & exitialis improbitatis. Fructus juſtitiæ bona opera. Fructus labiorum, ſacrificia laudis. Fru-*

ctus prædicationis, Dei cognitio, item Eleemoſyna. Fructus morti editus. Fructus mendacii. Fructus liberi. Fructus digni pœnitentiæ.

I. פרי PERI.

STIRPIUM atque animantium fœtus, generali nomine Latini fructum, a fruendo, Hebræi ab eo quod crevit פרי nominant.

Gen. 1: 11. *Herbeſcat terra arbores fructiferas edentes fructum in ſpecies ſuas, in quibus ſuum ſit ſemen ſuper terram.* Igitur פרי communiter dictum vel de vite. *Zach.* 8: 12. *Vitis edit fructum ſuum, & terra edit proventum ſuum.* vel de fico: *Prov.* 27: 18. *Qui cuſtodit ficum, comedet fructum ejus, ita qui obſervat Dominum ſuum honoratur.* vel de Cedro: *Ezech.* 17: 23. *Cedrum*, Chriſtum, *in monte celſiſſimo Iſraëlis*, in Eccleſia Novi Teſtamenti *plantabo*, (*conf. Jeſ.* 2: 2. ubi dicitur *Mons Sionis*, id eſt in quo Sionis filia habitat) *& proferens ramum faciet fructus.* Quin & ramum arboris ſignificat פרי: Ita volunt qui *Levit.* 23: 40. פרי עץ הדר vertunt, *termites arborum ſpecioſarum.* Sic פרי ſumitur *Ezech.* 19: 12. Pro ſurculis autem & germinibus 2 *Reg.* 19: 30. Pro *Peri hets hadar* legitur *Nehem.* 8: 15. *frondes olivarum, myrti & oleoſarum arborum.* Judæi tamen Citrum intelligunt. Hiſtoriam xxx. Imperialibus venditi Judæo citri, *Vide in Dumleri* Baum und Obſtgarten. *p.* 117. Singillatim de fructibus loquentes, eum, qui abunde crevit arboreum vel in agro ſatum ניב vel תנובה dicunt a נוב, quod *Pſal.* 12: 11. eſt abunde creſcere. *Malach.* 1: 12. *Fructum Domini abundantem*, id eſt, arborum & frumenti primitias atque decimas ô Sacerdotes, contemtores nominis mei, ℣. 6. *dicitis contemtibilem eſſe cibum. Judic.* 9: 11. *Dixit ficus: Cogererne deſiſtere cum dulcedine mea, & cum abundanti fructu meo optimo, ut irem vagatum propter alias arbores? Thren.* 4: 9. *Melius habent confoſſi gladio, quam confoſſi fame; nam hi diffluunt tanquam confoſſi, propter defectum fructuum agri.*

II. מעשה MAHASE.

מעשה opus אשר יעשה העץ id quod facit arbor *Pſal.* 1: 3. Sic fertilis arbor vocata עשה פרי vel prolatura fructum. *Gen.* 1: 12. *Eſa.* 32: 17. *Tunc erit opus vel fructus juſtitiæ pax; & effectus juſtitiæ tranquillitas & ſecuritas uſque in ſeculum.* Ita & *B. Lutherus* accepit nomen מעשה.

III. חיל CHAIL.

חיל

חיל Fructus, vires arboris. *Joel.* 2: 12. *Arbor proferet fructum ſuum; ficus & vitis edent vim ſuam*, id eſt, quantum pote proferent fructus ſuos. Sic *Job.* 31: 59. accipitur כח ſynonymon ipſius *chajil*: Si *vim terræ comederim abſque pecunia*, ſi pecuniam pro fructu prædiorum non ſolvi, *& animam dominorum ejus defatigaverim &c.* id eſt, ſi vel oneribus, vel fraude & violentia oppreſſi prædiorum poſſeſſores.

IV. בול et יבול Bul, et Jebul.

בול & יבול Proventus, τὰ ἐκφόρια, vernacule der ertrag. Utcunque nomen derivant ab יבל quod in *Hiphil* eſt afferre vel adducere. Itaque vertunt locum *Jeſaiæ* 44: 19. *An ante truncum vel ſtipitem incurvarem me?* vel cum *Tremellio*: *An ante id, quod provenit ex arbore procubuero?* Sed cauſſa eſt, quamobrem בול a נבל derivatum malim, quod ſignificat cadere, concidere, & vertendum putem Prophetæ verba: *Num ante id, quod concidit* (ſecuri ſcilicet deciſum) *prociderem*? Certe & *Bul* Octobris nomen ab eodem themate repetunt viri docti, quod hoc menſe terræ naſcentia, tanquam emarcida, concidant, vel quod in eo, ut ſcribit *Kimchius*, copioſa decidit pluvia, *ad Jerem.* 3: 3.

V. עבור Habur.

עבור Fructus anni præteriti. *Joſu.* 5: 11. *Et ederunt de proventu terræ.* Quid ſi *habur* dicatur, quod venale, quod transfertur de loco in locum; quo frumentum Iſraëlitis a mercatoribus undique venientibus oblatum ſit? *Coccejus.* Quid, ſi rectius dicatur frumentum, quod propter præſtantiam ſuam facile tranſit ad emtorem, quemadmodum *Cantici* 5: 5. *myrrha* dicitur *tranſiens*, id eſt, δόκιμος, & argentum *hober*, *commeans ad mercatorem quemvis*, id eſt proba moneta. *Gen.* 23: 16.

VI. תבואה Thebua.

תבואה Fructus, qui ex agro vel vinea in horreum aut cellam vinariam intrat: Das einkommen. Volunt alii περίσινον fructum dici *habur*, & horum τήτινον תבואה. At qui hoc docent, non videntur meminiſſe ejus, quod *Levit.* 25: 22: præceptum: *Seminabitis anno octavo, & comedetis de illo proventu veteri fructum, uſque ad nonum annum, uſque dum provenerit proventus ejus* (noni anni) *comedetis veterem.*

VII. צאצאים Tseetsaim.

צאצאים Quæ enaſcuntur ex terra. *Jeſa.* 34: 1. *Audiat terra & ple-*

nitudo ejus, id eſt ii, qui implent terram, *& orbis habitabilis*, *& quæ prodeunt ex ea. Jeſa.* 42: 5. *Sic dicit* DOMINUS, *qui expandit terram & ea, quæ naſcuntur ex ipſa.*

VIII. מלאה MELEA.

מלאה MATURUS fructus. *Exod.* 22: 29. *Frugum tuarum maturarum, & lachrymarum tuarum*, id eſt liquoris tui ex uvis, malogranatis & olivarum calcati *primitias, ne differto dare.* LXX. ἀπαρχὰς ἅλων᾽ καὶ ληνȣ̃, *primitias areæ & torcularis.* Ergo ibi *melea* eſt frumentum. *Deut.* 22: 9. *Ne conſerito vineam tuam duobus generibus, ne ſeparatam-ſe-præbeat*, id eſt ne conſecretur Deo, vel ad primitias ſeparetur fructus maturus, ſemen ſcilicet ipſum, quod ſeveris, & proventus vineæ: Deo quippe omne iſtud tanquam impurum, profanum atque illegitimum averſante, quod ipſo prohibente vel invito collegeris.

IX. קיץ KAJITS.

קיץ FRUCTUS æſtivi, qui ſub æſtatis finem matureſcunt. 2 *Sam.* 16: 1, 2. *Attulit Ziba Davidi centum æſtivorum fructuum maſſas, vel palathas ficuum*, ſcilicet caricarum. *Tremellius* vertit, *centum poma*, *Jonathan Chaldæus*, מאה מנן דבלתא *Jeſa.* 16: 9. *Super æſtivos fructus tuos & ſuper meſſem tuam celeuſma cadet: celeuſma* hoſtium ſcilicet, meſſem tuam deprædantium. In ſimili argumento *Jeremias cap.* 48: 37. על קיצך ועל בצירך שדד נפל Non igitur accedimus Tremellio, Piſcatori, Belgis, Torerio, Deodato, qui, ut concilient hæc cum verſu, qui mox ſequitur, exponunt: *Et de æſtivis fructibus tuis celeuſma concidet*, id eſt peribit jubilum, quo ſolent uti, qui metunt aut vindemiant. *Noldius Not. ad Concord.* p. 960, 961. *Amos.* 8: 1, 2. *Sic monſtravit mihi Dominus Jehova, & ecce corbis æſtivorum fructuum & dixit, quid tu vides, Amos? & reſpondi: Corbem fructuum; & dixit* DOMINUS *ad me: Venit finis ad populum meum Iſraëlem. Non addam amplius præterire ipſi.* Notandum hic ſymbolum & expoſitio. Symbolum eſt in re & voce. In voce קיץ, quod æſtatem notat, & fructus ætate natos, cui voci ſono convenit קץ finis. Hoc Latinus ſermo non poteſt imitari, niſi forte termitem & terminum κατὰ παρονομασίαν conjungas. Sed in ipſa re eſt major vis ad ſignificandum. *Corbis fructuum* notat maturitatem populi ad pœnam, & ultimam collectionem ſcandalorum ad ejiciendum ea ex terra. Expoſitio indicat finem: hoc intellexerim de populi totali ablatione ex terra cum deſtructione cultus externi.

Cocc.

Cocc. ad h. l. Viſionis ſignificatio eſt in vocibus *Kajits & Kets* terminus. Pœnæ tempus maturum ſignificat, & finem, id eſt ultimam vindictam inſtare; ut æſtas anni finis eſt, & tempus maturitatis fructuum *Mercerus. Mich.* 7: 1. *Væ mihi, quia extiti, ut in collectionibus autumnitatis, ut in tempore, quo collecti* vel intercepti *ſunt fructus* autumnales, vel æſtivi, *ut in racemationibus vindemiæ*, ut tempore, quo pacta vindemia reliqua & racematio. *Non eſt racemus ad comedendum, non eſt præcoqua, quam concupivit anima mea? Periit pius ex terra, & rectus inter homines non eſt!* Hic verſiculus explicat ſenſum præcedentis.

X. מגדים MEGADIM.

מגדים MEGADIM fructus, qui in gloria & pretio. *Deut.* 33: 13, 14, 15. *De Joſepho dixit. Benedicta Jehovæ ſit terra ejus, à rebus pretioſis cœli à rore, & ab ipſo ſubjaciente*, a fontibus ex terræ profundo ſcaturientibus. Item a *fructibus* pretioſis, *proventibus Solis & a fructibus pretioſis, quos quaque luna protrudit: Item a præſtantiſſimo montium antiquiſſimorum, & præſtantiſſimo fructu collium æternorum:* denique *a pretioſo fructu terræ cum plenitudine ejus*, cum creaturis implentibus eam.

Sunt heic מגדים regionum inſignia, fructus ſcilicet nobilitate ac dignatione cæteros præſtantes. Petitur ſignificatio nominis ex Arabiſmo, in quo مجد *magdo* eſt honos, gloria, dignatio, derivatum a verbo مجد *magada*, aliquem gloria ſuperavit. Generatim igitur מגד *Meged*, rem notat præſtantiorem & pretioſam, atque hinc etiam fructum eximium, qui vel rorantis cœli munere, vel calore ſolis, vel ad ſenſus plantarum permanantis Lunæ lumine, perficitur, vel a locorum ſitu nobilitatem acquirit. Igitur *Meged thebuod ſchemeſch* appellatur præſtantiſſimum in proventibus ſolis; *Meged gereſch jerachim*, præſtantiſſimi partuum Lunæ. Quæ naſcuntur inſignia locorum ſitu, in collibus puta, qui acclives & reſupini cœlum ſpectant, ea vocantur מגד גבעות עולם *pretioſiſſima collium æternorum*, quos equidem vitiferos intelligam, a multis retro ſeculis laſſatos aut emaciatos. Conſtat quippe terram in vineis annorum plurimorum cultura effœtam haud fieri. Et in frugibus quidem ſerendis, ut monet *Plinius lib.* 17: *cap.* 5, eadem terra utilior intelligitur, quoties intermiſſa cultura quievit: quod in vineis non fit. Eoque diligentius eligenda eſt, ne vera exiſtat opinio eorum, qui jam Italiæ terram exiſtimavere laſſam. Porro, *in collibus*, inquit; Meliores enim

ſunt fructus illi, qui in ſupinis collibus, quam qui proveniunt in planitie. *Bacchus amat colles.*

Denique מגד ארץ fructum denotat, quem terra divinitus fœcundata gignat vel ſui generis laudatiſſimum, ut in palmis caryotas, in frumentis triticum, in nucibus piſtacia vel amygdala, in ceraſis duracina, in odoriferis balſamum: vel excellentiſſimum ſuæ ſpeciei, ut in vitibus cenſeas Libanitidem, in palmis Hierechuntinam, in punicis Gitthæam, in ficubus Diblathæam. Alias quod in re cum alia re collatum, vulgo cenſetur optimum & prædicabile id Hebræis חלב dicitur, verbi gratia, quod in frumento quolibet eſt præſtantiſſimum vocant חלב דגן adipem frumenti, quod in vino חלב יין adipem vini, quod in oleo חלב יצהר adipem olei. Synonymon eſt ראש vel ראשים id eſt caput, vel præcipue *roſch harre kedem*, præſtantiſſimum montium æternorum, *Deut.* 33: 14. ראשי בשמים *præſtantiſſima aromatum Cantic.* 4. 14.

Cantic. 4: 13. *Propagines tuæ, Soror mea, ſunt paradiſus malorum punicorum, cum fructibus arborum pretioſis: ſunt propagines tuæ aromata, cyprus cum nardis: Nardus & crocus, calamus odoratus & cinnamomum, cum omnigenis arboribus thuriferis, myrrha & aloe, cum omnibus præſtantiſſimis aromatum.* Diſtinguuntur hic *Megadim*, fructus arborum nobilium indigenarum ab aromatis peregrinis, quæ vocata ראש בשמים aromatum præſtantiſſima. Quod autem hoc loco tot exoticæ plantæ in ſponſæ horto recenſentur, ea re ſignificatum eſt, hortum, id eſt, cor ſponſæ ferax eſſe non vulgarium ignobiliumve fructuum, ſed eorum, quæ longius petiti a Dei ſpiritu procreantur. *Cant.* 7: 14. *Præ foribus noſtris ſunt omnis generis pretioſi fructus, recentes cum veteribus.* Seniores hic מגדים ἀκρόδρυα vertunt. Auctores Geoponicωn ἀκρόδρυα ea tantum interpretantur, quæ τὸ ξυλῶδες foris habent, quo in genere nuces omnes ſunt. Alii ἀκρόδρυα de omnibus arboreis frugibus uſurparunt. At *Theophraſtus*, qui ἀκροδρυα a malis & nucibus ſeparat, eo nomine baccas & fructus ſilveſtres cenſuerit. Sic enim habet *in characteriſmo* τȣ͂ βδελυρȣ͂: καὶ πληθȣ́σης τῆς ἀγόρας προσελθὼν πρὸς τὰ κάρυα καὶ τὰ μῆλα, ἢ τὰ ἀκρόδρυα τραγηματίζεσθαι ἅμα τῷ πωλȣ͂ντι προσλαλȣ͂ν, id eſt, *Quando maxime frequens forum, ad nuces, mala & ἀκρόδρυα accedens, ibique ſtans de iis comedit ſermones interea cum eorum venditore ſerens.* Vides τὰ ἀκρόδρυα a nucibus & malis diſtinguere. *Salmaſius Exercit. Plin. p.* 430.

XI.

XI. זמרות הארץ Zimroth haarets,

Decantatiſſimi terræ fructus, quos *Columella Lib.* 3: *c.* 8. vocitat dotes Regionum & Terrarum. *Gen.* 43: 11. *Accipite de fructibus terræ laudatiſſimis* vel decantatis *in vaſis veſtris, & deferte ad virum illum*, Ægypti Præſidem, *munus; parum reſinæ terebinthinæ & parum mellis palmarum, & oleum tuſum, & ladanum, & piſtacia, & amygdalas*, de quibus ſuo loco fuſius.

XII. גרש ירחים Geresch Jerachim.

Certis menſibus protruſi fructus, vel quos quæque luna protrudit. *Deut.* 33: 14. Et *a pretioſis fructibus, qui protruduntur a menſibus ſuis, qui*, ut *Ezechiel c.* 47: 12. arborem deſcripſit, *menſibus ſuis primogenita*, id eſt, præſtantiſſimos fructus edunt, nunquam conſumtos.

XIII. בכורה Bicchura,

Fructus præcox. *Mich.* 7: 2. *Nullus eſt botrus ad comedendum; præcocem fructum deſiderat anima mea*, expectationem deſiderii mei explere nequeo, quæ acerrime concupio iis perfrui non datur. *Dum eſt æſtas, quem ut vidit quiſpiam, dum adhuc eſt in manu ſua, deglutit, erit decentiſſimus Ephrajimitarum ornatus*, id eſt, ſubito conſumentur Ephrajimitarum opes & gloria.

XIV. לחם Lechem.

Fructus eſculentus. *Jerem.* 11: 19. *Deſtruamus arborem cum fructu ſuo, prophetam cum vaticiniis.* Perperam Chaldæus: *Injiciamus venenum in cibum ejus.* Ex *verſu* 21. patet hoſtes ei palam eſſe vim minatos, niſi deſiſteret prophetare. Et vero Sacerdotes etiam Hieroſolymis eum in judicium adduxerunt, tanquam capitis reum. Nulla igitur cauſa, cur ſuſpicemur eos voluiſſe eum veneno tollere. *Coccejus.*

Ad Chriſtum accommodant *Juſtinus Dial. cum Tryph. Tertullianus adverſus Judæos lib.* 2: *cap.* 20. *Lactantius lib.* 4: 18. *Ambroſius in tit. Pſal.* 35. *Hieronymus & Theodoretus in h. l.* quaſi ſenſus eſſet: Mittamus lignum (crucis) in carnem ejus. Per לחם ſcilicet, intelligunt carnem, ut *Levit.* 3: 11. & 17: 21. & 22: 13. Eleganter quidem, ſed de Chriſto, *ſecundario.* Imo ne hoc quidem. Nam ut ſenſus literalis primarius eſt, qui immediate intenditur, de quo Interpreti præcipue laborandum: ita ſecundarius, qui mediate ſeu δευτέρως. Primarius itaque fluit proxime ex verbis; propriis an tranſlatis nihil intereſt, quum utrinque intentio ſenſus πρώτως poteſt

teſt haberi. Secundarius, non ex verbis, ſed ex horum ſenſu. Qui ſi abſolutus & abſque comparatione dici poteſt illativus ſeu conſequutivus: (quippe textus conſequentia) & is valde fœcundus eſt; quod ex praxi multiplice Diſputatorum, Commentatorum, Oratorum & Concionatorum patet. Si comparativus, ſic ut deducatur propter aliquam ſimilitudinem, eamque in re ficta, oritur ſenſus parabolicus. Si in re vera ſeu vere geſta cum applicatione, ſenſus typicus. Redeo ad propoſitum. Si per ſenſum ſecundarium hæc convenirent Chriſto, ſequeretur hoc vel ſimpliciter ex hiſtoria Jeremiæ, vel comparate, per typum aut parabolam. Sed nihil horum. Nam nec Chriſti paſſiones inferes ex Jeremia, nec Jeremiam dices typum Chriſti. Parabola extra controverſiam eſt. Requiritur enim ad typum non modo ſimilitudo, ſed ſimilitudinis applicatio: ſic ut Spiritus Sanctus ipſe clare alicubi transferat ſimilitudinem ad typum. Quomodo Scriptura Melchiſedechum, Jonam, Arcam, victimas, ſerpentem æneum, Chriſto applicat. Abſque quo ſi ſimilitudo quævis faceret typum, verterentur omnia cum *Origine in Allegorias*, & Scriptura foret naſus cereus. Eleganter *Amama in Antibarbaro p. 272. Cavete*, inquit, *Candidati, ne ad cathedras admiſſi ex qualibet perſona vel re Veteris Teſtamenti typum vel Chriſti, vel Eccleſiæ, vel aliarum rerum fabricetis. Nunquam enim evinces eſſe typum, niſi ex ſacra pagina oſtenderis, illud a Spiritu Sancto huc fuiſſe deſtinatum, & ad hanc repræſentationem ordinatum:* Itaque cum Scriptura non facit typum Chriſti, aut quæ fecit vel paſſus fuit Jeremias, Chriſto applicat, Chriſto hæc typice non poſſunt tribui. An ergo dicet aliquis non poteſt Jeremias comparari cum Chriſto? reſpondeo, poſſe: uti ubique, ubi ſimile. Sed comparatio, ubi res ipſa jacet abſoluta, & quam Scriptura ipſa non applicat ad comparationem, non eſt ſenſus, ſed alluſio vel accommodatio tantum ad ſenſum. Quæ ut modica & verecunda quidem ornat conciones & cætera: ita interprete ſeu metaphraſta eſt indigna. *Noldius Annotationibus ad Concord. Particul.*

XV. רבש DEBASCH.

FRUCTUS mellei ſaporis. Tradunt Hebræi hoc vocabulo ſignificari omnes dulces fructus, ut ſunt ficus, dactyli & ſimiles. De his nihil in templo comburebatur, ſed duntaxat coram Domino offerebatur, juxta illud *Jer.* 7:11. *Ex nullo fermento, & ex nullo melle adolebitis igne abſumendum munus Domini. Ex nullo*, inquit, *melle:* quia Mel quoque in fermento

mento eſt *Plinius lib.* 11: *c.* 13. Eſt initio mel, ut aqua dilutum, & primis diebus fervet ut muſtum, ſeque purgat: viceſimo die craſſeſcit, mox obducitur tenui membrana, qua fervoris ipſius ſpuma concreſcit.

XVI. גרגרים Gargerim, Baccæ, minores arborum fructus.

Baccæ enim ſunt lauri, oleæ, myrti & id genus arborum fructus, ut apud *Jeſaiam* fructus oleæ *c.* 17: 6. Tantum relinquetur racematio, ut cum ſtringitur olea, duæ tresve baccæ, in vertice ſummi rami quatuor baccæ in ramis fructiferæ: & apud *Ovidium Metamorph. lib.* 10, ℣. 90.

Et bicolor myrtus & baccis cærula ficus.

Bacca, quæ pomo minor, unde de minoribus pomis paſſim occurrit. Sic ceraſa baccæ ſunt, & frequentiores baccæ in ſilveſtribus, a pomis ſola brevitate vel parvitate differentes.

XVII. Frugiferæ arbores in hostico non succidendæ ex lege.

Deut. 20: 19. Quum *obſidebis aliquam civitatem diebus multis oppugnando eam, ne perdito arbores ejus vibrando in eas ſecurim, ſi ex eis comedere potes, eaſque ne exſcindito* : כי הארם עין השרה *quandoquidem homo eſt & arbor agri eſt quæ procedat ante te in propugnaculum.* Vid. *Part. I. cap.* 12: *ſect.* 1. Arbor igitur ut in humanos uſus fructum poſtea itidem ferret ſervanda. At ſi ea vel telis obſidentium urbem obſtaret, *Grotius de Jure Belli & Pacis* II. 12. 2. vel ſi omnino ſterilis eſſet, aut ſi fructum ferret plerumque nocivum aut inutilem, aut adeo intempeſtivum ſeu inopem, ut culturæ labores neutiquam compenſaret, aut arboribus vicinis agrove, in quo ſata, eſſet detrimento, aut pretio eximio venumdari poſſet ejus materies, ex Majorum dictæ legis interpretatione, etiam in qualescunque uſus bellicos excidere ſeu radicitus evellere licuit. Neque vero militi ſolum in obſidione occupato id prohibitum; ſed ſimile interdictum civibus etiam cæteris ex Majorum interpretatione inculcatum, adeo, ut nemini in toto regno Iſraëlitico impune liceret arborem frugiferam cædere, ita ut inde corrumperetur aut periret. Vid. *Joh. Seldenus de Jure Nat. & Gentium juxta Diſciplinam Hebræorum, lib.* 6: *c.* 15. Migrare legem hanc videtur, quod Deus 2. *Reg.* 3. 19. mandavit Jiſraëlitis, ut omnem arborem bonam in Moabitide dejicerent. Sed reſpondent Menochius, Martinius &

hos ſequutus Eſtius, legem illam de Canaanitarum duntaxat terra intelligi, quam Iſraëlitæ poſſeſſuri erant, ne id facientes ſibi ipſis nocerent.

XVIII. FRUCTUS SINGULORUM MENSIUM, *ἀείκαρποι*, SUNT NUNQUAM INTERMISSA VIRTUTUM STUDIA.

Ezech. 47: 12. AD flumen, quod Ezechiel vates e Sanctuario manare vidit, *ſata ſunt arbores, quarum fructus nunquam ceſſat, ſecundum menſes ſuos primogenita*, id eſt, præſtantiſſimos fructus, *præbent, quia aquæ earum* (quibus rigantur) *e Sanctuario prodeunt.* Illi menſtrui fructus ſunt continuus pietatis, ſanctitatis, juſtitiæ, puritatis, manſuetudinis, longaninimitatis, patientiæ & omnium reliquarum virtutum, nunquam interruptus chorus, atque perfecta corona; ita ut nullus vitæ annus, nullus menſis aut dies, nulla diei hora horæve momentum numerari poſſit, quin ſanctitatis, caſtitatis, charitatis & pudicitiæ perfectos & maturos fructus ex arbore ſancta legere non liceat: juxta *Petri* monitum 2 *Epiſt.* 1: 5,6,7,8. Ad Prophetæ verba *Lucas Oſiander* ſequentia commentatur: Ex Evangelii prædicatione & adminiſtratione, naſcentur paſſim plurimi Chriſtiani, qui nunquam ceſſabunt bonos fructus copioſe gignere. Jam fœcundi autem erunt quia foventur & recreantur Miniſterio Evangelii, quod non ex ſapientiæ humanæ lacunis ſcaturit, ſed ex adytis cœleſtium arcanorum, atque adeo e ſinu Patris per Chriſtum ad nos emanavit, Johannis primo. *Johan.* 15: 16. *Poſui vos, ut euntes fructum feratis*, id eſt, ut fructum feratis ſubinde vel identidem. (Hebræiſmus ut in illo: *Ivit Domus Davidis & augebatur* 2 *Sam.* 2: 1. *& c.* 5: 10.) *& fructus veſter maneat.*

XIX. FRUCTUS RECENTES ET VETERES RECONDITI: VIRTUTIS PRISTINÆ ET NOVÆ CUSTODIA.

Cantic. 7: 14. SECUNDUM *oſtia noſtra omnes pretioſos fructus, recentes ſimul ac veteres, dilecte mi, reſervo tibi.* Fructus pœnitentiæ, in eo agri lecti, quem Deus plantavit ſunt laudatiſſimi, nec placere alii Chriſto poſſunt. Quæcunque enim opera ante converſionem fiunt, utut ſpeciem habeant, laudemque apud homines mereantur, tamen bonitate, quam lex divina requirat, vel gratia Redemtoris compleat, deſtituuntur. *Vid. Hulſemann. Prælect. in A. C. p.* 89. hos fructus tum recentes tum veteres Chriſto recondit

dit fidelis anima a virtutum priſtinarum ſtudio non deſciſcens. Reconditi autem Chriſto ſpem diuturnitatis attingunt, ut Chriſtus ait *Joh. 15: 16. Ego vos elegi, ut fructum ferretis, & ut fructus veſter permaneat.*

XX. Fructus arborem commendat, doctrina doctorem.

Arboris bonitatem nec flos, nec folia, nec proceritas, nec ſenium probat. Floret ſalix, ſed frugem perdit; foliis ſuperbit ficus a Chriſto maledicta. Procera eſt tilia, ſed fructum ejus nulla avis attingit; annoſa eſt quercus, ſed glandium parca. Bona eſt arbor, quæ bonos tulerit fructus, mala, quæ malos. *Matth. 7: 16. Pſeudoprophetas ex fructibus ſuis cognoſcetis. Num colligunt ex ſpinis uvam, aut tribulis ficus?* Non intelligit Dominus vitam & mores ſive doctorum ſive auditorum, cum & Judas Apoſtolus purum Evangelium docuerit, & Chriſtus quartam agri partem tantum fructificare teſtetur, ſed partim ipſa falſa dogmata, fœtus humani cerebri, partim proprietates falſis dogmatis peculiares atque ex eis enatas. *Chemnitius cap. 51. Harmoniæ.* Sicut fructus Chriſtiani, in quantum Chriſtiani, ſunt bona opera: Ita Doctoris, in quantum Doctoris, fructus eſt forma ſeu qualitas doctrinæ. Et ſicut ex operibus, tanquam ex fructibus cognoſcitur quis, an ſit vere Chriſtianus vel hypocrita; ita ex fructibus, hoc eſt, ex qualitate doctrinæ, judicandum eſt de veris & falſis Prophetis.

XXI. Fructus arborem: Authorem opus arguit.

Matth. 12: 33. Aut *facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Facite*, id eſt ponite vel ſtatuite in veſtris videlicet de me ſermonibus. Argumentatur enim Jeſus, ut mihi quidem videtur, ab effectu ad cauſſam. Cum enim ipſius opus, dæmoniorum videlicet ejectionem, reprehendere non poſſent, ipſum tamen ut magum accuſabant. At enim, inquit Chriſtus, quale eſt opus, talis eſt ipſius author. Aut igitur fatemini, bonum eum eſſe, a quo bonum opus edatur, aut utrumque malum eſſe oſtendite. Simul autem Chriſtus hypocriſin eorum arguit: *Beza.*

XXII. Fructus terræ Deo dicati.

Gen. 4: 4. Fuit *a fine dierum*, hoc eſt, aliquando, vel die ſabbati, qui hebdomadem dierum claudit, (alia enim dierum diſtin-

ctio, quam quæ ſeptimanam clauderet, nondum fuerat memorata) *quum obtulit Cajinus de fructu terræ, de oleribus, frumentis, arborumque fœtibus, munus Jehovæ.* Munus hoc non reſpexit Deus. *Theodotion* οὐκ ἐνεπύρισεν, non inflammavit. Cui expoſitioni ſubſcribunt *Menochius* & *Tirinus*, & probabilem dicit *Grotius*, quæ & *Juliano* placuerit. Mihi non placet. Olera enim & frumenta, & poma, veriſimile non eſt, cœleſtem ignem, ut holocauſtis factum, inflammaſſe, & ab eo conſumta, aut a ſacrificantibus incenſa, nuſquam legimus. Nec enim iſta erant expiatoria, ut hircorum, ut ovium & taurorum ſacrificia, *eo quod ſine ſanguinis effuſione nulla fieret remiſſio. Hebr.* 9: Et omnino videtur eam ob rem ad Cajini munus non reſpexiſſe, quia peccati expiationem munere ſuo non quæſivit, ſed Deum hoc cultu demeruiſſe, falſa opinione ſibi perſuaſit; quo factum, ut ſine fide ſacrificans placere Deo non potuerit. *Hebr.* 11: 4.

XXIII. ARBORIS NOVELLÆ FRUCTUS INTERDICTI.

Levit. 19: 23, 24, 25. OBLIGATIO incipiebat ab occupatione terræ Canaan. Exinde ad tertium annum, jubebantur Jiſraëlitæ, quaſi præputiatos habere fructus juniorum arborum. Poma, quæ germinant, immunda erunt, *Philo* οὐ βρωθήσεται. Fructus anni quarti dicuntur קדש הלולים id mea interpretatio eſt *ſeparatio laudanda.* Quinti anni pomis licebat demum veſci in commune, populo univerſo. Nam quarti anni fructus Sacerdotibus cedebant in jus & poterant ab iisdem edi. Morale: Gentilium terra eſt immunda quaſi & immundos gignit fructus. Sancti incolæ, ſancti cibi. Verbo Domini ſanctificabantur terræ fructus. *Vid. Coloſſ.* 3: 17.

XXIV. FRUCTUS SALUTIS VERBUM DIVINUM.

Jeſa. 45: 8. DESTILLATE *cœli ſuperne, & æther manet juſtitiam, aperiat ſe terra, & qui ſunt in ea, edant fructum ſalutis, & juſtitia efflorescat; me Jehova creante illud. Deſtillate cœli*, ſtillet os DOMINI ſuperne, *& æther*, Pater cœleſtis *manet*, *dimittat* juſtitiam יורה צדק effundat inſtar pluviæ juſtitiam. *Hoſ.* 4: 3. *verbum juſtitiæ.* Juſtitia appellatur divinum verbum *Pſal.* 119: ℣. 144. & 172. & pluviæ comparatur *Deut.* 32: 2. *Stillet tanquam pluvia diſciplina mea, manet tanquam ros ſermo meus.* Et in gremium ſuum recepto verbo, *edant* terræ ſalvitatores *fructus ſalutis*, fructum verbi ſalvifici, fidem, charitatem, & patientiam. *Luc.* 8: ſanctimoniam; *Rom.* 6: 22. & conſcientiæ tranquillitatem. *Rom.* 10: 14, 15. *& juſtitia efflo-*

floreſcat. Juſtificati per fidem juſtitiam exercebunt, 1 *Joh.* 3: 7. in omnibus ſe adprobantes, cum caſtitate, cum notitia, cum iræ cohibitione, cum benignitate, cum Spiritu Sancto, cum charitate minime ſimulata, per ſermonem veritatis, per virtutem Dei, per arma juſtitiæ a dextris ac ſiniſtris. *Me Jehova* patrante vel *creante illud.* Senſus: Ego qui omnia creavi ex nihilo, & hoc ſic faciam mirabiliter, ut ex nihilo, præter ſpem omnem, creatum videri poſſit. *Glaſſ. Rhet. I.* 10.217.

XXV. Fructus exitialis et pudendus Improbitatis.

Rom. 6: 5. Quem *igitur fructum habebatis tunc ex iis, de quibus erubeſcitis: nam finis illorum mors eſt.* Inſtigat credentes ad juſtitiæ fructum. Quis poteſt velle iis operam navare, quorum ipſum pudet? quis tam ſtultus, ut ſine auctoramento quærat mortem; ut negligat ſanctificationem præſentem, & vitam æternam paratam poſt hanc vitam? ſi amet illam, & hanc quærat, atque etiam credat hanc ſibi donatam, & ejus ſperandæ pignus poſſideat, idque cernere inceperit? Apoſtolus ſumit metaphoram a fœnore. In præſens capiunt fœneratores fructum pecuniæ, tandem integram ſortem recipiunt. Quod in hac vita repræſentatur vocat fructum, quod in futurum ſervatur, finem. Hebræi ſolent פירות fructus, & קרן ſortem dicere, idque in ſententia, quæ illis familiaris eſt, qua ſignificant pietatem & eleemoſynam habere remunerationem & in hac & in futura vita. Imprimis illud convenit huic loco: הזכות יש לה קרן ויש לה פירות עברה יש לה קרן ואין לה פירות. *Bona opera habent ſortem & fructus, transgreſſio ſortem habet, non habet fructus.*

XXVI. Fructus Justitiæ, bona opera.

Philip. 1: 11. Repleti *fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.* Monemur non præcedere opera bona juſtificandum; ſed ſequi juſtificatum. Ideo vocantur fructus juſtitiæ, qui requiruntur ab omnibus vere Chriſtianis, qui propterea *conditi* dicuntur *ad bona opera. Epheſ.* 2: 10. ac *Arbores ac ſemen adpellantur, quod germinat juſtitiam. Jeſa.* 61: 11. *Balduinus. Jacob.* 3. ℣. *ult. Fructus juſtitiæ ſeritur cum pace iis, qui dant operam paci.* Dictum ſic intelligo. Qui pacis ſtudio ſuperne datam ſapientiam produnt, ii pacem colendo id ſerunt, unde juſtitia ſeu fructus germinet.

XXVII. FRUCTUS JUSTITIÆ, ELEEMOSYNA.

2 *Cor.* 9: 10. QUI *ſuppeditat ſemen ſerenti, & panem ad eſcam ſuppeditet & multiplicet ſementem veſtram, & augeat fructus Juſtitiæ veſtræ.* Eleemoſyna hic dicitur Juſtitia, ut *Pſalm.* 112. *Diſpergit, dat egentibus: Juſtitia ejus*, id eſt beneficentia ejus vel eleemoſyna *perſtat in æternum.* Sic Juſtus vocatur, qui largitur eleemoſynam. *Pſal.* 37: 26. *Puer fui, etiam conſenui, ſed non vidi juſtum, erogantem pauperibus, ita derelictum, ut ſemen ejus quæreret panem.* Senſus igitur dicti: *Qui adminiſtrat ſemen ſerenti*, Deus, qui ſuppeditat bona in pauperes diſpergenda, is & panem ſuppeditet, largiatur victum, eumque ſufficientem & neceſſarium, *& multiplicet ſemen veſtrum, & augeat fructus juſtitiæ veſtræ*, id eſt, augeat facultates veſtras, uberemque in egenos continuandæ beneficentiæ materiam præbeat.

XXVIII. FRUCTUS LABIORUM, SACRIFICIUM LAUDIS.

Hebr. 13: 15. PER *Chriſtum aſſidue offeramus Deo ſacrificium laudis*, id eſt fructum labiorum celebrantium nomen ejus.

XXIX. FRUCTUS PRÆDICATIONIS, DEI COGNITIO.

Joh. 15: 16. *Ego elegi vos, ut eatis, & fructum feratis, & fructus veſter maneat. Ut eatis*, videlicet in univerſum mundum, prædicaturi Evangelium univerſæ creaturæ; non ut deſides domi ſedeatis, ſed abeuntes vineam Domini plantetis, *& fructum feratis plurimum*, hoc eſt, permultos miniſterio veſtro ad veram Dei cognitionem & ſalutem æternam perducatis. Et *fructus veſter maneat*, videlicet in omnem æternitatem, dum inferorum portæ non poterunt prævalere Eccleſiæ veſtro miniſterio collectæ: ſed Evangelium quod prædicabitis, & omnes per illud ad Deum ſerio converſi, permanebunt in æternum. *Glaſſius Dominica exaudi. p.* 355.

XXX. FRUCTUS PRÆDICATIONIS, ELEEMOSYNA.

Rom. 15: 28. UBI *conſignavero eis hunc fructum. Eleemoſyna eſt fructus fidei, genimen juſtitiæ*, 2 *Cor.* 9: 10. Hic tamen dicitur fructus, non tantum ratione prædicationis Pauli, ſed etiam ratione accipientium, qui corporalia pro ſpiritualibus recipiebant.

XXXI. FRUCTUS MORTI EDITUS.

Rom. 7: 5. *Quum eſſemus in carne*, quum naturæ, quæ corruptiſſima eſt, proprio motu ageremur, *pravi motus peccatorum per legem*, id eſt occaſione legis exiſtentes, *vigebant in membris veſtris*,

ocu-

oculis, lingua, renibus &c. *ut fructum ferrent morti*, æterna morte digna opera.

XXXII. Fructus mendacii.

Hoſe. 10: 13. Arastis *improbitatem, iniquitatem metitis, comeditis fructum mendacii*, id eſt, fructum, quo non ſatiamini, uti quidem ſperaſtis.

XXXIII. Fructus: Liberi.

Pſal. 21: 11. Fructum *eorum e terra perdis, & ſemen eorum e filiis hominum. Fructum*, id eſt, liberos, qui dicuntur fructus corporis & ventris. *Deut.* 28: 1. *Pſal.* 127: 3. & 132: 11. *Thren.* 2: 20. *Luc.* 1: 42. Significat, filios cum improbis parentibus perdendos eſſe. Id autem fit, vel, quia in eadem navi verſantur, ideoque fracta navi omnes ſubmergi neceſſe eſt: vel, quia filii patribus ſimiles ſunt. *Semen eorum*, ſemen vocat, quos modo fructum, id eſt liberos, ut *Gen.* 17: 7. 10. *Pſal.* 32: 24. 31. & 37: 25.

XXXIV. Fructus digni poenitentia.

Matth. 3: 8. Ἄξιος in textu originario reſpicit Hebraicum שוה, quo etiam hoc loco Syrus uſus. שוה autem duo notat. 1. Æquale eſſe merito, vel dignum eſſe præmio aut pœna. 2. Conveniens, decens eſſe, ut *Eſth.* 3: 4. dicitur ולמלך אין שוה & *non decet regem* Es wil ihm nicht gebuhren zu leiden. Hanc vocem שוה LXX. reddunt vel per ἀρέσκειν, vel per ἄξιον. Unde ἄξιον in Novo Teſtamento ſæpius uſurpatur pro decentia, non pro dignitate, quæ conſiſtit in proportione vel æqualitate, ut *Epheſ.* 4: 1. ἀξίως περιπατεῖν. Similiter accipiendum hoc loco: *Ferte fructus dignos*, id eſt, convenientes pœnitentiæ. *Hackſpan in notis ad Matthæum.*

CAPUT SEXTUM.

De arborum propagatione, sexu et præputio.

Arbores, *quæ* ſemine proveniunt. *Ea, quæ ſtolonibus, ſurculis & propagine* Schelach *adpellantur &* Nebuſcha. *Item* Can *ſive* Canna, Ben & Surius. Inſitio *per ſurculos.* Similitudines ab inſitione arborum deſumtæ. *Oleaſter inſitus olea, gentilis populo Dei aſſociatus. Inſitio*, κοινωνία *fidelium cum Chriſto. Sexus*

in

in arboribus diſtincti an reperiantur in Hebraiſmo veſtigia. De arborum præputio.

I. DE ARBORUM PROPAGATIONE.

QUÆ hominum cura atque arte plantantur arbores, eæ vel *ſemine proveniunt*, aut *plantis radicis*, aut *propagine*, aut *avulſione*, *ſurculo* aut *inſito* vel *confecto arboris trunco. Plin. libr. X. cap.* 17.

[1.] SEMINE PROVENIUNT.

UT Vitis *Ezech.* 17: 5. *Accipiens Aquila*, id eſt Nebucadnezar, Chaldæorum Rex, *e ſemine vitigenes illius terræ*, Judææ ſcilicet, id eſt ex ſtirpe regia Judæorum, Sedeciam, *poſuit ipſum in agro ſativo*, apto ſemini excipiendo; *atque hoc quidem ſemen abiit in vitem luxuriantem*, opibus viribusque regni crevit.

[2.] ARBORES ORIUNTUR E PLANTIS RADICIS.

UT ſtolones, quo nomine illa ſurculorum ſoboles inutilisque frutificatio e radicibus venit, ſi arboribus avulſi vivunt, quo in genere, *cum parvi ſunt, eruuntur, partemque aliquam e matris quoque corpore ſecum auferunt, fimbriato ſegmine. Hoc modo plantantur coryli, ſorbi, meſpili, fici, imprimiſque vites a ſtolonibus, a quibus, ne parentem luxuriantes enecarent, avulſis pampinatio inventa dicitur. *Ruellius lib.* 17. *c.* 1. *&* 10. Stolo Hebraice nominatus יונק, quod radicis arboreæ ſucco, tanquam nutricis lacte, alitur. Notandum vero, hoc & collactea nomina ſtatim recenſenda, ſurculum tenerum in genere ſignificare, qui vel ex radicibus ad truncos arborum, vel ex ramis earum proxime ſuccum traxerit. De eo, qui ex radice ad truncum pullulat, & ſtolo vocatur, *Job.* 15: 30. *Non egreditur e tenebris: tenerum ſurculum* vel *ſtolonem ejus exarefecit flamma, & retorreſcit ſpiritus oris ejus*, id eſt Dei. Spei fallacis imago. *Jeſa.* 53: 2. *Aſſurgit* Meſſias כיונק *ut tener ſurculus coram* DOMINO, *& tanquam radix ex terra ſolitaria.* Synonyma ipſius *jonek* ſunt חטר virgula & נצר ſurculus. *Jeſa.* 11: 1. *Prodibit ſurculus ad truncum Iſai &* VIRGULA *e radicibus ejus effloreſcet.* Per virgulam & ſurculum e radice pullulantem propagata eſt regia Davidis ſtirps. Radix dicitur Iſai, ſurculus vel virgula Chriſtus. Pariter Rex Babylonius, a priſcis Regibus ortus, *Netzer* appellatur, & quia ſceleribus, ſuperbia & tyrannide computruit, abominabilis ſurculus, qui rejicitur e terra, ne quidem majorum ſepulcro inferri meruit. *Jeſ.* 14: 19. *Projectus es de ſepulcro tuo, quaſi ſurculus abomi-*

bomi-

bominabilis , fædus & execrabilis. *Prov.* 14: 3. Stolidi fructus comparatur cum ſtolone qui nec arborem incrementa capere ſinit, nec ipſe in uſum vel annos adoleſcit. *Ori ſtulti ineſt* חטר *ſtolo ſuperbiæ, ſed labia ſapientum cuſtodiunt eos, à nihil profutura eis ſuperbia.* De ſurculis ramorum teneris accipiuntur nomina יונקת יניקות & יונקות Et *Joneketh* quidem *Job.* 8: 16. *Humidum eſt coram Sole*, id eſt, riguus roſidusque eſt hortus vel ager juſti, nec a ſolis ardore humor ejus conſumitur, & ſuper hortum ejus ſurculus ejus tener progreditur: in tantam ſcilicet proceritatem extollitur. Tale illud *Gen.* 49: 17. *Ramus fœcundus Joſeph, ramus fœcundus ſecus fontem: duobus ramis ſuis procedit ultra murum. Job.* 18: 16. *Inferne radices improbi exareſcunt, & ſuperne ſucciditur ſurculus ejus tener.* Typus hominis cui ſpes omnis præciditur. Jonekoth *Hoſe.* 14: 7. *Diffundent ſe teneri ſurculi* ramorum ejus, *eritque quaſi oliva decus ejus.* Ampliſſimæ familiæ divitiarum & gloriæ imago. Jenikoth legitur *Ezech.* 17: 4. *Summum Libanitidos Cedri calamum, & ſummitatem ſurculorum tenerorum Cedri* Libanicæ Aquila ingens *decerptam detulit in terram negotiatioriam*, Babylonem. Summus Cedri calamus & ſummitas ſurculorum, ſive quæ eſt inter ſurculos, Regem adhuc tenerum 2 *Reg.* 24: 10. Jeconiam deſignat, a Chaldæorum Rege cum matre & fæminis & aulicis ejus & potentioribus regionis deportatum relegatumque Hieroſolymis Babyloniam. Qui nomina, quæ allatis locis teneros ramorum ſurculos interpretamur, pro ſtolonibus acceperunt, ii hos ſurculos in ſummitate arborum a ſcriptoribus ſacris collocari non obſervarunt. Certe ſtolones in ſummo arborum nulli, *Scaliger Exercit.* 144. 3. Stolo eſt truncus arboris ſuccreſcentis: ſunt enim ſtolones arborum pullulationes ab radice. Græci μόσχȣς, quaſi vitulos plantarum vocant.

[3] Arbores seruntur propagine.

Quæ Hebræis *primo* vocantur שלח & שלחה *Cant.* 4: 13. *Propagines tuæ, ſoror mea, facta ſunt Paradiſus, hortus clauſus & ab agris ſeparatus malorum punicorum.* *Hortus clauſus*, undiquaque ſeptus, ne fures aut feræ irrumpant, ſignificat protectionem Dei circa Eccleſiam. *Jeſa.* 27: 3. & 5: 2. 5. *Propagines ſunt paradiſus &c.* Exigua vel infirma præditi fide, facti ſunt τέλειοι & firmi.

Jeſa. 16: 8. *Propagines Jahzeriticæ vitis evulſæ trajiciunt mare.* A שלח propagine etiam virorum ducta nomina, *Schelach* Arpachſadi filius *Gen.* 10: 24. מתושלח Methuſchelach, hominum propago. *Gen.*

5: 25. 26. שותלח id eſt, שותל־שלח Planta propaginis *Num.* 26: 35. שלחי id eſt, שלח אלהים propago Dei. Pater Hazubæ, matris Joſaphati Regis. 1 *Par.* 20: 31. *Secundum* propaginis nomen eſt נטישה pro שלחות enim quod *Jeſa.* 16: 8. *propagines vitis* notat in parallelo vaticinio ponitur נטשות *propagines tuæ tranſierunt mare. Tertio* dicitur כן *Dan.* 11: 7. *Et ſtabit ex ſurculo radicum ejus* כנו *propago ejus*, *Jer.* 48: 3. Propago vitis propria, quæ Græcis ἀπώρυξ palmes vitis vetulus qui in terram defoditur ultima tantum ſui parte extante, ut nova inde vitis pullulet: Dicitur & כנה & בן *Pſal.* 80: 16. *Reſpice o Deus Exercituum vitem, quam ex Ægypto tranſtuliſti populum tuum Iſraël, & ſurculum propaginem quam plantavit dextera tua, & filium* (id eſt propaginem, ἀπώρυγα) *quem fortificaſti tibi. Quartum* nomen eſt שריג *Gen.* 40: 10. In vite tres erant propagines ſeu palmites. Hinc שרוג filius Rehu, ſeu propago ejus. *Gen.* 11: 20.

[4] SURCULO INSITITIO, ἐγκεντρίσει.

FREQUENTISSIMA eſt inſitio per ſurculos, cui emplaſtrum emphytevticum inſervit, caſusque hanc magiſter invenit dum agricola ſedulus caſam ſepis munimento cingens, quo minus putreſcerent ſudes limen ex hedera ſubderit, & illæ vivaci morſu apprehenſæ, ſuam ex alieno feciſſent vitam, apparuiſſetque truncum eſſe pro terra. Surculi annui ſunt & de πολυκάρπῳ arboris trunco decerpuntur, vividiores, ſi orientem ſolem reſpexerint. Sub cortice vel per delibrationem inſeruntur, illæ, quæ denſiore libro veſtitæ ex terra copioſum humorem ſugunt, Græcis ἐμφυλλισμὸς dicitur. Nobiliſſima, & quæ majore artificio peragitur Inoculatio eſt. Oculum arboris alteri ad modum emplaſtri applicatur. Græci ἐνοφθαλισμὸν vocant. Nec contemnenda ablactatio, qua ſtipiti vicinæ arboris ſurculus imprimitur: Viditque *Plinius* ceraſum in ſalice, platanum in lauro, laurum in ceraſo, & baccas ſimul diſcolores. *Hiſt. Nat.* 17. 14. *Jonſton in Præfatione H. N. de arboribus.*

II. OLEASTER INSITUS OLEÆ: GENTILIS POPULO SANCTO CONJUNCTUS.

Rom. 11: 24. SI *tu ex naturali amputatus oleaſtro*, ex gentibus adoptatus, *inſitus es contra naturam*, (quia in inſitionibus ſurculus non ſequitur naturam trunci, ſed truncus naturam inſiti ſurculi) *in bonam oleam*, in Dei populum aſſumtus; *quanto magis illi* Judæi *ex patribus orti*, quorum liberis gratiam promiſit Deus, *ſecundum*

na-

naturam in propriam ἐγκεντρισθήσονται *inferentur oleam*, in Dei populum, a quo deſciverant, recipientur.

Ibidem ℣. 27. *Illi ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur: Potens enim eſt Deus rurſum illos inſerere.* Nimirum ad converſionem noſtram nihil habemus virium. Sumus enim inſtar tenelli & infirmi ſurculi, qui natura ſua exareſceret, niſi a Deo implantaretur; Deus autem poteſt illum inſerere, inquit Paulus. Ideo ſolius gratiæ divinæ opus eſt converſio noſtra, cui ſoli eo nomine debemus gratias, *Balduinus ad l. c. p.* 216.

Surculus inſititius & renovationis icon eſt. Arbor quippe inſitionis beneficio in unam cum recenti ſurculo naturam coaleſcit. Adoptionis hanc effigiem dixerim, quæ a Jurisprudentiæ præſcripto definitur: Legis actio, ſeu legitimus actus, quo, qui natura liberi non ſunt, lege efficiuntur: de qua *Auſonius.*

Imitatur adoptio prolem,
Qua legiſſe juvet, quem genuiſſe volet.

Et *Calphurnius Flaccus:* Adoptio, inquit, res ſancta eſt, quæ beneficia naturæ & artis imitatur. Atque adeo adoptio naturæ æmula, perſonas aliquas priſtina natalium diverſitate penitus obliterata, in eandem ſanguinis & facultatum ſympathiam arctiſſime connectit. Hæc ipſa idea Chriſtianis omnibus ob oculos pendeat. Sicuti enim arbor, cui recens ſurculus inſertus eſt, proprios ramos abjicere, & a veteri natura degenerare debet, ut novam inſiti aſſumat, illiuſque fructus proferat: ita quiſquis oliva frugifera fieri deſiderat in domo DEI omnes ramos terrenæ cupiditatis amputari ſinat, ut ſurculus gratiæ ſolus inſeratur ac fructificet. Tollendus eſt apex ambitionis, corona ſuperbiæ, patens luxuriæ coma, omneſque expanſi rami, ceu totidem brachia ad malum amplectendum extenſa. Unde ſaluberrimæ illæ D. Pauli voces Chriſti fidelibus aſſiduo ingeminandæ. *Expoliantes veterem hominem induite novum. Coloſ.* 3. Hanc cujusvis Chriſtiani metamorphoſin opportune exprimens *Chryſoſtomus, Homilia quarta de Pœnitentia*: Oleaſter, inquit, mutandus eſt in olivam, lupus in ovem, non naturæ converſione, ſed propoſiti. Non ſimiliter factum in Arca Noë, quæ animalia ſuſcepit, & animalia conſervavit. Eccleſia vero animalia ſuſcipiens eadem transformat. Accipiter in Arcam introivit, accipiter

exi-

exivit. Introivit quis in Eccleſiam accipiter columba exeat neceſſe eſt. Introivit lupus, ovis egrediatur; agnus introivit & exeat agnus, non transmutata natura, ſed malitia excluſa. *Picinel. Tom. I. lib. 9. cap.* 39.

III. ἘΜΦΥΤΕΥΣΙΣ, NOSTRA CUM CHRISTO ΚΟΙΝΩΝΙΑ.

Rom. 6: 5. SI σύμφυτοι, *concreti, connati, concorpores facti ſumus ſimilitudine mortis Jeſu Chriſti*, id eſt, ſi mors Redemtoris noſtra fuit, *utique & reſurrectionis ſimilitudide connati erimus*, etiam reſurrectio ejus, noſtra erit reſurrectio. Noſtram cum Chriſto communionem in morte & reſurrectione eleganti metaphora vocat σύμφυσιν, coalitionem, & quaſi quandam inſitionem. Ut enim ſurculus communem habet mortis & vitæ conditionem cum arbore, cui inſeritur, ita nos & vitæ & mortis Chriſti participes & conformes erimus.

IV. SEXUS ARBORUM.

GENERANDI & concipiendi virtus, quæ in animalibus diſcreta, in maribus ſcilicet ac fœminis, conjuncta eſt in plantis, in eodem corpore. In palma tantum diſcreta videtur. Hoc non obſtante, arboribus cunctisque adeo, quæ terra gignat utrumque ſexum diligentiſſimi naturæ, juxta Plinium, tradunt. Diſcrimina autem ſexus non a vi generandi vel concipiendi, ſed vel a fæcunditate vel materiæ firmitate, vel a fructu meliore petunt. Ita mares ipſorum opinione, fructum non ferunt, quamvis aliqui hæc permutantes mares eſſe quæ ferant, tradunt. Mas palmarum in palmite floret, fœmina citra florem germinat, tantum ſpinæ modo. Glandem maſculas ilices negant ferre. In abiete & larice mare lignum eſt durum, in fæmina mollius. Tiliæ maris materies dura, nec ſemen fert aut florem, ut fæmina. Glans querna alia dulcior molliorque fæminæ, maris ſpiſſior. Favere huic arborum ſexui videtur Hebraicus ſermo, qui ſervilibus nominum ſuorum literis, discriminat genus. Ita, quæ אלים dicuntur, fuerint quercus mares, quæ אלות quercus fœminæ 1 *Reg.* 9: 26. ארן Pinus mas, הארנה vel הארונה Pinus fuerit fæmina, 2 *Sam.* 24: 16. רמון malus punica mas, רמונה unde רמנו pro רמוגות mali punicæ fæminæ 1 *Par.* 6: 62. vel 77. תאנים fici mares, תאנה ficus fæmina. שקמים ſycomori mares, שקמות ſycomori fæminæ. רותם Juniperus, רתמה Junipera, ut ſic dicam.

dicam. הדם myrtus mas הדסה Myrtus nigra, fæmina, Eſtheræ nomen, *Eſth.* 2: 7. 15.

V. Arborum præputia.

Levit. 19: 23. Quum *veneritis in iſtam terram & plantaveritis quamvis arborem eſculenti fructus, omnino præputiabitis præputium ejus, præputium fructus ejus. Tribus annis ſunto ſingula vobis præputiata, nihil earum comeditor.*

Verba legis וערלתם עלרתו *Chaldæus* exponit, *removendo removebitis fructus ejus*, id eſt, pollutos cenſebitis, ut præputium, quo obturatur membrum virile. Commode autem vertitur: *Et præputiabitis præputium ejus, nempe fructum ejus*, id eſt, velut immundum & abominabilem cenſebitis fructum iſtius arboris, decerpatis & abjiciatis eum tanquam hominis præputium exciſum, fructus ceu impuros decutietis. Ratio legis juxta *Maimonidem* & *Abenezram.* (1) Fructus trium primorum annorum erant noxii & inſalubres, aquoſi & indigeſti. Multa enim præcepta valetudini conſulunt. (2) Proderat ipſis arbuſculis, ne præpoſtera feracitate exhauſtis viribus celerius ſeneſcerent. (3) Proderat & Deo, cui primitiæ fructuum debentur. Non decebat offerri, quod intempeſtivum, atque imperfectum adhuc eſſet. (4) Oppoſitum hoc moribus idololatrum, qui tales fructus tanquam primitivos Diis ſuis, ut gratiſſimos offerebant. De eadem lege *Coccejus*: Dat præceptum de primis fructibus arboreis, per tres annos eos habendos ſuperfluos, & non comedendos; quarto Deo conſecrandos, quinto demum edendos. Quod per tres annos vult abſtineri, rationem etiam œconomicam habet, ut arbor nova poſſit confirmari, ne fructuum luxuria exhauriretur. Ideo ne propter aviditatem fructus ſinerent creſcere, vetat illos comedi. Ita exemplo quodam aviditatem rerum novellarum, quæ ſtragem proventibus affert, prohibet. Quod autem quarto anno vult eſſe ſacros, pertinet ad ἐυχαριςίαν. Præceptum addit promiſſionem multiplicationis fructuum. Poſſunt etiam fructus ex novellis arboribus, qui nec ad eſum decerpti, nec ad oblationem divinam ſeparati, ſed inſtar præputii toto triennio neglecti ſunt, ſymbolum eſſe neophytorum, ſeu recentium in Eccleſia doctorum. Periculum enim eſt, ne vel doctrina, vel muneris peragendi inſcientia vel inſolentia animi peccantes incidant in obtrectatores. Id quod Apoſtolus etiam Eccleſiæ cavet. 1 *Tim.* 3: 2. 6. *Oportet verbi præconem irreprehenſum eſſe, non neophytum,* id

id eſt, novitium, qui nuper ad fidem aeceſſit, *ne propter ſuperbiam elatus, & plus juſto de ſe ſentiens in judicium incidat diaboli*, hoc eſt, calumniatori anſam maledicendi præbeat.

CAPUT SEPTIMUM.

DE HIS, QUIBUS ARBORES JUVANTUR.

ARBORES fæcundat *benignitas Conditoris*, Sol & Luna. Pluvia & nix: *ſymbola non redituri ſine fructu Verbi Dei.* Aquarum proximitas, *emblema gratiæ divinæ.* Piſcinæ. Venti *ſalubres. Ventus Spiritus Sancti figura, expurgantis animos, ſolantis, recreantis, fæcundantis.* Arbores cultura proficiunt, *quam & in homine peragit verbi miniſterio Deus.* Arbores Domini.

I. ARBORES FOECUNDAT BENIGNITAS CREATORIS.

PRINCIPEM in his, quæ arbores fœcundant, locum tenet obſequentibus promiſſa Conditoris Dei benignitas. *Deut.* 7. 11. 13. *Fructui terræ tuæ, frumento tuo, muſtoque & oleo tuo* DOMINUS *benedicet, ſi obſerves mandatum ſtatutaque & judicia, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias ea.*

II. SOL ET LUNA.

SOL & Luna, principia generationis; ſol calore, luna madore. Fructuum maturitatem juvat luna, ſingulis menſibus renovata. Sol ſuo eos calore coquit ramorumque & ſurculorum teneritatem firmat. *Deut.* 33: 14. *Benedicta ſit* DOMINO *Joſephi terra à pretioſis fructibus, quos Luna protrudit.*

Huc ſpectat quod *Hoſ.* 2: 21. legitur: *Et erit in die illo, inquit* DOMINUS, *exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram, terra vero exaudiet triticum & vinum & oleum.* Cœli tanquam totius nomine, partes ſignificatu latiore, hoc eſt, ſtellæ intelliguntur. Stellæ enim materiam pluviis generandis aptam, vapores ſcilicet e terra & aqua excitant, & in aërem elevant, non cœlum. Stellæ pluviis rigatam terram calore ſuo fovent, fœcundant, non cœlum, niſi per ſtellas. Eædem *Deut.* 28: 23. a fœcundandi munere ceſſantes *æneæ* dicuntur, & terra virtute earum non præparata, *ferrea; Exaudire* autem cœli dicuntur terram, dum ſcilicet vel frigore vel ſiccitate preſſæ, aſtrorumque opem quaſi imploranti ſuccurrunt calo-

calorem pluviasque largiter & tempeſtive infundendo. Hinc licet colligere quod vel fœcundum vel ſterilem ſtellæ terram faciant clamantemque exaudiant, quando in hæc inferiora agunt augendo, minuendo, alterando, generando, corrumpendo variasque virtutes imprimendo. *Augentur* autem quoties non tantum blando aſtrorum calore perfunduntur, quo copioſius alimentum in ſubſtantiam ſuam transmutant; ſed & alimento ab iis idoneo, & quaſi commeatu copioſo inſtruuntur, quem & terræ cœlitus infundunt, & ex ipſo terræ gremio eliciunt. *Minuuntur* contraria ratione ſubtracto calore blando & alimentis idoneis ac ſufficientibus. *Generantur*, quia vis generativa in corporibus & ſeminibus potiſſimum latitans calore ipſorum beneficio excitatur, juvatur. *Corrumpuntur* eadem dum vel calore ipſorum nimio exuruntur, ut in æſtatibus ſiccis videre eſt, vel ſubtracto eodem a ſuccedente frigore enecantur, ut fit in autumno & hyeme potiſſimum. *Conſervantur* quoque, calore eorundem beneficio foventur, & a frigoris corruptivi injuria defenduntur. Denique *virtutes variæ imprimuntur*, quoniam inferiorum temperamenta ab iis varie afficiuntur, cruditates noxiæ in frugibus abſumuntur, ut ad juſtam maturitatem perducantur. Unde fruges in locis calidioribus natas longe præſtantiores, efficaciores eſſe deprehendimus, quam quæ ſub cœlo frigidiore naſcuntur. Hæc ὁ δεῖνα *in J. A. Oſiandri Theol. Caſ. Part. I. p.* 844.

III. Pluviæ.

Pluviæ cadentes, ut *Plinius* ſcribit, omnium terra naſcentium cauſa fiunt, prorſus mirabili natura, ſi quis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fruticesque vivant, in cœlum migrare aquas animamque etiam herbis vitalem inde deferre; juſta confeſſione omnes terræ quoque vires aquarum eſſe beneficii. *Deut.* 11: 11. *Terra illa, quo mox tranſituri eſtis ad poſſidendum eam jure hereditario terra & montium & convallium eſt;* non plana, ut Ægyptus, tota fere ad Nilum, tanquam in valle ſita; *ad pluviam cœli imbibit aquam.* Illæ tamen frugiferæ pluviæ, quibus olim irrigata Judæa, ob incolarum pravitatem cum templi excidio ceſſarunt, ipſis hoc Rabbinis teſtantibus, de quo vid. *Wagenſeilii ſota ad Miſchna. cap.* 9. *p.* 957.

IV. Nix.

Vota arborum frugumque communia ſunt, nives diutinas ſedere. Cauſa non ſolum, quia animam terræ evaneſcentem exhalatione

ne includunt, & comprimunt retroque agunt in vires frugum atque radices; verum quod & liquorem ſenſim præbent, purum præterea leviſſimumque, quando nix aquarum cœleſtium ſpuma eſt. *Plin. lib.* 17. *c.* 2. *Jeſa.* 55: 10. 11. *Quum deſcendit pluvia aut nix de cœlo, non revertitur, ſed inebriat terram, facitque ut pariat ipſa & germinet, & producat ſemen ſeminanti & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egreſſum fuerit ex ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Senſus: Verbum Dei non eſt ſine fructu.

V. RIVORUM ET AQUARUM PROXIMITAS.

Ex *odore aquarum*, id eſt, ubi primum ſenſerit aquas, recreatur arbor. Secundum naturam deterior eſt hominis mortui conditio quam arboris, quæ ab aquæ vicinia repullulaſcit. *Job.* 14: 7, 8, 9, 10. *Nam eſt arbori quod expectet. Si exſcindatur repullulaſcet, & ſtolo ejus non deficit. Si conſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere moriatur ſtipes ejus. Ab odore aquæ floreſcet & faciet ſegetem ramorum, ut planta recens. At homo moritur & debilitatur, & ubi exſpiraverit homo, ubi eſt?* Obſervandum, Jobum hic deſcribere naturalem miſeriam: non agere de conſolatione ſpei reſurrectionis. Quæſtio enim eſt de hac vita: An ſcilicet ut arborum ſeneſcentium renovatio, ita homini detur ſtatus miſeri cum meliori commutatio? quod negat merito, quia lex peccati perſequitur hominem uſque ad mortem. Si autem mortuus homo non redit ad vitam, non datur homini in hac vita miſeriæ cum felicitate commutatio. Unde conſequitur duriorem hoc reſpectu eſſe & deteriorem conditionem hominis quam arboris.

Pſal. 1: 3, 4. *Nam erit ut arbor plantata ad rivos aquarum.* Rivi hi in accommodatione ad pium, inquit *Gejerus*, ſunt fluenta gratiæ & ſpiritus, & verbi Dei, ex quibus eidem perpetuo ſubminiſtratur ſuccus & vigor contra æſtum iræ divinæ & carnis infirmitatem. *Erit ut arbor plantata ad rivos aquarum*, hoc eſt, interprete *Coccejo*, habebit vitam incorruptibilem & ſatietatem perpetuam ad lætitiam ſpiritualem in unione Dei, ut principii & ſcatebræ omnis vitæ. Conf. *Pſal.* 92: 13, 14, 15. *Quæ fructum ſuum dat.* Arbor & vita ejus eſt propter fructus, & propter eos conſervatur. *Luc.* 13: 7. In fructu eſt ſemen ad productionem ſimilis. Ita in operibus fidelium eſt vis exempli ad ædificandum alios. 2. Fructus natura, eſt eſſe utilem vel in cibum vel in medicinam. *In tempore ſuo*, ſunt καίριοι, non impediuntur interno vel externo malo.

Sponte

Sponte & certo proveniunt, commodi ad ædificationem indigentiæ ſive utilitatis. *Epheſ.* 4: 29.

Jerem. 17: 8, 9. *Benedictus vir ille, qui fiduciam habet in* Domino, *& cujus confidentia eſt* Dominus. *Nam erit ſimilis arbori plantatæ ſecundum aquas,* (πάρυδρος arbor eſt, quæ aquarum gaudet halitu,) *& ſecundum proceſſum aquarum mittenti radices ſuas: quæ non ſentit, quum advenerit æſtus, ſed ſunt folia ejus virentia, & anno cohibitionis non eſt ſolicita, neque deſinit, quin faciat fructum.* Expoſitio *Cocceji*: " *Erit ut arbor plantata ad aquas*, creſcet & fru-
" ctum feret. *Et juxta rivum protendet radices*: Spem habebit
" collocatam in vivificante Deo. *Non videbit quum veniet æſtus ſed*
" *erit folium ejus viride.* Quando Deus gentibus ingratis immittet
" iram ſuam, ipſe non ſentiet eam, ſed à Deo illuminabitur, &
" docebitur, &, quia vita in ipſo erit, bona ipſius opera & ſermo
" veritatis non extinguetur. *Et in anno ſterilitatis non pavebit.* Fi-
" des ipſius non deficiet, etiamſi Verbum Dei fiat rarum & diffi-
" cile cognitu per hominum culpam.

Gen. 49: 22. בן פרת יוסף בן פרת עלי עין בנות צעדה עלי־שור Locum hunc ita verto. *Fœcunda Vitis eſt Joſephus; fœcunda vitis ſecus fontem: Palmitum quiſque procedit ultra murum.*

Nota 1. *Ben porath*, filius fœcundæ, id eſt, fœcundus ut filius olei, pinguis vel oleoſus. *Jeſ.* 5: 1. 2. In *Ben porath* eſt ellipſis fœminini nominis גפן, & *ben porath* ſcribitur pro *Ben-gephen porath*, id eſt, filius vitis fœcundæ. 3. *Banoth* ſunt palmites. 4. *Ultra* murum, *ſcilicet horti*; progreditur *ut Job.* 8: 16. de Juſto: *Supra hortum ſuum tener ramus ejus prodibit.* Palmites ultra murum horti procedentes ſignificant Joſephi proſapiam perenni fonte benedictionis rigatam ſupra alias auctam iri. Ex Joſepho enim *myriades Ephrajimi & millia Manaſſis. Deut.* 33: 17. *confer Joſu.* 16: 17. 5. *Secus fontem.* Proficiunt aquarum vicinia vites Palæſtinæ. Sic *Ezech.* 17: 7. Vitis ad Aquilam dicitur applicuiſſe radices ſuas & palmites ſuos emiſiſſe ad eam, ut irrigaret ipſam ex areolis plantationis ipſius. Sic & vitigineum Judææ ſemen *commate quinto Ezech.* 17: poſitum in agro ejus ſativo, Aquila alia memoratur ſecundum aquas multas poſuiſſe circumſpectiſſime.

VI. Piscinæ.

Eccleſ. 2: 6. Paravi *mihi*, inquit Eccleſiaſtes Salomo, *piſcinas aquarum ad irrigandum illis nemus ferax arborum.*

VII. Venti salubres.

Aquilo & Auſter: Et Aquilo quidem frigore, calore Auſter. *Plinius* de natura cœli ad Italiæ arbores: Aquilone maxime gaudent, denſiores ab afflatu ejus lætioreſque, & materiæ firmioris.

Cantic. 4: 16. *Evigila*, id eſt, ſpirare incipe *Aquilo*, *& veni Auſter*, *perfla hortum meum; fluant aromata ejus.*

Aquilo & Auſter, uti dictum contrarii venti ſunt, pro natura tamen & ſitu regionum variant: quare Auſter Italis Hiſpaniſque gravis eſt & peſtilens, Afris æſtuoſus, Palæſtinæ autem placidus ac ſalubris, non ut Sanctius docet, quia a mari perflat, unde teporem habet humidum & mitem auram: Mare enim eſt ad occidentem Palæſtinæ, unde etiam Occidentalis plaga maris nomine apud Hebræos adpellatur: Sed quia ſub initium veris, quo tempore arbores germinant, tepore ſuo frigoris afflatum mitigat, & imbrem ſerotinum diffundit. Humidus enim & aquaticus ventus eſt, & propterea *Hieronymo* pluviarum pincerna vocatus.

Contrarios ventos deſiderat Sulamitis frigidum atque calidum, ut alter alterius vim temperans fortius aromatum manantem copiam ſpiramine ſuo provocet. Per hortum autem animum ſuum intelligit; per ventos contrarios, unius Spiritus Sancti diverſam virtutem ac operationem. Is enim præconio legis æſtuantes facit animos, idemque verbo Evangelii æſtuantes refrigerat. Ille cordibus fidelium amoris Divini æſtum inſinuit, idem afflictionis æſtum relevat temperatque. Hinc igitur fluere ſuaviterque redolere incipiunt aromata horti ſpiritualis, & ex amoris divini intimo ſenſu ardentiſſima Dei Servatoris dilectio, ex afflictionum relevatione divini nominis laus & celebratio largiſſime manat. Cæterum vento comparant Doctores Spiritum Sanctum, quia operatio ejus vento par eſt, quod 1. expurgat, 2. ſolatur & recreat, 3. fœcundat, 4. imperceptus eſt. *Joh.* 3: 8. *Vid. Durhamus.*

VIII. Cultura.

Cultura arborum fit foſſione & ſtercoratione. *Ripinus de diſciplina univerſa hortenſis culturæ*, *pag.* 40. In quo poſita ſit ſumma vis cultionis explicat *Palladius*, cum circumfodi identidem arbores adjuvarique fimo, liberari impedimentis herbarum noxiarum & breviſſimis frequentiſſimiſque terræ foſſionibus ſedulo ſolicitari vult. Nam per cultionem aſſiduam & diligentem, ſolum quodlibet, etiam ſtirpium quarumvis aſperitate efferatum, mitigari putat: in quo con-

conſentire videtur cum *Theophraſto* qui *lib.* 3. *cap.* 3. *de plantis* exiſtimat omne ſolum & fieri deterius per negligentiam & melius per curam & cultionis aſſiduitatem. ἐξαμελέμενον ἅπανυ, χείρων γίνεται θεραπευόμενον δὲ ἅπανυ, βέλτιον. Quanquam in plantis, ut in animalibus, quaſdam eſſe velit ſilveſtres penitus atque feras, quæ recuſent ſe mitigari, contra Hipponem, qui cultu plantas etiam immanſuetiores manſuefieri poſſe exiſtimabat. Τὸ γὰρ μὴ προσδεχόμενον ἡμέρωσιν, ὥσπερ ἐν τοῖς ζώοις τοῦτο ἄγριον τῇ φύσει, quod non ſuſcipit in ſe cultum, illud, quemadmodum in animalibus, natura ferum eſt.

Luc. 13: 8. *Domine, ſine eam* Ficum ſcilicet ſterilem, *etiam hoc anno, uſque quo fodero circa eam & ſtercoravero:* Deus fodit circa animum peccatoris eum ab impedimentis vitiorum, ceu noxiis herbis, liberando, & improbitate exaſperatum mitigando: Eundem beneficiis ſuis, terrenis nimirum opibus aliisque corporis aut animi dotibus, quaſi quodam fimo pinguefacit, ut ex his caducis æternum datorem agnoſcat & ad eum, a quo accepit devoto corde reſpiciat.

Cura cultuque hominum non indigent, quæ *Pſal.* 104: 16. vocantur *Arbores* Domini. Exiſtimo per arbores Domini ſignificari eas, quæ proveniunt absque cultura humana: cujus generis ſunt abies, pinus, cedrus, oleaſter & ſimiles, quæ non ſolum ſponte proveniunt, ſed ne cultum quidem patiuntur, cultuque deteriora redduntur, ut *Theophraſtus* ſcribit *lib.* 1. *c.* 1. Quidam tamen putant, potius ſignificari arbores proceras, proverbiali quodam genere ſermonis. Nam quicquid in ſuo genere excellit, id Sacra Scripta nomine Dei appellare ſolent. Sic flamma Dei, Civitas magna Deo, Benedictus Domino, Cedri Dei, ſopor Domini. Sed prior expoſitio germana videtur & ex mente Davidis, quia ſequitur: Cedri Domini, quas plantavit. *Druſius Obſervat. lib.* 8. *p.* 1353.

CAPUT OCTAVUM.

DE HIS QUÆ ARBORIBUS INFESTA SUNT.

INFESTÆ ſunt arboribus pluviæ *aſſiduæ vel intempeſtivæ* : Aquarum penuria. *Inſolitus* æſtus : Ignis , *maxime cæleſtis* : Grando : Ventorum injuriæ. Locuſta. Vis *hoſtilis* : Interlucatio *nimia*. Exciſio. Similitudines a rebus arboribus infeſtis deſumtæ. *Arbor exſcindenda , homo non ferens converſionis fructus. Arboribus , ut homini , exitioſum ſenium. Arbor ſive ad meridiem, ſive ad aquilonem ſine Domini ſui jactura cadens , eleemoſynæ eſt imago , datori profuturæ ſive in hominem dignum ſive indignum conferatur.*

I. INIMICÆ ARBORIBUS SUNT ASSIDUÆ VEL INTEMPESTIVÆ PLUVIÆ.

SI cum defloruere Arbores protinus ſequuntur imbres , in totum poma pereunt : adeo ut amygdala & piri etiamſi omnino nubilum fiat auſtrinusve flatus , amittant fœtus. Circa vergilias quidem pluere inimiciſſimum viti & oleæ : quoniam tunc coitus eſt earum. *Plin. lib. VII. cap.* 2. Quæritur , quum in univerſali diluvio prævalerent aquæ ſuper terram centum quinquaginta diebus , quomodo conſervatæ fuerint arbores & herbæ ? De iis, quæ volebat Deus a Noacho ſervari in arca expreſſum exſtat mandatum : De plantis autem nulla facta eſt mentio ; nec etiam id in tanta varietate ac copia potuiſſet fieri. Itaque præſtat dicere plantas omnis generis ſub aquis diluvialibus tamdiu immerſas , eo uſque corruptas fuiſſe , ut tamen ſumma Dei providentia in radicibus , (quin & ramis , ut ſervata eſt Olea , cujus folium decerpſit a Noacho poſt diluvium emiſſa columba) vim aliquam conſervaverit , & ſemina etiam ſub terra condiderit , ex quibus poſtea pullularunt plantæ , ex quarum ſtolonibus aliæ potuerunt multiplicari. *Rivetus Exercit. LXI. in Geneſin.*

Arbores , quæ fœtum intempeſtivis aut frequentibus pluviis ante maturitatem amittunt , Homero ὠλεσικάρπα δένδρα & Judæ Apoſtolo ℣. 12. φθινοπωρινὰ, id eſt , frugiperdæ vocantur. Ante alias fructum perdunt Palma, ficus , amygdala , malus, pirus , & ſalix.

ſalix. Item punica, quæ etiam roribus nimiis & pruinis florem amittit. *Plin. Lib. XII. cap. 26.*

II. Aquarum penuria.

Jeſa. 1. 30. Eritis *ſimiles horto, cui nulla eſt aqua.* Senſus dicti: Nec gratia mea, nec ſpiritus, nec verbum meum vos recreabit, aut ſolabitur.

III. Insolitus æstus.

Joel. 1: 12. Erubescunt *agricolæ, ejulant vinitores; quia vitis exaruit, & ficus elanguit, malus punica, etiam palma, & malus omnes arbores agri arent.*

IV. Ignis.

Jerem. 21: 14. Animadvertam *in vos ſecundum fructum actionum veſtrarum dictum* Domini: *& ſuccendam* per Chaldæos *ignem in ſilva ejus*, omnia Judææ ædificia, & imprimis Templum & Regiam, qui conſumat omnia quæ circumſtant illam.

Joel. 1: 19. *Ignis conſumſit habitacula deſerti & flamma inflammavit omnes arbores agri.*

Ezech. 20: 47. *Sic ait Dominus Jehova Deus tuus: Ecce ego accendo in te, ſilva meridiana* Judæa, quæ Chaldæis ad meridiem ſita, *ignem, qui conſumat in te omnem arborem viridem & omnem arborem aridam*, juſtum & injuſtum; juſtum comparate cum aliis, qui injuſtiores erant, ad omnem injuſtitiam palam projecti; *non extinguetur flamma flammans*, non ceſſabit calamitas: *& inflammabuntur in te omnes facies*, id eſt, inflammabitur omnis terræ ſuperficies, *ab auſtro verſus boream*, omnis Judæa quam late patet, miſere devaſtabitur.

V. Ignis coelestis.

Pſalm. 38: 15, 16. Ut *ignis cœleſtis exurit ſilvam*, citra laborem, celerrime, horribiliter, totaliter, *& ut flamma accendit montes*, id eſt, arbores & herbas, quæ fulmine tactæ incenduntur; *ita perſequere eos procella tua*, ira tua; *& turbine* indignationis tuæ furore *conturba eos.*

Apoc. 8: 7. *Primo Angelo clangente, ignis projectus eſt in terram, & tertia pars arborum exuſta eſt, & omne gramen viride exuſtum.*

Arbores hic non ſunt homines, illas ab hominibus diſtinxit *cap.* 9: 4. *Dictum locuſtis eſt, ne læderent gramen terræ, neque viride quicquam, neque ullam arborem, ſed tantum homines.* Arbores ergo dixeris id, unde homini ſuppetit victus & alimentum, ut gra-

men terræ, id quo pecora paſcantur; Figurate: Verbi divini præconium publicum, quo cibo tum provectiores aluntur, tum vulgus, brutis & pecoribus ob inſcitiam comparandus.

VI. GRANDO.

Pſal. 105: 32, 33. REDDIDERAT *pluvias Ægyptiorum, grandinem, ignem flammarum*, id eſt, maxime flammantem, fulmina, *in regione illorum. Quibus percuſſit vites illorum, confregitque arbores termini illorum.*

VII. VENTORUM INJURIÆ.

Prov. 15: 4. CURATIO *linguæ*, id eſt, ſanitatem reddens ſive curans lingua, *arbor vitæ eſt*, vitam quæ faciat beatiorem: *Perverſitas autem confractio*, qualis eſt arborum, *à vento*, id eſt, calamitatem adfert. *Job.* 24: 20. *Frangitur, ut arbor, injuſtitia*, id eſt, injuſtitiæ deditus. Nemo eam arborem colit, nemo fructibus ejus veſcitur: Ita improborum, poſt obitum, nulla memoria, nullus honor, nulla utilitas. Omnia cum ipſis pereunt.

VIII. LOCUSTA.

Exod. 10: 15. ABSUMEBANT *in Ægypto locuſta omnem fructum cujusvis arboris, quicquid reſiduum fecerat grando: neque reſidua facta eſt ulla viriditas in ulla arbore aut in herba agri per totam terram Ægyptiorum.*

Pſal. 78: 46. *Dedit* לחסיל *locuſtis immundis proventum eorum, ac laborem eorum* לארבה *locuſtis mundis. Amos.* 4: 9. *Hortos veſtros, & vineas ficusque & oleas veſtras conſumſit* גזם *locuſta, nec tamen reverſi eſtis ad me, dictum* DOMINI. *Gazam* locuſtæ ſpeciem ſolas arbores vaſtare *Bochartus* exiſtimat *Hierezoici parte II. lib.* 4. *cap.* 6.

IX. VIS HOSTILIS.

2. *Reg.* 3: 19. OMNEM *arborem bonam dejicietis.* Hæc Eliſa vates Joramo & Joſaphato Regibus contra Moabitas pugnaturis. At hoc pugnare videtur cum mandato divino *Deut.* 20: 10. *Ne ſuccidite arbores fructiferas.* Reſpondetur 1. Non præcepit Elizæus, ſed quid facturi ſint prænunciat. 2. Mandatum eſt hoc ſpeciale: ut vult Quiſtorpius. 3. Relaxavit Deus legem ſuam propter graviſſima Moabitarum crimina. Erant enim perfidi, rebelles, ſuperbi, crudeles. Prophetæ etiam contra leges ſpeciales aliquid præcipienti parendum. 4. Lex illa de Canaanitide tantum intelligitur, quam ipſi poſſeſſuri erant, ne id facientes ſibi ipſi nocerent. Martyr, Eſtius, Tirinus. Arbores Moabitarum exciſæ non odio hoſtili, ſed in

in juſtam deteſtationem facinorum, quæ aut publice erant cognita, aut Deo Judice tanti æſtimata. *Grotius lib.* 3. *c.* 12. *de Jure Bell. & Pac.*

Jeſa. 17: 10, 11. *Quia oblitus es Deum Servatorem tuum, & rupis munitionis tuæ*, præſidii divini, *non es recordata, idcirco*, utut *plantaveris plantas amœniſſimas, etiam palmite extraneo conſeveris, quo die plantaveris ut adoleſcat, etiam mane ipſo*, mature ac ſtudioſe, *feceris, ut ſemen tuum effloreſcat, acervus meſſis*, id eſt, prædæ *erit*, acervus erit quem accumulaverit hoſtis, *die ægritudinis & doloris mortiferi: quo* ſcilicet hoſtes te proventu terræ tuæ ſpoliabunt.

X. Interlucatio nimia.

Jeſa. 10. 33, 34. Ecce *Dominus Jehova Deus exercituum, interlucabit ramos horrendum in modum, adeo ut proceri ſtatura exſcindantur, & alti deprimantur. Et circumputabit perplexa ſilvæ ferro ſuo; denique Libanus ipſe per magnificum caſurus eſt.* Intelligitur ablatio ſceptri cum ſuperborum incurvatione & altorum humiliatione. Hoc factum eſt in Jeconia, in quo familia Davidis continuanda erat, ſed in ſervitute. Sedekias negligitur, quippe cui ſuperſtes fuit Jeconias. Quod per *ramum* debeamus intelligere *ſceptrum*, aperit *Ezechiel* 19: 14.

XI. Excisio.

Exscinduntur 1. arbores ſteriles. *Luc.* 13: 6. *Ficum habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit querens fructum in ea neque invenit. Dixit autem vinitori, ecce anni tres ſunt ex quo venio querens fructum in ficu iſta & non invenio, exſcinde eam: quorſum etiam terram inutilem reddit; Ille vero reſpondens dixit ei: Domine ſine eam etiam hoc anno uſque quo fodero circa eam & ſtercoravero: & ſi quidem tulerit fructum ſines; ſin minus, poſtea exſcindes eam.*

Secundo exſcinduntur, quæ malos fructus ferunt: *Matth.* 3: 10. *Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum exſciditur & in ignem abjicitur.* Securis ad radicem arborum poſita eſt, imminent vobis ſingulis pœnæ ruinam allaturæ & excidium animæque & corporis perniciem. Tum autem genti alicui, vel unicuique homini ſecuris admota eſt cum Deus verbo ſuo peccata arguit ac temporales atque æternas pœnas minatur, præſertim ſi etiam calamitates immittat, quibus ad pœnitentiam revocare ſtudet. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum.*

bonum. Singuli a Deo in hunc finem creati ſumus ut bonos fructus feramus. *Epheſ.* 2: Boni autem fructus non ſunt opera ſuperſtitioſa & hypocritica, a Deo non præcepta: ſed ea vere bona,quæ Deus in Decalogo a nobis exigit. Non poteſt autem mala arbor bonos fructus ferre, ut Chriſtus teſtatur *Matth.* 7: Itaque nos prius juſtificatos eſſe oportet, quam bona opera, quæ Deo placeant, faciamus. *Luc. Oſiander in Comment.* Notanter vero ait, eam arborem eſſe exſcindendam, quæ fructus non ferat. Putant enim aliqui ſatis eſſe, ſi a malo ſe cuſtodierint, tametſi interim boni nihil fecerint. Quamvis fieri nequeat, quin male egerit, qui bene non egit.

Matth. 7: 19. *Quæcunque arbor non fert fructum bonum exciditur, & in ignem conjicitur.* Fructum non bonum dicit vel nocivum,vel inutilem, vel adeo intempeſtivum ſeu inopem, ut cultura labores neutiquam compenſet. Hujus generis ſunt opera ſuperſtitioſorum.

XII. ARBORUM PERNICIES AB IRA DIVINA.

Jerem. 7: 20. ECCE *ira mea & excandeſcentia mea effundetur in locum hunc ſuper homines & ſuper jumenta, & ſuper arbores agri, ac ſuper fructum terræ, ardebitque ita, ut non extinguatur.* Sed cur ſævit in iſta? Reſpondet *Calvinus*, reſpectu hominum, propter quos illa creata ſunt, ut tam triſte ſpectaculum metum illis incutiat.

XIII. SENIUM ET MORS.

MORS ut homini & agris, ita & arboribus venit. Sic Ægyptii de ſe & agris ſuis dicunt. *Gen.* 47: 19. *Cur moreremur coram te tam nos quam terra noſtra?* De arbore *Jobus cap.* 14: 8. *Si conſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere moriatur ſtipes ejus.* De vitibus *David*, *Pſal.* 78: 47. *Occidit grandine vites eorum.*

XIV. ARBOR CADENS, CASUS ARBORIS; HOMINIS CONDITIO.

Eccleſ. 11. 3. SIVE *ceciderit arbor ad meridiem ſive ad aquilonem, ibi manebit.* Parœmialis locutio, de iis, in quibus nihil opus eſt delectu. Neque enim arborem qui ſternit, multum curat in quam partem cadat. Ita nec beneficus cui præbeat, modo præbeat egenti, ſeu qui opus habeat. Paulus tamen addit cautelam *Gal.* 6: 10. ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως Nempe ſimilitudinibus aliquot invitatio fit ad curam pauperum, petitis a ſemine, quod juxta aquas redit fœcundius;

dius ; tum a nube , quæ ſibi non retinet aquas , ſed diffundit in terram aridam & ſitientem ; tum ab *arbore* , quæ ubi cadit ibi permanet , id eſt , ſive huc , ſive illuc jaciatur , manet tamen in uſus Domini ſui. Ἀπόδοσις eſt : ſic beneficentia exercita , erga quoscunque benefactori certum fructum adfert. *Noldius Annot. ad Concord. p.* 390. *num.* 742. Sunt qui hanc ſententiam accipiunt tanquam dictam de ſtatu & conditione morientium hominum , quaſi ſenſus ſit: In quo ſtatu aliquis moritur , in eo mortuus manet , ſive moriatur pie aut impie, ac proinde per mortem tranſeat vel in cœlum , vel gehennam. *Bernhardus in Serm. parvo lib.* 19.*p.*606. *Auſtri calor & levitas in Sacra Scriptura bonam ſolet habere ſignificationem : Ab aquilone vero panditur omne malum. Porro homines ſicut arbores videt aliquis. Exciditur autem arbor in morte , & quocunque ceciderit ibi erit.* Et quamvis quibuſdam hæc ſententia a propoſito Salomonis aliena eſſe videatur , mihi tamen , inquit *Fridliebius* , *Obſervationibus Biblicis ad Eccleſiaſtem* , ſcopus , imo ad ſcopum Eccleſiaſtæ admodum accommoda , cum antecedentibus & conſequentibus convenire. Salomoni propoſitum eſt hortari ad miſericordiam & eleemoſynas erogandas , atque ne earum erogationem , ſub ullo prætextu differamus. Itaque , cum quidam ad exhortationem ejus de eleemoſynis erogandis excipere , inque eis erogandis ſegniores eſſe poſſent , hoc prætextu uſi : ſe eleemoſynis quidem egenos juvare velle , ſed tum demum ſi ditiores evaſerint. Reſpondet Salomon hunc prætextum eſſe & periculoſum & vanum ſive fruſtraneum. Quoad illud , eſſe ſcilicet periculum , ne mors expectatione citius obrepat , per quam occaſio eleemoſynas elargiendi nobis præſcinditur , eo quod regreſſus ad hanc vitam non pateat , ſed ut pii mortui in cœlum colligantur , nunquam in has terras redituri : ſic impie demortuis ad hanc vitam redeundi , & pauperibus benefaciendi poteſtas nulla conceditur. Atque expoſitio confirmatur *ex tenore* 1. *ipſorum verborum ;* Hominem enim comparari cum arboribus in Sacro Codice tam eſt omnibus notum , ut probatione non indigeat: Sic etiam caſus arboris ſignificat mortem hominis & interitum. Caſum autem arboris ad auſtrum , vel aquilonem , ſignificare collationem beneficii in dignum vel indignum , cujus rei in ſacris nulla reperiuntur exempla. 2. *Antecedentium.* Quis enim ſit ſcopus modo dictum. Præſertim vero verborum hujus verſiculi hæc eſt connexio , ut Eccleſiaſtes in priore inciſo doceat : quemadmodum

nubes repleta pluviam effundat, ſic etiam divites egenis debere impertiri. Potuiſſet Salomo addere aliud, & uti ſimili in ſcripturis alias uſitato: ſicut bona arbor fert bonos fructus, ſic etiam dives Deum timens fructus bonorum operum & beneficentiæ. Jam ſubjicit antitheſin & docet, ſi arbor fuerit exciſa, tum eam eo loco jacituram, in quo cecidit, nec rurſus germinaturam & fructus allaturam; ſic homini vel pie vel impie demortuo anſam in hac vita hominibus benefaciendi præſcindi. 3. *Conſequentium.* In verſu ſequenti docet Salomo, Eleemoſynarum erogationem prorogari non debere, argumento a vano & fruſtraneo. 4. *Parallelorum:* Paulus dum tempus eſt, jubet nos benefacere. *Galat.* 6: 10. Idem etiam hoc vult Eccleſiaſtes. Imprimis vero notandum Eccleſiaſtæ in hoc ipſo libro familiare eſſe, homines ad bene vivendum & bene vita utendum, ita ad aliis benefaciendum adhortari, ea de cauſa, quod mortuis anſa bene operandi in ſepulcro ſit præciſa. Vide vel unicum locum *cap.* 9: 9, 10. Atque ſic ſententia illa, quod Salomo loquatur de ſtatu ac conditione hominum demortuorum, ut abſurda ſeu aliena abjici non debet.

CAPUT NONUM.

DE FRUCTIBUS.

FRUTICIS definitio. *Fruticum* primæva procreatio. *Frutices* pauperum latibula. Senſus verbi יספחו *Job.* 30: 7. Similitudines. *Virgultum relictum contemtus emblema. Fruticis loco enata abies temporum meliorum reſtitutionem notat.* נעצוץ *frutex circa truncum copioſus.*

I. FRUTICIS DEFINITIO.

FRUTEX, Græcis φρύγανον, a *Theophraſto* definitur, τὸ ἀπὸ ῥίζης καὶ πολυςελὲς καὶ πολύκλαδον, quod ab radice caudice multiplici ramoſumque ſe attollit, ut rubus & paliurus. *Hiſt. Plant. I.* 5. Differt ab arbore frutex parvitate: in qua ei cum cremio convenit, ab utroque vero ſtipitum frequentia. *Scaliger Exercit. p.* 444.

II. FRUTICES PRIMI SINE PLUVIA, SINE CULTU HOMINUM, SINE EXHALATIS E TERRA VAPORIBUS PROCREATI.

Gen.

Gen. 2: 4, 5, 6. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ ; quando creata ſunt , quo die* Dominus *Deus fecit cœlum & terram. Quum agri frutex omnigenus nondum eſſet in terra , & omnigena herba agri nondum effloruiſſet. Quum nondum demiſiſſet Dominus Deus pluviam ſuper terram , & nullus homo fuiſſet ad colendum terram.* Senſus : Hoc modo, ſolo ſcilicet Dei Omnipotentis nutu & voluntate extitit cœlum & terra. Solo item ipſius verbo , nullis aliis adminiculis ſine ullis cœleſtibus aquis , quæ humectaſſent terram , ſine hominis opera & cultu procreati ſunt frutices, herbis conſita & ornata fuit terra.

Multi Interpretes , Onkeloſii, LXX. Seniorum & Vulgati autoritate moti, ipſum כי hoc loco αἰτιολογικῶς verterunt. *Nam* vel *quia.* Quaſi defectus *imbrium* & *hominum* fuiſſet in cauſa , quod frutices & herbæ in magnitudinem juſtam non creviſſent ; vel , cum Malvenda , in ornatum , ſeu diſpoſitionem pulcram , non fuiſſent conſitæ. Perperam. Nam quis crederet plantas initio creationis , magis fuiſſe teneras quam homines & animalia , quæ profecto ſtatim generaverant ? Et, an Paradiſus non fuit perfectus , ante cultum hominum ? vel an pluvia non exſtitit , quum eſſet cauſa *vapor* ? Profecto nubes ſunt נבלי שמים *Job.* 38: 37. & pluvia ex vapore. *Job.* 36: 27. *R. Salomon* hariolatur, non fuiſſe opus , quia homo nondum erat conditus. Sed an homo , qui triduo tantum terra junior fuit , non debebat in poſſeſſionem plene perfectam ingredi ? Et cur pluviæ defectus impediret plantas ; cum , per ipſos , nihilominus irrigaret vapor ? Nam an vapor non loco pluviæ potuit plantas alere , & icrementum ac nutrimentum iis dare neceſſarium? R. Nachmani cavillatur inter שדה ſeu agrum cultum , & אדמה. Sed quid plantis ſativis inter opera hexaemeri. Alia eſt hic textus intentio. *Schmidius Job.* 38: 20. meminit כי pro *quando interrogativo* , ſed illius veſtigia , inquit *Noldius* ego nuſpiam invenio. *Annotat. Concord. pag.* 997.

III. Frutices pauperum latibula et hospitium.

Job. 30. 7. Inter *frutices* ſeu virgulta , *rudebant , ſub urtica pungebantur* , Hebr. abſceſſibus afficiebantur, *Tremellius.* Sub vepribus contrahebantur , *Coccejus. Inter virgulta rudebant*, præ frigore, fame , aut aliis cœli aut loci injuriis , quibus expoſiti erant, *Mercerus.* vel : Inter frutices rudunt & oſcitantes pandiculantur , ספח

Sa-

verbo, reſpondet Arabicum شبخ ſchabocha, extendere ſe, expandere, pandiculari. ס literam Arabes & cum ش permutare ſolent, ut شم olfecit, סמים. aromata شتو & סתו hyems. شبك & סבך irretivit.

IV. חרש VIRGULTUM A LIGNATORIBUS RELICTUM DESOLATIONIS ET CONTEMTUS SYMBOLUM.

Jeſai. 17: 9. TEMPORE *illo erunt civitates robuſtæ Iſraëlitarum ſimiles derelicto virgulto ſummoque ramo, quas dereliquerint* Aſſyrii *propter filios Iſraëlis, denique erit deſolatio.* Id eſt, Abjectiſſimæ erunt, ut cum putato ligno tenuia virgulta cremiaque breviſſima omittuntur a lignatoribus. *Junius.*

V. FRUTICIS LOCO ABIES ENATA EMENDATAM TEMPORUM INIQUITATEM SIGNIFICAT.

Jeſa. 55: 13. Loco נעצוץ fructiceti, abietes aſſurgent. Si נעצוץ formatum eſt per metatheſin literarum radicalium, id fruticem ſignificaverit diſſipatum, vel ſeparatum, id eſt, fuſum, non uno duntaxat trunco ſe attollentem, hoc eſt, numeroſa ſobole longe lateque fruticantem ſtirpem, quæ recte opponitur abieti, ad cujus caudicem ſurculi non augentur. צען quippe eſt *diſſipari*, vel *ſeparari*, *Jeſa.* 33. 20. אהל בל יצען *tentorium*, *quod non diſſipabitur*, *non ſeparabitur*, quomodo & Chaldæus vertit משכנא דלא מתפרק *tentorium non ſeparandum.* פרק enim Chaldæis denotat *ſeparationem. Prov.* 17: 9. מפרק רחמא *ſeparat amicum*, pro eo quod in Hebraico textu legitur מפריד אלוף *ſeparat amicum.* Quod ſi vero ipſum נעצוץ deduxeris a verbo נעץ, quod Chaldæis eſt *infigere*, rectius Rhamnum interpretaberis, qui abieti aculeis armatæ ceu arbuſcula arbori opponitur. Rhamnus fruticat in ſepibus, ramos ferens rectos & aculeos in acutæ ſpinæ modum foliis parvis oblongis. *Dioſc. lib. I. c.* 102. Hieronymus ſaliunculam vertit, de qua *vid. Martin. lex. Etymol. pag.* 3423.

CAPUT DECIMUM.

De Silvis.

Silvæ feraces cinnamomi: caryophillorum: nucis moſcatæ: ligni Braſiliani: Dactylorum, Tamarindi, Olearum & Myrti. *Silva* Ephrajim, Bethelitarum, Cherothæ. *Silva* Kirjath-Jeharim. *Saltum* obumbrans Cedrus. Turres *in ſaltibus*. *Saltus* profugorum refugium. Nemus ab Abrahamo plantatum. *Luci divina lege* interdicti. *Lucus* Bahalis *ſuccenſus.* Aſchera *non eſt idolum luci.* *Lucus* in colle. *Luci ſtatuarum* humanis oſſibus repleti. *Agri* Jaharis, *Pſal.* 132: 6. *Silva* arvi. Libani *ſilva*, Gentiles, Arvum Dei populus. *Silva* deſolationis monumentum. *Silva*, copiæ militares. *Silva* hominibus abundans Judæa. Odor Libani. *Libanus* pudefactus. Denudatæ *ſilvæ*. Silvis facientia noxam. *Ignis*, *grando*, *æſtus*, *ferrum Dei.* Ar'ar *non eſt Myrice vel Tamarice.*

I. Silvæ feraces Cinnamomi; Caryophylorum; nucis moscatæ; Ligni Brasiliani; Dactylorum; Tamarindi; Olearum et Myrthi.

Terra, quæ arbores alat in Scripturis Sacris triplici nomine venit: Silvarum, Carmeli, & Horti. Silva dicitur arborum in longum terræ tractum conferta & ſine cultu propagata multitudo. Arborum, inquam, nullo in hac deſcriptione addito vel ferarum vel mitium aut urbanarum diſcrimine. Silvæ enim reperiuntur, quæ nobiliſſimorum fructuum arboribus conſitæ. In Africa ad Promontorium Viride ſilvæ ſunt malorum citreorum, aurantiorum, cujus fructus minimo pretio ibi carpere licet, nautis appellentibus. In Ceilano, Inſula, ſilvæ ſunt arborum, quarum cortex cinnamomum præbet. In Moluccis inſulis Caryophyllorum arbores. In Bandanis nuces muſcatæ. In Braſilia ſilvæ arborum, quas Braſſilienſes vocant, & lignum duriſſimum Braſſilienſe. In Africa dactyliferæ arbores faciunt ſilvas, imprimis in Numidia. In Inſula Madagaſcar aliiſque locis Tamarindiferæ arbores. In Hiſpania, Gallia, Italia olearum ſilvæ & myrti.

Silva Hebraice vocatur יער ut *Pſal.* 80: 14. *Suffodit vineam Dei porcus* מיער *pluſquam ſilvam.* Hanc verſionem accentus & Maſoretharum poſtulat ſcriptio. *Vid. Arcan. Keri & Kethib*, *de literis ſuſpenſis lib.* 1. *p.* 186. Vitioſa igitur verſio : ſuffodiat eam porcus ſilveſtris. *Vid. P. I. c.* 30. *ſec.* 17.

Silvæ & ſaltus vocabula eſſe etiam חרש & חרשה putarunt *Jonathan*, *Syrus*, *Pagninus*, *Belgæ*, *Coccejus & alii ad* 1 *Sam.* 23: 15. 16. Verum, quia ſaltus aut ſilva non exſtat in deſerto, nec ſilva deſertum in Scripturis dicitur, & *Jeſaia* 41: 19. tanquam inauditum & inuſitatum a Deo promittitur in ſolitudine abies, Picea, & buxus, verſionem hanc autoribus ſuis relinquo. החרשה demtis literis adjectitiis, locum denotantibus eſt חרש *dumus*, *Jeſa.* 17: 9. *Tempore illo erunt civitates robuſtæ ſimiles*, (non cedris, non quercubus, non abietibus proceris robuſtisque arboribus) *derelicto dumo*, (Tremellius, virgulto) *ſummoque ramo* (tenerrimo ſcilicet & infirmo.) Naſcitur dumus in lapidoſo, ſterilique & montoſo ſolo. Ubi collective ſumitur חרש dumetum, vel dumishorridum ſonat locum. Venit autem ab חרש ſilendo, quia dumeta non ſtrident, ut ſilvæ, nec fulmine percuſſa fragorem edunt, ut quercus, qua de cauſa dicere ſilentes licuerit dumos cum Poëta, apud quem Æneidos nono Euryalus *dumis ſilentibus errat.* Fuit igitur *Chóreſch* regio dumis horrida, in deſerto Ziph, in ipſo *Chóreſch* collis Chacila, a dextra ſolitudinis, in colle propugnacula, Davidis & virorum, qui exulem ſequebantur, refugia. Perinde autem fuerit, & a mente ſcriptoris divini haut alienum, ſive חרש & חרשה adpellative ſive ut loci proprium accipiatur. Vertamus ut proprium : *Percipiebat David*, *quum Saul procederet ad quærendum vitam ſuam*, *quando erat David in deſerto Ziph*, *in Choreſcho* 1 *Sam.* 23: 15. Jonathan Saulis filius adivit Davidem in *Choreſcho*, ℣. 16. Ziphæi ad Saulem : *An non David latitat apud nos*, *in propugnaculis*, *in Choreſcho*, *in colle Chacilæ*, *qui eſt a dextra* (vel a meridie) *ſolitudinis* ℣. 19.

II. SILVA EPHRAJIMI.

2 Sam. 18: 6. DIMICARUNT *prælio ſervi Davidis cum copiis Abſalomi ad ſilvam Ephrajimitarum*, (quæ fuit trans Jordanem in terra Gilhadis, 1 *Sam.* 17. 26.) *in qua etiam ſepultus fuit Abſalom* : ℣. 17. *Projicientes eum in ea ſilva in quandam foſſam magnam ſtatuerunt ſuper illum cumulum lapidum ingentem.* Diſtinguenda eſt hæc ſilva ab

ab ea cujus mentio facta *Joſu.* 17: 18. ubi Joſua alloquutus Joſephitas dicendo: *populus magnus es, & robur magnum eſt tibi, ne ſit tibi ſors unica. Quia mons tuus eſt, ſi ſilva eſt, at præcidito eam, ut ſint tui exitus ejus.*

III. Silva Bethelitarum,

Ex qua duæ urſæ egreſſæ quadraginta duos pueros illudentes Eliſæ vati diſciderunt 2 *Reg.* 2: 24.

IV. Excelsæ Silvæ.

Mich. 3: 12. Mons *domus Dei erit in excelſa ſilva.* Talis erit, quales ſilvæ in montibus ſolent, arboribus feris, fruticibus, virgultis obſitæ.

V. Silva Cherethæ.

1 *Sam.* 22: 5. Abiens *David*, Dei juſſu, *venit in ſilvam Chereth*, id eſt, in ſilvam aut ſaltum exciſum.

VI. Silva Kirjath-Jeharim.

A ſilvarum vicinia dicta eſt *Kirjath-Jeharim* urbs ſilvarum. *Nehem.* 7: 29. *Jerem.* 26: 20. & conciſius *Kirjath harim* pro קרית עירים *Ezra* 2: 25. & ſimplici voce: *Jahar*, *Pſal.* 132: 6. *Inveneramus eam* (arcam Domini) *in agris Jahan.*

VII. חרש מצל Saltum obumbrans Cedrus.

Per *Tsere* ſcriptum חרש virgultum ſonat. *Ezech.* 31: 3. *Ecce Aſſyrium*, erat *Cedrus in Libano, pulchra ramis & ſaltum obumbrans*, minoribus arboribus inducens umbram, *altaque ſtatura, cujus calami ſummi erant inter denſos ramos.*

Sic in *Oedipo Seneca.*

Saltum inumbrans
Medio ſtat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget, & magno ambitu,
Diffuſa ramis, una defendit nemus.

VIII. Turres in saltibus.

2 *Paral.* 27: 4. In *ſaltibus Jotham, Judæorum Rex ædificavit palatia & turres.* Quorum iſta incurſionem hoſtium prohibere, hæc jucundum Regi a negotiis ſeceſſum præbere poterant. Multo autem laudabilius eſt ædificare, quam deſtruere: ita tamen, ut Principes ſemper æternarum manſionum in Cœlo ſint nemores, & & populum propter terrena ædificia non affligant injuſtis ſervitutibus

bus & exactionibus. *Luc. Oſiander.*

IX. אשל NEMUS SIVE ARBORETUM AB ABRAHAMO PLANTATUM. *Gen.* 21: 33.

KIMCHIUS ſcribit אשׁל per ſex puncta ſcribendum, eſſe nomen univerſale, omnem arborem ſignificans & in Thalmud dici אשלי רברבי pro אילנות גדלות arboribus magnis. Firmat hanc expoſitionem quod *Eſchel* in loco parallelo dicitur *Ela*, quercus vel quercetum. Nam 1 *Chr.* 10: 12. narratur Jabeſitas ſepeliiſſe Saulis & filiorum oſſa תחת האלה *ſub querceto*, אלה enim hic collectivum nomen eſt, & 1 *Sam.* 31: 13. pro eo legitur Saulis & filiorum oſſa Jabeſitas ſepeliviſſe תחת האשל *ſub nemore ad Jabeſum.* Unde conſequitur אשל generale nomen eſſe, quod & quercum notionis ſuæ ambitu comprehendat. Falſum ergo quod opinatur R. Jona, & cum eo faciens *Golius*, אשל id genus arboris notare, quod Arabes vocant اثـــل *Atslon* id eſt Tamariſcus vel Myrica. Congruunt enim literæ & ש Hebræorum in Arabico ſermone ſæpius per ث redditum. Verum enim vero, quid cauſæ habuerit Abrahamus, quare Tamaricen vilem arbuſculam, & ſcopis tantum utilem plantaret?

Quærit hic eruditiſſimus *Lightfootus*, unde jus fuerit Abrahamo arbores in Beerſaba plantandi. Num, inquit, ante adventum ejus erat iſte locus ſub nullo Domino? ſub nullo Principe aut poſſeſſore? Si erat ſub Domino aliquo, quod veriſimillimum, tum facile eſt conjicere, quonam modo Abrahamus poſſeſſionem ejus obtinuerit: pretio nempe aliquo, quamvis nulla de re tali mentio. *Hor. Hebr. in Acta Apoſtolorum p.* 714. Mihi veroſimilius videtur, quod conductitium hunc fundum ſub aliquo pretio a poſſeſſoribus habuerit Patriarcha. Ita nempe facilius potuit renunciata conductione alio divertere. Ideo & prædium hoc colendum ac tuendum Iſaaco filio non reliquit, ut ex eo conſtat, quod Iſaacus poſt obitum patris, non in Beerſeba, ſed ad puteum Lachai-Roi habitavit. *Gen.* 25: 11. & paulo poſt in Geraris, ubi ſerens adeptus eſt (pariter ex conductitio ad tempus agro) centuplas menſuras. *Gen.* 26: 12.

X. אשרה LUCUS.

Quintilianus libro 1. *cap.* 10. Lucus dicitur, quia *umbra opacus parum luceat.* Lucos opaca nemora, & Poëtæ faciunt: *Ovidius* 5. *Faſtorum.*

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,
Quo poſſis viſo dicere, numen ineſt.
In medio gramen muſcoque adapta virenti
Manabat Saxo vena perennis aquæ.

Propertius:

Lucus ab umbroſo fecerat orbe nemus.

In Medea Ovidius:

Eſt nemus arboribus denſum, ſecretus ab omni
Voce locus, ſi non obſtreperetur aquis.

Virgilius VI. Æneid.

Lucis habitamus opacis.

Scaliger lib. 3. *Poët. cap.* 90. Lucum ajunt, quod non luceat; nos, quia ſacrificiorum frequentia luceat. *Iſidorus* conjungit, *lib.* 14. *cap.* 8. Lucus eſt locus denſus, arboribus ſeptus, ſoli lucem detrahens. Poteſt & a collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem gentilium cultumque fiebant. *Servius in I. Æneid.* Hebræis אשרה dictus lucus non a directione propter arbores in quincuncem directarum, nec a deambulatione, nec, quod vult *Meibomius in ſpecimine novarum Interpretationum*, ab arboribus rectis & proceris: ſed a *beatitudine*, quod in his nemoribus beate jucundeque viverent idololatræ, & beatitatem ex Deorum cultu ſperarent. Et vero אשרה & אשרים lucorum nomina beatitudinem denotare, liquet ex Patriarchæ nomine, qui אשר (quod ſingulare eſt ipſius אשרים,) a matre Lea vocatus, quia celebrabat fœcunditatis ſuæ felicitatem, *Gen.* 30: 13. *Beate eſt mihi, nam beatam me prædicabunt mulieres: idcirco vocavit nomen ejus Aſcher.* Directionem vero, aut deambulationem & rectitudinem ſonare *aſcher* vel *aſcherim* nullibi teſtatur Scriptura. Quin ergo relictis inanibus conjecturis, quod certum, quod exploratum eſt ſequamur.

XI. Luci divina lege interdicti.

Deut. 16: 21. *Non plantabis tibi lucum, ex ulla arbore juxta altare Domini Dei tui, quod facies tibi.* „ Secundum Judæorum „ Magiſtros, tum lucus, tum arbor, ſive eo nomine ut coleretur „ ipſa, ſive ut idolum obumbraret, idoliumque ornaret, plantari „ illicita erat: ut adeo nec umbræ proceritatis ejus ſeu trunci juxta „ extenſæ beneficio uti fruique liceret. Nec per lucum tranſire eſ- „ ſet fas, niſi alia non pateret via. Nec volucrum in eo nidifican- „ tium, tum ova, tum pulli teneriores in eſum adhiberi poſſent,

&c. Hæc *Seldenus de jure Nat. & Gent. lib.* 2. *cap.* 6. *&* 7.

XII. LUCUS BAHALIS JUSSU DIVINO A GIDEONE SUCCENSUS.

Judic. 6: 25. ACCIPE *juvencum adultiorem, qui eſt patris tui, nempe juvenem illum ſecundum ſeptennem, & poſtquam deſtruxeris altare Bahalis, quod eſt Patri tuo, & lucum, qui eſt juxta illud ſuccideris;* ℣. 26. *Exſtrues altare* DOMINO *Deo tuo in ſummitate illius arcis, cum ſtrue: tunc accipiens juvencum illum ſecundum, offeres holocauſtum in lignis luci, quem excideris.* Solebant Idololatræ lucos circa aras plantare, ſive ut loci amœnitate & nonnulla caligine augeretur loci religio, & ad ſuperſtitionem homines allicerentur, ſeu quod caligo illa opportuna eſſet ad fœdas libidines exercendas, cujusmodi fiebant in Idolorum ſacris. *Bonfrerius.*

XIII. אשרה ASCHERA, NON EST IDOLUM LUCI.

2 *Reg.* 23: 6. EXPORTAVIT *Joſias lucum a domo* DOMINI *extra Hieruſolyma ad torrentem Kidron.* Verterunt alii: *Exportavit Hiſkias lucum ex domo Domini &c.* Fefellit eos præter alia, quod 2 *Reg.* 21: 7. de Manaſſe legerunt: *Et collocavit ſculptile luci quod paraverat, in domo, de qua dixerat Jehova Davidi & Salomoni filio ejus. In domo hac & Hieruſolymis .... collocabo nomen meum in ſeculum.* Atqui præpoſitio in voce בבית non habet vim Latinæ præpoſitionis IN, ſed *juxta* vel *prope* ſonat, ut *Joſu.* 24: 26. *ſub Æſculo prope Sanctuarium* במקדש *Domini*, & *Judic.* 16: 4. *Fuit poſtea, ut amaret Simſon fœminam* בנחל שרק *apud torrentem Sorek.* Vera igitur verſio hæc fuerit: *Et collocavit ſculptile luci, quod paraverat prope domum &c.* Ex quo apparet halucinari *Coccejum*, qui putat Manaſſen idolum vel ex nemore illi ſacrato in templum tranſtuliſſe, vel idolo nemus plantaſſe in templi atrio; ideo nunc idolum ipſum, nunc nemus dici אשרה. Præivit doctiſſimo viro *Seldenus de DIIS Syris Syntagm. II. cap.* 2. qui *Aſchera* pro ſimulacro & *peſel Aſchera* 2 *Reg.* 21: 7. pro Dianæ Nemorenſis ſtatua accepit.

XIV. LUCUS IN COLLE. 2 *Reg.* 17: 10.

Coccejus Commentario Sermonis Hebraici p. 70. EST cui mirus videtur locus 2 *Reg.* 17: 10. *Statuerunt ſibi cippos* (lapides unctos) *& lucos in omni colle alto, & ſub omni arbore viridi.* Quaſi dicatur *Lucus ſub arbore* conſtitutus. Sed in eo verſu poteſt eſſe χιασμός. Statuerunt cippos & lucos, *hos* in omni colle alto, *illos* ſub omni arbore viridi. Nec abſimiliter *Jerem.* 17: 2. *Quum recordantur*

filii

filii eorum altaria eorum ואשריהם *& lucos eorum, apud arborem viridem, in collibus altis.* Quid enim impedit, ne ſit: Altaria apud arborem viridem, lucos in collibus altis? *Deut.* 16: 21, 22. eſt præceptum, cujus ea transgreſſio eſt. *Non plantabis lucum ullius arboris, vel ullam arborem apud altare Dei tui, quod facies tibi, & non eriges tibi cippum.* Non voluit Deus lucum aut arborem plantari apud altare ſuum; 1. ut diſcreparet cultus ſuus, a cultu idolorum. Gentes enim ita faciebant. Quæ & in arboribus numina colebant, ut Nymphas Hamadryades. 2. Propter allegoriam. Deus in cœlo habitans colendus eſt, pura conſcientia in libertate, non ad arbitrium vel cum metu poteſtatis humanæ.

XV. Luci statuarum,

Ab Joſia Rege ſucciſi, qui implevit loca eorum oſſibus hominum. 2 *Reg.* 23: 14.

XVI. Silva arvi.

Jeſa. 37: 24. & 2 *Reg.* 19: 23. Ascendi *ſummitatem montium, latera Libani, & ſuccidam proceras cedros ejus, & lectiſſimas abietes ejus: & veniam ad celſiſſimam extremitatem ejus* (ad extremam manſionem ejus. 2 *Reg.* 19: 23.) *ad ſilvam ejus*, id eſt, qua parte ſilva Libani contigua eſt arvo. Libanus enim ſuprema parte nivibus inhorruit ac ſilvis; inferiore autem colebatur fructu ejus ſe commovente. *Pſal.* 72: 16. & odore vini ejus fragrante. *Hoſe.* 14: 8.

XVII. Libani silva, Gentiles. Arvum, Dei populus.

Jeſa. 29: 17. Annon *paulo poſt fiet Libanus arvum.* Gentes fient arvum Dei. 1 *Cor.* 3: 9. *& arvum ſilva* & Iſraël pro populo extraneo *reputabitur.* Eadem ſententia verborum *Jeſa.* 32: 15. *Donec infundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo: & redigatur deſertum in arvum, & arvum pro ſilva reputetur.*

XVIII. Libanus, silva vel arbores Libani.

Jeſai. 40: 16. Etiam *Libanus non ſufficeret ad comburendum, & animalia ejus non ſufficerent holocauſtis.*

XIX. Silva nudata.

Pſal. 29: 9. Vox *Domini*, id eſt tonitru, *denudat ſilvas* ſcilicet feris, ſilvas deſerentibus. Ut de arboribus capiatur impedit *verſus quintus.*

XX. Silva desolationis monumentum.

Jerem. 26: 18. Sic *ait Dominus Deus exercituum: Tsijon ut ager arabi-*

arabitur, ita vaſtabitur, ut ſolum ejus aratro ſcindi queat, *& urbs Hieruſolymorum in cumulos erit*, *& mons domus*, Moria; ſuper quo monte extructum templum, *in excelſa ſilva*, in ſilvam, quæ in monte attollitur.

XXI. SILVA, COPIÆ MILITARES.

Jerem. 46: 22: 23. CUM *ſecuribus* Chaldæi *venient* ad Ægyptum, *tanquam putatores arborum*, tanquam ad cædendas arbores, quæ non reſiſtunt; *Cadent ſilvam ejus*, copias ejus ingentes, *dictum veriſſimum Domini; quamvis non poſſit perveſtigari* ſilva, id eſt numeroſus in tota Ægypto deliteſcens populus, *quamvis plures ſint locuſtis*, *& nullus ſit eis numerus.*

XXII. SILVA, HOMINIBUS ABUNDANS JUDÆA.

Ezech. 20: 46. FILI *hominis*, *fac ut ſtillet*, verba funde, & vaticinium ede, *verſus Auſtrum*, verſus Judæam, quæ Ezechieli in Babylonia degenti erat auſtralis, *ac Propheta in ſilvam*, in Judæam adhuc hominibus frequentem, *meridiem verſus*, qua parte opponitur Chaldææ aquilonari.

XXIII. שדי־יער AGRI JAHARIS. *Pſal.* 132: 6.

ID eſt, agri juxta civitatem *Jahar* a vicinia nemoris dictam, quæ alias vocata Kirjath Jeharim, civitas ſilvarum. Tertium urbis vocabulum fuit קרית ערים Kirjath-Harim, id eſt, civitas civitatum, urbium Domina, *Ezra* 2: 26. Quartum fuit בעלה, id eſt Domina. 1 *Par.* 13: 6. Quintum denique ab eadem mente dictum מבעלי יהודה, id eſt, ex Dominis Judæ, legitur 2 *Sam.* 6: 2. *Surrexitque David & totus ille populus*, *qui erat cum eo*, *ut abiret in Mibbahale-Jehuda*, id eſt in urbem cujus cives ex Dominis Judææ. Si interpreteris ex Bahale-Jehuda abiit, verſio diſcordabit a loco parallelo 1 *Par.* 13: 6.

XXIV. DORMIRE IN SILVIS,

Ezech. 34: 25. EST ſecuritate & pace publica gaudere.

XXV. LIBANUS PRO ARBORIBUS VEL SILVA LIBANI.

Hoſe. 14: 6. PANGET *Iſraël radices ſuas ut Libanus*, id eſt, longe lateque radicabitur.

XXVI. ODOR LIBANI.

Cant. 4: 11. ODOR *veſtium tuarum eſt velut odor Libani*, id eſt, arborum Libanicarum. Uſitatum erat veſtes odoribus conſpergi. *Gen.* 27: 27. *Ecce odor filii mei*, *cui benedixit* DOMINUS, *eſt ſicut odor*

odor agri : *& maxime nuptiali tempore Pſal.* 45: 9. Veſtes ſponſæ ſunt juſtitia Sanctorum *Apoc.* 19: 8. eaque tum imputata, tum inhærens, quæ decet nos coram aliis, & bona opera, quæ veſtimenta ſunt profitentium veritatem. 1 *Tim.* 2: 9. 1 *Pet.* 3: 34.

Hoſe. 14: 1. *Erit odor Iſraëlis quaſi Libani*, id eſt, ut *cap.* 50. 8. *Siracides* expoſuit; *Erit odor ejus ut germen Libani diebus æſtivis*, *quum maxime calet*, *unde odor fragrantiſſimus.*

XXVII. Libanus pudefactus.

Jeſ. 33: 9. Lugebat, *languebat terra*, Judæa ab Aſſyriis vaſtata, *pudebat Libanum*, *languebat*, quod nudatus eſſet ornatu ſuo, cedris, pinis & abietibus lectiſſimis, quæ gloria Libani dicuntur, *Jeſa.* 60: 13. a Babyloniis ſucciſæ ad faciendum machinas bellicas. Vid. *Jeſa.* 14: 8. *&* 37: 24. *languebat*, marcebat, arboribus vigore & incremento priſtino defectis. Fuit Saron, quum antehac eſſet ager paſcuoſus, 1 *Par.* 17: 29. triſtiſſima *ſolitudo*, *rudebatque Baſan*, leones Baſanitidis *Deut.* 33: 22. rugiebant, ob deſolata eorum latibula ereptamque prædam; ſilva enim exciſa feræ fugiunt, *& Carmelus* ſive *arvum languit*, propter pabuli inopiam atque vaſtitatem ab hoſtibus illatam pecora in Carmelo vel arvis paſci ſolita languerunt.

XXVIII. Denudatæ silvæ.

Pſal. 29: 9. Vox Domini *denudat* vel exhaurit *ſilvas*, id eſt, tonitrua fulminumque jactus perterrefactas ex latibulis ſuis propellunt feras, ut nemorum caligine relicta in campos fugiant apertos, qua quidem fuga ſilvas incolis exinaniunt exhauriuntque. Myſtica expoſitio. Populum in tenebris ſedentem excitat Euangelii præconium, ut relictis tenebrarum operibus ambulet in luce.

XXIX. Silvis facientia noxam.

(1.) Ignis.

Pſal. 83: 15. Ut *ignis exurit ſilvam & ut flamma accendit montes*, arido gramine virgultiſque conſitos: *Ita proſequere eos procella tua*, ſubito horrendoque furoris ac iræ tuæ impetu, *& turbine tuo* ultricibus pœnis turbinis inſtar ex improviſo ingruentibus pacem & otium eorum *turba*, nulla ſtirpe relicta, *proſequere improbos*, id eſt, ſtirpitus dele.

Jerem. 21: 14. *Succendam ignem in ſilva ejus*, *qui conſumet omnia*, *quæ circumſtant eam.* Id eſt, per totam terram propagabo ſtragem.

Jeſai. 10: 17. 18. *Erit lux Iſraëlis Deus* pro igne, *qui accendet*

 &

& conſumet vepres ejus & ſentes ejus eodem die, *gloriamque ſilvæ ejus*, arbores excelſas, ſilvarum nobiles filias, cedros & abietes, & *gloriam* arvorum ejus arborumque mitium præſtantiſſimas, & per has arbores ſignificatos principes robuſtos, nobiles atque ſapientes viros, *& anima ad carnem*, id eſt, penitus abſumet. Non carnem tantum conſumet, ſed & animam, id eſt vitam adimet: *eritque ut qui vexillum in diſſolutione* aciei *erigit.* Nimirum, quando metu exercitus diſſolvitur militumque animus liqueſcit, vel, quando inclinata acie diſſolvuntur & in fugam convertuntur copiæ, fruſtra ſignum erigitur ad quod revocentur.

Ezech. 20: 47. *Dicas ſilvæ meridianæ*, id eſt Judææ, hominibus adhuc repletæ, quæ tibi, Ezechiel, in Chaldæa degenti ad auſtrum: *Audi verbum Domini*; ſic ait Dominus Jehova Deus: Ecce ego accenſurus ſum in te ignem, excitabo contra te, quo conſumaris, *qui conſumat in te omnem arborem virentem & omnem arborem aridam*, id eſt juſtum & improbum bonos & malos conſumet, *conf. comma* 3. *capitis* 21. *non extinguetur flamma inflammatiſſima*, nemo cladem illius gentis avertet, *& adurentur ea flamma omnes facies*, abolebitur quicquid fuerit ſpectabile, vel, aduretur omnis terræ ſuperficies *a meridie* Judææ, uſque ad Aquilonem ejus.

(2.) GRANDO.

Jeſa. 32: 18,19. RESIDEBIT *populus meus in locis ad quietem tranquilliſſimis*, *utut grandinet ruente* (vel cadente) *ſilva*, *& depreſſione deprimatur civitas.*

(3.) ÆSTUS,

QUI fronde, flore & fructibus viduat arborem. ערער Hebræis dicitur ſtirps illa, quæ hanc calamitatem cepit. Non enim acceſſerim interpretibus, qui ערער Myricen vel Tamaricen, vel etiam Ericem verterunt, arborem ſignificantes, quæ vim nominis ſui minime implent. Myrica enim, ut refert *Dioſcorides* fructum parit, quaſi florem compage ſolutum, gallæ proximum, nec foliis deſtituitur. Erica autem fruticoſa arbor Myricæ ſimilis perpetuo viret colore roris marini & pene folio, cujus apes reprobum mel conficiunt. Eſt & altera Coridis folio, ut ex eodem autore colligitur, qui capite de Cori corin Ericæ dixit folio. Sed nec his adſtipularer, qui juniperum intelligerent, eo, quod juniperum عرعر

har-

harhar vocitant. Nam Arabicum nomen, iisdem licet literis exaratum, diverſam ab Ebraica voce *harhar* habet originem. Non enim ab ערה vel عري *hareja*, nudum eſſe, ſed ab عسر *harra* deflexum, ut גלגל orbis a גלל, ſignificat ſcabrum ſeu ſcabioſum eſſe. Scaber autem imprimis eſt Juniperi cortex. *Vid. Zuing. Herbar lib. I. c.* 46. Ipſum vero ערער cujus ἰσοδύναμον legitur ערוער *Jerem.* 31: 5. derivatum a themate ערה nudatiſſimum ſonare repetitæ thematis literæ probant, quæ vocis ſignificatum intendentes ſuperlativam pariunt locutionem. Nudatiſſimi epitheton & ſtirpi & homini adjungitur. Stirpi adjunctum vel arbori deſignat arborem turpem, quæ æſtu ſuperante foliis & fructu deficitur, & in deſerto nata non expectat virum, neque præſtolatur homines areſcentem refecturos. Symbolum viri, qui deſperata ope divina fiduciam ponit in homine: quo ſenſu accipitur *Jerem.* 17: 5. *Sic ait Dominus: maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, & ſtatuit carnem brachium ſuum, a Domino autem recedit animus ejus. Erit enim ſimilis nudatiſſimæ* arbori *in deſerto, quæ non ſentit, quum advenit bonum*, quum fiunt pluviæ, *quæ ſita eſt in ſicciſſimis locis, in deſerto loco, terra ſalſuginoſa & inhabitabili.* Et *Jerem.* 48. 6, 7. *Iis, qui fiduciam ſuam habent in rebus ſuis, dicetur: Fugite, cripite vos ipſos & eſtote* (tamen eritis) *ut nudatiſſima arbor in deſerto.* Homo quum dicitur nudatiſſimus intelligitur omni ope & præſidio deſtitutus quemadmodum Gibea Binjaminitarum urbs vocatur nudata, quod protectoribus ſuis deſtitueretur. *Judic.* 20: 36. Hoc ſenſu nudatiſſimum ſe nominat Pſaltes: *Reſpicit Deus ad orationem nudatiſſimi. Pſal.* 102: 16.

Recte autem ערער & ערוער nudatiſſimam arborem, non myricam vel tamaricen dici, ex allatis etiam Jeremiæ verbis colligitur, qui *harhar* & *haroher* deſerti arborem vocat, & eam, quæ ſita eſt in ſicciſſimis locis, in terra ſalſuginoſa & inhabitabili, cum myricæ, ut expertum habemus, & authores teſtantur non proletarii, in fluminum prodeant ripis, non in deſerto, ubi flumina non ſunt *Matthiolus* ſilveſtres ait in fluminum ripis, in Italia, naſci frequentiſſimas. *Annot. ad Dioſc. p.* 140. Myricæ alterum genus circa Rhenum, alterum in Danubii ripis provenire ſcribit. *Caſpar. Bauhinus ad Matthiolum pag.* 141. *Dioſcorides quoque lib. I. cap.* 99. Tama-

maricem tradit apud pigras & ſtagnantes aquas enaſci.

(4.) FERRUM DEI.

Jeſa. 10. 34. CIRCUMPUTABIT *Dominus perplexa ſilvæ ferro ſuo, denique Libanus ipſe per magnificum caſurus eſt. Perplexa ſilvæ*, cædet vepres ſentesque exercitum Aſſyriorum, Duces militesque gregarios. *Ferro ſuo*, gladio Babylonii Regis, qui futurus eſt ut ſecuris in manu ejus. ℣. 15. ut virga iræ & baculus indignationis divinæ, ℣. 5. *Libanus ipſe*, Cedrus Libani, Rex Aſſyriæ *Ezech.* 31. 5. *Per magnificum caſurus eſt.* Per dominatorem alium, Regem potentiorem Babylonium.

CAPUT UNDECIMUM.

DE HORTIS.

PARADISUS, *hortus ſecretus. Hortus Edenis.* Illius ſitus. *Hortus* Dei, Eccleſia. *Horti* Salomonis. *Hortus* Uziæ Regis. *Horti* Genneſareth. *Hortus* Gethſemane. *Hortus in* Golgotha. Similitudines & emblemata ab Hortis deſumta. *Hortus Chriſti Eccleſia. Hortus irriguus animus in lætitiam effuſus. Horti cultura, Verbi Divini Miniſterium. In hortis habitans ſponſa, eſt in hoc ſeculo verſata Eccleſia. Hortus proferens ſata, Populum denotat, in quo juſtitiam laudemque ſuam manifeſtat Deus. Idololatræ in hortis.*

I. PARADISUS HORTUS SECRETUS.

HORTUS, Hebræis גן vel גנה eſt arborum herbarumque ſepto protectus locus. *Cant.* 4: 12. *Ut hortus clauſus es, ſoror mea ſponſa, fons obſignatus. Hortus clauſus & obſeratus* Eccleſia dicitur, eoque notatur intemerata ejus caſtitas puritaſque ſpiritualis, quæ nec peregrinum admittit, nec ſeductoribus aurem præbet. *Clauſa autem ſcaturigo &* fons obſignatus audit, ut intelligas fruitione donorum ſpiritualium, quæ divinus Spiritus e ventre fidelium ceu flumina manare facit, *Joh.* 7: 38, 39. ſummoveri infideles & profanos, quemadmodum ſolent fontium ſcaturigines obſerari, ut ab illis pecora & feræ arceantur. Ita Paradiſus Hebraice *Pardes*, nomine ex פרד *ſecretus*, & פרס *diviſus*, compoſito, hortus eſt, in quo exquiſiti generis arbores, cum ad voluptatem, tum ad eſum & ædificandi

dificandi uſum. Paradiſus, ut ex Xenophonte liquet, etiam apud Perſas familiare vocabulum, Cicero vertit in agrum conſeptum ac diligenter conſitum, Vivarium *Gellius*, quod in Paradiſis & feræ utiles alerentur. In Sacra Scriptura tribus locis obvenit; *Primo Nehem.* 2: 8. *Literæ tradantur mihi ad Aſaphum, cuſtodem Paradiſi regii, ut det mihi ligna ad contignandum portas caſtri, quod adjungitur ædi, & ad murum civitatis, & ad domum, quam ingreſſurus ſum.* Situs fuit in regione a Libano ad Anti-Libanum, in cujus ſumma extremitate fuit oppidum nomine Paradiſi, de quo Ptolemaus & Plinius. *Secundo, Eccleſ.* 2: 5. *Paravi mihi hortos & paradiſos, in quibus conſevi arbores quaſque frugiferas. Tertio, Cantic.* 4: 13. *Propagines tuæ ſunt tanquam Paradiſus Malogranatorum cum fructibus laudatiſſimis.*

Hortus Edenis.

Cæterum ex hortis, quorum Scriptura intulit mentionem, ſunt I. Hortus Dei ſcilicet Edenis, qui hortos quotquot ſunt & fuerunt amœnitate, magnitudine & fructuum ubertate ſuperavit, de quo *Gen.* 2: 8, 9. *Ornaverat* Dominus *Deus hortum in Edene, ab Oriente, ubi collocavit hominem, quem finxerat. Feceratque* Dominus *Deus, ut germinaret e terra quævis arbor deſiderabilis ad adſpectum, & bona ad cibum: arbor quoque vitæ in horto illo, & arbor præſcientiæ* (vel experientiæ) *boni & mali, &c.* Occurrunt etiam *Ezech.* 31: 18. *arbores Edenis*, quæ ſcilicet in Edenitide Babyloniæ & Irachiæ quondam provincia natæ, figuram præbuerunt Regis Aſſyriorum, regionis Edeniticæ antiqui Domini. Senſus igitur dicti: Pharao qui ſupra humanum modum intumeſcens immortalem & Semideum eſſe te credis, cui ex arboribus Edenis ex Regibus Aſſyriæ qui Edenitidem tenuerunt, ita ſimilis es gloria & magnitudine? Si, qui te gloria, qui magnitudine,ſuperarunt, propter faſtum ad profundiſſimam altitudinem depreſſi ſunt, dejicieris etiam tu, & infirmaberis licet immortalis haberi cupias; cum arboribus Edenis; cum Regibus gentium Aſſyriæ, & documento eris mortalibus faſtum terreſtrium Regum aliquando contundi, & altiſſime deprimi: *Conf. Jeſa.* 14: 9, 10, 11.

Illius Situs.

Quod ad ſitum horti Edenis attinet, inter ſcriptores rerum magnæ ſunt dividiæ & diſcordiæ, quas a veritate plurimum remotas non opere eſt referre. Probabilitate tamen animum percuſſerit ſententia,

tentia, quam *Calvinus in Commentario* attulit, & literatiſſimus *Scaliger* adoptavit, cujus verba viſum eſt adſcribere: Loci fines, ubi hominem primum ſtatuit Deus deſignat Moſes a duobus fluminibus ingentibus, Euphrate & Tigri ad Sinum Perſicum. Deſcribit enim Moſes fluvium exeuntem, hoc eſt manantem ex Eden, diviſum in quatuor capita, Phiſon, Gehon, Tigrim & Euphratem. Sciunt enim omnes Tigrim & Euphratem commiſceri, & ingenti alveo in Mare Perſicum exonerari; ſed anteaquam excipiantur Sinu Perſico iterum in duo ingentia fluenta ſcindi inſtar Padi & Rhodani. Ipſa autem fluenta ſeu paludes efficiunt, ut non ſolum ſcribit Arrianus, ſed etiam mercatores, qui ante decem annos ea loca adierunt, idem teſtantur. Fluentem igitur Orientalem Moſes vocat Piſchon, hoc eſt, πλημμύραν, propter paludes ingentes, quas efficit, cujusmodi eſt Paduſa, quam Padus fluvius facit; alterum, quod Occidentem ſpectat, vocat Gichon, id eſt emiſſarium, quod illud magnus ille alveus ex ſe emittat, ut Mincium lacus Benacus, Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Rhodanum Lemanus. Quare ab eadem cauſa rivus, quem piſcina Hieruſolymitana emittebat, dicebatur Gichon Hebraice, quod idiotismo Hieroſolymitano *Schilucha*, id eſt, emiſſarium. Nihil eſt apertius hac expoſitione, quæ etiam fuit ſententia ſummi noſtri temporis Sacrarum Literarum Interpretis (Calvinum innuit) quo nihil poteſt verius, nihil doctius dici, quanquam rationem nominum Phiſon & Gichon non reddiderit. *Lib.* 5. *de Emendat. Temp.* & *Epiſt. lib.* 4. *Epiſt.* 441. Tamen in hac ſententia, quod corrigeret, reperit amœniſſimæ eruditionis vir, *Daniel Huetius*, qui mentem ſuam *Tractatu de Terr. Paradiſo cap. I.* §. 4. Sic expoſuit: Ajo Paradiſum terreſtrem ad alveum, quem Tigridis & Euphratis confluens efficit ſitum fuiſſe inter locum, ubi conjunguntur, locumque, quo ipſorum fluenta, antequam in Sinum Perſicum ſeſe evolvunt, iterum ſeparantur. Et quia alveus iſte per anfractus quosdam provolvitur, ut rem quam accuratiſſime exhibeam, Paradiſum, ajo, terreſtrem ſitum fuiſſe ad unum ex his anfractibus, & probabiliter ad unum ex maximis ad brachium meridionale, (quod Calvinus & Scaliger non attenderunt) in tabulis Geographicis Ptolemæi ab Agathodæmone notatum, cum fluvius iſte verſus Orientem regreditur, poſtquam diu ad Occidentem deflexerat, ad trigeſimum ſecundum gradum & decem minuta longitudinis, ſecundum delinea-

neationem Agathodæmonis, in eo prope loco, ubi Araccam ponit, quæ eſt Erech ſcripturæ. Non inquiro jam an iſta Ptolemæi poſitio ſit legitima ſufficit me cogitationes meas expoſuiſſe. Illud adhuc adjicio quod Tigris atque Euphrates ante conjunctionem, & duo illi alvei, per quos mari illabitur, poſtquam ſe diviſere, quatuor hujus fluvii ſint capita; quod occidentalior iſtorum alveorum ſit Phiſon (*non orientalior, ut voluit Scaliger*) quod Regio Chavila quam ſecat, pars ſit Felicis Arabiæ, & pars Arabiæ Deſertæ; quod Gehon ſit ex duobus iſtis, de quo locutus ſum, alveus Orientalis; ad quod denique Regio Chas ſit Suſiana.

Hortum Edenis Helleniſtæ & Philo Alexandrinus παράδεισον vocarunt, eodemque nomine Apoſtolorum temporibus felicitas poſt hanc vitam mortalem, ſed præcipue piarum mentium a corpore ſeparatarum & reſurrectionem expectantium ſtatus. Hunc latroni Jeſus, die quo crucifixus uterque fuit, promiſit. *Luc.* 23: 43. In Paradiſum ſe raptum dicit Paulus 2 *Cor.* 12: 4. quem ℣. 2. vocat tertium cœlum, quia præter beatorum ſedem in ſcripturis aëreum & ſidereum obvenit. *Apoc.* 2: 7. *Victori*, dæmonis mundi, carnis, *dabo*, inquit, *Chriſtus edere ex arbore vitæ, quæ eſt in medio Paradiſi Dei*, id eſt faciam immortalem, victurum in ſeculum. *Conf. Gen.* 3: 22.

Hortus Dei Ecclesia.

In multis Paradiſus ſimilitudinem gerit Eccleſiæ Dei. In hac enim Deus novum condit hominem & familiaritate quadam cum eo ſe per verbum & ſpiritum ſuum conjungit. In hac eſt Arbor vitæ, doctrina ſcilicet Euangelii. In eadem Arbor ſcientiæ boni & mali, videlicet lex, quæ diſcernere bonum a malo docet. Per hunc Paradiſum, qui eſt Eccleſia, quatuor manant flumina ex uno fonte, Jeſu Chriſto nato, qui factus eſt nobis Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & Redemtio. Fideles ipſi quos in Eccleſia poſuit Deus, vocantur quercus juſtitiæ, ad aquas plantatæ arbores, fructum ſuo tempore ferentes, Plantæ quas Pater cœleſtis ſevit.

II. Horti et pomaria Salomonis.

Eccleſ. 2: 5. *Paravi mihi hortos & paradiſos in quibus conſevi arbores quaſque frugiferas.*

III. Hortus Huzzæ Regis.

Ammonis Regis ſepulcretum. 2 *Reg.* 21: 26.

IV. HORTUS AHASUERI,

VEL Xerxis palatio, quod erat Suſis, contiguus. *Eſth.* 7: 7. *Rex ſurgens in æſtu ſuo a convivio vini, abiit in hortum palatii.*

V. HORTI AMOENISSIMI IN GENNESARETH.

IPSUM regionis vocabulum hoc docet, quod ſi interpretetur, eſt גני עשרת horti decem ſcilicet urbium, horti Decapoleos. Teſtatur idem *Joſephus de bello Jud. lib.* 3: *c.* 35. Extenditur juxta lacum regio eiusdem nominis Genneſar, naturæ mirandæ, atque amœnitatis. Nullam enim plantam negat, propter fertilitatem ſuam. Temperamentum aëris congruit etiam fructibus differentibus: ita ut hinc floreant nuces, fructus magis hyemalis; illinc palmæ, quæ æſtu nutriuntur: & juxta eas ficus & olivæ, quibus aër clementior.

Paria tradunt Thalmudici: Autor Lex. Aruch in גנסר Dicunt Rabbini; quare vocatur Genneſar? גני סרים ob hortos Principum. Iſti ſunt magnates, quibus eo loci erant horti. Celebrantur fructus Genneſaretici, Babylon Peſach *fol.* 8. 2. Quare, inquiunt, non ſunt e fructibus Genneſareticis Hieruſolymæ? Ne dicant ſcilicet accedentes ad feſta, non veniſſemus niſi ad comedendum fructus Genneſareticos. R. Salomon ad hunc locum ſcribit. Fructus Ginnoſar dulciſſimi ſunt, ut dicitur in Bezachos. In Thargum Jonathanis: ומלי ברכן מן־פרי רבקערת גינוסר *Plenus eſt Naphthali benedictionibus a fructibus vallis Ginnoſar, qui dati ſunt ei a Domino. Deut.* 33: 23. *Kimchius* ad *Jeſa.* 11: 2. ſcribit, eſſe terram pinguem & fructuoſam admodum. Et R. Salomo ad *Jeſa* 28: 1. גיא שמנים הוא כנרת שפרותיה מרח קים *Vallis pinguium, hæc eſt terra Cinnereth, cujus fructus ſunt dulces.*

VI. HORTUS IN GETHSEMANE,

AD Oliveti montem, ubi propter inſtantem paſſionem, in angore graviſſimo, uſque ad mortem triſtis Redemtor noſter, in ſecula benedictus, patrem oravit, ſudoremque ſudavit ſanguineum. In aſſignando etymo nominis Gethſemane, qui locus *hortus* vocatur *Joh.* 18: 29. valde hactenus laborant Interpretes. Actum agerem, ſi eorum ſententias recenſerem. Qui Hebraice callent non dubitabunt veram eſſe expoſitionem, quam in Onomaſtici ſacri *p.* 380. 118. & 813. attuli, quibus locis Gethſemane גת כמני oſtendo, idem ſonare, quod Torcular ſignorum, quod ibi daretur ſignum ſtatæ jam Neomeniæ.

VII. Hortus in Golgotha,

Josephi Arimathæi, qui Servatori noſtro feralis fuit. *Joh.* 19: 4. Sepelitur in horto Chriſtus, tum, quia primus homo in horto peccaverat: tum, quia ipſe in horto paſſionem ſuam fuerat auſpicatus; tum, quia ſeminari debebat velut in horto granum illud tritici, unde tot uberes fructus naſcituri erant. *Joh.* 12: 24. quas rationes Pelargum allegare ait *Henricus Muller in Jeſu patiente*, *pag.* 241. *num.* 94.

VIII. Ab hortis amoenissimæ in scripturis sumuntur similitudines.

[1] Hortus Christi est Ecclesia.

Cant. 4: 15, 16. Veniat *amicus meus in hortum ſuum*, id eſt, ad me ſororem & ſponſam ſuam, ad Eccleſiam, qua velut horto plurimum delectatur, *ut comedat fructum arborum laudatiſſimarum ſuarum*, ut converſione mea fideique meæ fructibus, qui ſunt in Sanctimoniam lætetur. *Rom.* 6: 22. hic enim eſt cibus Chriſti. *Job.* 4: 34. *Ambroſius lib. de Bono mortis*: Quanto hoc pul crius, quod anima ornata virtutum floribus, hortus ſit, vel in ſe paradiſum habeat germinantem; in quem hortum invitat verbum Dei deſcendere, ut anima illa verbi imbre cœleſtis, & ejus copiis irrigata fructificet. *Ingreſſus in hortum meum*, conveniens te, *ſoror mea*, *ſponſa*, *decerpo myrrham meam cum aromatibus meis*, lætificatur animus tanquam optimo unguento & ſuffitu jucundiſſimo. *Prov.* 27, 9. *Comedo favum meum cum melle meo*, ſermone tuo ſuaviſſimo, quem veluti favum mellis ſtillant tua labia, ſummopere delector. *Prov.* 24: 13. Ut favus mellis ſunt ſermones amœni, res dulcis animæ, & ſanans oſſa. *Bibo vinum meum cum lacte meo*, exhilaratus ſum verbo meo, quod diligis & ſervas, *& lacte meo*, evangelio meo, quo nutriris. *Comedite amici mei*, qui facitis voluntatem patris mei in cœlis, eſurientes juſtitiam, *& bibite*, qui ſititis juſtitiam; *Matth.* 5: 6. *& inebriamini*, ſatiamini, dilecti mei, tenentes præcepta mea & obſervantes illa. *Joh.* 14: 21.

[2] Hortus irriguus, animus in lætitiam effusus ac subinde refocillatus.

Jerem. 31: 12. Erit redemtorum Jacobitarum *anima ſimilis horto irriguo*, feſſos recreabo, mœroremque demam, *neque pergent mœrere amplius.*

[3] HORTORUM CULTURA, VERBI MINISTERIUM.

1 *Cor.* 3: 6. EGO *Paulus plantavi*, Corinthi primus ego Evangelium de Chriſto prædicans, fidei ſemina jeci. *Apollos irrigavit*; quia mihi ſucceſſit fidemque veſtram fovit & confirmavit; *Deus incrementum dedit*, vis omnis & efficacia miniſterii à ſolo Deo, citra ejus benedictionem, omnis labor noſter inanis & irritus foret. *Itaque neque qui plantat, eſt aliquid*, ſi nimirum per ſe conſideretur, abſque Dei virtute; *ſed qui incrementum dat Deus*: unde in ſolo Deo, non in ullo miniſtro gloriandum eſt.

[4] IN HORTIS HABITANS SPONSA: EST IN MUNDO ADHUC HABITANS ECCLESIA.

Cant. 8: 13. O *quæ habitas in hortis*, quæ vocaris hoſpita in terris, in regnis orbis terrarum, *inter ſocios attendentes ad vocem tuam, vocem tuam fac audire me.* ב ante labialem vocis מקשיבים ablatum eſt. *Vid. Inſtit. noſtras Linguæ Sanctæ.* קולך poſt ſe ipſum ἐλλείπει. Senſus: Fac ut audiam vocem tuam, inter Angelos, qui tibi in cuſtodiam aſſociati, *Pſal.* 34: 8. præſentes in Eccleſia, 1 *Cor.* 11: 10. quorum in conſpectu ſunt cultores Dei 1 *Tim.* 6: 21.

[5] HORTUS PROFERENS SATA DEUM ADUMBRAT NOMEN SUUM MANIFESTANTEM.

Jeſa. 61: 11: UT *terra* pro ornatu ſuo *profert germen ſuum, & ſicut hortus* in augmentum pulchritudinis *ſata ſua producit; ita Dominus Jehova Deus producturus eſt juſtitiam & laudem ſuam coram omnibus gentibus.*

IX. IDOLOLATRÆ IN HORTIS.

Jeſa. 66: 17. QUI *ſeparatos mundatoſque ſe præbent ad hortos* אחר אחד *poſt aliquem*, id eſt, ſequuti aliquem Deaſtrorum, verbi gratia Bahalem, vel poſt aliquam Dearum, verbi gratia Aſthoreth, ſive Aſtartem, in medio horti vel luci extantium. In hortis idola coluiſſe Judæos liquet etiam ex *Jeſa.* 1: 30. *Erubeſcetis propter hortos, quos* (pro idolis) *elegiſtis.*

CA-

CAPUT DUODECIMUM.

De arborum usu et abusu.

A*rboribus frugiferis divina lege cautum. Salomonis torus genialis e lignis Libani. Materia ignibilior ligna in ædificio Eccleſiæ. Arbor Dei & Angelorum cœnaculum: Arbores in latibulum quæſitæ. Umbræ gratia electæ arbores. Arbor aquæ amaritudinem corrigens. Ab arbore ſuſpenſus exſecrationi eſt Deo. Arbores ad altare* Domini. *Arbores fictorum Numinum templa. Ex arboribus Deorum ſimulacra.*

I. Arboribus frugiferis divina lege cautum.

Mille ſunt arborum uſus, ſine queis vita degi non poſſit. Hinc homini & pecoribus alimentum, hinc ægris medicina petitur. Arbore ſecamus maria terrasque admovemus, arbore ædificamus tecta. Incenſis earum lignis arcemus frigora, fovemus artus, coquimus cibos, & ex terræ viſceribus eruta metalla. Umbra denique foliorum luxuria exuberans feſſis corporibus blanditur æſtumque refrigerat. Igitur & divina lege de frugiferis etiam in hoſtico ſolo cautum eſt, *Deut.* 20: 19. *Si quod oppidum diutina obſidione oppugnabitis, nolitote arbores admota ſecuri corrumpere, ſi earum fructu veſci potes, neque eas ſucciditote. Nam, o homo,* (ita vertit *Andreas Reinbeccius doctr. de Accent. pag.* 326.) *eſt arbor ſilveſtris*, eſt arborum ſilveſtrium & ſterilium copia, *ut veniant ante te in propugnaculum*, vel, ut mihi viſum eſt interpretari: *Nam, homo eſt & arbor qui procedat ante te ad propugnaculum.* Hebr. כי האדם עץ השדה pro ועץ האדה *vav* ut ſolet, poſt ם congeneram labialem ablata. De iſta aphæreſi non cogitavit *Noldius.* Itaque explicat verba legis in hunc modum. Quia כל־האדם cujusvis hominis (cuivis permiſſæ ſunt arbores agreſtes, &c.) Ita lucem accipit locus Deuteronomii, qui tam multis interpretum crucem finit. Senſus & connexio eſt. Quum obſederis urbem aliquam diebus multis, oppugnando eam, ut capias eam, ne perdito arbores ejus impellendo in eas ſecurim, ſi ex eis comedere potes, easque ne exſcindito. At (cujusvis) hominis, (cuivis permiſſæ ſunt.) arbores agreſtes, ut veniant ante

te

te in propugnaculum. Quare tantummodo arbores quas noſti, quod non ſint arbores in cibum, eas perdes & exſcindes, ut ædifices ex illis propugnaculum contra urbem. Diſtinguit igitur Moſes inter arbores urbis, ſeu ſuburbanas frugiferas, & arbores agri, ſeu agreſtes infrugiferas. *Annotat. in Concord. Nota* 1353.

II. TORUS SALOMONIS GENIALIS EX LIGNIS LIBANI.

Cant. 3: 9. *Torum genialem fecit ſibi Rex Salomo e lignis Libani.* אפריון compoſitum ex אפר (pro פרה poſito, ut in nomine אפרים quod eſt duale ipſius אפר) & ex פריון formæ דמיון ex פרה crevit. Hinc אפריון quod torum genialem expoſui ad verbum, locus eſt in quo creſcunt & multiplicantur conjuges, locus uberrimus fructificationis.

III. MATERIA IGNOBILIOR LIGNA IN ÆDIFICIO SPIRITUALI.

1 *Cor.* 3: 12, 13. FUNDAMENTUM *aliud nemo poteſt ſtatuere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus. Quod ſi quis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: cujusque opus manifeſtum fiet; dies enim id declarabit: nam per ignem revelabitur, & cujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Ad hujus loci ſatis vexati intelligentiam notandum. 1. Quod Apoſtolus loquatur de fidelibus. Nam infideles, qui extra fundamentum ſunt, non ſuperædificant fundamento, hoc eſt, neque ex fide aliquid dicunt, neque fidei aliquid adjungunt. 2. Quod Apoſtolus loquatur non tantum de doctrina ſed & de operibus. Aurum igitur ſunt doctrinæ bonæ & veræ, operaque bona. Contra ſtramen &c. id quod ſuſcipitur ut verum, & agitur ut bonum, & eſt falſum ac malum. Hoc quoad doctrinas non poteſt intelligi de abnegatione aperta fundamenti, neque de conſtitutione alius regulæ & fundamenti, quia de fidelibus & σωζομένοις agitur. Similiter non poteſt intelligi defectio a Chriſto, adoratio beſtiæ & peccatum ex profanitate. 3. Quod non loquatur de Gehenna, ut vult Chryſoſtomus, quia ut dixi de πιστοῖς & σωζομένοις ſermo eſt. Chryſoſtomus dure αὐτὸς δὲ σώζεται, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρὸς interpretatur μενεῖ ἐν τῷ πυρὶ, οὐχὶ εἰς τὸ μηδὲν χωρεῖν. 4. Quod non loquatur de purgatorio, quia 1. ignis omnia omnium opera manifeſtabit: 2. dies opus cujuſque manifeſtabit. Atqui Purgatorium non eſt certus dies, & quidem ἡμέρα δηλοῦσα. 5. Quod

hic

hic aptiſſime intelligitur dies judicii, de quo *cap.* 1: 7, 8. qui ut habet ignem omnia liquefacientem, ita etiam erit ut ignis מצרף χωνευτηρίε *Malach.* 3: 2. Ideo dicitur baptizaturus non tantum ſpiritu ſed & igne. Hoc *Coccejus.* Equidem aſſentior illis qui hic ligna fœnum & ſtipulas dicunt opiniones doctorum ſingulares & erroneas, quæ a verbo Dei deviant, tametſi ipſum ſalutis fundamentum ſive ſanum de perſona & officiis Chriſti conceptum non evertant, quales in ſingulis quibuſque Patribus invenias. Diem vero intelligo judicium recte ſentientium & erroneas iſtas opiniones per ignem Verbi Divini tanquam ab auro ſcorias ſeparantium. Quo fiet, ut ſi opus halucinantis arſerit, is quidem operis ſuæ detrimentum patiatur, ipſe autem ſalvus evadat, ſic tamen, quaſi probatus per ignem verbi, ſcorias ejus manifeſtantis & reprobrantis. *Diem* pro judicio accipiendum eſſe ipſe Paulus nos docuerit, qui 1 *Cor.* 4: 3. *humanum diem*, hominum vocat judicium, de vita & doctrina ejus judicantium.

IV. Arbor Dei et Angelorum coenaculum.

Gen. 18: 4. Filius Dei cum duobus Angelis ab Abrahamo invitatus convivio excipitur ſub arbore. Et ipſe adſtabat eis ſub arbore comedentibus.

V. Libanus arborum cæduarum feraciſſimus.

Jeſa. 40: 16. Libanus *Deo non ſatis eſt ad pyram, & animalia ejus non ſufficiunt ad holocauſtum.*

2 *Par.* 2: 8. Materies ex Libano monte Tyriorum ratibus ædificando templo vehebatur.

VI. Arbores in latibulum quæsitæ.

Gen. 3: 8. Abscondit *ſe Adam & uxor ejus a facie Domini Dei, inter arbores horti.* Fugit homo de una arbore ad aliam a voce Dei inſectantis. Sed magna ſtultitia imo impietas eſt, relicto Deo ad creaturas confugere, & apud illas quærere conſolationem. Sed hi ſunt fructus incredulitatis & inobedientiæ. Sic hactenus Moſes opera & conſilia primorum hominum, quibus poſt lapſum ſibi ſubvenire, ſed fruſtra cogitarunt, perſtrinxit, quæ præcipua ſunt, propriis operibus peccatis ſe velle liberare, judicium Dei velle effugere. *Fagius ad d. l.*

VII. Umbræ gratia electæ arbores.

Judic. 9: 8. 13. 15. Arbores regem creaturæ tam ad arborum

fructus quam ad umbram, qua tegerentur, rationem reſpectumque habuere. Primum igitur elegerant olivam umbriferam & pinguedinis feracem; hinc ficum minus foliis ſuis, quam Oliva, luxuriantem; deinceps vitem rarioribus inumbrantem foliis, fructu autem Deos & homines lætificantem. Denique Cynosbatum neque umbra ſatis commodam nec fructu inſigniore gratam.

Hoſe. 4: 13. *In capitibus montium ſacrificant & in collibus adolent, ſub eſculo fago & quercu, eo, quod bona* (vel amœna) *ſit umbra cujusque.* Tres iſtæ arbores poſt platanum imprimis ſunt umbriferæ; de Eſculo *Sylvius.*

Annoſa excelſos tendebat ad æthera ramos
Eſculus, umbroſum magnas ſuper ardua ſilvas
Nubibus inſertans altis caput.

Fagus & quercus propter umbram Deaſtrorum lucis inſertæ. Hinc Italo Jovi dicatus fageus lucus, a quo Fagitalis nomen Jupiter obtinuit. *Plinius XVI.* 10. & Jovi ſacratum nemus, Dodonæ urbi vicinum, querneum totum fuit.

VIII. UMBRA SPONSI ARBORIS.

Cantic. 2: 3. IN *umbra ejus ſumme deſidero, ut ſedeam*, ut refrigerio mihi ſit illius gratia, qua & afflictionum & perſecutionum æſtu relevari queam; *nam fructus ejus dulcis eſt palato meo.*

Faciunt hujus arboris fructus I ad ſpirituum refectionem; ut mala Medica, aurantia, granata & alia deliquium animi patientibus, adſpirant odorem, quo reficiantur confirmenturque. Ita quos edit fructus Servator noſter, ii deficientem in graviſſimis tentationibus animam recreant. Verbum ipſius promiſſionum ſuavitate omnes peccatorum onere preſſos exhilarat. *Matth.* 11. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui fatigati eſtis & onerati, & ego faciam, ut requieſcatis, & Joh.* 5. *Amen, Amen, dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit, ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſivit a morte in vitam.* II. Arboris hujus fructus cibationem & alimentum præbent iis, qui juſtitiam eſuriunt. Alitur fides Chriſti verbo, alitur ejus carne, potatur ſanguine. *Joh.* 5: 54. *Qui edit carnem meam*, inquit, *& bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego ſuſcitabo ipſum ultimo die. Caro enim mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit*

meum ſanguinem , in me manet , & ego in eo. Faciunt III. fructus ejus ad ſanationem. De his enim idem dixeris , quod *Apocal.* 22: 2. de fructibus arboris vitæ dictum, quæ ad utrumque latus fluminis , procedentis ex throno Dei & Agni,plantata , per menſes ſingulos edi , & folia arboris ad ſanationem gentium pertinere.

IX. Arbor aquæ amaritudinem corrigens.

Exod. 15: 23, 24, 25. A *deſerto Suris pervenientes Iſraëlitæ Maram , non potuerunt bibere aquas e Mara , eo quod amaræ eſſent , idcirco vocant nomen ejus Mara. Tunc murmuravit populus contra Moſen , dicendo quid bibemus ? Sed quum inclamaſſet Moſe Dominum , oſtendit Dominus ei lignum , quo injecto in aquas , dulces factæ ſunt.* Dicunt lignum hoc naturali vi ſua valuiſſe ad tollendam ex aquis amaritudinem , quod colligitur ex *Eccleſiaſt.* 38: 5. Hoc modo potius quam ſolo verbo eos Deus ſanavit , ne res naturales fruſtra feciſſe videretur , ut *Eſtius* ſentit. Verum credibile non eſt lignum hoc dulcorandi aquas vim habuiſſe naturalem , quia narratur miraculum tempori accommodatum ; & ſin ſecus, aqua illa manſiſſet dulcis , quod negat *Plinius libro ſexto Nat. Hiſt. c.* 26.

Expoſitio Myſtica : Tribulationis aquas dulces non aliud medicamen fecerit , quam quod ipſe Deus oſtendit. Si cum cruce & calamitatibus variis tibi colluctandum eſt,ſit nomen Jeſu arbuſcula, quæ amaris calamitatum aquis immiſſa, earum amaritudinem tollat.

X. Ab arbore suspensus execrationi est Deo. *Deut.* 21: 23.

Non igitur ab hominibus diu oſtentui relinquendus erat. Execrationi eſt Deo , quod & Chriſtus, peccata hominum expiaturus, in ligno erat ſuſpendendus. *Gal.* 13: 14.

XI. Arborum abusus.

Deut. 16: 21. Ne *conſerito tibi lucum ullis arboribus ſecundum Altare* Domini *Dei tui , quod feceris ibi. Hecatæus de Hieroſolymis :* οὔτε φύτευμα παντελῶς , οὐδὲν οἷον ἀλσῶδες , ἤ τι τοιοῦτον , hoc eſt ; nulla omnino plantatio , qualis lucus ,aut aliquid ſimile. Oppoſitum hoc mori idololatrarum , qui apud templa lucos habebant. *Vid.* 1 *Reg.* 15: 13. *Grotius.* Morale invenias 1 *Cor.* 10: 20, 21. Exemplum *vide* 2 *Reg.* 23: 6.

XII. Arbores fictorum Numinum Templa.

Gentilium hic mos fuit ut ſub arboribus ſacra Diis ſuis facerent. De Cananæis traditur, ſub quaque arbore virenti Deos ſuos

coluiſſe. *Deut.* 52. 2. Idem mos in Germaniam penetravit, majoribus noſtris templa damnantibus, quum nihil robore & quercu & pinu ſacratius haberent. Cauſam Tacitus prodit; nimirum ex magnitudine cœleſtium Deos parietibus cohibere non arbitrabantur. Secuti ſunt Cananæorum ſtoliditatem degeneres Judæi, qui avita religione relicta, ſtatuas ſibi ac lucos ſtatuerunt in omni excelſo, & ſub omni arbore virente. 2 *Reg.* 17: 10. *Jerem.* 3: 6. Sed hac ſuperſtitione captos vulgaribus ſcortis Deus, a quo deſciverant, aſſimilavit. *Jerem.* 2: 20. *Etenim jam olim fregiſti* obſequii tui *jugum, dirupiſti vincula tua*, quibus Deo adſtringebaris, *& dixiſti ſervitura non ſum. Itaque in omni colle alto, & ſub omni arbore viridi* inſtar meretricis, quæ in lupanari proſtat, *pedes diducis*, ad concubitum invitans. *Conf. Jerem.* 3: 4-9. *Jerem.* 17: 2. *Recordentur filii Iſraëlitarum altarium ſuorum, & lucorum ſuorum*, id eſt idolorum in lucis, *ad arbores virides, ad colles altiſſimos.*

XIII. EX ARBORIBUS DEORUM SIMULACRA.

Jeſai. 44: 14. EXSCINDIT *ſibi cedros, & accipit tiliam marem & eſculum, aut quæ fortificat ſe inter arbores ſilvæ: pinum, quam plantaverit, & educaverit imber.* Expoſitio: Ipſam materiam manu hominis plantari, & imbre cœleſti educari, atque ita nec ſine homine nec ſine Deo eſſe poſſe; ne conſervationem noſtri & vitam ab eo petamus, quibus quodammodo ipſi dedimus, ut ſint. *Coccejus.*

Jerem. 10: 3. *Statuta populorum* de colendis Deorum ſimulacris, *ſunt vanitas. Quum lignum ipſum ex ſilva cæcidit faber, opus manuum artificis ad normam, argento & auro pulchrum reddit ipſum, clavis & malleis confirmat iſta, ut non amittat &c.*

Jeſa. 40: 20. *Lignum non putreſcens* (ad ſculptile artifex) *eligit.*

Jeſa. 44: 19. *Neque ſcientia neque prudentia ineſt, ut dicat imaginum cultor. Num ante id, quod provenit ex arbore, procubuero?*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE LIGNIS.

LIGNUM Moſi oſtenſum. *Lignum ex aquis* attrahens ferrum. *Pro lignis* æs. Adulterium *cum ligno.* Ξυλοφορία. Ξυλομαντεία, Virga ſpernens omne lignum. Lignatio ſupplicium merita. Hetz *con-*

contus haſtæ vel haſtile. Almuggim *vel* Algummim , *non ſunt pini , non ligna Braſiliana , non corallina , non thyina , non Ebenum , non deniqae arbor Magath , ſed gummiferarum arborum ligna ex Libano & India allata.*

I. LIGNUM MOSI OSTENSUM.

EADEM voce , ut dictum , qua arborem etiam lignum Hebræi indigitant. *Exod.* 15: 25. *Oſtendit Dominus Moſi* עץ *lignum , quo injecto in aquas Maræ , factæ ſunt dulces.* Rabbini , qui nihil ignorare in Scripturis volunt, lignum iſtud Rhododendron vel Rhododaphnen fuiſſe ſcribunt , cujus folia, in aquas conjecta , quia pecori & capris perniciosa , ideo fingunt novo miraculo Rhododaphnen factam eſſe ſalutarem , quo magis in effectu contrario Dei virtus appareret. Ad Rhododaphnen , quæ & Nerium, Orientales Botanici referunt Arborem, quæ Perſis *El-aſchar* & *Charg* , miraculum vocatur , quod eam velint eſſe admirandæ & incognitæ virtutis. Ab eadem ſaccharum *El-aſchar* ſive *Maaſcher* , medicamentum conſtans nucleo , cui ſaccharum corrugatum adhæret. In nucleo non eſt fructus , ſed vermiculus quidam mortuus , nigricans Perſice *Chezoukek* dictus. De hoc ſaccharo *Matthiolus in Dioſcor. lib. II. c.* 75. Arbor quoad fuſtem , inquit *Angelus a S. Joſeph* , & ramos & magnitudinem ſimilis ſambuco , cætera diſſimilis. Frondes gerit exterius valde virentes , adverſa parte candicantes , lanuginoſas & flaccidas , quaſi verbaſci folia , figuræ autem ferme ovalis , veluti nuces. Tota lacte turget , quaſi tithymalus & edula. Lac autem trium drachmarum pondere mortiferum , ita, ut ſi quis caſu eo lacte oculos infecerit, evadat cœcus. *Pharmacop. p.* 361.

II. LIGNUM EX AQUIS ATTRAHENS FERRUM.

2 *Reg.* 6: 6. PRÆCIDIT *Eliſa lignum & miſit in aquam , & natavit ferrum.* Senſus : Propheta lignum præcidit , & in manubrii formam aptatum in aquam projecit. Manubrium vero recta in foramen ſecuris inſertum eſt , & ipſam ſecurim præter rerum naturam ad aquæ ſuperficiem ſuſtulit.

III. ADULTERIUM CUM LIGNIS.

Jerem. 3: 9. AVERSA filia *Iſraëlis adulterabatur cum lapide & ligno.* Id eſt, Idola colebat , iiſque felicitatem ſuam attribuebat, fidem Deo datam fallendo. Hoc etiam ſcortari dicitur poſt idola. *Exod.* 34: 15. *Hoſ.* 2: 5. 13.

IV. ΞΥΛΟΜΑΝΤΕΙΑ.

Hoſe. 4: 12. POPULUS *meus lignum ſuum conſulit , & baculus ejus indicet ipſi.* Lignum accipiunt pro ſimulacro ligneo , ut *Jerem.* 2: 26. ut aurum pro ſtatua aurea. Dubito , an recte : nam ſequitur : & baculus ejus reſpondet ei. Ex baculo non fiebant ſimulacra , niſi forte ſtipitem intelligit, aut imagunculam , quæ in baculo. Solent enim Magi dæmonem in baculo circumgeſtare. Sed aliud mihi videtur. Nam olim genus quoddam erat divinationis per baculum. Græci ῥαβδομαντείαν vocant. *Vid. Bel in Dæmon. lib.* 2. *c.* 1. Hoc ergo potius Propheta ſignificat, cum ait: baculus ejus reſpondet ei. Quod autem præcedit, populus meus lignum ſuum interrogat, eo innuit divinationem , quæ Græcis iisdem ξυλομαντεία dicitur. Cujus meminit autor triginta & ſexcentorum mandatorum ſcribens ; eam fieri e ligni fragmentis in Illyrico. *Druſius Quæſitis per Epiſt. epiſt.* 113.

V. ΞΥΛΟΦΟΡΙΑ.

Neh. 13: 31. CONSTITUI *obſervationes Sacerdotibus ad oblationem lignorum temporibus condictis. Tremellius* , quod exiſtimaret קרבן rectius de ſacrificio quam de lignis ad ſacrificia allatis intelligi, hypallagen ſtatuit vocum *Kurban habetzim.* Igitur tum hic, tum *Nehem.* 10: 34. vertit *ligna oblationis* pro *oblationem lignorum.* Sed firmatur expoſitio noſtra e cognato verbo הקריב , quod eſt afferre, apportare, adducere. Apportabant autem hæc ligna ad cultum divinum , ut aleretur ignis æternus , quo ſacrificia incendi ſolita. *Lev.* 6: 12. Ex eo , quod eorum mentio non fit , niſi dictis locis, conjecturam faciunt, poſt captivitatem demum ex inſtituto Nehemiæ, de quo *Neh.* 10: 34. hanc oblationem cepiſſe , antea Regum Judaicorum munificentia factam. Inter tres autem ordines diviſa creditur , inter Sacerdotes, levitas & populum, ut quiſque ſuo ſumtu in tertiam anni partem de lignis provideret. Poſt ea tempora , quæ apportanda erant, menſe Auguſto allata ſunt , cujus decimo quarto die celebrabant feſtum , quod eam ob cauſam Ξυλοφορίας nomine inſignitum, de quo *Fl. Joſephus Belli Jud. libro ſecundo.*

VI. VIRGA SPERNENS OMNE LIGNUM.

Ezech. 21: 14, 15, 18. FILI *hominis prophetato dicens : Sic ait* DOMINUS : *Dic , gladius exacutus eſt , ut mactet mactandos , aut dic : Lætabimur virga filii mei ſpernente omne lignum* , id eſt , lætabimur virga filii mei ferrea *Pſal.* 2: 9. qua , ſi exarſerit ira ejus nullo

nullo diſcrimine ferit omne lignum, excelſum & humile, robuſtum & debile, id eſt, principes & populum, conf. comma 17. omne, inquam, lignum, viride & aridum, juſtum & improbum, ut innuitur ℣. octavo & nono. Sed, inquis, eſt probatio, eſt periclitatio, non eſt conſumtio vel excidium populi & principum. An in juſtos tam ſevere & vehementer vindicabis? Quid tandem? an propterea & virga nullo diſcrimine feriens, non futura eſt? Poſſunt quippe juſti temporalibus pœnis bello & peſte occumbere, gratia divina nihilominus eos ad vitam venturi ſeculi conſervante.

VII. עץ Hetz, contus hastæ vel hastile.

Pro עץ חניתו id eſt, lignum haſtæ, quod extat 1 *Sam.* 17: 7. Maſoretharum antiquiſſimi notarunt, lectionem in codice authentico altero fuiſſe חץ חניתו id eſt telum vel ſagitta haſtæ ejus. Hinc verſio loci: *Haſtile haſtæ ejus ſimile erat jugo textorum.*

VIII. Lignatio supplicium merita.

Num. 15: 32. *& ſeqq.* Quum *eſſent filii Iſraëlis in deſerto, juxta* mare Erythræum, *invenerunt quendam colligentem ligna in die ſabbati, quem adductum ad Moſen & Aharonem & ad totum cœtum poſuerunt in cuſtodia, quia non fuerat declaratum, quid faciendum eſſet eo. Edixit autem Dominus Moſi, omnino morte afficitor vir ille, obruito eum lapidibus totus cœtus extra caſtra, &c.* Ad puniti facinoris memoriam ſempiternam, locus, ubi vir iſte contra recens edictum Dei ſabbato lignabatur, עציון גבר lignatio viri adpellatus eſt. Derivatur עציון ab עץ addita terminatione, quæ & alias adparet in locorum vocabulis Halmon, Tzalmon, Chebron, Chelbon, Chethlon, Hekron, Gibhon. Excuſum autem eſt ad formam חזיון ipſo Joth poſito in loco tertiæ literæ radicalis.

IX. עצי האלמגים Gummiferarum arborum ligna.

1 *Reg.* 10: 11, 12. Classis *Hirami, quæ afferebat aurum ex Ophiro* (1 *Reg.* 9: 28.) *advexerat ex Ophiro ligna arborum gummiferarum, multa admodum, & lapides pretioſos, & paraverat Rex ex illis lignis arborum gummiferarum podia vel fulcra ad domum* Domini, *& ad domum Regis, & citharas & nablia pro cantatoribus: Non fuerant advecta talia ligna gummiferarum arborum, neque viſa uſque in diem illum.*

עצי האלגמים

2 *Chron.* 2: 8. Salomon *Chiramo Tyriorum Regi: Mitte etiam mihi ligna cedrina abiegna, & arborum gummiferarum, e Libano.*

Al-

Almuggim, vel per metatheſin literarum ſcripta voce *Algummim*; non unius duntaxat ſpeciei arbores erant, verbi gratia, non tantum pini, ut *Joſepho* videtur *lib.* 8. *Antiq. Jud. Afferebantur Regi ligna pinea, ſed nemo debet cogitare, quod fuerint talia, quæ nunc pinea ligna vocentur, ſed erant candidiora & fulgentiora.* Nec erant ligna Braſiliana, ut Kimchius finxit. In Braſiliam enim Hirami Tyriorum Regis tempeſtate navigatum non eſt. Nec Curalia ſeu Corallina, quæ non tam arborem quam lapidem referunt, inepta ædificando aut faciendis citharis aut nabliis pro cantoribus. Vulgatus cum Junio & Tremellio verterunt עצי אלגמים in ligna thyina. Sed natale horum ſolum nec in Libano nec in India, ſed in Cyrenaica ſive Pentapolitana Africæ regione, aut apud Mauros in Atlante quærendum eſt. Cedri ſpeciem fecit Nicolaus Lyra, quæ *Jeſai.* 41: 19. שטה vocetur, verum *ſittam* vel שטים *Schittim Exod.* 25: 5. id eſt Spinam Arabicam vel Ægyptiam nullus Scriptorum extra Arabiam Ægypto conterminam poſuit.

Sed & Ebenum negamus in ſocietatem nominis *Almuggim* venire, quippe quæ in Hebraiſmo alius ſibi nomen vindicavit, agnato Latinæ vocis ſono dicta *hobne* in plurali הבנים *Ezech.* 27: 15. Eam per Algummim indicari putat Clariſſimus *Lipenius Navig. Salomonis Ophiritica p.* 709.

Nec denique in nomen arborum Almuggim adoptanda arbor Magath, de qua *Salmaſius Hyl. Iatr. p.* 20. Quod ad *Magath* attinet, juxta quosdam Granati ſilveſtris arbor, vel eadem cum aſpalatho, typum habet fœminei pluralis in Arabico مغاث. Et videndum an idem ſit cum Hebraico אלמוגים ut *Al* ſit articulus Arabicus. Certe eadem videtur vox cum Mugath, cujus ſingulare مغ *Mug.* Unde Hebraico more in plurali מוגים Verum enim vero non opus habebant Tyrii, ſilveſtrem Punicam, ignobilem arborem in Indos petere, nec aſpalathum humilem fruticem, multiſque ſpinis horrentem navibus per longinqua maria transportare, ex vicina Syria ipſam commodius petituri. In Syria enim naſci aſpalathum *Dioſcorides* tradit *lib.* 1. *cap.* 19.

Si judicium meum de iſtis *Algummim* interponendum, eam vocem exiſtimem in commune dici de arboribus gummiferis vel reſiniferis,

ris, cujus generis in Libano cædi, & ex India Orientali transportari poterant. In Libano ſcilicet, Cedrus, Cypreſſus, Pinus, Picea, Abies, Prunus, Terebinthus, Ceraſus, Larix, Lentiſcus. *Plinius lib.* 14. *c.* 20. In Oriente optimam tenuiſſimamque Terebinthi fundunt, deinde Lentiſci, quam & maſticem vocant, poſtea Cupreſſi acerrimam ſapore; Liquidam omnes & tantum reſinam; Craſſiorem vero & ad pices faciendas Cedrus. In Aſia quæ fit e picea admodum candida ſpagas vocatur. Reſinæ ſummæ ſpecies duæ, ſicca & liquida. Sicca e Pinu & Picea fit; liquida e Terebintho, Larice, Lentiſco, Cupreſſo. Nam & eæ ferunt in Aſia & Syria. Picea pinguem & thuris modo ſuccoſam fundit, Larix gracilem & mellei liquoris virus redolentem. Idem *lib.* 24. *c.* 6.

In India arbores gummiferæ quarum ligna transportari navibus potuerunt, natæ. 1. Arbor Camphorifera ab Indis Cusnoky vocata, quæ tam craſſum habet caudicem, quem duo viri vix queant circumplecti: Lignum ei ſolidiſſimum, unde pulchra Indi ſcrinia conficiunt. 2. Benzoini dura eſt arbor. Reſina creberrimis globulis partim flammantibus, partim candicantibus permiſta. Eadem valde craſſa ex magna arbore fluit, fructus nucem refert moſchatam. Ab incolis in Ceilon, Malme & Virginia caudex de induſtria vulneratur quo abundantior ſuccus fluat. Thus hodieque ex India Orientali ac Turcia ad nos transfertur. 4. Gummi Laccæ dura ſed friabilis ac rubicunda, arboris Indiæ Orientalis reſina eſt. 5. Bdellium juxta modernos eosque clariſſimos Botanicos ſpinoſa arbor, cujus folia quercinis haut abſimilia, niſi quod longiora ſunt & anguſtiora. In Orientali etiam India naſci *Salmaſius in Plinianis exercitationibus fol.* 1150. obſervat. Nam Bactrium iſtud, quod Plinius vocat, Bdellium eſſe ait Orientale & Indicum, quod ex Indo-Scythia afferebatur. Ea enim Scythia ad Indi fluminis oſtia ſita eſt. Quod etiam Arrianus in Periplo Maris Erythræi conteſtatur de Binnager: *ἀντιφορτίζεται κόστος, Βδέλλα, λύκιον, Νάρδος καὶ καλλαϊνὸς λίθος.* Et poſt pauca ſubjicit: Duo genera Bdellii Indici fuiſſe videntur, quæ in Arabiam ferebantur, alterum ſubalbidum, quod præſtantiſſimum erat. 6. Arbor unde manant gummi guttæ, אגל־גומים, quod gummi aureum & reſinoſum eſt, ſapore acri & valde ingrato ex India Orientali afferri ſolitum. Origo ejus ab arbore, quæ fructus fert aurantiis ſimiles, ſub nomine Cuddampulli deſcripta ab *Rajo*, *Hiſtor. Plant. p.* 1661. 7. Arbor

O ex

ex qua reſina profluit, ſanguis draconis dicta, quæ admota igni ſtatim ſolvitur ac flammam concipit, attrituque ſanguineum colorem reddit.* Palmis a nonnullis annumeratur, quoniam longa & acuta folia habet inſtar gladioli ſeu juccæ glorioſæ. Ut plurimum ex India Occidentali venit; in India tamen Orientali minime infrequens. De hac & aliis ſupra memoratis Indiæ Orientalis gummiferis arboribus, vide *Valentini Hiſtoriam ſimplicium reformatam pag.* 249---265. 8. Santalum Citrinum in utraque India ſilvis denſiſſimis vaſtiſſimiſque natum aromatico fragrantique odore pollet, arboribuſque impoſitum, ut Marxius *in Mater. Muſæo pagina* 152. teſtatur reſinoſum eſt, & ſuaviſſimum gummi demittit. Neque in architectonicis uſum ejus aſpernantur Indi, qui, ut Garcias ab Orto, Medicus quondam Proregis Indici libro Aromat. ſimplicium medicam. prim. cap. 17. tradit, interdum ex Santalo ſua Idola eorumque delubra faciunt.

Ex his igitur & aliis in Ophiro natis arboribus moderno Botanicorum vulgo ignoratis ad ſatietatem habere potuit Tyria claſſis, quæ Salomoni adferret ligna *Algummim*. Cum veritate autem expoſitionem noſtram conſentire, qui עצי אלגומים commune gummiferarum arborum nomen fecimus, vel ex ipſo nomine liquet. Quid enim aliud אלגומים quam אגל גמים gutta gummium; &, niſi trajectas literas crediderís, quid אלמוגים aliud, quam אגל vel אגלי מוגים liquidorum vel liquorum guttæ. Omnia enim gummium genera primo liquida ex arbore manant, deinde ſiccantur & dureſcunt. ג litera nominis אגל, quoniam in compoſitis vocibus erat repetenda pro more Hebræorum (de quo egimus in *Inſtitutionibus linguæ ſanctæ*, *pag.* 571. 572.) eliſum, peperit voces *Almugim* & *Algummim*. 2. Ante alias gummiferæ arbores ædificiis & muſicis inſtrumentis cum ob pulchritudinem, tum ob firmitatem ac durationem, tum denique propter odoris gratiam & levitatem aptiſſimæ fuerunt. 3. Si gummiferas interpreteris *Algummim*, non amplius miraberis, & ex Libano & ex India Orientali allata ligna *Algummim*, ſiquidem & Libanus & India Orientalis gummiferarum & reſiniferarum arborum ferax fuit.

C A-

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De arborum speciebus.

Arborum differentiæ. Arbor vitæ. *Ab ea cur hominem Deus prohibuerit? An una fuerit in ſpecie ſua? Arbor vitæ altera. Arbor vitæ Chriſtus. Arboris vitæ fructus. Arbor vitæ ſapientia: Juſtitia: Expleta deſiderii exſpectatio: Sermo ſanus.* Arbor, *quæ dicitur*, ſcientiæ boni & mali. Malus *arbor. Malus inter ſilveſtres arbores Chriſtus hominibus & Angelis antepoſitus. Sub Malo excitatus Amicus ſponſæ. Cant.* 8: 5.

I. Arborum differentiæ.

Quæ generatim in ſacris literis de arboribus dicta ſunt, expoſuimus; nunc ad differentias earum tranſeamus, quas ipſis fructus dabunt. Aliæ enim cernuntur pomiferæ, ut Malus, Pirus, Malus Aurantia, Malus Cytria, Palma, cujus pomum dactylus vel palma, Ficus. Aliæ ſunt pruniferæ, ut Olea, Prunus, Myxa vel Sebaſte, Caſia, Cinnamomum, Amygdalus. Nucifera eſt Juglans, Piſtacia, Avellana. Baccifera: Cupreſſus, Morus, Ceraſus, Erica, Liguſtrum, Vitis, Capparis, Styrax, Laurus. Glandifera: Quercus, Eſculus, Ilex, Fagus, Caſtanea. Reſinifera: Terebinthus, Larix, Cedrus, Pinus, Abies, Lentiſcus, Thuris arbor. Baccifera eademque reſinifera: Juniperus & Cupreſſus. Siliquas ferens, Acacia, Caſſia fiſtula, Geniſta, Cithyſus ſiliqua. Infrugifera, Salix, Tilia mas, & ſcriptorum utique ſilentio, Ebenus. Etiam in ſacris paginis duæ memorantur, quarum fructus plane incognitus, arbor vitæ &, quæ vocatur ſcientiæ boni & mali. De Arbore vitæ primo loco agendum. *Quum ornaſſet Dominus Deus hortum in Edene, & e terra germinare feciſſet quamvis arborem deſiderabilem ad aſpectum & bonam ad cibum, produxit quoque arborem vitæ in horto illo. Gen.* 2: 8. 9. Procreata fuit arbor vitæ a Deo, ut concreatam hominis immortalitatem & vitam conſervaret, Beda venerabilis in Gloſſa ordinaria: Lignum vitæ dictum, quia divinitas accepit, ut, qui eo manducaret, corpus ejus ſtabili ſanitate firmaret, nec ulla infirmitate vel ætate in deterius vel in occaſum laberetur. *Damhauerus libro Conſcientiæ Part.* 2. *p.* 280. Guſtari arborem vitæ voluit Deus, ut organon vivificum. Quid alias opus fuiſſet cuſtodia, ſi ligno illi

poſt peccatum protoplaſti vis priſtina amplius, & quidem perpetuo conſervandæ vitæ non infuiſſet, ſi non valuiſſet ad perpetuum vitæ florem, in ea, ut ſacramento vitæ æternæ ac incommutabilis deliciaretur, ut carmine Creatorem laudaret. *Turretinus* quidem *Inſtit. Theol. Elenct. parte I. p. 627.* & *Seldenus* poſt *Calvinum* & alios Doctores Reformatorum contendunt, Deum hac arbore tanquam fœderis operum ſacramento obſignare protoplaſtis noſtris voluiſſe, tum vitæ præſentis gratuitam donationem, tum & ejus continuandæ & tandem in beatam immortalitatem commutandæ certitudinem. Sed in hac ſententia, ut in *Animadverſionibus in Turretini Theologiam* notavit Beatus *Oſiander* noſter; " Supponitur, 1. ex Calvinianorum hypotheſi, Sacramenta eſſe tantum ſigna, ideoque & arborem vitæ, ſignum fuiſſe fœderis naturalis operum. At non ſigna tantum nos ſacramenta dicimus, ſed etiam media exhibitiva. 2. Nullum Sacramentum datur in ſtatu integritatis accurate loquendo, ſi velimus Sacramentum æſtimare ex natura ſua. Omne enim Sacramentum tam Veteris quam Novi Teſtamenti ordinatum eſt in remedium peccati; peccato itaque non exiſtente, nullum Sacramentum obtinet. 3. Poſito fuiſſe Sacramentum, non tamen fuit Sacramentum naturale; utpote quod ſpeciali voluntate propoſitum fuit, & melioris vitæ habuit ſignificationem. Ut enim revelata Sacramenta in totum pendent a voluntate ac diſpoſitione divina, ita & hoc a Deo ejuſque voluntate fuit inſtitutum: Imo aperte refutat hæc arbor vitæ ſententiam Amyraldi; nam ſignum fuit arboris vitæ in cœlo, in beatitudine, ut conſtat ex *Apoc. 2: 7. & 22: 2.* Hactenus Beatus Doctor. Porro monent Interpretes; ſi arbor hæc ideo fuiſſet dicta Arbor vitæ, non quod vitam homini conferret, qua jam ante preditus erat, ſed ut ſymbolum ac memoriale eſſet vitæ divinitus acceptæ, non caviſſet Deus, ne homo extendat manum ſuam accepturus de Arbore vitæ, & comedens vivat in ſeculum: nec etiam per Cherubum viam ad hanc arborem cuſtudiviſſet.

II. AB ARBORE VITÆ, CUR DEUS HOMINEM PROHIBUERIT?

CAUSAM ipſe Deus inſinuavit, videlicet; *ne vivat in æternum. Gen. 3: 32.* quaſi diceret. Ne miſeram illam vitam, in quam homo per peccatum inciderat, eſu fructuum illius arboris nimiopere prorogaret, ſed ſuperſtite & inacceſſa ſæpius eum damni admoneret,

ret, & perfruendi deſiderium acueret. Poſt lapſum, judice Fagio, bonum erat homini cito mori, & miſericordia Dei erat, quod hominem paradiſo expulit. Sic ademit occaſionem peccandi, & peccati eum admonuit & pœnitentiæ meditandæ. Nec enim dubitant Doctores noſtri aſſerere, fructum illius arboris potuiſſe in perpetuum vitam hominis propogare. Id aperte, inquit Urſinus, videtur dicere Deus. Certum tamen eſt, refero ejusdem verba, homini protoplaſto immortalitatem quandam ſive potentiam non moriendi, fuiſſe concreatam & ſuo modo naturalem. Certum ad plenam & beatam vitam æternam, nullis naturæ viribus, ſed Dei gratia fuiſſe perducendum. Hoc erat prœmium promiſſæ obedientiæ, quod colligitur e contrario ex comminatione illa: *morte morieris*, *Gen.* 2: 17. addita prohibitione eſus de arbore ſcientiæ:

Quod ſi quis vetitum præſumſerit arbore pomum
Audax commiſſum mortis diſcrimine pendet:
Non immenſa loquor, facilis cuſtodia recti.
Servator vitam, mortem temerator habebit.

Sic bene *Alcimus Avitus.* Certum igitur arboris hujus virtutem ſpectaſſe continuationem vitæ illius animalis, ad quam primus Adam fuerat primo creatus 1 1 *Cor.* 15: 45. Non igitur, Si Adam lapſus comediſſet de illius fructu, ideo æternam illam ſpiritualem vitam conſequutus fuiſſet: mortem tamen naturalem, qua corpus & anima divelluntur, effugiſſet: ſed idem in morte ſpirituali hæſiſſet ſemper & ſuo tempore incidiſſet quoque in æternam. Vitam ergo duxiſſet ſempiternam, ſed omnimode miſeram, & quæ mors potius quam vita fuiſſet. Atque ita luiſſet a Deo intentatum inobedientiæ ſupplicium, nullumque percepiſſet ex temerario eſu commodum, omne in poſterum excluſurus remedium, ſimilis jam factus Diabolo, qui felicitatem perdidit, æternitatem non amiſit, ut ſit ejus infelicitas æterna & infelix æternitas, ut bene dixit Rupertus Titienſis. Et hinc jam patet, cur e paradiſo excluſus fuerit, ac cuſtodia adhibita, ſcilicet, non invidia Dei, ſed miſericordia, ne peccator perſeveraret, malumque ejus eſſet interminabile & immortale, ut ait *S. Irenæus lib.* 3. *cap.* 37. Hæc *Urſinus Arb. Biblic. cap.* 45.

III. AN ARBOR VITÆ UNA TANTUM FUERIT IN SPECIE SUA?

MERCERUS *Comment. in Geneſin*: Quanquam parvi referat Arborem vitæ & arborem ſcientiæ boni & mali vel pro duobus accipere individuis, vel pro duplici arborum ſpecie; video tamen & noſtros & Hebræos magis illud ſequi, ut duo tantum fuerint individua arborum, ex quibus poſtea tota terra erant propaganda, in uſum totius poſteritatis Adami. *Jacobus* quoque *Bonfrerius a Geneſ. p.* 117. veriſimile eſſe ſcribit, unicam tantum fuiſſe arborem vitæ; id enim Scripturæ verbis videtur convenientius: neque vero pluribus fuit opus, cum duo initio tantum eſſent homines, & una illa, etſi multo plures fuiſſent, ſuffeciſſet, cum non eſſet illa quotidianus cibus, ſed ſubinde tantum per modum medicinæ ſumeretur. Aucto tamen humano genere, nihil vetat dicere, hanc arborem propagandam, ſive in Paradiſo, ſive forte etiam extra Paradiſum, ad eum modum, quo cæteræ arbores propagantur.

IV. ARBOR VITÆ ALTERA.

INITIO rerum condita fuit Arbor vitæ, quæ primo homini, adhuc integro, corporis immortalitatem conſervaret. Hac per lapſum cum ingentibus animæ dotibus amiſſa, ineffabili & immenſa commiſerantis Dei bonitate, homini per Chriſtum a morte redemto, alia vitæ & incorruptibilitatis arbor parata & manifeſtata fuit. Illa videlicet, de qua *cap.* 22: 1, 2. *Apocal.* divus Johannes: *Oſtendit mihi Angelus purum fluvium vivæ aquæ, ſplendidum inſtar cryſtalli, procedentem ex throno Dei & Agni.* Purus fluvius deſignat Spiritum Sanctum a Patre & Filio qui eſt Agnus ille ab origine mundi occiſus, ab æterno procedentem. 2. *In media vero platea ejus*, in media Hieroſolymæ novæ beatorum civium ſedis, area, *& ex utraque parte fluminis*, id eſt quocunque ferebatur Sanctus Spiritus *erat Arbor Vitæ*, erat gratia Sancti Spiritus, quæ corporibus beatorum vitæ & ſanitatis ſtabilitatem communicabat: *ferens fructus duodecim*, uno partu, fructus duodenorum generum. Hi ſunt 1. ſpiritualitas, 2. inviſibilitas, 3. impalpabilitas, 4. illocalitas, 5. ſubtilitas, 6. agilitas, 7. impaſſabilitas, 8. immortalitas, 9. incorruptibilitas, 10. firmitas & ſanitas, 11. claritas, 12. formoſitas; *Per menſes ſingulos edens fructum ſuum*, non bifera tantum vel trifera, ut vitis & cupreſſus, ſed citri in modum toto anno, imo per omnem æternitatem fertilis. Nec enim ei accidit, quod arbo-

ribus aliis, quæ fructibus ſuis laborant, ac protinus moriuntur, cœlo fœcunditatem omnem eblandito. *Et folia ſua (ferens) ad ſanationem gentium.* Perpetua Spiritus Dei protectione & inumbratione beatarum gentium valetudinem tuente & conſervante.

V. Arbor Vitæ Christus.

Repræsentat Chriſtus arborem vitæ, non ut typum antitypus; typum puta, quæ Mediatorem Chriſtum in actionibus, vita, paſſione & morte præfiguraret. Mediator enim Adamo integro, in cujus gratiam arbor vitæ procreata, nec neceſſarius fuit, nec promiſſus. Poteſt tamen cum arbore vitæ comparari Chriſtus, prout res & perſonæ in ſacris comparari & conferri cum Deo ſolent, quæ, ſi proprie & ſpecialiſſime vocabulum accipiatur, typum Dei non gerunt. Sic Chriſtum cum Arbore Vitæ *Glaſſius* comparavit, quem ea de re, licet copioſius, Tractatu de arbore vitæ, aptiſſime tamen diſſerentem, non moleſtum erit audire, Redemtoris ſui dignitatem & beneficia cupide & libenter recolentibus. Deſcribit Vir excellentiſſimus Chriſtum velut Arborem Vitæ. I. Quoad radicem, quam dicit eſſe dilectionem Dei Patris ſummam & immenſam. Radici eam comparari poſſe, 1. propter Filii miſſionem. Sicut enim arbor ab radice originem trahit, abſque qua ſi eſſet, arbor plane non eſſet: ita quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus in mundum venerit, oriri ex ſola Dei gratia & miſericordia Dei Patris, abſque qua ſi fuiſſet, nos homines in æternum manſiſſemus abſque Chriſto, abalienati à vita, quæ in Deo eſt *Eph.* 2: 12. *c.* 4: 18. hanc Dei dilectionem ita commendat Johannes 1 *ep.* 4: 9, 10. & Zacharias Pater Baptiſtæ *Luc.* 1: 78. 2. Propter beneficiorum collationem. Omnes fructus arboris principaliter ſcilicet originaliter adſcribendi ſunt radici, quæ ſi juſta, bonos profert, ſi læſa exiguos aut nullius pretii; ſic omnia beneficia, quæ a Jeſu habemus, ortum habent ex radice dilectionis divinæ. *Eph.* 1: 5, 6. *Coloſſ.* 1: 12, 13. Et velut ex arboris radice etiam protruduntur ſurculi ſive ſtolones minus neceſſarii: ita ex hac radice divinæ dilectionis & gratiæ ſimul progerminant omnis generis dona & beneficia corporalia, quæ nobis velut προσθήκην quandam Deus adjicit. *Matth.* 6: 33. *Act.* 14: 17. *Pſal.* 65: 10.

II. Deſcribit Chriſtum per ſimilitudinem Arboris vitæ ex iſtius productione. Harum, inquit, una eſt arcana & æterna, altera eſt manifeſta & temporaria. Arcana & æterna eſt, qua Deus Pater,

ter, velut radix hanc arborem vitæ ex divina ſua eſſentia ante omnem æternitatem genuit, inde & in aureolo illo *Joh.* 3: 16. Unigenitus Dei filius nominatur. De quo Eccleſia: Corde natus ex Parentis ante mundi exordium. De arcano hujus productionis myſterio ſcite Ambroſius *libro de Fide ad Gratianum: Impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantum, ſed & Angelorum.* Et *Nazianzenus libro* 3. *de Theolog.* Γέννησις Θεȣ̃ σιωπῆ τιμάσθω. Manifeſta & temporaria productio conſiſtit in eo, quod Deus filium ſuum mundo dedit, ut in ipſo vitam haberent tam ſpiritualem quam æternam. *Joh.* 3: 16. *c.* 10: 11. *Joh.* 5: 2. Manifeſtam dicimus hanc productionem, ita enim nos edocet Apoſtolus 1 *Tim.* 3: 16. *Deus manifeſtatus eſt in carne.* Temporariam quoque appellamus productionem itidem edocente Apoſtolo *Gal.* 4: 4. Hæc productio eleganter delineatur à Johanne *c.* 1: 14. In prophetiis Veteris Teſtamenti promiſerat Deus hanc vitæ arborem *Jeſ.* 11: 1. *Jerem.* 23: 6. *Ezech.* 17: 22. *Zach.* 6: 13. cum igitur impletum eſſet tempus, productioni arboris vitæ deſtinatum, prodiit hoc virgultum e radice Jeſſe, natum e Maria Virgine, circumciſum mox in infantia, hinc portatum in Ægyptum, anno ætatis 30. excellentiſſimos protulit fructus, donec in paſſione exſcinderetur.

III. Deſcribitur à proprietatibus & attributis. Arbor vitæ in Paradiſo fuit arbor deſiderabilis ad aſpectum. *Gen.* 2: 9. Filius Dei eſt imago inviſibilis Dei. *Col.* 1. Splendor gloriæ paternæ, & character ſubſtantiæ ejus, *Hebr.* 1. 3. Pulcherrimus hominum *Pſal.* 45. per quem nobis datum, ut in oculis Dei grati & acceptabiles inveniamur. Arbor eſt unica. Unicum erat individuum Arbor vitæ in Paradiſo cujus eſum & uſum Deus protoplaſtis commendaverat ad prorogationem vitæ; ſed una cum paradiſo intercidit, illius arboris uſus ſtatim poſt peccatum protoplaſtis ablatus & interdictus; dedit ergo Deus hominibus aliam nobiliorem & præſtantiorem illa paradiſiaca τὸν μονογενῆ ὑιὸν, qui uti ſolus ex eſſentia Patris prodiit lumen de lumine, Deus de Deo: ita ſolus & unicus nobis hominibus eſt arbor vitæ, ſeu origo vitæ & ſalutis æternæ. *Act.* 4: 12. *Ecc.* 45: 22. Arbor eſt in medio horti ut illa Paradiſi. *Gen.* 2: 9. Datus enim Chriſtus toti mundo in arborem vitæ, ac expandit ac diffundit ſeſe tam late, quam late ſe diffundit mundus. 1 *Joh.* 2: 2. 1 *Tim.* 2: 4, 5, 6. non in horto concluſo, ſed

ſub

ſub dio ad ſalutem omnium proſtat, nemini præcluſus ad ipſum aditus. *Matth.* 11: 28. *Joh.* 6: 37.

IV. Deſcribitur hæc arbor quoad fructificationem. Ob fructus arbor habetur. Ea fert nobis fructum nobiliſſimum, qui eſt vita æterna. Conſideranda autem א hujus fructus qualitas ſeu proprietas. ב. Varietas. א. Qualitatem quod ſpectat eſt is. I. ab omni malo puriſſimus, Von allem böſen und unheil weit abgeſondert. Omnes aliarum arborum fructus habent aliquid impuritatis habent in ſe principium putredinis & corruptioni tandem fieri coguntur obnoxii. Hic vero fructus arboris vitæ non eſt ita comparatus, nulla in illo labes, nulla putredo, nulla corruptio extimeſcenda. In vita enim æterna aberit *primo* omne peccatum, cui heic ſumus obnoxii. *Rom.* 7: 25. *Job.* 15: 14. Nam illic non erit amplius. *Eph.* 5: 27. *Jeſ.* 60: 18. In vita æterna etiam aberunt peccati cauſæ, caro ſcilicet mundus & Diabolus. *Gal.* 5: 17. *Jacob.* 1: 14. 1 *Pet.* 5: 8. quos abolevit Dominus *Jeſ.* 32: 17, 18. 1 *Cor.* 15: 24. A vita æterna aberunt etiam peccati pœnæ, omnis generis mala & moleſtiæ *Pſal.* 90: 11. *ſecundo*, mors temporalis, quæ in hac vita non emanet, poſt exantlatas plurimas afflictiones, ſed in vita æterna abolebitur. *Jeſ.* 25: 7, 8. *Apoc.* 21: 4. *tertio* mors æterna, quam interdum in ſummis tentationibus pii in hac vita ſentiunt & experiuntur *Pſal.* 88: 2. 3. Mitten in der hollen angſt unſre ſünd uns treiben! Mitten in den Tod anſicht uns der höllen rachen! ſed illic erit devicta & implebitur promiſſio Domini. *Hoſ.* 13: 14. II. Fructus Chriſti ſuavis eſt & jucundiſſimus. Arbor vitæ in Paradiſo fructus ferebat jucundos & ſuaviſſimos, quorum virtute potuiſſet homo reficere vires & vitam prorogare: fructus noſtræ arboris vitæ, Jeſu, ſuperant multis modis fructus arboris illius, non enim nobis dat vitam modo temporalem, ſed nobis adfert vitam æternam. In præſenti vita eſt mors vitalis, & vita mortalis. 2 *Sam.* 14: 14. *Rom.* 7: 25. *&* 8: 10. Sed in futura vita non erit mors, non metus mortis, non prodromus mortis illius, ſed pura jucunditas, & jucunda puritas. III. Fructus Chriſti eſt durabilis & æternus. Fructus arboris ventis commoti decidunt & putreſcunt: fructus arboris vitæ in paradiſo una cum ipſa arbore interierunt olim in diluvio: ſed fructus Jeſu noſtri incorruptibilis eſt & durabilis in æternum, nec poteſt vel a poteſtate Diabolorum vel ab inferno, vel a morte dejici. 1 *Pet.* 1: 4. *Jeſa.* 51: 2. *Hebr.* 10: 34. ב. Varietatem hujus fructus

quod attinet, ii poſſunt diſpeſci in tres principales, quorum I. eſt; Interna beatorum glorificatio, de qua Apoſtolus *Rom.* 8: 30. Quos juſtificavit, hos & glorificavit. Glorificationem alias ita definit: quod Deus electis ſuis erit omnia in omnibus. 1 *Cor.* 15: 25. erit congeries omnium bonorum, omnia ſcilicet collective in omnibus electis. Ex quibus elucet; *Primo*, quod electi in Deo, velut proprio & adæquato ſubjecto ſummam ſalutem, beatitudinem & gaudium ſint habituri, juxta verba *Auguſtini*: " Ipſe " finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine " faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic " affectus, hic actus profecto erit omnibus, ſicut ipſa vita æter- " na communis ". II. Sequitur æternam vitam conſiſtere in perfecta dilectione, qua electi Deum in æternum amabunt, eique adhærebunt. Ea enim eſt natura ſummi boni, quod, quo diutius id contemplamur, eo magis ad dilectionem ejus inflammamur. 1 *Cor.* 6: 17. 1 *Joh.* 4: 7. III. In perfecta Dei celebratione. *Pſal.* 84: 5. *Jeſa.* 24: 24. 65: 14. *Secundo*, ex interna beatorum glorificatione elucet, quod electi in viſione hac beatifica iterum pervenient ad reſtaurationem divinæ imaginis plenariam & perfectiſſimam 1 *Cor.* 15: 49. 1 *Joh.* 3: 2. quæ reſtauratio multo majorem in ſe complectitur gloriam, quam erat illa, quam Adam perdiderat. Animæ enim beatorum ornabuntur. 1. Cognitione perfectiſſima. In hac vita ſummus noſtræ ſcientiæ gradus eſt verbum defectivum, cujus clauſula eſt, cætera deſiderantur. 1 *Cor.* 13: 9. Ex parte cognoſcimus. Modicum ex multo cognoſcimus. Maximum eorum, quæ ſcimus eſt minimum eorum, quæ ignoramus. Sed illic ceſſabit imperfectio. 1 *Cor.* 13: 10. Omnes erimus Θεοδίδακτοι. *Jeſ.* 54: 13. *Jere.* 3: 34. In hac vita non poſſumus cognoſcendo aſſequi fidei myſteria, articulum de Trinitate, de generatione Filii Dei æterna, de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio, de arctiſſima duarum in perſona τȣ̃ λόγȣ naturarum unione, de ejus præſentia in cœna, & cæteris, quæ quidem credimus, modum autem ignoramus. Sed in vita æterna ejusmodi myſteria nobis non amplius erunt abſcondita, ſed plane & perfecte a nobis cognoſcentur. 2. Beatorum animæ ornabuntur ſanctitate eminentiſſima. In hac vita licet nos liberaverit filius Dei, *Joh.* 8: 36. remanet tamen in nobis mala radix amaritudinis, *Rom.* 6: 12. Illic autem omnino liberi erimus ab omni mala cupiditate, ab omni mala voluntate, ab omni pugna

affe-

affectuum, plenarie ſancti, perfecte juſti. *Eſa.* 65: 17. *Eph.* 5: 27. *Apoc.* 3: 4, 5. Corpora itidem beatorum fulgebunt 1. immortalitate & incorruptibilitate. 1 *Cor.* 15: 43, 50, 53. *Luc.* 20: 35. *Phil.* 3: 21. Fulgebunt 2. claritate. Erunt ibi omnes perilluſtres & illuſtriſſimi, reſurgentes in δόξῃ 1 *Cor.* 15: 43. *Matth.* 13: 4. *Dan.* 10: 6. Fulgebunt 3. formoſitate, *Jeſa.* 62: 3, 4, 5. *Jeſa.* 40: 29. Gaudebunt 4. robore & firmitate. *Apoc.* 3: 6. 12. *Pſal.* 61: 16. Reſurgent ἐν δυνάμει 1 *Cor.* 15: 43. Angelis ſimiles, quorum firmitatis exempla vide *Pſal.* 103: 20. *Dan.* 6: 22. *Jeſa.* 37: 36. 5. Gaudebunt ſubtilitate, reſurget corpus πνευματικὸν, ait Apoſtolus, 1 *Cor.* 15: 44. Fructus SECUNDUS principalis arboris vitæ noſtræ eſt externa & amiciſſima conſociatio, die überliebliche und freundliche gemeinſchaft und vereinigung / darinn die auſerwehlten ewiglich leben werden. Erit hæc primum cum Sacroſancta Trinitate. Semper erimus cum Domino, ait Paulus 1 *Theſſ.* 4: 17. quæ non eſt mera externa converſatio, ſed ſimul ſacratiſſima quædam unio cum Deo noſtro, præcipue cum dulciſſimo noſtro Sponſo Jeſu, Dei Filio, *Joh.* 17: 24, 25. 2. Cum Sanctis Angelis qui ſicut in hac vita ſe piis aſſociant eoſque in viis ſuis tuentur, nec non pœnitentia illorum exhilarantur *Pſal.* 34: 8. *Pſal.* 21: 11. 12. *Hebr.* 1. *ult.* *Luc.* 15: 7. ita multo magis illic perfecte Sanctorum & electorum gaudebunt converſatione & conſortio. *Eph.* 1: 10. 3. Cum electorum & beatorum choro *Johan.* 11: 52. *Luc.* 13: 28. *Apoc.* 7: 4. Ex hac conſociatione & converſatione orietur 1. Notitia clariſſima, daß alle auſerwehlten im ewigen leben ein ander recht und gründlich kennen werden. 2. Dilectio jucundiſſima ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται τὸ ἐρᾷν: *Anshelmus proſolog. c.* 75. *Juſti diligent Deum plus quam ſe ipſos, & invicem tanquam ſe ipſos; & Deus illos, plus quam illi ſe ipſos, quia illi illum, & ſe invicem per illum; & ille ſe & illos per ſe ipſum.* 3. Lætitia ſinceriſſima, ex communi felicitate, ex amiſſorum & diſciſſorum reunitione, ex omnis ulterioris diviſionis abſentia & negatione. 4. Collocutio ſuaviſſima *Matth.* 17: 3. 5. Laus Dei ſempiterna. TERTIUS Fructus principalis conſiſtit in jucundiſſima habitatione. Hic habitamus in domibus luteis, *Job.* 4: 19. Sed illic erit habitatio excellentiſſima, Civitas cœleſtis, quæ nunquam interibit, cujus artifex Deus ipſe. *Hebr.* 11: 10. Excellentia ejus patet ex nominibus, quibus in Scriptura decoratur. Vocatur *Cœlum. Matth.* 5. *novum cœlum* & *terra nova.* 2 *Pet.* 3. *Apoc.* 21: 1.

1. vocatur *Paradiſus Luc.* 23: *Sinus Abrahæ. Luc.* 16: item *domus Patris cœleſtis Joh.* 14: 2, 3. nec non *tabernaculum Dei Apoc.* 21: 3. *æternum tabernaculum*, *Luc.* 16: 9. *Patria* noſtra *Hebr.* 11: 14. *Philip.* 3: 20. *Terra viventium Pſal:* 27: & 116. *Hieruſolyma cœleſtis. Hebr.* 12: 22. *Apoc.* 21: 2, 10.

VI. SAPIENTIA ARBOR VITÆ. *Prov.* 3. 18.

SAPIENTIA *Arbor vitæ eſt prehendentibus illam*, *denique tenentium eam beatur quiſque.* Ex ore Dei veniens in animum ſapientia *Pro.* 2: 6. 10. vitam & immortalitatem adfert quærentibus atque amplectentibus, cunctiſque eam tenentibus, beatiudinem.

VII. JUSTITIA ARBOR VITÆ.

Prov. 11: 30. FRUCTUS *Juſti* ut *Arbor vitæ* ſalutaris & *aſſumit animas ſapiens.* לקח נפשות aſſumit animas, id eſt, a moleſtiis aufert, liberat, ſalvat: quo etiam ſenſu obvenit verbum לקח *Pſal.* 18: 17. Mittens ex edito יקחני aſſumit me, extrahit me ex aquis multis: eripit me ab inimico valentiore.

VIII. ARBOR VITÆ EXPLETA DESIDERII EXPECTATIO.

Prov. 13: 12. SPES *protracta ægrum afficit animum : arbor autem eſt vitæ deſiderium veniens*; id eſt, animum levat ægritudine, erigit, firmat, reficit hilaratque.

IX. SERMO SANUS ARBOR VITÆ.

Prov. 15: 4. SANITAS *linguæ arbor vitæ ; perverſitas autem ex ea, velut confractio a vento.* id eſt ſermo ſincerus & doctrina ſana incolumitatem & ſalutem præſtat homini : vitioſus autem & corruptus calamitatem creat & perniciem.

X. ARBOR CUJUS FRUCTU GUSTATO PRIMI PARENTES CONDITORIS SUI GRATIA EXCIDERUNT. *Gen.* 2: 9.

ARBOREM hanc ſcientiæ boni & mali communiter omnes vocant. Si vim nominis Hebraici expendo explanatius locum hunc verterimus : Germinare fecit Deus &c. עץ הדעת טוב ורע Arborem ſenſus, *Senſus*, inquam, *boni & mali.* Arbor ſenſus eſt datura ſenſum, ut Arbor vitæ vocata, quæ datura erat vitam : ſenſum boni, perpetuæ vitæ, ſenſum mali, mortis & iræ divinæ, ſi Dei verbo repudiato fructu ejus veſceretur ידע ex quo verbum דעת derivatum, eſt ſentire, vel ſenſu percipere : *Gen.* 19: 35, 36. *de* Loto: לא ידע *non ſenſit dum concumberet illa*, *aut dum exſurgeret. Ju-*

8:

8: 16. *Aſſumtis ſenioribus civitatis ſpinaſque deſerti præbuit per eas ſenſum viris Succothanis. Prov.* 23: 35. Tondentibus me, non *ſenſi. Dan.* 5: 23. Deos argenteos & aureos, ferreos, ligneos & lapideos qui non vident, neque audiunt, neque *adeo ſentiunt* laudaviſti. 2 *Par.* 6: 29. Quum *ſentientes* quiſque plagam ſuam, & dolorem ſuum expandet manus ſuas verſus domum hanc, tunc tu exaudito de cœlis. Ita accipio quod legitur *Jeſai.* 5: 12, 13. *Opus manuum Domini non intuentur, & factum manuum ejus non vident. Idcirco migrat populus meus* מבלי דעת *quod careat ſenſu.* Fuerit ergo Arbor ſenſus boni & mali, Arbor cujus fructus intactus vitatuſque boni, comeſtus mali, ſenſum protoplaſtis præberet. Novi boni ſenſum intelligo confirmatam atque ſtabilitam a Creatore ſanctitatem & juſtitiam in creatione acceptam. Mali ſenſum dico mortis temporalis ſpiritualis ac æternæ, quæ imaginis divinæ privatio eſt. Hanc utique mortem violato Dei præcepto ſtatim ſenſerunt, ſicut ſcriptum eſt: Tunc aperuerunt ſe oculi eorum, ſenſeruntque ſe nudos eſſe. *Gen.* 3. 7.

Proxime igitur ad mentem Dei accedunt, qui cum *Auguſtino* & *Theodoreto* Arborem ſcientiæ *vel ſenſus* boni & mali ab eventu & experientia adpellatam cenſent. Ita autem de ea incomparabilis Doctor, *Tomo III. lib.* 9. *de Geneſi ad literam cap.* 14. " *Fieri non " poteſt, ut voluntas propria non grandi ruina pondere ſuper hominem " cadat, ſi eam voluntati ſuperioris præponat. Hoc expertus eſt homo " contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit, quid inte- " reſt inter bonum & malum; bonum obedientiæ; malum autem ino- " bedientiæ, id eſt, ſuperbiæ & contumaciæ, perverſæ imitationis " Dei & noxiæ libertatis.* " *Item Tomo V. lib.* 14. *de Civitate Dei cap.* 17. " *Aperti ſunt oculi amborum non ad videndum, nam & " antea videbant; ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, " & malum, in quod ceciderant. Unde & ipſum lignum, eo quod " iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vitium tange- " retur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni " & mali. Experta enim morbi moleſtia, evidentior fit etiam jucun- " ditas ſanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant: nudati ſcilicet " ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis, nulla eos lege peccati " menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod " felicius ignorarent, ſi Deo credentes & obedientes non committerent, " quod eos cogeret experiri infidelitas & inobedientia quid nocerent.* "

Sequitur Auguſtinum *Theodoretus Quæſtionibus in Geneſ. qu.* 26. ubi, interprete Johanne Pico ita fatur : *Lignum hoc ita dictum eſt, quia per ipſum ſentiri cepit peccatum. Et circa hoc quidem ipſi Adæ certamen indictum eſt. Lignum ſcientiæ dictum eſt ex eo, quod inde cepit eſſe ſenſus peccati. Cum enim peccati periculum necdum feciſſent, ac deinde vetitum fructum guſtaſſent, tanquam præcepti transgreſſores, conſcientiæ ſtimulos ſenſerunt.* Probat eandem ſententiam *Lutherus Comment. in Gen. p.* 21. *Auguſtinus*, inquiens, *& qui eum ſequuti ſunt, recte dicunt, ſic eſſe nominatam* hanc arborem *a futuro eventu.* Et paulo poſt *Habet autem nomen ſcientiæ boni & mali, ſicut Auguſtinus dicit, quia poſtquam in ea peccavit Adam, non ſolum vidit & expertus eſt, quid boni amiſerit, ſed etiam in quantam miſeriam per inobedientiam ſuam conjectus ſit.* Nec diſſentit *Bonfrerius*, Linguæ S. in Academia Duacenſi olim Profeſſor : *Vocata eſt*, inquiens, *hæc arbor a virtute ipſius arboris non phyſica, ſed morali, quod „ ſcilicet futurum erat, ut ad ejus guſtationem hæc pœna hominem ſeque- „ retur, qua ipſe experimento diſceret, quid inter bonum, quo ſpolia- „ retur, & malum quod incurriſſet, intereſſet.* Qua ratione optime defendi poteſt, etiam hanc arborem ſic vocatam ante peccatum. Et hanc poſteriorem rationem *D. Auguſtinus lib.* 8. *de Geneſi ad literam cap.* 25. ſequitur.

Ex quo genere arborum fuerit hæc arbor, quia ſine fructu diſquiritur, in eo inveſtigando, ſupervacuam operam haut ſumo. Quod nos inſtruat ad timorem Dei, id abunde docuerit hiſtoria ſacra. Quæ revelata non ſunt, utilius ignorantur.

Neſcire velle, quæ Magiſter optimus
Nos ſcire noluit, erudita inſcitia eſt.

DE ARBORIBUS POMIFERIS.

XI. תפוח MALUS.

MALUS arbor noſtratium nemini incognita. Gignit enim Wirtembergiæ ſolum eximii generis arbores plurimas, quarum fructus deſcribere & depingere dignatus eſt in *Hiſtoria Plantarum Johannes Bauhinus*, curioſiſſimus naturæ myſta. Hebræis malus dicitur תפוח ab odore fructus, quem exhalat jucundiſſimum atque diutinum, נפח enim eſt efflare, exhalare. Hinc halitum ſponſæ naribus miſſum Chriſtus fragrantibus comparat pomis, *Cant.* 7: 9. *Odor naſi*

tui

tui ſicut pomorum. Halitus narium in corpore ſalubri ſanitatis argumentum. Sanitas autem vitæ columen, imo ipſa eſt vita. *Martialis :*

Non eſt vivere ſed valere vita.

Sana autem Eccleſia eſt fide, charitate, tolerantia. *Tit.* 2: 2. Sanitas hæc obtingit a verbo divino. *Pſal.* 107. Mittens verbum ſuum curat ſuos. *Sap.* 16: 12. Neque herba, neque malagma curavit eos: ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.

XII. Pomorum fragrantia recreari ex desiderio sponsi ægra cupit Sulamithis.

Cant. 2: 5. Sustentate *me malis, nam ægra amore ſum.* Amore, id eſt, abſentis deſiderio, ut *Cant.* 5: 8. Ægritudinem cumprimis movet tenuitatis meæ & indignitatis conſcientia, & qui eam ſequitur, repudii metus. Rogo igitur eos, qui me ſalvam cupiunt, ut afflictam vini pomorumque odore, id eſt, jucundiſſimis fulciant ſolatiis, quibus ad ſpem præſentiæ ſponſi proximam revocata, nec deſiderio langueam aut liqueſcam, nec repudium ejus indignitas mea metuat.

XIII. Malus inter silvestres arbores, Christus hominibus et Angelis antelatus.

Cant. 2: 3. Ut *malus inter arbores ſilvæ, ita eſt amicus meus inter filios: in umbra ejus ſumme deſidero, ut ſedeam; nam fructus ejus dulcis eſt palato meo.*

Malus fructuum ubertate & magnitudine ſilveſtrium fructus longe ſuperat. Cedrides enim, quo nomine Cedri fructus appellatur, & quercuum abietumque glandes, quæ ſunt ſilveſtrium præſtantiſſimæ, nec malorum magnitudinem, nec ſuavitatem, nec pulchritudinem æquant. Ut igitur ſilveſtres arbores laude ſua longiſſime ſtant infra malos, ita, qui hoc loco Filii memorantur infra Sulamitidis ſponſum. Filios autem intellige homines Chriſto fideles & Angelos. Hi enim in ſacris paginis dicuntur filii, quibus præferri Chriſtus ſolet. Is autem I. fidelibus præſtat 1. Ortu. Non enim ſatus eſt viri immundo ſemine, non conceptus in peccato, ſed ſupra naturæ ſeriem ex intacta puraque Virgine natus, quam ſua virtute S. Spiritus fœcundaverat. 2. Præſtat gratia & pulchritudine. *Multo pulchrior effectus es filiis hominum: infuſa eſt gratia*

gratia labiis tuis. Pſal. 45: 3. *Regem in pulchritudine ſua videbunt oculi tui, Sion. Jeſa.* 33: 17. Omnis in ipſo enitet virtus omnis Sanctitas. 3. Fructibus ac donis, quibus cultores ſuos ditat: Ex plenitudine ejus omnes accipimus. *Joh.* 1: 16. Carne ſua & ſanguine ſuos nutrit, Spiritu Sancto & fructibus juſtitiæ replet *Philip.* 1: 11. vitam denique credentibus dat æternam. *Joh.* 3: 16. *&* 10: 28. II. Angelis præſtantior factus eſt Amicus Sulamitidis, *Primo*, Nomine. Deus quippe ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donavit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen. *Phil.* 2: 9. *Secundo*, Amplitudine honoris & Majeſtate. Ad quem Angelorum Deus dixit unquam: Sede ad dexteram meam. *Hebr.* 1: 12. *Tertio*, Fructu ſalutaris officii. Nec enim ſalutem Angelis debemus æternam. Nonne omnes ſunt miniſterii munere fungentes ſpiritus, qui miniſterii cauſſa emittuntur propter heredes ſalutis? *Hebr.* 1: 14.

XIV. SUB MALO EXCITATUS AMICUS SPONSÆ.

Cant. 8: 5. QUÆ *eſt illa, quæ aſcendit e deſerto, aſſervatura ſe dilecto ſuo? Illa ego ſum, quæ infra pometum excitavi te; loco, quo exortis doloribus, pernixa eſt te mater tua, quo, utero dolente, enixa eſt, quæ peperit te.* Exegeſis verborum ſenſu myſtico accipiendorum: *Quæ eſt illa, quæ aſcendit ex deſerto?* Per deſertum ſignificari volunt vel miſeriam hominis priſtinam, ſtatum ſcilicet nativitatis peccati & Satanæ, vel tenebras & ignorantiam, vel mundi delicias, vel gentilitalem vel gentem Judaicam. Nos vero quia deſertum heic eſt via, per quem ad Sponſi hoſpitium tendit Sponſa, illud de afflictionibus, per quas ad Chriſtum veniunt animæ fidelium, accipimus. *Aſcendit ex deſerto*, myrrha ſcilicet & thure ſuffumigata. *Cant.* 3: 6. Myrrha unguentum denotat Spiritus S. unctionem. *Pſal.* 45: 8. 1 *Joh.* 2: 20. Thus eſt, quod Angelus thuribulum habens aureum offert cum precibus Sanctorum, in altari aureo, quod eſt ante thronum Dei. *Apoc.* 8: 3. *Aſſociatura ſe dilecto*, per fidem, qua fideles Chriſto uniuntur. *Hoſe.* 2: *Epheſ.* 3. *Ego ſum, quæ infra Pometum excitavi te.* In expoſitione hujus dicti tanquam in latebra hærent omnes Interpretes. R. Salomo pomum intelligit imum montis Sinai, quod capiti Iſraëlitarum eſſet tanquam pomus. Miram vero hominis imaginationem, qui pedem Sinai montis ut pomi ſpeciem animo repræſentaverit. *Coccejus.* Pater malus arbor dici poteſt. Sub protectione Patris tui ſatis tuta eſſe non potui, ibi me inquietarunt improbi. Actum de me erat, &

& tu tamen dormiebas. Ita neceſſitas compulit me, ut te precibus excitatum in aciem deducerem. Ibi parturivit te mater tua, peperit te, id eſt, ibi patres te expectarunt, donec eis apparuiſti. *Synopſ. proph. Cant. p.* 13. & *Commentar. Cant.* 8. *p.* 78, 79. Non intelligo, quomodo ibi Patres Chriſtum exſpectaverint, ubi quotidie ipſum pepererunt. Præterea Patres adpellari matrem durior eſt translatio, quam ut probari ab accuratis ſcriptoribus aut exemplo conſimili firmari queat. Alii exponunt: Sub malo peccans in Eden, cauſſa fui, ut tu incarnatus exſcindereris. At עורר, non eſt exſcindi, ſed excitare, expergefacere. Noſtri, inquit *Mercerus*, Pomum, arborem crucis intelligunt, ſub qua genus humanum Chriſtum excitarit, ad ſe redimendum, atque illud: *Ibi te enixa eſt mater tua*, de Heva exponunt, ſed legunt, *ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata.* Verum ſupponunt, Pomum fuiſſe arborem illam, de cujus fructu ſerpentis inſtinctu Heva comedit, ut ſub eadem arbore reſtitutum fuerit genus humanum, ſub qua fuerit perditum: quum Scriptura non exprimat, quæ arbor fuerit, & de ea re controvertant Hebræi. Ipſe vero *Mercerus* pomum intelligit *Sponſum*, quaſi dicat amica, ſub pomo, id eſt, ſub te ipſo te excitavi. Excitavi te, inquam, ut mihi faveres, me ſub umbram illius, id eſt, tuam reciperes, atque illic, velut mater tua, te genuit, quia illic cum me ſub umbram illius, id eſt, tuam recepiſſem, & ad tuam clientelam confugiſſem, velut genitus es, & mihi factus in præſidium. Ita de toto hoc loco ſenſerim: nam ſingula alioqui accommodare difficile eſt. fol. 644. b. Sed & iſta nobis diſplicent 1. quia contextus arguit, Pomum deſignare locum, ubi ſponſum genitrix ſua peperit: 2. quia obſcura & violenta eſt expoſitio: *Excitavi te ſub te.* 3. Quia nec deſideriis noſtris, nec tutela, nec præſidio ſuo gigni in Scripturis Chriſtus perhibetur. 4. Interpretamentum hoc a nativo ſenſu vocum præter neceſſitatem longiſſime diſcedit. Proprie dictam matrem arguit trigemina ejus adpellatio, nempe *matris*, *cum dolore enitentis*, *denique genitricis.* „ Et obſervandum omnino hic eſt, in allegoricis loquutionibus non „ omnia figurate & allegorice dici. Itaque pomum ſeu pometum, (ſæpius enim arborum nomina pro plantariis accipiuntur) & matrem ſponſi ſine tropo κατ᾽ ἐπ☉ dictam interpretabor: *Illa ego ſum, quæ excitavi te inter frugiferæ Ephrathæ, ſeu Bethlehemi urbis, pometa, ubi te, dolente utero, enixa eſt mater tua, ubi enixa eſt, quæ pe-*

perit te, Maria. *Ibi te ex utero materno excitavi*, *ut non niſi mei cauſſa*, *meoque bono naſcereris*; *ibi ſalutis mei cura infantiam tuam inquietavit*, *ibi adhuc lactentis quietem turbavi*, *ubi de me ſollicitus effuſo ſanguine legi divinæ ſubjectus circumcidebaris*, *factus mihi ſponſus ſanguinum. Iſthinc etiam*, *ut ſervarer*, *e cunis noctu raptus*, *transportari te in exilium paſſus es*, *quo factum*, *ut gratia & affectio tua viam mihi ad cœleſtem patriam aperiret.*

XV. A POMORUM UBERTATE NOMEN FACTUM URBIBUS.

ITAQUE *Thappuach* dicta I. Urbs Judæ, in campo illo poſita, qui late ad Eleutheropolin porrectus jacet, *Joſu.* 12: 17. II. Altera in Ephrajimi hereditate ad Mare Mediterraneum. *Joſ.* 16: 1. III. *Beth-thappuach*, id eſt, locus malorum, Urbs Judæ, quæ trans Raphiam extabat, verſus Ægypum, in Palæſtinæ extremitate, *Joſu.* 15: 53. IV. *Thappuach* in termino Manaſſis, urbs Ephrajimitarum *Joſu.* 17. quæ & *Hen Thappuach*, *ibid. verſu ſepi mo.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE PALMA.

THAMAR palmæ nomen *ab admiratione dictum. Palmæ figura*, *ſolum natale*, *radix*, *caudex*, *coma*, *ſpathæ ſeu rami*, *frondes*, *folia.* De fructu palmæ. *Ex ea fluens ſuccus* debaſch *adpellatur. In palma Veneris intellectus.* Sexus palmæ. *De ſexu ſcriptura ſilet.* Palmarum differentiæ. *Caryotæ in Judæa. Tzin genus palmæ humilis in deſerto Cades*, *& alibi. Bdellifera aliis Mokel dicta*, *diſtincta a bdellio Chavilæo.* Emblemata a palmis deſumta. *Palma longioris ævi ſymbolum.* Phœnix *in Græca verſione Pſalmi* 92: 13. non eſt avis. *Palmæ ſtatura Eccleſiæ Chriſtianæ ſpecies*; *rectitudinis*, *roboris*, *patientiæ*, *& victoriæ ſymbolum. Ubera Sulamitidis cum botris palmarum comparata. Cant.* 7: 8. *Palmæ utilitates innumeræ*; *innumeræ etiam Verbo Divino. Palmarum rami in ſolennibus gaudiis & in pompa geſtati. Palma victoriæ ſignum. Palmarum cælaturæ in parietibus templi*, *emblema Principum*, *qui ad Eccleſiam oculos intendunt. Palmarum imagines in portis. Palma in baſibus luterum templi quid ſignificent. Palma opere continente gentilium idola.* Palmarum cæduæ ſilvæ. Lo-

ca

ca palmarum natalia. *Elim*, *Palmetum in monte Ephrajim*, *Bahal Thamar*, *Palmarum civitas Hierichus*, *Engedi*, *Thamar ſeu Thadmor*, *id eſt*, *Palmirene*. *Thamar palmifera auſtralis*, *Tzin deſertum palmis minoribus fertile*. *Palma Hieroſolymitana*; A palmis ducta proverbia.

I. Palmæ nomen, figura, solum natale, radix, caudex, coma, rami, frondes, folia.

Palma Hebræis Chaldæiſque תמר *Thamar* vel תמר *Thomer* dicta conciſis nominibus, ex integris תדמר vel תדמור, quæ derivantur ex verbo דמר mirari, admirari, Chaldæis ſcriptoribus frequentiſſimo. ד litera poſt ת homogeneum eliſa; uti factum nomine תבור, ex תדבור formato. Certe *urbs eadem* ejuſdem urbis ſynonymon דברת ab eodem themate petitum, & נהלל quod tertium ejus nomen ab eadem mente. Nam & נהל & דבר eſt ducere. Nec dubitare nos de hac expoſitione ſinit locus 1 *Reg*. 9: 18. ubi ת"מור ſymbolice ſcriptum, literis vocem תמר, punctis vero תדמור ſignificantibus. Itaque & Jonathan Chaldæus Paraphraſtes Thadmor urbem Thaamram vocavit, & a Syris dici Thadmoram, quæ Græcis ſit Palmyra, unde Palmirenæ ſolitudines, Joſephus teſtatur. Ab admiratione autem merito appellitatam Palmam dactyliferam cenſebit, qui arboris naturam atque dotes plane ſingulares noverit. Tota facie partiumque *figura* disjungitur ab arboribus aliis, ita diſſidet ab iis radice, caudice, coma, fronde, fructu. Gignitur levi ſabuloſaque terra, majore in parte & nitroſa. Gaudet & riguis, totoque anno bibere cum amet, anno ſitienti. *Radice* nec alta nititur, nec etiam lata. Unde & Alpino, qui de plantis Ægyptiis commentatus eſt, miraculo fuit, unde tanti caudicis tantæque molis arbor tam exigua radice contra ventorum injurias conſiſteret. Ægyptios utique hac re permotos credere, non ſuis radicibus palmas ſuſtineri, ſed a cacumine, quod cor vocitant, arbori alimentum eſſe. Experimentum eos ex eo capere, quod corde excemto palma exareſceret, radice autem inciſa nihil ei tale contingeret. *Caudex* eſt rectiſſimus, ſimplex & μονόβλαστος figuræ cylindraceæ, niſi verticem verſus pauliſper gracileſceret. Craſſities caudicis tanta eſt ut pro diverſo arboris vigore, plus minus ſeſqui orgyiæ menſuram in ambitu complectatur. Longitudo ætati reſpondet; Excelſiſſima orgyias octo

 hoc

hoc cœlo rarenter aſcendit. *Cortice* donatus caudex non eſt, ſed ab injuriis ſe junior tuetur partibus frondium ab amputatione reſiduis, quas pollices nuncupant. Horum accurata eſt diſpoſitio, ſenis ſemper numero ſuperficiem juxta in orbem ambientibus, ita ut ex interſtitiis, ſeni ſuperiores alii decuſſato ordine provehantur. *Coma*, pro arboris diverſo ſtatu, quadraginta ad minimum, ad ſummum octoginta abſolvitur frondibus, inſolito ordine in orbem ſparſis. Primo enim in ſummo vertice gemma exiſtit ingens, cono ſimilis, ex frondibus proxime naſcendis compacta, bicubitalis circiter longitudinis, anguſta & in acutum apicem producta. Hanc proxime frondes ſtipant recentiores, nondum ſatis explicatæ, nec ultra gemmæ longitudinem protenſæ, quas ambiunt inferiores aliæ atque aliæ, perfectæ longitudinis, alternatim poſitæ, magiſque ſemper a vertice reflexæ, donec poſtremæ in arcum curvatæ horizontem verſus extendantur.

Ex frondium axillis prodeunt ſuis quique *ſpathis ramoſi* ſpadices, floribus in palma maſculina, fructibus in fæminea fœcundi. *Frons* palmea ingens & ramorum æmulæ magnitudinis ala, longitudinis trium circiter orgyiarum, utrimque ex foliis arundinaceis ſecundum longitudinem pinnata. Partes ei ſunt coſta, ſpinæ & folia. Coſta ex principio brevi lato & compreſſo in anguſtam trium orgyiarum longitudinem extenditur, ſuperficiem exhibens glabram, & nitentem, coloris herbei, in baſi annoſa luteſcentis, ſupernam faciem convexam, inferiorem in principio concavam, in progreſſu quodammodo canalicutam. Spinæ frondium foliorum rudimenta ſunt, quæ in ipſa coſta utrinque prodeunt, primo rara ac brevia, mox denſiora ac longiora, donec abſoluto cubitali ſpatio, foliorum formam lenta mutatione induant. *Folia* frondium ſunt perennia, pennata, arundinacea, denſiſſima & indefiniti numeri, primum brevia vix ſpithamam longa, mox in majorem longitudinem producta, donec mucronata extremitatum circumſcriptione ad finem coſtæ deficiant.

II. DE FRUCTU PALMÆ.

FOETUS ſuos haut arborum cæterarum ritu parte gignit promiſcua, ſed eos in ſummo tantum caudicis faſtigio, e frondium axillis egerit, racemis inſtar ſcoparum, ingentibus conſitos, cum quibus adhuc tenelli vagina quaſi coriacea arcte compacti obvolutique reconduntur. Hæc nos docuit *Phœnicis Perſici Scriptor* diligentiſſimus

tiſſimus *E. K. Relatione quarta*, §. 12. *&* *quinta*, §. 1. Solent hos palmæ fœtus Græci recentiores vocare Dactylos, non, ut vulgo creditum, a figura digitorum, quos minime referunt; (Pomum quippe caryotiferæ palmæ, citrium malum forma & magnitudine exæquans, longe a dactyli vel digiti imagine recedit;) ſed a Syriaca voce דקלא vel דגלתא quæ palmam ejuſque fructum ſignificat. Idem fructus, atque ex eo fluens ſuccus, a dulcedine mellis, דבש Hebræis, & Arabibus دبس *dibſon* dicitur; quin & olim Scenitæ Arabes palmam optimam Dabuſam appellarunt, teſte Juba *ap. Plinium H. N.* 13. 4. De hoc dactylorum melle *Joſephus lib. V. de Bell. Jud. cap.* 3. ubi de valle Hierichantina: Pulcherrimos paradiſos ac denſiſſimos educat, palmarumque irriguarum multa genera, tam ſapore, quam nominibus varia. Τȣ́των οἱ πιότεροι πατȣ́μενοι, καὶ μέλι δαψιλὲς ἀνίασιν, ȣ̓ πολλȣ͂ τȣ͂ λοιπȣ͂ χεῖρον: *Harum pinguiſſimæ calcatæ plurimum mellis emittunt, non multo deterius alio melle.* Confirmat hoc *Plinius* de Judææ palmis: Dos his præcipua ſucco pingui lactentibus, quod vini ſapore in melle prædulci. Et *Philoſtratus Apoll.* 2. Vinum ex palmarum fructibus exprimunt; mella etiam ex iiſdem arboribus decerpunt. De Dactylorum igitur ſucco accipiunt דבש interpretes Hebræi, *Deut.* 8: 8. *Dominus Deus tuus introducturus eſt te in terram optimam, terram feracem tritici, hordei, & ficus, & malogranati, terram feracem oleæ oleoſæ, & dactyli.* Ad quem locum *Maimonides* ורצה מאמרו ודבש דבש של תמרי; Cum dicit *&* *melle*, intelligit mel palmarum. Nam palmæ, quæ ſunt in planitie, & convallibus, abundant melle admodum. Accipiunt eodem ſenſu 2 *Chron.* 31: 5. *Simulac erupit verbum Hiskiæ Regis plurimas contulerunt primitias frumenti, muſti oleique & mellis dactylorum*, denique omnis proventus agri. Junius quoque & Tremellius vertunt: *oleique & mellis.* Kimchium ſequuti qui ad hunc locum ait Rabbinos intelligere per *debaſch* dactylos. Eadem vocis notio *Levit.* 2: 11, 12. *Ex nullo fermento, & ex nullo melle*, (nec apum, nec palmarum, nec arundinum, *adolebitis, igne abſumendum, munus* Domino. *In oblatione primitiarum offeretis ea* Domino, *ſed ad altare* ad comburendum, *ne offerantur in odorem gratum* Domino, ceſſura in uſum Sacerdotum.

III. De Palmarum sexu.

In Palma Veneris intellectum eſſe diligentiſſimi naturæ tradunt, &

& Arabes magno conſenſu hactenus affirmarunt. فحال *foh'alon* ipſis mas palmæ qui fæmellis eſt admiſſarii loco, ut inſertis vel aſperſis modo floribus maritentur. Florem autem maris ſive pulverem, qui inſpergitur ſpathæ vel ſpadici fœmellæ, juvandæ fœcunditatis ergo لقاح *lakahon* nominant. Ipſam vero pulveris conſperſionem, cum quaſſata palma mare ab evolantibus floribus fæmella fœcundatur, نبيغ *nabigon* appellari placuit. In ſacris literis, nullum ſexus diſcrimen reperio. Judæ Patriarchæ nurus, & Abſalomi ſoror, Davidis filia, vocatur *Thamar*, maſculinæ terminationis vocabulo, non Themara, ut Romanorum quidem antiqua conſuetudine Fauſtuli uxor, Romuli & Remi nutrix, Laura a Lauro arbore dicta. Viciſſim ELA Regum Iſraëliticorum nomen 1 *Reg.* 16: 6. *&* 2 *Reg.* 15: 30. ſi arboris ſexum diſtingueret terminatio, non fæminino genere, ſed quod in viros unice quadrat maſculino, id eſt, EL, a quo plurale Elim, quercus, efferendum erat. Quum igitur de Palmarum ſexu ſileat Scriptura ad Palmarum differentias transgredimur.

IV. PALMARUM DIFFERENTIÆ.

EARUM undequinquaginta genera fieri Plinius prodit, ſi quis omnia perſequi velit nomina, etiam barbara, vinorumque ex iis differentias *lib.* 13: *cap.* 4. In Judæa maxime celebratæ olim caryotæ, nomen vel a nuclei forma nactæ, vel, ut Secundus ſentit, ab eorum vino, iniquo capiti. Caryotarum maximas ſex digitos in longitudinem efficere ſcribit Diodorus, quo pacto quaterni juncti 24. digitos explent, hoc eſt, pedem cum ſemipede. Minus ſpecioſæ, ſed ſapore caryotarum ſorores, ob hoc adelphides dictæ, proximam ſuavitatem habuere, non tamen eandem. Nec ignobiles habiti dactyli, quos chydæos appellavit Judæa, ad differentiam caryotarum, ut vult *Salmaſius Exercit. in Solin. p.* 932. Fuit & palmarum genus humile, fruticem non excedens, armatum ſpinis, quod apud Theophraſtum χαμαιῤῥιπες & a Dioſcoride χαμαίζηλον, ab Hebræis צן vel צנים adpellatur, quod frequentia ſua & deſerto, & urbi *Tzin*, quæ & Cades, nomen fecit; *Num.* 33: 36. Pro eo, quod *Num.* 34: 4. legitur ועבר צנה *& tranſit ad Tzinem*, reddit

Jona-

Jonathan : ועבר לציני טוור פרזלא *tranſitque ad palmas montis ferri.* Hinc ad tabernacula ſtruenda palmulas petebant, ut traditur *Erubin fol.* 19: 1. *& Succa capitis tertii initio :* זיני הר־פרזל כשרות *Palmæ montis ferri rectæ & legitimæ ſunt* ,ſcilicet ad tabernaculum autumnale. Deſcribuntur ab Autore *Phœnicis Perſici Relationis ſecundæ* §. 1. Silveſtre illud palmarum genus per deſertas valles ; & circa torrentium ſalſorum ripas creſcens , formam gerit indecoram , tortam & humilem ; folia hortenſi multo longiora , firmiora , & ad textilia opera magis expetita ; fructus vero ut rariſſime , ita non niſi auſteros & inutiles : ex quo ceu futile , & palmeo nomine indignum peculiari appellatur nomine Abudsjel , quod Arabice patrem inſcitiæ ſignificat. Agreſti quoque familiæ vulgus in Perſide & Arabia annumerat arborem ſuam Bdelliferam *Duum* , aliis *Mokl* dictam , cujus gummi *Mokl Aſrak*, apud myropolas utriuſque regionis proſtat venale ex fructuum decocto , quod perhibent , inſpiſſatum , coloris rufi , pellucidum & ſincerum. Arborem hanc mihi non viſam nequaquam dactyliferæ ſpeciem eſſe , ſed ſilveſtrem palmam nuciferam , folio flabelliformi , αὐτόπτης mihi retulit attentiſſimus in Oriente Botanicus Herbertus Jagerus , Vir inter Philoſophos & Gymnoſophiſtas eximiæ authoritatis , cui fidem ſubſcribimus. Crediderim hanc eſſe Bdelliferam Chamæriphem Serapionis. Hæc memorans laudatus Author , hanc ipſam arborem ait eſſe , quam in Paradiſo quoque germinaſſe indicet Hebræorum vocabulum *Bedolach* , quod procul dubio Arabum voci *bdellion* æqui valeat. Sed halucinatur vir doctiſſimus. Nuſquam dicit Divinus Scriptor , Bdellion in Paradiſo germinaſſe , ſed bdellion ſive bedolach reperiri in Chavila , quam regionem alluat flumen Piſon , e fluvio Edenis vel Edenitidis egreſſum *Gen.* 2: 10, 11, 12. Chavila autem ſita & extra Edenitidem & extra Paradiſum. Deinceps bdellion, quod eſt gummi odoratum arboris Arabicæ , confundit cum *bdellio* ſive *Mokel* , quæ eſt arbor vel fructus arboris ex palmarum genere, quæ nihil habent cognationis inter ſe præter nomen. Denique *Bdellion* arbor ex ſilveſtrium atque ignobilium palmarum genere non merebatur , ceu gloria terræ Chavilææ memorari , uti quidem merebatur aurum ejus puriſſimum & *Schoham* , quem nos cærulei coloris gemmam, hyacinthum expoſuimus, *Tract. de Gemmis in Pector. S. Pontificis.* Rectius igitur *Salmaſius* & alii *bdellion* Chavilæum ſeu Chaulothæum de Arabicæ arboris lachryma , & *Bochartus* Judæo-

rum

rum interpretes ſequutus, de Margaritis expoſuit.

V. PALMA LONGIORIS ÆVI SYMBOLUM.

VERBA *Pſalmi* 92: ℣. 13. צדיק כתמר יפרח Septuaginta reddiderunt: Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, author verſionis Latinæ, quam Vulgatam alii, alii Italam vocarunt, transtulit: *Juſtus ut Phœnix florebit.* Hæc verſio ſeduxit Patres, ut phœnicem, quam arborem poterant hic intelligere, caperent pro ave; Aliter facturi ſi phœnicis nomen ſignificatione palmæ Latinis innotuiſſet. *Tertullianus* igitur *libro de Reſurrectione*, carnis reſurrectionem probaturus, ſic diſſerit: Illum dico alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemet ipſum lubenter funerans, natali fine decedens, atque ſuccedens, iterum Phœnix. Ubi jam nemo, iterum ipſe. Qui non jam, alius idem. Quid expreſſius atque ſignificatius in hanc cauſam, aut cui alii rei tale documentum: Deus etiam ſcripturis ſuis, & florebit, inquit, velut phœnix, id eſt, de morte, de funere: uti credas, de ignibus quoque ſubſtantiam corporis exigi poſſe. Eodem modo *Ambroſius oratione de fide reſurrectionis*, *Tomo tertio pag.* 39. Avis in regione Arabiæ, cui nomen Phœnix, redivivo ſuæ carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit, reviviſcit. Solos non credimus homines reſuſcitari? Atqui hoc relatione crebra, & ſcripturarum authoritate cognovimus, memoratam avem 500. annorum ſpatia vitali uſui habere præſcripta; eamque cum ſibi vitæ finem præſaga quadam naturæ ſuæ æſtimatione cognoverit, thecam ſibi de thure, myrrha & cæteris odoribus adornare, completoque opere pariter ac tempore intrare illam & emori, ex cujus humore oriri vermem, paulatimque eum in avis ejuſdem figuram concreſcere, uſumque formari, ſubnixam quoque remigio pennarum renovatæ vitæ officia munere pietatis ordiri. Credidit eandem fabulam *Cyrillus*, & carminis ſcriptor elegantiſſimi, quod Lactantio vulgo adſcribitur. Poterant hi Patres, vel ex ſequentibus, totaque ſerie ſacri textus intelligere, juſtos cum arboribus, non cum avibus conferri. Enimvero nec decorum erat nec dignum Evangelicæ veritatis doctoribus gentilium fabulis myſteria fidei illuſtrare. Vitarunt hoc, qui ad mentem Divini Pſaltis textum reddunt: „ Juſtus ut
„ Palma germinabit, ut Cedrus in Libano creſcet. Plantati in do-
„ mo DOMINI, in atriis Dei noſtri germinabunt. Adhuc pullula-
„ bunt in canitie, pingues & virentes erunt.

Ut

Ut palma germinabit; magis magiſque auctus æternum florebit. Palmarum longiſſima eſt vita. Aliæ enim ducentos annos aſſequuntur, quædam ad tertium uſque ſeculum vigent, ut prodidit *Author Phœnicis Perſici p.* 551. §. 7. *ap. Valent. in India literata*, *ut Cedrus in Libano creſcet*, amplificabitur & extolletur cœlumque affectabit. *Plantati in domo* Domini, per fidem in Eccleſia Dei radicati, *in atriis Dei noſtri germinabunt*, ſacris operantes, Deumque noſtrum debito venerantes cultu, viribus non deficient, vigore ſpiritus non deſtituentur. *Adhuc pullulabunt in canitie*, quantumvis ætate provecti, efficient uberes fidei & virtutum fructus. *Pingues*, ut arbores oleoſæ, quarum pinguedo homines exhilarat, ſani & bene habito corpore, gaudium fidelibus præbebunt; *& virentes erunt*, ut Palma, Cedrus, Laurus, ſpectatu digni.

VI. Palmæ statura Ecclesiæ Christianæ species.

Cant. 7: 8. Statura *tua eſt ſimilis palmæ*, rectitudine ſcilicet ac proceritate. Abies, Palma, Cupreſſus, omnium arborum rectiſſimæ. Proceritas palmæ eximia. Eſt ubi longitudo ejus ad orgyias octo aſcendit. Similis excelſiſſimæ palmæ Eccleſia viam ad cœlum affectat. Superna quærit, ubi Chriſtus ad dexteram Dei ſedens. *Coloſſ.* 3: 1. Rectitudo ex eo patet, quod bona, quod recta eſt in oculis Dei, cujus rectitudinem imitatur. *Pſal.* 92: 16. Abominationi eſt Domino נלוז declinans, vel perverſus; apud rectos autem arcanum ejus eſt. *Prov.* 2: 32. In palma non reperitur, quod non ſit ſpecie & pulchritudine eximum. Itaque & forma præſtantes fœminæ Palmæ nomen apud Hebræos geſſerunt. Hinc *Thamar* dicta ſoror Abſalomi & filia, quæ ambæ a formæ præſtantia in S. S. commendantur. 2 *Sam.* 13: 1. *& cap.* 14: 27. Pariter omnes numeros pulchritudinis implet Eccleſia. *Tota pulchra es, amica mea, & vitium nullum exiſtit in te*, *Cant.* 4: 7. Scilicet in Chriſto redemtore conſiderata Eccleſia, non ſolum eſt ſine macula, & ſancta & irreprehenſa, ſed etiam decoro infinito undique exornata, nempe juſtitia Chriſti, quam per fidem poſſidet. *Philo Carpathius* in hunc locum: ſtatura juſtorum ſicut palma, quia ipſorum vita & voluntas ad ſuperna & cœleſtia cor attollit, ac dirigit. *Caſſiodorus*: Statura Eccleſiæ & fidelis animæ eſt ſicut palma ob rectam in agendo intentionem, quia in omnibus, quæ agit rectam ſe ſemper exhibet cœlum verſus. *Gregorius*: Sicut palma dum creſcit

deorſum

deorſum ſtringitur & ſurſum dilatatur ; ſic anima ſancta ab imis ad ſumma incipit , & paulatim ad majora creſcens , uſque ad plenitudinem perfectæ charitatis pervenit.

Cætero ſuper palmæ rectitudinem & proceritatem alia celebrantur , quæ cum credente in Chriſtum anima comparemus. Mirationem facit arboris viriditas. *Plinius lib.* 16. *cap.* 20: Harum generi folia non decidunt oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupreſſo, pinis, ederæ. *Ambroſius lib.* 3. *Hexaem. c.* 17. Palma virens ſemper manet conſervatione & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primo germinaverit folia, ea ſine ulla ſubſtitutionis ſucceſſione conſervat. Imitare palmam ; o homo , ut dicatur & tibi : Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Serva viriditatem pueritiæ tuæ & illius innocentiæ naturalis , quam a primordio recepiſti, ut plantatus ſecus decurſus aquarum fructum tuum in tempore tuo habeas paratum , ut folium tuum non defluat. Laudatur fructuum ſive dactylorum ſuavitas. Fructuum ſuavitate & præſtantia non cedunt Juſti. Bonæ arbores bonos ferunt fructus : & ob id arbores juſtitiæ vocantur , ut planta Domini glorientur *Jeſa.* 61: 3. fructum edunt labiorum celebrantium nomen ejus. *Hebr.* 13: 15. Symbolum eſt palma roboris & patientiæ. *Philo Carpathius* : Statura juſtorum aſſimilatur palmæ, quia juſtorum vita ac voluntas nullis adverſis frangitur , ſed invicta perdurat ac regnat.

Vigilant credentes , ſtant in fide , viri ſunt & conſtantes. 1 *Cor.* 16. Ea , quæ malefici homines metuunt ; non metuunt neque turbantur. 1 *Pet.* 3: 14. Palma in cacumine propemodum geſtat folia, fructum & germina ; ſiquidem tota genitalis vis ejus in vertice reſidet : inde decacuminata moritur , nec regerminat : ſic Juſtus in Jeſu Chriſto ſummum decus obtinet , germina & fructus bonorum operum profert , & ſine Chriſto nihil poteſt facere *Joh.* 15. Bene autem habet, quod unum cum eo factus ab eo ſejungi nequit. *Rom.* 8: 38: 39. Denique Palma victoriæ ſymbolum eſt. Ideo , qui mundum vicerunt ſtare dicuntur ante thronum Dei amicti veſtibus albis , manibus palmas tenentes. *Apoc.* 7: 9. Pulchre *Tertullianus in Apologet. cap.* 49. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ , hæc palmata veſtis , tali curru triumphamus. Et *Ambroſius ſermone* 24. Eſt palma martyribus ſuavis ad cibum , umbroſa ad requiem , honorabilis ad triumphum , ſemper virens , ſemper veſtita foliis , ſemper para-

ta victoriæ, atque ideo non marceſcit palma, quia Martyrum victoria non marceſcit.

VII. Ubera Sulamitidis cum botris comparata.

Cant. 7: 8. Ubera *tua ſimilia botris.* Botrus fructus eſt palmæ, quem in ſpathis habet, racemis propendentem. Hebræis *Eſcol & Aſcob*, in Thalmude כבסא vocatur.

VIII. Palmæ utilitates.

Palmæ arboris trecentas & ſexaginta innmerant utilitates Babylonii, teſte *Plutarcho Sympoſ.* 8. *quæſt.* 4. Ex botris vina, gentiumque aliquibus panis, plurimis vero etiam quadrupedum cibus. Ex caryotis præcipua vina Orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen. *Xenophon lib.* 2. *Expedit. Cyri.* Aderat, inquit, plurimum & frumentum & vinum e palmulis, acetumque ex iisdem elixis paratum. Palmarum vero fructus, quales apud Græcos videre non licet, ſervis ac famulis præbebantur, quas autem ſervabant Dominis, ſeligebant, magnitudine & pulchritudine admirabiles, aſpectu prorſus electro ſimiles. Eas quidem arefactas in uſum bellariorum reponebant. Vinum quidem illud potu ſuave erat, ſed capiti grave. *Herodotus lib.* 1. cum de Babylone loquitur, ſcribit in ejus toto agro palmas generari magna ex parte frugiferas, e quibus non ſolum vinum, mel, cibum, conficiunt, ſed illas etiam caricarum modo in offas cogunt. *Athenæus Dipnoſ. lib.* 14. *fol.* 651. Idem de Babyloniæ palmis prodit *Strabo lib.* 16. *Geogr.* Ex palmis enim, inquiens, panis & mel, & vinum & acetum fit, & textilia varia, nucleis pro carbonibus fabri utuntur. At quæ de pane ex palmulis *Plib. lib.* 13. 4. narrabat: *In Æthiopia ſiccæ palmulæ farinæ in modum ſpiſſatæ in panem*, imperitiam arguit ex auditis non probe intellectis. Quid enim his fructibus cum farina, aut farinæ modo? Maſſa nimirum intelligenda, ſive fructus ipſi, latiorem in modum compacti, quæ hodieque Æthiopibus, יחל בלס *ychli balaſi*, maſſa caricarum, παλάθη, & *ychely thamaratus*, Maſſa palmarum. Nihil dactylis, crudis coctisque, recentibus pariter paſſisque, hodienum toto Oriente, & Africæ Aſiæque tractu univerſo frequentius in cibo, qualem adjecto etiam pane cum butyro, قـه الص, tanquam infriatum dactylatum dixeris, eodem modo ſcilicet paratum, quo ex prunis, pomis, & ceraſis, aliiſque fructibus, in Germania conficitur, quodque noſtrates propterea ein dattelgröſte dicere poſſent.

Vel-

Velſcius de Vena Medinenſi p. 241. Ex dactylis denique parabatur Cereviſia. Hinc Thalmudicum illud : תמרי בלהוזן לבי סורנה רהוט *Dactyli , ſi fuerint in vaſe tuo , ad domum cereviſiæ curre. Peſach. fol.* 113. 1. id eſt , ſi dactyli fuerint in vaſe , in quo & colligi ſolent , quando maturi ſunt , ſtatim curre ad domum ejus ; qui facit ex illis potum *ſechar* , ne ſi diu expectes , eos interea comedas, aut perdas. Proverbialis ea locutio , qua dicitur præſentibus gaudendum & utendum eſſe , antequam pereant aut inutiliter abſumantur. *Buxtorf. Lex. Thalm. p.* 1440. In Europa Dactyli propter lenientem lentum ſaporem ad catarrhos acres uſurpantur , quos demulcent , proptereaque ad raucedinem , tuſſim , phtiſin & affectus ſimiles in decoctis pectoralibus & ptiſanis ad modum ſebeſtenorum , & jujubarum adhibentur. Simili ratione renum ac veſicæ vitiis ab urina acri ortis , medentur. Ventris dolores quoque ſedant, ac diarrhæam, fœtum in utero confortant, quos tamen gravidæ in copia non edant ; quod difficilis ſunt digeſtionis. *Valent. Hiſt. Simpl. reform. p.* 215. Tot igitur tantiſque utilitatibus, quas in botris palmarum celebrant Scriptores, quoniam ſucci ſaluberrimi ſuavitate ad famem ſitimque levandam faciunt , Sulamitidis ubera in Cantico comparantur ; uberibus autem duo veteris novique Fœderis inſtrumenta , quæ cum innumeris ſpiritualibus bonis in aperto pectore gerens Eccleſia , plebi Chriſtianæ ad fruendum præbet. Utilitatum earum partem Apoſtolus prædicat 2 *Tim.* 3: 16. *Tota Scriptura divinitas eſt inſpirata , & utilis ad doctrinam , ad redargutionem , ad correctionem , ad diſciplinam in juſtitia , ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfecte.* David autem *Pſalmo centeſimo undevigeſimo* , duobus & viginti octoſtichis divini verbi utilitates vix traloquitur. In his enim commendatur ceu veræ felicitatis fons & cauſa : ℣. *primo* Rectitudinis, ſanctitatis, ac innocentiæ hortamen. ℣. 9. Generat incomparabilem dilectionis & gaudii affectum ℣. 11. 162. 14. Recordatione & meditatione ſui perpetuam & inſatiabilem voluptatem. ℣. 16. Verbum Dei eſt regula ſufficiens & efficax ad vitam ſancte inſtituendam. ℣. 11. Theſaurus eſt ſinceri gaudii materia. ℣. 14. 127. Mirabilium divinorum index. ℣. 18. Idem verbum operatur patientiam. ℣. 81, 82, 83. Certos reddit fideles de liberatione a malis , quamvis de tempore maneant incerti. ℣. 84. In maximis afflictionibus ſuſtinet pios. ℣. 87. Amor verbi arguit illius amantem eſſe Dei filium. ℣. 94. Sapien-

tiam

riam tribuit, quæ inimicorum aſtutiam confundit, doctorumque ſuperat prudentiam. ℣. 98, 99. Sapientiam confert, præſtantiorem illa, quam ſenibus longa peperit experientia. ℣. 100. Verbum Dei jucundiſſimam affert oblectationem. ℣. 103. Prudentes facit. ℣. 104. 169. Animum clariſſima luce perfundit. ℣. 105. Afflictos recreat. ℣. 107. Omne bonum a Deo exſpectare jubet. ℣. 114. 116. Timorem & reverentiam judiciorum Dei incutit. ℣. 120. Inæſtimabilis theſaurus eſt veræque divitiæ. ℣. 131. In verbo gratiam ſuam diſcere volentibus Deus manifeſtat. ℣. 135. Dei veram firmamque juſtitiam revelat. ℣. 137. 138. In ipſis anguſtiis & ærumnis oblectat. ℣. 143. Dignum quod ante alia omnia & imprimis meditemur. ℣. 148. Eſt ipſa veritas. ℣. 151. 160. Pacis atque ſecuritatis largiſſima ſcaturigo. 165. His divini verbi utilitatibus adjungamus eas, quæ laudato Cantici loco, botris, nobiliſſimo palmarum fructu præfigurantur. Ex botris, ut dictum, Orienti vina, cibus, mel, medicina. Verbum Dei vinum & cibus intelligitur, quibus ut lætentur, & perfruantur, miſſis puellis, imperitos ac inſipientes invitat Sapientia. *Prov.* 9: 5. *Matth.* 22. 4. Mel ad Evangelium refero. Judicia Domini dulciora ſunt melle; & quidem accœto melle. *Pſal.* 19: 11. ex eadem mente dictum: *Pſal.* 119: 103. *Quam ſuavia ſunt palato meo judicia ſermonis tui: ſuaviora melli ori meo.* De Evangelii ſermone verum eſſe experiuntur fideles, quod de Sapientia Siracides prodit. Memoria ejus dulcior eſt melle, & hereditas illius favo mellis. Qui comedunt cibum hunc, adhuc eſurient, & qui bibunt, adhuc ſitient, id eſt, faſtidio & ſatietate a cibo & potu illius non abalienantur. Sed & morbis medetur Verbum hoc, morbis ſcilicet animæ, ut liquet ex dictis *Jeſ.* 61: 1. *&* *Luc.* 5: 18. *Spiritus Domini ſuper me; propterea miſit me, ut euangelizem, pauperibus miſit me, ut medear contritis corde. Jeſa.* 38: 16. *Domine, per hæc*, quæ dicis & promittis, *vivitur: Etiam his ſingulis ineſt vita ſpiritus mei; his facis ut reveleſcam, & vivum conſervas me. Sapientiæ* 16: 12. *Neque herba neque malagma curavit filios tuos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia.*

IX. Palmæ rami in solennibus gaudiis, et in pompa gestati.

I. In feſto tabernaculorum. *Levit.* 23: 40. *Sumtis pro vobis, ipſo die primo, menſis ſeptimi, termitibus arborum ſpecioſarum, ſpathis*

palmarum, *& ramis arborum denſarum*, *cum ſalicibus torrentis*, *lætabimini coram* DOMINO, *Deo veſtro*, *ſeptem diebus.* Spatha eſt vagina, vel involucrum, quod & palmam elaten vocant, quo dehiſcente, flores tenuibus villis appenſi in racemi modum, crocinis ſimiles emergunt. Ex floribus his prodeunt dactyli, rufo colore per autumnum matureſcentes. *Plinius* 16. 26. Palma ſola in ſpathis habet fructum, racemis propendentem. Reliquis ſub folio pomum, ut protegatur, excepta fico, cui folium maximum umbroſiſſimumque, & ideo ſupra id pomum, eidemque ſerius folium naſcitur, quam pomum. Spatham, vel avulſam cum fructu palmam, Doricos ſpadica vocare author eſt Gellius. Has igitur ſpathas, cum termitibus arboris decoræ, citrorum, myrtorumque & ſalicum portabant; cantantes *verſiculum* 25. *e Pſalmo centeſimo duodevigeſimo.* Habebat autem Tabernaculorum feſtum. 1. Gratiarum actionem pro convectis frugibus. 2. Commemorationem beneficiorum, quæ in deſerto populo Iſraëlitico contulerat Deus. 3. Admonitionem conditionis humanæ, quoniam in terris peregrini ſumus, patriam manentem in cœlis habituri.

II. In fundatione arcis Hieruſolymæ 1 *Macc.* 13: 51. & in Purificatione Templi 2 *Macc.* 10: 7. Thyrſos & ramos ſpecioſos, etiamque palmas habentes, hymnos efferebant ei, qui proſperum ſucceſſum tribuerat, ad purificandum locum ſuum, id eſt, cantabant ex *Pſalmo* 118: 25. *Anna Jehova*, *hoſcianna*; *anna Jehova*, *hatzlichanna!* *Obſecramus te precibus* DOMINE, *ſerva! obſecramus te*, DOMINE, *proſpera!*

III. In pompa triumphali *Joh.* 12: 12. *Turba multa*, *quæ venerat Hieruſolymam*, *ad diem feſtum*, *quum audiſſent Jeſum venire Hieruſolymam*, *acceperunt ramos palmarum*. *& prodierunt ei obviam*, *& clamabant*, *Hoſianna! benedictus*, *qui venit in nomine Domini*, *Rex Iſraëlis.* Acceperunt ramos palmarum, ut cum inſigniis victoriæ ipſum feſtive & quaſi triumphantem, Hieruſolymam introducerent, jumento vectum more eorum, qui inaugurantur: *Apoc.* 7: 9. *Vidi & ecce aderat turba multa*, *quam numerare nemo poſſit ex omnibus gentibus*, *& tribubus*, *& populis*, *& linguis*: *ſtabantque ante thronum*, *& in conſpectu agni*, *amicti ſtolis albis*, ſplendidiſſima veſte; ab aliis diſtincti, quam ſcilicet laverant dealbaverantque in ſanguine Agni, *& palmæ* victoriæ ſignum, *in manibus eorum.* Quamob rem autem hæc arbor potiſſimum delecta ſit ad eum uſum ab anti-

antiquis. *A. Gellius* cauſam reddit *Noct. Atticar. lib. III. c. 6.* ſcribens: Per hercle rem mirandam *Ariſtoteles in ſeptimo Problematum* & *Plutarchus in octavo ſympoſiacorum* dicit: Si ſuper palmæ, inquit, arboris lignum, magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat; non deorſum palma cedit, nec intra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recurvaturque. Propterea, inquit *Plutarchus*, in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ quoniam ingenium ejusmodi ligni eſt, ut urgentibus opprimentibuſque non cedat. Quod vero ad palmæ adverſus pondera reniſum, magno conſenſu & alii tradunt authores, non de frondibus foliiſque, ſed de ligno intelligendum, uti *Strabo* docet *Geograph. libro* 15: ubi trabi e Palmæ ligno confectæ id peculiare eſſe tradit, ut vetuſtate firmata ponderi impoſito adeo non cedat, ut ſurſum potius, fornicis inſtar, convexa contendat, tectumque ædificii eo fortius ſuſtentet: quod & de abiete & picea ſcribit *Theophraſtus lib. 5. c. 7.*

X. Palmarum cælaturæ in parietibus templi.

1 *Reg.* 6: 29. Omnes *templi muros in circuitu inciſo ſculpturis, inciſurarum Cherubinorum & Palmarum apertorumque florum, intrinſecus & extrinſecus obduxit Salomo.* Typus. Templum dicitur Eccleſia. Murus templi, tutor munitorque Eccleſiæ Deus. *Zach.* 2: 5. Ad murum Cherubini ſunt & palmæ. Cherubini Angelos piorum cuſtodes ſignificant, *Zach.* 2: 8. Palmæ ſunt Principes. Nobilitatur maxime palma proceritate, rectitudine fructuque & ramis gladiorum ſpeciem repræſentantibus. Quod Principes maxime decet eſt majeſtas, eſt juſtitia vel recti amor, &, quod ſolis relictum, jus gladii, quo Dei populum contra hoſtes tueantur, & maleficos e terra exſtirpent. *Conf. Ezech.* 42: 18, 20.

XI. Palmarum imagines in portis templi.

1 *Reg.* 6: 34. Portis *quoque templi incidit Cherubinos palmas & apertos flores, quæ obduxit auro, adaptato ad eorum ſculpturam.* Typus. Cherubini in portis notant Epiſcopos & Inſpectores, Eccleſiæ Principes ac miniſtros Dei, qui ab introitu in Eccleſiam arcent ultro peccantes. Palmæ portis inciſæ intrantes templum admonent de fortitudine & perſeverantia in fide cultuque divino. Qui in his conſtantiam ſervaverit, Deum videbit.

Palmæ

PALMÆ IN BASIBUS LUTERUM TEMPLI SALOMONÆI.

1 *Reg.* 7: 36. INSCULPSIT Salomo vel Chiramus baſium decem *tabulis*, *manibus illarum & zophoris illorum*, *Cherubinos*, *Leones*, & *Palmas*: *prout cælaturis cujuſque & adjectionibus circumquaque* conveniebat. Salomon in templo præter mare æneum, ex quo Sacerdotes lavabant manus & pedes, decem conſtituit luteres ad abluendas victimas. Hi luteres habebant in ſummo phialam ſive labrum, cui ſubjiciebatur quadrata baſis, rotis inſtructa. Baſis habebat areas incluſas limbis vel areolis. In limbis cælaturæ Cherubinorum Leonumque & Palmarum. *Coccejus*. Luteres cum baſibus ſuis per templi latera diſpoſiti, 1 *Reg.* 7: 39. Miniſtros Eccleſiæ denotant, per omnem Eccleſiam diſtributos atque diſpoſitos, qui victimas Deo placentes lavent, id eſt, per baptiſmum & abſolutionis verbum ſanctificent. *Epheſ.* 5: 26. *Joh.* 17: 17. His tuendis præſto ſunt Cherubini, id eſt, Angeli, *Zach.* 2. 8. Solantur palmæ, id eſt, Principes, qui majeſtate, æquitate & potentia ſua, Dei ſervos, Theologos, contra improborum vim & injurias ſuſtinent, & beneficentia nutriunt. His etiam in officio ſuo excitandis oſtenduntur Leones, id eſt, animoſi divinæ veritatis propugnatores, qui Dei præſidio freti, nullis hoſtium minis vel inſidiis terrentur, adeo, ut confidenti animo dicant: DOMINUS adeſt mihi; non timebo, quid faciant mihi homines? *Pſal.* 118: 6, 7. Leonibus, robuſtiſſimis beſtiarum ſimiles, qui non retrogrediuntur metu cujusquam. *Prov.* 30: 30. Leones hi ſculpti viſuntur in parietibus templi, quando invicta fidelium Doctorum fides & conſtantia in exemplum plebis proponitur, ut a Paulo factum *Hebr.* 13: 7. *Memores eſtote ductorum veſtrorum, qui loquuti ſunt vobis ſermonem Domini, quorum imitamini fidem, contemplantes quis fuerit exitus converſationis eorum.*

XII. PALMA OPERE CONTINENTE, SUNT GENTILIUM IDOLA.

Jerem. 10: 5. UT *palma ſolida ſunt, & non loquuntur.* Ut palma per artificium ſolida, non compacta ex partibus, quales palmæ inſculptæ tabulis Templi Salomonæi. 1 *Reg.* 7: 36. 2 *Chron.* 3: 50. in quibus nulla, ut in viridantibus ineſt vita, nullus ad incrementum motus.

XIII. PALMARUM CÆDUÆ SILVÆ.

PAL-

Palmæ vel a radicibus ſucciduntur vel demto cacumine. A radicibus exciſæ repullulant. Cacumen intelligitur aut de comæ cacumine, cujus deputatione proficiunt, aut de cacumine trunci, in quo cerebrum illud inebrians, quæ decacuminatio ſola necem adfert arbori, & hæc Theophraſto ὑπικοπὴ dicitur, palmis exitialis. Cæduas palmas, palmarumque pumilarum cæduas ſilvas Plinius memorat: Sunt & cæduæ, inquit, Palmarum ſilvæ, germinantes rurſus a radice ſucciſæ. Dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant: exemtaque vivunt, quod non aliæ. Vocantur autem χαμαιῤῥιφεῖς (a Thophraſto ſcilicet) folio latiore ac molli ad vitilia utiliſſimo. Ad Engedi, quod ſecundum ab Hieruſolymis oppidum fuiſſe fertilitate palmarumque nemoribus, idem aſſerit author, *Hiſt. Nat. L. V. c.* 17. illa cæduarum palmarum nemora extitiſſe, vero maxime conſentaneum. Certe ſynonymon Engedi urbis חצצון תמר, quod *Gen.* 14: 7. legitur *ſucciſionem palmarum*, & Engedi, fontem cæduarum ſcilicet palmarum, ſignificat. Ipſum enim עין גדי per apocopen dictum eſt pro עין גדיר גדיר autem venit a themate גדר, cui reſpondet Arabum جد *gadda*, quod eſt, *putavit palmam*, vel *reſecuit ejus fructum*, vel cultello avulſit ſpinas de lateribus ramorum, quibus rebus palma quaſi renovatur.

XIV. Loca Palmarum natalia.

Elim sexta Israelitarum statio.

Exod. 15: 27. *&* *Num.* 33: 9. Mara, quinta ſtatione *profecti Iſraëlitæ, pervenerunt Elima: erant autem Elimis duodecim fontes aquæ & LXX. palmæ, & caſtra metati ſunt ibi.* Palmetum hoc & fontes aquarum locumque amœnum & fertilem deſcribunt *Agatharchides Gnidius de Rubro mari* 5: 44. *&* *Diodor: lib.* 3. *num.* 123. *&* *Strab: Geogr: lib.* 19. Veteres omnes Interpretes tam Judæi quam Chriſtiani ſatis concinnam hic allegoriam, & quæ velut ſponte ſe offert, deducunt. Et quidem Philo Judæus libro de vita Moſis vult hæc bonum omen toti Iſraëlitarum genti attuliſſe, ſi quis, inquit, perſpicacibus mentis oculis obſervet. Nam ea dividitur in XII. tribus, ſingulas fonti ſimiles, ut quæ pietatis fluentis ſcateant, unde indeſinenter proficiſcuntur præclara facinora. Principes autem familiarum totius gentis fuerunt ſeptuaginta, merito aſſimilati palmæ, arborum præſtantiſſimæ, quæ aſpectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum, & vitalem vim habet, non in

radicibus defoſſam, ut cæteræ, ſed in ſummo quaſi cor, ſitam in ramorum medio, a quibus circumquaque ſtipatur, ceu princeps a ſuis ſatellitibus. Noſtris magis arridet ea, quam habet *Hieronymus* poſt *Tertullianum libro* 4. *contra Marcion. cap.* 13. Nec dubium eſt, ait *Hieronymus*, quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit, de quorum fontibus derivatæ aquæ, totius mundi ſiccitatem rigant. Juxta has aquas LXX. creverunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores. Luca Evangeliſta teſtante duodecim fuiſſe Apoſtolos, & LXX. diſcipulos, minoris gradus, quos & binos ante ſe Dominus præmittebat. Quæ ſi per ſimilitudinem & aliquam analogiam uſurpentur, non male conveniunt.

XV. PALMETUM IN MONTE EPHRAJIMI.

Judic. 4: 5. HABITABAT *Debora Prophetiſſa Ramam inter & Bethlehem, in monte Ephrajimi*: ubi Thargum. *Ei erant horti in Ramatha, oleæ facientes oleum in valle, domus irrigationis in Bethel.* Non quod Bethel foret in monte Ephrajimitico, Judææ collimitio confinis; ſed quod habitatio Deboræ eſſet ab initio iſtius montani, intercurrente valle inter illud montanum & Judææ collimitia. Sita autem erat ipſa Bethel in montano: *Joſu.* 16: 1. quod tamen vix dixeris montanum Ephrajimi (cum eſſet, quando Bethel oppidaque ejus Judææ forent, 2 *Paral.* 13: 19. hinc mixta cum Ephrajimitis Judæorum idololatria aliquando, de qua a prophetis non raro audiunt) ſed erat montanum quoddam procurrens inter Judæam atque Ephrajimitida. *Vid. Joſ.* 18: 12. *Lightfoot Chorogr. Matth: præmiſ: p.* 185.

XVI. BAHAL THAMAR.

OPPIDUM, ubi contra Binjaminitas aciem inſtruxerunt Iſraëlitæ, ipſo nomine palmarum copiam declarat. Significat enim Bahal thamar *divitem palmæ. Judic.* 20: 33.

XVII. PALMARUM CIVITAS HIERICHUS.

HIERICHO quod eſſet palmarum frequentia nobilis *Ir hatthemarim*, palmarum civitas vocatur. *Deut.* 34: 3. *Judic.* 1: 16. & 3. 13. & 2 *Chr.* 28: 15. De planitie Hierichuntina *Joſeph: Bell. Jud. lib.* 4. *c.* 27. Optimas in ea paradiſos ac denſiſſimas educat *Hierichus*, palmarumque irriguarum genera, tam ſapore quam nominibus varia, quarum pinguiſſimæ calcibus preſſæ plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius; quanquam & mellis ferax eſt ea regio. *Strabo Geograph. lib.* 16. Hierichus eſt planities montibus

tibus circumdata, quæ in theatri ſpeciem declinat. Ibi eſt Palmetum, cui immixtæ ſunt, etiam aliæ ſtirpes, hortenſes, locus ferax, palmis abundans, ſpatio ſtadiorum centum, totus irriguus eſt, & habitationibus plenus. Paria *Plinius L.* 13: *c.* 4. Palmarum, ut copia alibi terrarum, ita nobilitas in Judæa, nec in tota, ſed Hiericunte maxime. Quanquam laudatæ & Archelaide & Phaſaëlide, atque Liviade, gentis ejusdem convallibus. Dos his præcipua ſucco pingui lactentibus, quodamque vini ſapore prædulci. Archelais, quam memorat Plinius, vicus fuit, antea Neara dictus, de quo *Joſeph: Antiq. lib.* 18. *c.* 15. Archelaus Ethnarcha apud Hiericuntem regiam maxim e refecit, aquarum, quibus Neara vicus juvabatur, dimidio derivato, in palmetum a ſe in ſubjecto campo conſitum. Vicum etiam reſtauratum a ſe denominavit Archelaida. Illa eſt, quam cum Phaſaëlide, Salome Herodis ſoror, moriens teſtamento reliquit Juliæ Auguſti conjugi, ut Joſephus prodit *Antiq. L.* 18. *c.* 3. *& Bell. lib.* 2. *c.* 8. *vel* 13. Salome, ait, vita decedens, Juliæ Jamniam cum ſua Toparchia reliquit, & ſitam in campo Phaſaëlidem Archelaidemque, plurimis palmetis conſitam, quorum fructus eſt præſtantiſſimus. Phaſaëlis erat, περὶ τὸν αὐλῶνα τῆς Ἱεριχοῦντος, circa campum Jordanis magnum, vel convallem ejus; *Joſeph. Antiq. l.* 16: *c.* 5. in qua, ut *Theophraſtus* de palmis, tradit, proveniunt fructus ejus generis, qui ſoli recondi poſſint. *Hiſt. Plant. lib.* 2. *c.* 8.

XVIII. Engedi, quæ et Chatzatzon-thamar palmarum ferax.

Gen. 14: 7. De ea Hieronymus: Haſaſonthamar oppidum eſt, quod nunc vocatur Engaddi, balſami & palmarum fertile. Hinc medicinam facies, inquit in *Obſervationum decimo quinto Druſius, Sirachidi*, in quo *c.* 24. 12. ita vulgo legitur, ὡς φοῖνιξ ἀνυψώθην ἐν αἰγιαλοῖς. Quam ſcripturam corruptam eſſe ajo; primum ex ipſa re. Nam palmæ litorum nuſquam celebratæ, quod ſciam. Deinde ex aliis libris, qui ἐν γαδοῖς referunt: ex quo forte Vetus Interpres *in Cades.* Sed ne hoc quidem mihi probatur. Editio Complutenſis ἐν γαδδὶ. Corrigo audacter ἐν ἐγγαδὶ. Palmæ ſalſum nitroſumque ſolum diligunt, & ubi non eſt tale, inquit Plinius, ſalem aſpergunt, non radicibus, ſed longius paulo. Tale fuiſſe ſolum Engedi, colligitur ex proximæ vallis & urbis nomine. Vallis ſalis ca intelligitur, in qua Joab percuſſit Idumæos duodecies mille. *Pſal.*

 60:

60: 2. & Abiſai Idumæorum octodecim millia 1 *Par.* 10: 12. & Amatzia Rex Judæ, filiorum Sehiris decem millia 2 *Par.* 25: 11. Civitas ſalis vel Ir-Melach, quæ cum Engeddi memoratur *Joſu.* 15: 62. ea eſt, a qua etiam lacus Aſphaltites ſeu mare mortuum adpellationem traxit. Neque enim, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, Mare ſalis vocari potuit, quum ſit lacus, quem aquæ ſuæ dulcedine Jordanes replet. Dictum igitur mare Melach ſive Melacho oppido vicinum, ut Mare Tiberiadis, Mare Genneſareth, Mare Galilææ. Ipſum vero oppidum, ut dixi a ſalis copia, vel a ſolo ſalſuginoſo.

XIX. THAMAR SEU THADMOR PALMIFERA AQUILONARIS.

1 *Reg.* 9: 18, A palmis Thamar ſive Thadmor, ſeu Palmirene, quod eo loci palmeta plurima ſint, quidam, inquit Hieronymus, urbem hoc ſortitum vocabulum exiſtimant. Condita autem eſt a Judæorum Rege Salomone, de quo *Joſeph: Antiq: L.* 6. *c.* 8. Ingreſſus in deſertum, quod eſt ſuper Syriam, ejusque regionis potitus, urbem ibi maximam condidit, duorum dierum itinere a ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate vero unius. Ad magnam autem Babylonem inde ſex dierum via protendebatur. Quare autem a reliquis cultæ Syriæ partibus hæc urbs tam procul habitetur, cauſa eſt hæc, quod mediterranea per deſertum petentibus, ibi demum fontes ac putei reperiuntur. Hac igitur urbe exſtructa, & mœnibus validiſſimis cincta, *Thadamoram* eam appellavit, quo nomine etiam nunc a Syris vocitatur. Græci *Palmiram* nominant *: a Romanis accepto nomine. Palmira enim rependit vim Syriacarum vocum* תמר־דמר *id eſt Palma mira.* Hinc ab Joſepho diſſentientibus nobis videtur Thadamoram ad eas urbes pertinuiſſe, quas Huramus, Tyriorum Rex dono dederat Salomoni 2 *Par.* 8: 2. a Syris primis utique poſſeſſoribus *Thadmor*, ab Hebræis Thamar appellatam. Utrumque enim nomen tuliſſe eam; ex Maſoretharum ſcriptione alibi oſtendimus. Condidiſſe autem cum Scriptore Paralipomenon *lib.* 2. *c.* 2. id eſt reſtauraſſe Salomonem dicimus, mœnibus ipſam & vallo, portiſque & vectibus contra Syrorum incurſiones munientem, quemadmodum ibidem, commate ſexto, idem Betthhoron ſuperiorem atque inferiorem, & Bahalatham ædificaſſe fertur.

XX. THAMAR PALMIFERA AUSTRALIS.

LATUS *Terræ promiſſæ* Auſtrale, meridiem verſus, a Thamare

usque

uſque ad aquas contentionum Cadeſi, *latus* poſſeſſionis ad mare magnum; atque hoc latus Meridianum, auſtrum verſus. Thamar hic oppidum ultimum Judææ, ſub Engedi, ad Aſphaltitem Lacum, quod Ptolemæo dicitur *Thamara*. *Diodorus Siculus* de regione circa lacum Aſphaltitem: Palmetis ea regio felix eſt, quantum ejus a benignis amnibus & fontibus irriguis interſecatur. *Lib. XI. c.* 48.

XXI. TZIN DESERTUM PALMIS MINORIBUS FERTILE.

FACTA ejus mentio, *Numer.* 20: 1. & 27: 14. & *Deut.* 32: 50. *Tzinim* dicuntur palmulæ minores. *Baba bathra fol.* 69: 6. Rab. Juda dixit: Qui vendit vicino fundum neceſſe habet, ut ſcribat: Poſſide tibi דקלין וחוצין ותאלין וצינין Interpres pro nobis eſto *Bahal Aruch*: *Diklin* ſunt palmæ excelſiores, *Chutzin* reliquæ arbores minores, *Thaalin*, reliquæ arbores majores, *Tzinin*, Palmæ minores. Docent quoque Rabbini deſertum Tzin nuncupatum fuiſſe a monte cognomine, montem a צינין vel Palmetis, nobilemque eum fuiſſe ferri fodinis, vide Thargum Hieroſolymitanum, & Jonathanis. Veroſimilius deſertum hoc ab urbe Tzin appellatum, urbem vero a minorum palmarum fructum, quibus abundabat. Eadem & Cades nominabatur, *Num.* 33. Idumæis finitima *Num.* 20: 14. 16. diſtinguenda eſt a Cades Barneah, *Num.* 32: 8. & a Cades Galilææ, quæ Joſepho teſte a Tyro diſtat millia paſſuum viginti. *Joſu.* 19: 37.

XXII. PALMÆ HIERUSOLYMITANÆ.

Johan. 12: 13. CHRISTO ex Bethania per mortem Olivarum Hieroſolyma progredienti, populus qui ad feſtum venerat, ramos palmarum protulit, in propinqua ſcilicet valle decerptos. In vallibus enim naſcuntur palmæ, ut in montibus oleæ. Sunt, qui populum has palmas ex Bethaniæ agro attuliſſe exiſtimant, quia locum, quem Thalmudicæ Pandectæ בית היני Beth-hine vocitant, Bethaniam eſſe credunt. Male; nam populus, qui Domino ex Olearum monte deſcendenti obviaverat non veniebat e Bethania vico, ſed ab urbe, per Kidronis vallem, Oliveto ſubjectam. Accedit Bethaniæ Hebraicum nomen, non ex Beth-hine, ſed ex בית עניה Beth-hanija, id eſt pauperculæ domicilium, exſcriptum eſſe, vocum exactiſſima ſimilitudine id arguente?

XXIII. A PALMIS DUCTA PROVERBIA.

FREQUENS Palmarum uſus Orientis gentibus plurimis, nec ſane ineptis adagiis atque ſententiis locum fecit. In ſacris literis palmam ferre eſt hoſtium victorem declarari. *Apoc.* 7: 9. *Ut palma germinabit. Pſal.* 92: 13. præconium eſt illius, qui ævo diuturno & virtutum fertili gaudebit. Apud Thalmudicos notæ ſententiæ: *Comede dactylos, & projice oſſiculum ejus. Chagiga fol.* 15: 2. Monet proverbium bona ex malis arboribus eſſe ſeligenda, reliquis abjectis. *Palma, quæ liberat Dominum ſuum a tributo*; id eſt, fertilis, unde Dominus tributum ſuum perſolvat. *Erubin fol.* 51: 1. Sic; *Dactyli ante prandium ſunt ut ſecuris arbori*, id eſt noxiæ, *poſt prandium ut peſſulus januæ*, id eſt, utiles & convenientes. *Kethub.* 10: 2. Rabbinicis acutiora ſunt adagia: *Principium arboris eſt oſſiculum & nucleus. Dactyli in puteo & ſuper dorſum cameli.* Referunt Arabes; olim ex iis, qui camelis deferrent aquam ad rigandas palmas, quendam hoc ſæpius repetiiſſe dictum, quo ſolaretur ſuos aliorumque labores. Hinc in proverbii venit conſuetudinem. *Gol. adag. Arabic. p.* 72. *Non eſt in eo fibrilla nec ſimile quiddam.* A palma petitum, quæ non ex ſolido lignoſa eſt, aliarum arborum more, ſed compactis tantum filamentis conſtat; quæ in caudice ſunt ليف *lifon*, quæ in ramis سيف *ſiphon* dicuntur. Ac ſi notetur, nihil horum in palma eſſe, quæ tamen conficere debeant corpus ejus. Atque ita boni omnis ſive externi ſive interni inopiam hoc adagio deſignant. Eidem affine eſt alterum: *La' fathila laho, vala' nakira*, nec nauci illi, nec adeo gry eſt. In nuclei palmei rima hæret, fibrilla villi in modum contorti, quæ hinc & *fathila* vocatur. In parte vero ſuprema exiguus umbilicus apparet, e quo primum germinis rudimentum exit, uti quoque *Theophraſtus* docet *lib. II. c.* 8. *Hiſt. Plant.* Eidem umbilico ſive ſcrobiculo aut centro exilis membranula incumbit, quæ ab ea foveola *nakira* dicitur. Utrique comparari res ſolent minimi pretii & momenti. *Golius Adag. Arab. p.* 73. *In regione dactylifera dactylis paſcuntur aſini*; Arabibus Africæ peculiare adagium. الجريد *algarido* proprie ſunt ſpoliati foliis rami palmæ. Atque ita per ſynecdochen notantur arbores ipſæ. Hic vero per eaſdem intelliguntur palmeta, quibus potior Numidiæ pars conſtat, continuaque pene efficitur

tur ſilva. Eam regionem Beledul-gerid nomine deſcribit Leo Africanus libro quarto. Ibidem equis etiam & aſinis dactylos pro pabulo præberi mos eſt. Proverbialiter notatur ingenti copia atque affluentia res meliores vileſcere, & ex ea etiam bene eſſe hominibus alias abjectis vel indignis. *Utrumque & dactylos.* Amrus quidam filius Homrami, forte prætereiens amicum, ante quem poſitum eſſet butyrum, tuberis camelini adeps, & dactyli, rogatuſque, butyrum ne mallet, an adipem, hoc dicto reſpondit. Quod ceſſit poſtea in proverbium, & ferri ſolet, cum quis nimium petit, aut plus quam offertur. Non plantatur præterquam in fundo ſuo palma. *Gol. Adag. Arab. p.* 120.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Malus Punica.

Mali punicæ deſcriptio: *nomen, locus natalis. Rimmon urbs Judæ. Rimmon Benjaminitarum. Hadad-Rimmon a Syrorum Deo adpellata. Aven urbs Iſraëlitica. Non confundenda cum Beth-aven Binjaminitica.* A Malogranato ductæ ſimilitudines. *Mala punica in fimbriis Summi Sacerdotis, quid ſignificent. Cortex Punici mali pudoris ſymbolum.* Flos Punicæ. Rhoites, *Punicæ vinum.* Capthor, *malogranatum artificio factum. De numero Malogranatorum*, 1 *Reg.* 7: 20. *& Jerem.* 52: 12. *De columnis Jachin & Boaz. Noctua in ædium ſphærulis, Soph.* 2: 14. *Kippod, Noctua.*

I. Mali Punicæ descriptio.

Malus Punica, ut Joſephus, Piton, Tournefortius, eam deſcripſit, arboris genus eſt, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis, conſtante, cujus calix campanæ ſimilis, multifidus, abit deinde in fructum vere globoſum, coronatum, in plura loculamenta diviſum, acinis ſucciplenis fœta, placentæ affixis, membranis tenuiſſimis diſtinctis, & ſemine turgentibus utplurimum oblongo. Radicibus innititur brevibus, ſummæ telluri adhærentibus, nec admodum numeroſis. Cæterum multis luxuriare ſolet ſtolonibus, fruticis in morem vegetans, ideoque a nonnullis inter

ter frutices refertur. Quod ſi vero ſuperflui ſtolones reſecentur, in arborem ſe extollit, ſed tamen non admodum proceram, Evonymo magnitudine, cortice, ligni duritie, radicibus denique, non diſſimilis. Hebræis רמון dicitur, quo nomine etiam Syrorum Deus venit 2 *Reg.* 18: 19. a quo *Tab-Rimmon*, hoc eſt, Bonus eſt Rimmon; Benhadadi Syrorum Regis Pater, adpellationem cepit, 1 *Reg.* 15: 18. 19. & Beth-Rimmon, Ædes Rimmonis 2 *Reg.* 5: 18. quod etiam vocabulum fuit civitatis in Syria, quam reſtauratam Walid Chalipha, Abdemeleci filius, Argaz nominavit. *Scaliger libro II. Canonum Iſagogicorum p.* 137. Diſcrepat tamen arboris & idoli ſignificatio. Malum enim granatum, a quo arbor nomen obtinuit, a רמה hoc eſt dolo, dicitur, quia nullum eſt hujus arboris malum, in quo non inſit granum nequam. Pleraque etiam mala ab רמה vermiculo infeſtantur, Thalmudiſtis הה vocato. Deaſter ab altitudine dictus, vel æmulatione quadam Hebræorum, qui Cœli Conditorem nominant *Eljon*, altiſſimum, vel excelſum: Vel quod Saturnum ea voce indigetabant Syri, ſidus altiſſimo orbe poſitum. Loca Punicis malis fœcunda plurima habuit Terra Sancta. Illarum namque uberem proventum & Deus celebravit *Deut.* 8: 8. *Dominus Deus tuus introducturus eſt te in terram optimam: terram feracem vitis, & ficus, & Malogranati.* A Malogranatorum copia nobilitatæ urbes: I. Rimmon in partibus Judæ *Joſu.* 15: 32. Simeonitis conceſſa *Joſu.* 19. 7. II. Rimmon Binjaminitarum, 1 *Sam.* 14: 2. in cujus vicinia *Sela Harimmon* Rimmonis Petra, *Judic.* 20: 48. III. Rimmono, id eſt, *hir rimmonoth*, civitas malorum punicorum, in ſorte Zabulon, 1 *Par.* 6: 62. *vel* 77. quæ & Rimmon hammethoar, malum punicum ſpecioſum, *Joſu.* 19: 13. IV. Rimmon, Punicetum, vel Paradiſus malorum punicorum, de quo 1 *Sam.* 14: 2, ושאול יושב בקצה הגבעה תחת רמון אשר במגרון id noſtro judicio reddendum: *Saul vero commorabatur in extremitate Gebahi*, urbis Binjaminiticæ, *ſub Paradiſo malorum punicarum, qui eſt prope Migronem* urbem, cujus mentio *Jeſa.* 10: 28. V. Gath Rimmon, id eſt, Torcular malorum granatorum, vel Gath oppidum malis punicis ferax, in ſorte Manaſſis. *Joſu.* 21: 25. 1 *Par.* 6. 69. VI. Alia cognominis, Danitarum. *Joſu.* 19: 45. VII. Fertilis quoque malo granatorum fuit eximiorum Vallis Eſcol. Hinc enim Iſraëlitici exploratores deportarunt cum aliis admirandis Terræ Cananææ fructibus & Malogranata. *Num.*

13:

13: 24. VIII. A ruptis Malis punicis nomen ſortiebatur Rimmon-perets, Iſraëlitarum manſio, Libnam inter & Adarem, *Num.* 33: 19. 20. Nimio liquore rumpit ſe mali punici in ſua matre ebrietas; quo vitio ut careat mirum in modum cavent agricolæ, *Matthiolus ad Dioſcoridis librum primum cap.* 127. Ne fructus in arbore dehiſcant, remedio ſunt lapides tres, cum ſeritur arbor ad radices collocati; quin &, ſi jam conſita ſit & fructum ferat, eadem ratione emendatur. In deſerto, ubi nemo arboris curam habuit, iſta ruptura facilius utique & proclivius malum punicum laboraſſe, exiſtimandum eſt. Apparet igitur quare ſtatio illa Iſraëlitrum, ad rupta mala punica vocata fuerit. Quod *Zach.* 12: 11. legitur urbis vocabulum Hadad-rimmon, a Syrorum Damaſcenorum Deo non a Malo punica ductum. Is enim Hadad fuit, de cujus nomine Reges vocabantur, ut Ben-hadad. 1 *Reg.* 20: 1. & Hadadezer. 1 *Reg.* 11: 23. Idem Rimmon adpellatus. 2 *Reg.* 5: 18. Apud Zachariam Hadad-Rimmon poſitum loco Beth-Hadad-Rimmon, id eſt, domus Hadadi, qui & Rimmon, ut Bahal-Mehon, urbis nomen in ſorte Rubenitarum, *Num.* 32: 3. pro Beth-Bahal-Mehon, domus Baalis Mœonii, *Joſu.* 13: 17. ut Aven, *Hoſe.* 10: 8. *Amos.* 1: 5. pro Beth-Aven, *Hoſe.* 10: 5. quæ non confundenda cum Binjaminitica Beth-Aven, ſita ab Oriente Bethelis, prope Hajun, *Joſu.* 7: 2. ut Hophra, urbs Binjaminis, non longe ab Hierichunte, *Joſu.* 18: 23. 1 *Sam.* 13: 17. pro Beth-Hophræ, Binjaminitæ, *Mich.* 1: 11.

II. MULTARUM RERUM SYMBOLA PRÆBET MALOGRANATUM.

Nota eſt imprimis illa de Dario Perſarum Rege hiſtoria, qui, cum forte punicum malum in manu teneret, dixerit, ſe non optare majorem theſaurum, quam ut tot haberet Zopyros, quot grana ſint ipſius pomi. Significans Regibus nihil utilius eſſe fidelibus amicis, qualem Darius erat expertus Zopyrum. Henricus Quartus Hiſpaniæ Rex malum Punicum ſibi delegit cum epigraphe: Acre dulce. Ut ſignificaret, in optimo Rege ita ſeveritatem atque humanitatem eſſe temperandas, ut nec ignavus ſine ſeveritate, nec ſine humanitate videatur crudelis. Porro malum Punicum ſponte ruptum, ut ſæpe fit, elegans emblema aut ſymbolum Chriſtianæ charitatis præbet, quæ cor ſuum aperire, aliiſque communicari, benefice deſiderat. Punica, quo eſt minor, eo plures reddit fructus.

Scaliger Exercit. 167. *p.* 527. Symbolum humanitatis. Nimiis roribus ac pruinis florem amittens imago fuerit ſobrietatis. Fructus, utut ſit ſuaviſſimus adſpectuque pulcherrimus tamen vermiculo infeſtatur, & ut dixi, diſplicet grano nequam. Piorum typus eſt; qui non ſunt abſque omni labe. Non eſt, quem non invaſerit concupiſcentiæ vermis & in quo non reſideat ſuperbiæ quoddam granum.

III. MALA PUNICA IN FIMBRIIS PALLII SUMMI SACERDOTIS.

Exod. 28: 33. 34. FACIES *in fimbriis ejus malogranata, hyacinthina & purpurea & coccinea, dibapha, in fimbriis circumquaque, & tintinnabula aurea inter illa circumquaque. Tintinnabulum aureum, deinde malogranatum, tintinnabulum aureum, deinde malogranatum in fimbriis illius pallii circumquaque.*

Mala punica innumeris referta granis rubentibus, vinoſo ſucco refertis, identidem monebant, qualem a Sacerdote animum requirat Deus; cum ſcilicet, qui locuples virtutum omnium ſit theſaurus; repletus amœniſſimo *Spiritus fructu, charitate, gaudio, pace, clementia, benignitate, fide, lenitate, continentia. Gal.* 5: 22. *omni denique juſtitia & veritate. Epheſ.* 5: 9. Singulis vero malogranatis interjecta tintinnabula, a pulſu continuo Hebræis dicta, vigilantiam & preces Summo Pontifici commendarunt. Ea enim cura & ſedulitas imprimis decet miniſtros domus Dei, a Chriſto etiam diſcipulis ſuis mandata: *Vigilate & orate! Matth.* 26: 40. 41. & *Luc.* 21: 26. *Vigilate omni tempore orantes.*

IV. PARADISUS MALORUM PUNICARUM, FIDEI ET CHARITATIS FRUCTUS IN ANIMIS FIDELIUM.

Cant. 4: 13. PLANTATIONES *tuæ ſunt Paradiſus malorum Punicarum.*

V. CORTEX PUNICI MALI PUDORIS SYMBOLUM.

Cant. 4: 3. & 6: 7. VELUT *cortex malogranati eſt gena tua extra cæſariem tuam.* Pudorem & verecundiam cuſtodit Eccleſia. Peccaſſe erubeſcit. *Beda*: Sicut cortex mali Punici ſolum quidem ruborem foris oſtendit, ſed multa interius grana, quibus exuberat, occultat: ita anima Deo devota ac ſalubriter verecunda, plura virtutum genera, quæ foris minime apparent, continet.

VI. FLOS PUNICÆ,

CALATHI in modum eſt patulus, ore ſtellatim circumſeptus, unde

unde folia prodeunt tenuia, colore coccineo agreſti papaveri æmula, granulis quibuſdam medio capillamento appenſis, ut in roſa. Flos punicæ ipſius fructus rudimentum eſt: ita ſtudium & ardor fidelium proficiendi in bono uberes ſpondent Spiritus Sancti fructus; quos in aliis tempeſtivius videre cupiens Eccleſia ſponſum in agros evocat, *Cant.* 7: 13. *Age, Dilecte mi, ſurgentes matutino adeamus vineas, viſuri, an floreat vitis, an aperiat ſe uva prima, germinent mali Punicæ.*

VII. Rhoites, Punicæ vinum.

Auctor de victu in acut. §. xxxi. Hippocratis nomine, inter varios potus etiam ex malo Punica commemorat potus arte factos, ex herba, hordeo, uva paſſa, uvarum expreſſarum retrimentis, frugibus, cinico, myrti baccis & malo Punico. Potus & vini ex malo Punico conficiendi ratio hæc eſt: Acini maturi diligenter a putaminibus & membranis purgati prælo committuntur, ac exprimuntur. Mox vinum ſaccis ad id accommodatis percolatur, & in vaſculis reponitur, affuſo deſuper oleo, ne corrumpatur vel aceſcat. *Matthiol. ad Dioſcorid. lib. I. c.* 127. עסים רמוני Calcatum Punicum, Hebræis vinum Rhoites dicitur, quod ex malis vinoſi ſaporis, ut dictum, in torculari exprimitur, interioribus mali granulis cuticula ſeu membranula ſua purgatis, de quo plura legeris apud *Tabernæmontanum lib.* 3. *p.* 761. Torcular hoc Hebræis dicitur Gath Ron, quo nomine etiam in Scripturis duæ celebrantur urbes, quarum ſcilicet ager gignendis malis Punicis uberrimus erat. Una ad Daniticam tribum pertinuit, de qua *Joſu.* 19: 45. patria Obed Edomi, qui propterea Gitthæus cognominatur. 2 *Sam.* 11: 12. Altera Manaſſenſium fuit *Joſu.* 21: 25. quæ & Jibleham adpellata, *Joſu.* 17: 11. Figuratur in Rhoite benignitas, qua pauperibus & afflictis Chriſti membris exhilarandis reficiendiſque, ſubveniunt Chriſtiani. *Cant.* 8. 2. *O ſi quis daret te ut fratrem mihi! inveniens te foris oſcularer te, nec eſſet, qui contemneret me: deducerem te in domum matris meæ, quæ docet me: bibendum darem tibi de vino aromatite, de muſto malogranatorum.* Paraphraſis. O ſi te ſine teſte frui, ſi amare & colere te palam poſſem, nemine contumeliam aut invidiam faciente: deductum ab hominum frequentia mundanorum, introducerem *in domum matris meæ, quæ docet me,* in cœtum fidelium, ubi matris ac nutricis vicem peragunt ſervi tui, ex incorrupto verbi ſemine liberos tibi generantes 1 *Teſſ.* 2:

7. 1 *Cor.* 4: 15. qui docent Patrem in cœlis Deum, & te quem miſit Redemtorem, cognoſcere, cognitumque amare; ut grates haberem, de vino aromatite, & de muſto granatorum, bibendum tibi darem, pauperes & egenos, membra tua, Domine, refectura & beneficentia eos recreatura.

VIII. כפתור MALOGRANATUM ARTE FACTUM.

CAPHTOR in Codice Sacro vel Cappadociam ſignificat, antiquam Palæſtinæ gentis patriam; *Amos.* 9: 7. vel globum, ſphærulam, aut pomum, quod ornatus gratia artificum operibus adjungi ſolet, ut Candelabro aureo, *Exod.* 25: 35. columnis Templi 1 *Reg.* 7: 20. ſuperliminari in porta templi, *Amos.* 9: 1. Sed ratio nominis & origo eſt diverſa. Si enim Cappadociam ſonat Capthor, originem ducit a כף־תור caph-thor, id eſt Cavum Tauri, Cavum juxta Taurum montem, ut Cœle Syria eſt Cavum juxta Libanum vel Antilibanum. Ad Tauri enim latera extenditur Cappadocia. Si ſphærulam aut tegumentum operis artificioſi denotaverit Caphtor, origo ejus refertur ad voces כף־תאור, id eſt, curvatura formoſa, vel ſpecioſa, concavum formoſum, vel idem fuerit, quod כף־כתור Caph-chethor, curvum ſeu concavum cingens, quales erant ſphærulæ candelabri, ſcapum cingentes eique circumnexæ, de quibus *Exod.* 25: 33. 34. 35. *Tres lances ſive calices facito, & amygdalæ in modum figuratæ*, id eſt oblongæ, *in uno ramo*, vel calamo, *globum & florem: ita facies ſex ramis, qui egrediuntur e lychnucho*, id eſt, e ſcapo lychnuchi: *In lychnucho autem quatuor lances*, vel calices, *& amygdali in modum figuratæ, globos ejus & flores ejus. Globum vero in ſcapo, ſub duobus ramis ex eo* prodeuntibus, *& globum ſub duobus ramis ex eo* prodeuntibus, *& globum ſub duobus ramis ex eo* prodeuntibus, id eſt, globus unus ſub ſingulis duobus ramis. Expoſitio Myſtica. Candelabrum eſt Eccleſiæ figura, Chriſti lumine illuſtrata, quod idem & aliis præfert. *Apoc.* 1: 30. 11: 5. Sex rami ex uno ſcapo prodeuntes, & ſeptem lampades, ſunt particulares Eccleſiæ, ſingulæ luce ſua conſpicuæ, ejusdem Eccleſiæ univerſalis membra, quæ uno ſpiritu junctæ unum & individuum totum conſtituunt. *Herm. Witſius Miſcell. ſecundo.* Lances ſunt ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum, in quibus cœleſtes epulæ hoſpitibus apponuntur. Globi ad ſpeciem amygdalarum formati vigilantiam doctorum notant, qui ad ſapientiæ januas vigilant *Prov.* 8: 34. & excubant pro animabus fidelium. *Hebr.* 13: 17. Amygdalæ cordis figuram referentes cordatos Eccleſiæ miniſtros

ſtros ſignificant: duplici cortice obductæ, armatos contra Satanam, circumcinctos veritate, indutos thorace juſtitiæ, munitos fidei ſcuto *Epheſ.* 6: 14. 16. Flores indicant eos, qui ſunt Chriſti bona fragrantia Deo, in iis qui ſervantur, & in iis qui pereunt. Malogranata etiam fabrilia opera condecoraſſe conſtat ex *Jerem. c.* 52: ꝟ. 12. Fuerunt malogranata columnarum coronis in Templo Salomonis impoſita nonaginta ſex, omnia mala punica centena in encarpo circumquaque. Ubi injicere ſcrupulum videtur, quod 1 *Reg.* 7: 20. malogranatorum ducenti ordines monſtrantur, hoc eſt, malogranata ſuis ordinibus diſpoſita ducenta, ut eſſent centum mala in unaquaque columna. Eximere conantur eum *Lyranus* & *Menochius*, qui mala, inquiunt, erant centum, ſed nonaginta ſex tantum videbantur. Corpus enim ſphæricum uno obtutu videri non poteſt, quatuor ergo latebant. Conſentit *Lucas Oſiander*, quatuor, inquiens, reliqua granata ad parietem templi vergentia, non poterant conſpici, quia retro erant, ideo fugiebant aſpectum hominum. Mallem dicere, duarum columnarum octo malogranata, ſub Regibus Judæ, qui multa in templo innovabant, a columnis detracta & in alios uſus tranſlata, Jeremiæ temporibus non comparuiſſe. Æneæ Templi columnæ, octodecim cubitorum altæ, in veſtibulo poſitæ, & coronamentis encarpis, puniciſque malis ducentis, ornatæ, quarum una Jachin, id eſt, ſtabiliet, ſcilicet Deus, altera *Bohaz*, id eſt, in robore, adpellata; 1 *Reg.* 7: 18. *&* *ſeqq.* ſunt Emblema eorum, qui eligunt frequentare limen in domo Dei ſui; *Pſal.* 84: 11. Seduloque inſiſtunt foribus ſapientiæ, obſervando poſtes oſtiorum ejus. *Prov.* 8: 34. Ex humo ſeſe attollunt, ſuperna quærentes, *Col.* 3: 2. gratiamque adepti, circumteguntur & coronantur a Domino, benignitate & miſerationibus. *Pſal.* 103: 4. Nomen eis tribuitur *Jachin* & *Bohaz*, quoniam corroborati ſunt in Domino, & robore virium ejus ſtabiliti fide, *Eph.* 6: 10. In domo Dei vel Eccleſia fidelium, quamdiu longa erunt tempora manebunt, *Pſal.* 23: 6. nunquam egreſſuri amplius, *Apoc.* 3: 12.

IX. Noctua pernoctans in sphærulis ædium.

Sophon. II. 14. ubi de Ninive Aſſyriorum urbe: *Accubabunt in ea*, ab habitatoribus relicta, *greges, omnes beſtiæ gentis; tum pelicanus, tum noctua. In ſphærulis ejus*, vel in globis ejus ædibus impoſitis. כפר quod noctuam reddimus, non eſt Hericius. Hoc enim ani-

animal nec in globis, ſive ſphærulis ædium ornamentis, nec ſuper ea, degit, neque vocabulum ejus ut Bochartus exiſtimat, cognationem habet cum Arabico قنفود *Konfoudon*, quia ذ Arabicum elementum, permutari ſolet cum ז Hebræorum litera, nunquam vero cum ipſorum ד. Itaque pro זבח Arabes ſcribunt ذبح *dabacha*, mactavit, pro זכר meminit, ذكر *dacara*, pro זנב cauda, ذنب *danabon*, pro זהב aurum, ذهب *dahabon*. קפד Kippod igitur non eſt Ericius, ſed קפז, quem & Abeſſini קנפז *Konphoz* nominant, voce per *zaj* ſcripta. Et avem, non quadrupes animal eſſe *Kippod*, in Sophoniæ vaticinio, ex eo conſtat, quod ei pernoctatio tribuitur in *Caphthorim*, id eſt, cacuminum pomis, vel in ſphærularum, quæ ædibus imponuntur, cavo. Recte igitur & Belgæ vertunt Nacht-uyl, id eſt, noctua; nec verſioni adverſatur etymon קפד quod Chaldæis eſt iraſci. Noctuæ ſane omnes volucres, excepto vulture, iraſcuntur; quibus eam circumdantibus, ipſa viciſſim non minore ira reſiſtit. Reſupina quippe pedibus repugnat, collectaque in arctum unguibus atque alis, totoque adeo corpore inhorreſcit.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE FICU ET SYCOMORÆA.

NOMEN *Fici. Ficubus abundavit Palæſtina, & in hac præcipue Genneſaritis. Ficuum genera. Benoth ſchikma, Parſaoth, Benoth ſuach. Ficus Kehilææ & Aſcalonis. Ficorum groſſi. Ventorum concuſſionibus dejecti groſſi, ſunt ſubitæ dejectionis ſymbolum. Bethphage vicus non eſt a groſſis adpellata. Evangeliſtarum Bethphage non eſt Bethphage Thalmudiſtarum. Ficus germinans adventus Domini monumentum. Folia ficulnea Protoplaſtorum perizomata. Kajits, fici fructus æſtivus. Ficuum dulcedo. Primitivus in fico fructus rei ſymbolum gratiſſimæ. Ficus ulceri Hiſkiæ impoſita. Habitare ſub ficu. Ficum cuſtodiens emblema ſervi fidelis. Fici ablaqueatio & ſtercoratio; pernicies, eruca, & locuſta. Ficus ſterilis tole-*

tolerata longanimitatis divinæ Hieroglyphicum. Ficus a Domino maledicta. Vinearum ficetorumque deſolatio, peccatorum pœna. Ficus bonæ, bonorum, malæ, malorum hominum figura. Ficus ſpoliata exſtirpationis typus. Siderum caſus cum ficu decidua comparatus, ad interitum Edomi referendus non eſt, Jeſa. 34: 4. In Edomo depictus Antichriſtus. Numerus beſtiæ 666. per gematriam, Cabbalæ ſpeciem explicatur. Excidium Edomi & Antichriſti horrendum. Συκοφαντεῖν. *Sycomoræ deſcriptio. Differt Sycomorus a Sicamino: Sycomorus Hebræis* Bacha *dicitur.*

I. De Ficuum nomine et generibus.

Ficus arbor caudice plurimum brevi contortoque: ſubalbicante libro, lacteoque ſucco madente, guſtu adſtringente, acri amaroque, ita ut exulcerare poſſit. Materies illi alba & fugoſa, ut in vite, tenax tamen, & ad ſcuta paranda peridonea. Radicibus nitur multis, ſed ſumma tellure vagantibus, quo fit ut algoris & frigoris ſit impatiens. Folia fico ſunt ampla, firma, vitiginea, rotundis ac robuſtis pediculis nitentia. Fructus edit, nullis apparentibus floribus, a foliorum exortu, extremis tantum ramis, turbinatos & varios. *Matthiol. ad Dioſc. l. 1. c. 145.* Cordus tamen & C. Bauhinus, celeberrimi Botanici, obſervarunt, quod experientia etiam teſtatur, ficum florem ſuum intrinſecus continere. Fructu enim matureſcente, apparent in ficu alba & purpurea capillamenta ſeu fibræ, quæ ex carne pomi creſcentes, cavum in fructu faciunt, genuinus flos ficuum. Vid. *Dumleri* Baum und Obſtgarten / *p.* 232. Sic eſt in pomorum genere arbuſcula, Schlaitzling noſtratibus, & *Pomme ſans-fleurir*, Gallis dicta, quam pro pumilis arboribus faciendis præ cotoneis eligunt, pomum, ficus inſtar, ſine præcedaneo flore producens. In Hebraico ſermone Ficus תאנה *The'ena* vocatur, quod nomen excuſum videri poteſt ex תננה *nun*, iteranda litera, in א muata, ut in בזאו pro בזוו contemſerunt, in ימאס liquefiet, pro ימסס & in ינאץ floreſcet, pro ינצץ Venit autem a radice, quæ cognationem habet cum verbo תנה. Sæpius enim talia verba, & formas ſuas permutant, & ſignificationibus gaudent iisdem: ut אנה & אנן luxit, זכה & זכך purus fuit, דכה & דכך attrivit, קצה & קצץ amputavit, & alia plurima, quæ vide in *Onomaſtico* noſtro enarrata *p.* 91. 100. Significat autem תנן celebrare, laudare, ut

Chal-

Chaldæus expoſuit *Judic.* 5: 11. & exponi etiam debet *Judic.* 11. 40. לתנות לבת יפתח *ut laudibus celebrarent filiam Jephte.* Meruit autem a laude appellari Ficus, tum ob fœcunditatem ſuam, tum ob fructus dulcedinem, in Apologo Jothami celebratam, propter quas dotes apud antiquos ſecundum a vite locum habuit, & cum uvis teſte Galeno, inter fructus autumnales principatum obtinuit ficus. Quin etiam, ut Canaanitidos potiundæ ſpem Iſraëlitarum accenderet, a ficuum proventu largiore laudem Deus ſumſit, *Deut.* 8: 8. *Vos quidem Dominus, Deus veſter, introducet in terram bonam, terram tritico, hordeo, vineis, ficubus, malis punicis: terram oleariis, olivis, & melle abundantem.* Abigajil Nabalis, ditiſſimi Calebitarum uxor, Davidi & ſervis ejus Carmelo attulit, præter alia, ducentas ficuum palathas. 1 *Sam.* 25: 18. Imprimis autem earum copia redundavit in Genneſaritide, quæ, ut nullam pro ubertate ſui ſtirpem negabat, ita etiam ficuum & olearum fuit feraciſſima. Vid. *Joſeph. Belli Jud. lib.* 3. *c.* 35. *p.* 161. Inter hortos Hieruſolymitanos aliquis celebratur, in quo natæ ficus, quarum ſingulæ venibant tribus aut quatuor aſſariis. *Maaſor. cap.* 2. *hal.* 5. Thalmudici Doctores varia ficuum, quæ Terra Sancta protulerit genera, memorant. In his recenſentur 1. *Benoth Schikma*, quæ judicio nonnullorum, fici ſunt ex platano mixtæ. 2. *Parſaoth*, quæ fructum ſuum perduxerunt ad maturitatem duobus annis, ad Tzipporem oppidum natæ. 3. *Benoth Suach*, quæ fructum quidem protruſerint, unoquoque anno, ſed ad maturitatem non niſi tertio anno productos: ita, ut in iſta arbore appareret unoquoque anno triplex fructus, anni ſcilicet præſentis & præteriti, atque anni præteritum præcedentis. Vid. *Lightfoot. Hor. in Evang. Matth. p.* 352. & 353. 4. *Kehilææ*, quarum mentio facta *Sanhedrin* 70: 2. & *Joma fol.* 76: 1. 5. Aſcalonias denique, cum aliis famoſioribus *Athenæus* laudat *Dipnos. lib. III. p.* 78. Acuit induſtriam ficos non uno duntaxat loco plantandi, inſignis fructuum utilitas. Omnium certe fructuum, quos ξυλίνυς appellant (quoniam e materia ſtirpium lignea oriuntur) utiliſſimas eſſe ficus hominibus, Herodotus Lycius in Opere ſuo de ficubus planum facit multis verbis, ac ficuum ſucco recens natas puellulas optime ali, vegetasque fieri, ſi illis nutriantur, affirmat. *Athen. lib. III. Dipnoſ.*

Εἴ τις καθεῖρξε χρυσὸν ἐν δόμοισι πολλὸν

Καὶ

Καὶ σῦκα βαιὰ καὶ δῦ ἢ τρεῖς ἀνθρώπȣς ,
Γνοίη χ᾽ ὅσῳ τὰ σῦκα τȣ͂ χρυσȣ͂ κρέστω.
In ædibus auri multum ſi quis concluſerit ,
Et paucas ficus , duosque vel tres homines.
Quanto ficus auro ſint præſtantiores intelliget.
Ananius Jambicus apud Athenæum Dipnoſoph. lib. 3. *p.* 78.

II. Ficorum grossi.

Ficus groſſulos primum producit, ubi aliæ arbores florem. Sola igitur ex omnibus arboribus non florere , ſed lactere dicitur. Groſſos Græcorum alii ἐρινεȣ̀ς alii ὀλύνθȣς nominant. Nec tamen omni flore deſtituitur ficus ; is enim non e cortice ramorum emergit , ſed intra fructum continetur , teſte *Cordo* & *C. Bauhino.* Groſſi autem פגים adpellantur. *Cantic.* 2: 13. *Ficus* חנטה *protulit groſſos ſuos.* חנט eſt producere vel protrudere : eſt & aromatibus condire , & ſucco imbuere. Hinc *Coccejus* Cantici verba reddit : *Ficus condivit groſſos ſuos* , hoc eſt , ſucco ſuavi , & quaſi melle implevit , ut fierent eſculenti. Ficus, quæ ſucci dulcedine imbuit groſſos, notat, maturitatem fidei in operibus charitatis ; Cocceji autem judicio, cibum ad alimentum corporis Chriſti, ſicut quod dicitur , *vites primâ uvâ ederunt odorem* , vini potum ; qui promta , inquit , ad lætitiam ſpes eſt. Groſſi ventorum concuſſionibus dejecti , ſymbolum ſunt ſubitæ ac ſimultaneæ dejectionis, *Apoc.* 6: 13. *Et ſtellæ cœli deciderunt in terram* , *ſicut ficus dejicit groſſos ſuos* , *quum vento vehementi concutitur.* A groſſis perperam nonnulli deducunt nomen *Bethphage* , interpretantes domum ſive locum groſſorum. Equidem duas Bethphage reperio , unam in Thalmude ; alteram in ſacratiſſimis Evangeliſtarum ſcriptis. Illa , deſcribentibus Rabbinis , fuit מקום חיצון שבירושלים extremus Hieruſolymæ urbis locus , intra ipſius mœnia. Bethphage loci extra mœnia nullam Thalmudis compilator mentionem fecit , & falſus eſt doctiſſimus *Lightfoot* , qui *in Horis Hebraicis ad Matthæum* exiſtimat, Chriſtum Hieruſolymis, per Bethphagen intra mœnia & Bethphagen extra mœnia profectum eſſe ad tractum Bethaniæ. Halucinatur etiam in etymologia nominis , Thalmudiſtarum בית פאי interpretans *domum groſſorum* , quod exponendum erat *Locus ceſſantium* , vel , *deſinentium* , ubi ſcilicet deſinunt ædes vel habitatores urbis, quod maxime congruit cum deſcriptione Rabbinica בית פאגי

 מקום

מקום חיצון שבירושלם *Bethphage locus eſt extremus in Hieruſolymis.* Deſcendit autem פאגי a פוג quemadmodum participium ſingulare פאג in dicto *Threnorum* 3: 48. מדלית פאג עקתי *Eo, quod non eſt, qui ceſſare faciat anguſtiam meam.* Si a groſſis nomen duceret בית פאגי non per א, ſed per ג dageſſatum ſcriberetur בית־פגי & Græcanicis literis Βηθφαγγῆ. Fruſtra igitur Thalmudicum Bethphage dictam, cum vulgo, *Lightfootus* putat a groſſis immaturis, in oliveto naſcentibus. Bethphagen vero Evangeliſtarum, ſitu a Thalmudica differre, conſtat ex verbis Evangeliſtarum, qui Bethphagen, remotiorem ab urbe, quam Bethaniam ad Olearum montem collocant. *Matth.* 21: 1. *Marc.* 11: 1. *Luc.* 19: 29. Sed & noſtro judicio differt nominis formatione. Dicitur quippe בית־פגעי & Græcorum effatu, quibus ע ſæpiſſime non pronunciatur, Βηθφαγὴ פגעי autem pro פגעיאל uſurpatum, abſciſſo Dei vocabulo, ut פלטי 1 *Sam.* 25: 44. pro Paltiel, ut vir idem vocatur, 2 *Sam.* 3: 15. Sic עתני compendio dicitur pro Hothniel. *Judic.* 1: 13. Gaddi, *Num.* 13: 11. pro Gaddiel, *Num.* 13: 10. Zabdi, *Joſu.* 7: 1. pro Zabdiel, *Nechem.* 11. 14: Eli, quo nomine adpellatus Deiparæ Virginis Pater. *Luc.* 3: 23. pro integro Eliel, Deus eſt Deus, hoc eſt dicere immutabilis. 1 *Par.* 5: 24. 2 *Par.* 31: 13. Fuerit igitur, ut Origenes & Remigius tradunt, Bethphage villa Sacerdotum, qui completo munere vicis ſuæ, illuc divertebant: ſicut & hi, qui accipiebant officium, quia lege cautum erat, ne quis diebus Sabbatorum pluſquam mille paſſus incederet. Ex eorum Sacerdotum grege probabile eſt, ut Phaghi vel Phagiel, vico Bethaniæ & Hieruſolymis vicino, quem condiderat ipſe, vel frequentius habitaverat, nomen fecerit, & vulgus eum Bethphage, id eſt Phagæi locum appellaverit.

III. FICUS GERMINANS

SIMILITUDO RERUM, QUÆ ANTE ELECTORUM IN GLORIÆ REGNUM, AGGREGATIONEM CONTINGENT.

Matth. 24: 32. A *ficu*, & ab omnibus arboribus, *Luc.* 21: 29. *diſcite parabolam*, accipite ſimilitudinem, *quum jam ramus ejus tenereſcit*, quum rami cortex propter ſolem propinquiorem, conceperit ſuccum, vel cum lactere incipit, *& folia germinat*, προβάλλει, id eſt protrudit, *Luc.* 21: 30. *noſtis prope eſſe æſtatem*, inſtare verni temporis amœnitatem. Θέρος enim ut Hebræorum קיץ ver & æſta-

æſtatem comprehendit: itaque & aliis Scripturæ locis, in duas duntaxat partes, æſtatem & hyemem, annus dividitur. *Vid. Gen.* 8: 22. *Pſal.* 74: 11. *Zach.* 14: 8. *Amos.* 3: 15. *Ita & vos, quum videritis hæc omnia*, quæ hactenus dicta ſunt, de adventu glorioſo filii hominis, Angelorumque tuba clangentium miſſione, & aggregandis undique electis, *ſcitote, ea* omnia, *prope eſſe* & *ad fores.*

IV. Folia ficulnea, Protoplastorum perizomata.

Gen. 3: 7. Et *conſutis foliis ficulneis fecerunt ſibi ſubligacula.* Folia ficus, commoda ipſis viſa, quibus tegerent pudenda ſua: Eſt enim fico folium maximum umbroſiſſimumque, quum tamen ad rem plane fuerit ineptum; Nec enim a corpore frigus arcere, nec in opere ruſtico durare poteſt, hiſcit enim rimis, & a ventis laceratur. Fici foliis, ſe adhuc tegunt, quotquot nuditatem ac turpitudinem ſuam, hoc eſt, malam conſcientiam & peccata ſua, variis operibus extra Chriſtum obvelare conantur, qui, ubi increbuerit vox judicii, ſentient ſe non poſſe conſiſtere: quemadmodum nec Adam nec Eva, audientes vocem Domini. *Fagius Explic. ad Geneſin.* Folia ficus; opera ſunt, etiam optime contexta; manent enim folia ficus, non fiunt veſtes, hoc eſt, imperfecta ſunt, ut humana omnia. *Sirac.* 27: 7. *Luc.* 17: 10. Folia ſunt quæ ventus facile diſſipat, ventus ſcilicet iræ Dei, quæ per legem excandeſcit; & ventus conſcientiæ noſtræ accuſantis & intumeſcentis. Nemo ergo confidat in ſuis operibus, quum non ſint niſi levia folia, quod agnovit D. Bernhardus, qui in ultimo agone conſtitutus, nihil tribuit operibus, ſed ad Chriſti juſtitiam fugiens, eadem ſe tegi, eademque particeps fieri voluit. Optima humilitas eſt ſua merita ignorans, inquit, *Bellarminus* ex *Bernhardi lib.* 5. *c.* 7. *de Juſtific.* ſolo Chriſti merito nos ſalvari docet *Eiſengrien in pecul. confeſſ. Anno* 1565. *edita Ingolſtadii. Bellarminus Tom. ſexto col.* 644. quantum una lanx, inquit, deprimitur, tantum altera elevatur: ita, quanto minus ſibi homines tribuunt, tanto magis Deum exaltant. *Thomas in* 1 *Tim.* 1. *lect.* 3. In ſola fide ſpes Juſtificationis. *Bonaventura in* 4. *ſent. diſt.* 15: *qu.* 1. In ſola fide paſſionis remittitur omnis culpa. *Bernhardus ſermon. de verb. Abacuc.* Heu me, quam vile operimentum quæris miſera anima, quam inutile quæris operimentum! folia enim ſunt, quæ intexis; folia, inquam, quæ nil tibi caloris præbeant, nil habeant ſoliditatis, orto denique ſole a-

 reſcunt,

reſcunt, & ventus urens diſpergit ea, tu vero nuda & miſera remanebis. Tunc enim nihil opertum, quod non reveletur, quoniam veniet Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Non erit jam, quo lateas miſera: fruſtra dices montibus; cadite ſuper nos; & collibus operite nos. Quoniam nudam & apertam oportebit te ſtare ante tribunal Chriſti, ut audias vocem judicii, quæ vocem conſilii contemſiſti.

V. קיץ KAJITZ, FICI FRUCTUS ÆSTIVUS.

NOBILIOR eſt, qui æſtate maturitatem aſſequitur, eamque ob rem *Kajits* Hebraico ſermone adpellatur. Admirabilis enim eſt hujus pomi feſtinatio, unius e cunctis ad maturitatem properantis, arte naturæ; ut *Plinius* notat *H. N. lib.* 15. *c.* 18. Adpellatur autem *Kajits* 2 *Sam.* 16: 1. *Tziba, ſervus Mephiboſeti, obviam Davidi venit, & par aſinorum inſtratorum, quibus impoſiti erant ducenti panes, & centum uvæ paſſæ, centumque* POMA FICUS ÆSTIVA *& uter vini.* Ubi *Kajits* Chaldæus vertit דבלין caricas, & Hieronymus centum Maſſis palmarum. *Jeſai.* 16: 9. *Irrigo te fletu, ô Hesbon, & Eleale! quoniam* DE ÆSTIVIS FRUCTIBUS TUIS *& de meſſe tua celeusma concidet. Amos.* 8: 1. *Oſtendit viſionem mihi* DOMINUS *Jehova Deus, quod ecce fiſcum æſtatis*, id eſt, fructuum æſtivorum, *quumque dicenti, quid vides Amos? dixiſſem* KAJITS, fiſcum æſtivorum fructuum, *dixit Jehova mihi, advenit* HAKKITS, finis *populo meo Jiſraëli, non pergam amplius præterire ei.* Hebr. עבור לו id eſt plena locutione: עבור לו על הפשע præterire ei defectionem: quod hic ſubauditum, id exprimitur *Mich.* 7: 18. נשא עון ועובר על־הפשע *qui condonat iniquitatem, ac præterit defectionem.*

Fici fructus ſiccati & in maſſam compoſiti vocantur דבלה & דבלים Græcis παλάθη. Hieronymo in primum Hoſeæ, Palatha eſt maſſa pinguium caricarum, quas in morem laterum figurantes, ut diu illæſæ permaneant, calcant atque compingunt. A palatharum copia nomen traxit DIBLA, urbs Moabitarum, *Ezech.* 6: 14. quæ etiam Beth-diblathajim, locus palatharum *Jerem.* 48. 22. & Diblajim, *Hoſe.* 1: 3. patria uxoris Hoſeæ vatis. Sita ad fines immanis illius deſerti, quod Moſes innuit *Deut.* 8: 15. Eadem proverbio locum fecit *Ezech.* 6. 14. Reddam terram hanc deſolatiſſimam, magis deſolatam, quam deſertum ad Diblam, in cunctis ſedibus eorum, ut agnoſcant me eſſe DOMINUM.

VI. FICUUM DULCEDO.

PROXI-

Proximam ficus a melle dulcedinem ſibi vendicant, ab antiquis maxime commendatam. *Julianus epiſtola* 24. Ficuum dulcedinem nihil eſt quod ſuperet excepto melle. *Athenæus Dipnoſ. lib.* 14. *pag.* 652. Tanto vero ſtudio caricæ ſemper hominibus ſunt expetitæ, (nihil enim medius fidius, quod Ariſtophanes inquit, caricis dulcius eſt) ut Amitrochates, Indorum Rex, ab Antiocho literis poſtulaverit ad ſe mitti, dulce vinum, caricas & ſophiſtam, emta omnia ſua pecunia. Reſcripſit autem ſic Antiochus: Vinum dulce & caricas ad te nos mittemus: Sophiſtam vero apud Græcos vendi leges prohibent. Palæſtinarum ficuum dulcedinem commendet etiam illud, quamvis paradoxum Jacobi Ben Doſithæi dictum: Profectus ſum tempore quodam, a Lydda verſus Onuntem, ante diluculum ad talos uſque in melle ficuum. *Chethub. fol.* 111. *col.* 12. Quid mirum igitur, ſi Ficus in Jothami Apologo, dulcedinem ſuam, ampliſſimo regno prætulit, ab Arboribus Libanicis oblato. *Judic.* 9: 1. *Reſpondit eis Ficus: Cogererne deſiſtere cum dulcedine mea & cum reditu meo optimo, ut irem vagatum propter* alias *arbores.*

VII. Primitivus in fico fructus, symbolum rei gratissimæ.

Hoſe. 9: 10. Tanquam *uvas in deſerto inveneram Iſraëlem: ut primum fructum in ficu principio ipſius., videram majores veſtros: Ipſi venerunt* ad *Bahalpehorem, & ſepararunt ſe pudendo, & fuerunt deteſtationes, ut amor eorum.* Expoſitio. Delectabar Iſraëlitis, ut qui uvis in deſerto repertis delectatur: *Aſpiciebam*, id eſt, fructum oculis capiebam, ex majorum veſtrorum fœcunditate, ut voluptati quis habet primitivum in fico fructum, *in principio* partus ſui, id eſt in primipara ficu. Ipſi vero ingreſſi ſunt ad Bahalem Phegorium, & ſeparārunt ſe pudendo idolo, factique ſunt deteſtabiles & abominandi, ut amor eorum; ad verbum, *ut amari eorum*, ut quod ab ipſis amatum eſt, execrabile idolum. אהבם *amari eorum*, Infinitivus *cal* paſſive accipiendus. *Vid. Inſtitt. noſtras Hebr. pag.* 157.

VIII. Ficus ulceri Hiskiæ imposita.

Jeſai. 38. 21. Sumatur *palatha ficuum & appingatur inflammato ulceri & revaleſcat.* 2 *Reg.* 20: 6. *Sumite palatham ficuum, eamque ſumſerunt & impoſuerunt inflammato ulceri, & curatus eſt.* שחין, a שחן *calendo*, deductum nomen, ſignificat inflammatione occupatum ulcus. Nimirum lethali & peſtilenti ulcere laborabat Hiskias, cujus

jus in tantum invaluerat malignitas, ut de vita penitus deſperaret. Jubentur ab Jeſaia Medici palatham Regis ulceri appingere, unde convaluit, non ſane ex naturali ficuum efficacia, quæ tam deſperato morbo expugnando non ſuffecerat. Hinc etiam ex ingenti numero medicaminum, quæ peſtilenti ulcere laborantibus, medici veteres & recentiores præſcribunt, ne unum quidem e ficuum palatha factum cataplasma reperire eſt. Pus quidem evocat ficus, juxta Celſum, humores duros excoquit diſcutitque, ſecundum Galenum, maturatque tumores, & emollit juxta Dioſcoridem. At neque duris humoribus, neque pure, neque tumoribus, tantum laborabat Hiskias; ſed, ut dictum eſt, ulcere inflammato & peſtilenti, quod præſentem ei mortem intentaverat. Sciendum ergo Deum nonnunquam in reſtituenda hominis valetudine inſolito & ex naturæ viribus invalido remedio uſum, ne recuperatam ſanitatem vel creaturis, vel caſui imputaret, ſed manum potius veneraretur illius, qui omnia operatur in nobis κατὰ τὴν ἐνέργειαν τȣ͂ κράτȣς τῆς ἰσχύ@ αὐτȣ͂. *Eph.* 1: 19. Ita judicandum de luto, quo cæci oculos illevit Chriſtus. *Johan.* 9: 6. de tacta lacinia veſtis Dominicæ. *Matth.* 9: 20: *&* 14: 36. de umbra Petri, *Actor.* 5: 15. de ſudariis & ſemicinctiis a corpore Pauli ad infirmos delatis. *Actor.* 19: 11.

IX. QUID EST HABITARE SUB FICU?

1 *Reg.* 4: 25. LEGITUR: *Conſedit Juda & Iſraël ſecure quiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua, a Dane Beerſabam uſque, omnibus diebus Salomonis*, id eſt, tranquilla vita victuque largiore ſub Principe bono fruebantur omnes ſubditi. *Mich.* 4: 4. locutio hæc de ſpirituali Pace accipienda. *L. Oſiander*: *Sedebit quiſque ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit, qui terreat eum*, id eſt: in magna animi tranquillitate, & ſecuritate ſpirituali vivent, certi, quod habeant Deum, per Chriſtum placatum. *Rom.* 8: 31. 32. *& ſqq.* Secundum Hieronymum ad Jeſaiam, ſub ficu requieſcit, & nullius inſidias reformidat, qui dulcedine Sancti Spiritus fruitur, & illius fructibus ſaturatur; charitate, gaudio, pace, fide, continentia, patientia.

Sub vitem & ficum vocare amicum ſuum, eſt amicitiæ, ad quietem convictumque, & amœnam familiaritatem invitantis, *Zach.* 3: 10.

X. FICUM CUSTODIENS EMBLEMA SERVI FIDELIS.

Prov. 27: 18. QUI *cuſtodit ficum, comedet fructum ejus, ita qui cuſto-*

cuſtodit Dominum ſuum honorabitur, id eſt: Qui famæ, vitæque, & facultatum Domini ſui curam fideliter agit, in honore erit & pretio. Par eſt, ut qui rem conſervat, ex ea fructum & utilitatem capiat.

XI. Ficum juvantia.

Ficus melior fit ablaqueatione & ſtercoratione. *Luc.* 13: 8. 9. *Dixit Domino vineæ, ficum ſterilem exſtirpaturo, vinitor: Domine, ſine eam etiam hunc annum, dum ego eam ablaqueem atque ſtercorem*, ſi forte fructum edat: ſin minus, tu eam poſtea *abſcindes*, Græce eſt ad verbum: *Et ſi quidem fructum ediderit, ſin minus.* Eadem prorſus, ſed curta ſententia, ſic tamen, ut in ea facile aliquid tacitum intelligas: Recte eſt, aut, ut Cato loquitur, optime eſt. *Caſtalio ſup. h. l.* Ablaqueantur plantæ, hoc eſt, ſupremæ radicis caput aperitur & refoditur, ne ſcilicet durior illa ſummæ radicis portio, humore nimio computreſcat. Ablaqueantur etiam ad hybernam rigationem; nempe illa foſſa plantæ pedem circum ambiens, humorem melius excipit & ſervat. Alius quoque eſt ablaqueationis finis, ut ſcilicet, ſi quod eſt radicis imæ vitium, curetur. *Honor. Faber. lib. de plantis p.* 69. Non mirum de ficu ſi demtis radicum partibus melior fiat. Nulla arborum tam craſſas, tam implicatas, tam confertas mittit radices, ſi eæ cum cætera magnitudine comparentur. *Scaliger de Cauſ. Plant. p.* 76. *&* 79. Stercoratio in fici arboris cultura non ultimum locum tenet. Fimus enim ſubigitur ab humore, ipſique admiſcetur, & plantæ in alimentum cedit. Nempe multo igne conſtat fimus, multaque uligine. Hinc fimi calor, imo & ignis. Imprimis autem ad ficum lætificandam proficere credunt ſtercus volucrium, terra mixtum. Sunt, qui fimo quocunque, inſipidas fieri ficus exiſtimant, niſi in terram redacto. Sed aliud eſt fœcundam reddere arborem, aliud fructum emendare.

XII. Ficorum pernicies eruca et locusta.

Joël. 1: 7. Disponit *vitem meam in vaſtitatem, & ficum meam in marceſcentiam: & dejecit* fructum, *exalbuerunt ſurculi ejus.*

Diſponit dira ſcilicet gens nocentiſſimorum animalium, erucæ & locuſtæ, quarum, quo quæque eſt malignior, priorem conſequitur, *Joel.* 1: 4. Reliquum erucæ comedit locuſta, & reliquum locuſtæ comedit attelabus, & attelabi reliquum comedit bruchus. Hos in locuſtis nocendi gradus *Theophraſtus* notavit in libello *De Animalibus*, quæ repente apparent, ubi χαλεπαὶ μὲν ἦν, inquit,

quit, *αἱ ἀκρίδες, χαλεπώτεροι δὲ οἱ ἀττέλαβοι, καὶ τούτων μάλιστα οὓς καλοῦσι βρούκους*, *Graves quidem ſunt locuſtæ, ſed graviores attelabi, & ii maxime, quos brucos vocant.* Locuſtas innuunt certæ ſpeciei, minus cæteris damnoſiores. Attelabi *Plinio* ſunt, locuſtarum minimæ ſine pennis *Hiſt. Nat. lib.* 39. *c.* 5. Nec Hieronymus eum aliter deſcripſit in Nahum 3. Attelabus, quem ſignificantius comeſſorem interpretatus eſt Aquila, parva locuſta, eſt inter locuſtam & bruchum, & modicis pennis reptans potius quam volans, ſemperque ſubſiliens. Bruchus, eſt locuſtæ ſpecies,cui volatum & alas Græci Patres tribuunt, Latinis *ἄπτερον* credentibus. In illis *Theodoretus in Nahumi c.* 3. *Incidente ſolis radio ſurgit bruchus, & alis expanſis alio migrat.* De cætero plenam & accuratam bruchi deſcriptionem non reliquerunt nobis Veteres. Quod ad גזם attinet, omnes fere ſcripturarum expoſitores vertunt erucam, nomen autem doctiſſimi quique derivarunt a גזז id eſt totondit, reſecuit, dages compenſativo literæ ז, per Cametz compenſato, ut in גזית, pro גזית ab eodem themate deducta voce. Metuit *Samuel Bochartus in Hieroz. lib.* 4. *c.* 1. *p.* 443. ſi *gazam* a גזז derivaret,ne ex adverbio nomen faceret, ſed fruſtra, quia ם nominis, incrementum & multitudinem rei ſignificantis,frequentiſſima nota eſt. Verbi gratia סלעם pro עלסם id eſt *ζῶον ἁλτικὸν*, כנם pediculorum multitudo, quæ & כנים *Exod.* ℣. 13. 14. שפם myſtax, ab augmento labiorum. סלם ſcalæ, a סלל quod aſcendentem graduum multitudine attollant. *Vid. plura in Onomaſtico noſtro Sacro p.* 170. 171. 172. Metuit etiam, ne ſi a גזז derivetur Erucæ nomen, amputandi vires ei tribuantur, quæ locuſtæ magis conveniant. Sed nec ipſe auſus fuit locuſtæ eas vires vindicare, quando ſegetes & arborum teneriores ramuſculos ait ita erodere locuſtam, *ac ſi* eos amputaret. Igitur & locuſta ramuſculos proprie non amputat, ſed erodit, ipſo fatente, quod cum æque faciat eruca, ei etiam conveniet nomen גזם, & nobis quoque licebit cum Bocharto, a Thalmudico vel Arabico verbo جَزَم quod abſciſſionem notat;originem ejus repetere: quanquam, ſi ex Hebraico ſermone commoda vocum derivatio peti queat, ad peregrinum & exoticum idioma, meo judicio; recurrendum non eſt. Nos interim quia גזז non tam amputandi quam tondendi & vellendi notionem habet, *Jeſa.* 53: 7. & *Mich.* 1: 16. a tondendo dictum Gazam id eſt erucam, arbitrabimur. Tonſuram utique ſtrenuiſſime exercet nequiſſimum animal eruca. Aſſidue enim erodendo frondem

dem & florem, vitibus imprimis atque oleis ita detondet, ut nuda penitus triſtique facie relinquatur. *Iſidor. lib.* 12: 5. Eruca frondium vermis, oleribus vel pampinis involuta, ab erodendo dicta, cujus meminit *Plautus*, imitatus nequam beſtiam & maleficam involutam in pampino; implicat ſe eadem, nec advolat, ut locuſta, ut huc illucque diſcurrens ſemipaſta dimittat, ſed permanet perituris frugibus, & tardo lapſu pigriſque morſibus univerſa conſumit. Sic *Plinius lib.* 17. *cap.* 24. Sunt & Erucæ, dirum animal, eroduntque frondem, aliæ florem, olivarum quoque, ut in Mileto, ac depaſtam arborem turpi facie relinquunt. Denique vel propter hoc *gazam* a locuſtarum genere ſeparabo, quod etiam in Prophetæ verbis, ſeparatum video, *gazam* ante locuſtam nominantis. Quo enim alio fine, quam ut maleficorum animalium genera diſtinguerentur, factum putabimus, quod poſt גזם memoratum, ad certam ſpeciem locuſtarum reſtringitur nomen ארבה, quod, ſi גזם locuſtæ vocabulum eſſet, poſt גזם legeretur, vocibus ſcilicet hac ſerie & ordine obventuris; יתר הארבה אכל הגזם ויתר הגזם אכל הילק : Pergamus autem in expoſitione.

Diſponit vitem meam, facit vel dat *vitem meam*, vitem donum meum, *in vaſtationem*, populatam atque ſpoliatam reddit.

Et ficum meam diſponit in marceſcentiam, id eſt marcentem languidamque facit, vigore deſtituit. לקצפה *Junius* & *Tarnovius* reddunt, in clavum, *Coccejus*, in ſpumam, alii in fungum, *Bochartus* ex Arabiſmo, in confractionem. Sed neque clavus aut fungus, quem aliis de cauſis patitur ficus, neque ſpuma aut confractio ab erucarum aut locuſtarum maleficio oritur, denique decorticationem non ſonare קצפה probatum hactenus fuit. Equidem non aliam video nomini קצפה convenire, quam languoris aut marceſcentiæ notionem. Idem quippe ſenſus, ſed diſcrepantibus verbis, a Propheta repetitur commate duodecimo: Vitis exaruit, & ficus elanguit: & confirmat marceſcentiæ vel languoris ſignificationem Arabum ſermo, ubi قصف *Katzapha* eſt languere, flaccum aut debilem eſſe, & قصف *Katſephon*, flaccidum, languentem & marceſcentem ſonat. *Et dejicit*, ſubaudi *fructum*. Hoc enim verbum de fructuum aut germinum dejectione uſurpari, liquet ex *Job.* 15. 33. Dejiciet Deus ſicut oleæ נצתו germen aut florem ejus: nec inſolita

eſt ellipſis nominum, quæ verbo ex facili reſtitui poſſunt. *Exalbuerunt*, corroſis ſcilicet corticibus, *ſurculi ejus.*

XIII. FICUS STERILIS TOLERATA.

Luc. 13: 6: 7. *&c.* FICUM *habebat quidam in vinea ſua ſatam, ex qua ficu fructum petitum venit, nec invenit. Itaque dixit Vinitori: Ego jam per tres annos fructum ex hac ficu petitum venio, nec tamen invenio, abſcinde eam quorſum terram otioſam reddit; Cui ille, Domine, inquit reſpondens, ſine eam etiam hunc annum, dum ego eam ablaqueem atque ſtercorem; ſi forte fructum edat. Sin minus tu eam poſtea abſcindes.* Scopus ſimilitudinis eſt Judæis per triennium a Chriſto fruſtra ad pœnitentiam vocatis, peracto longanimitatis Dei tempore, imminens excidium ſignificare. Igitur vinea hic dicitur Eccleſia Judæorum a Deo plantata, læta fronde ſpem de ſe egregiam præbens. *Jeſa.* 5: 7. Vinea Domini Dei exercituum, domus Iſraëlis & viri Judæ, ſunt planta deliciarum ejus: & quamvis exſpectaverit jus, ecce pus, (*ſcabies purulenta*) juſtitiam *exſpectaverit*, ecce autem clamor *peccatorum.* Ficus in vinea notat homines in Eccleſia Judaica, quos verbo ſuo Chriſtus inſtituit, ut perditos Deo lucraretur. Fructus, quos vineæ Dominus petitum venit, nec invenit, ſunt bona opera fructus pœnitentiæ. Tres anni denotant tempora longanimitatis divinæ, quæ tanta eſt, ut quamvis toto iſto tempore quo populum Chriſtus docuit, ex eo fructum non ceperit, non tamen mox, ſtricta ſecuri, excidium intentaverit. Otioſam reddit terram, ſi fertilis arbor in locum ejus insereretur, uſum Domino præbituram. Vinitor, qui precibus pro ſterili ficu intercedit, eſt Mediator Chriſtus, 1 *Joh.* 2: 1. *Ebr.* 7: 25. Ablaqueare, aut fodere circa eam, & ſtercorare eſt beneficiis omnibus ad converſionem provocare. *Abſcindere*, ſignificat ex populo Dei vel Eccleſia exterminatum, in perniciem ſempiternam deducere.

XIV. FICUS A DOMINO MALEDICTA, SYMBOLUM EST PROBITATEM MENTIENTIS POPULI, EAQUE DE CAUSA A DEO REJECTI.

Matth. 21: 19, 20, 21, 22. *& Marc.* 11: 13. ET *animadverſa apud viam ficu, venit ad eam,* (querens, ut Marcus ait, ſi forte aliquid inveniret in ea, nempe, quo famem levaret;) *quumque nihil in ea, niſi folia duntaxat inveniſſet, dixit ei: Ne poſthac ex te fructus oriatur unquam: ſtatimque ficus aruit. Quo viſo, admirati diſcipuli, dixere: ut ſubito aruit ficus! Quibus reſpondit Jeſus. Hoc*

vobis

vobis confirmo, ſi fiduciam habebitis, neque dubitabitis, non ſolum hoc de ficu facietis, verum etiam ſi huic monti juſſeritis, ut amoveatur, & in mare projiciatur, fiet: ac quicquid precibus fidenter petieritis, obtinebitis. Animadverſa apud viam ficu. Ficus hypocritarum gerit imaginem, qui formam pietatis habent, ſed vim ejus abnegarunt. *Ne poſthac ex te fructus oriatur unquam.* Voluit Dominus oſtendere genti Judaicæ, quæ inſtar ficus ſterilis erat, exitium ejus imminere. *Quo viſo*, die ſcilicet poſtero *Marc.* 11: 12. *Dixerunt ut ſubito aruit ficus!* Non quærunt facti rationem, ſed potentiam admirantur. Eſt enim hoc carnis ingenium in externis hærere, cauſam vero rerum, quæ geruntur, negligere. *Si fidem, ſeu fiduciam, habebitis.* Apoſtolis hæc loquitur Chriſtus, qui donum miraculorum edendorum habebant, & mandatum nova promiſſione firmatum. *Neque dubitabitis.* En tibi, quod Chriſtus opponat fidem hæſitationi, & ſic damnet dubitationem de exauditione precum, gratia Dei, & ſalute fidelium. *Quicquid precibus fidenter petieritis, obtinebitis*; quicquid, ut precemur, Deus ipſe verbo ſuo definivit, ſecundum cujus voluntatem orandum. 1 *Joh.* 5: 14. Non per omnia accuratum in expoſitione hujus loci ἀλληγορηθὴν agit Hieronymus: *Cumque vidiſſet*, inquit, *arborem unam*, quam intelligimus Synagogam & Conciliabulum Judæorum, *juxta viam*; habebat enim legem, & ideo juxta viam erat, quia non credebat in viam: *venit ad eam*, ſtantem & immobilem, & non habentem Evangelii pedes, *nihilque invenit in ea, niſi folia tantum*: promiſſionum ſtrepitum, traditiones phariſaicas, & jactationem legis, & ornamenta verborum abſque ullis fructibus veritatis. *Et ait illi: nunquam ex te fructus naſcatur, vel in ſempiternum vel in ſeculum*; utrumque enim αἰῶνα, Græcus ſermo ſignificat: & arefacta eſt ficulnea, quæ, eſuriente Domino, cibos, quos ille cupierat, non præbebat. Solidior eſt Clariſſimorum Doctorum Lightfooti & Joannis Coccejı explicatio. Quærit *Lightfootus*, quare, cum non adeſſet tempus ficuum Dominus ipſas exſpectavit, & non repertis arbori, pro natura ſua agenti maledixit? Reſpondet I. fuit ficus ex earum genere, quæ בנות שוח appellata protrudunt fructus unoquoque anno; at non ad maturitatem producunt, niſi anno tertio. Itaque in ea arbore, unoquoque anno apparebat triplex fructus, anni ſcilicet præſentis, & præteriti, atque anni præteritum præcedentis. II. Per clementiam aë-

ris ramis hæſerunt quam plurimarum arborum fructus, per totam hyemem, ſi manibus non decerperentur, aut excuterentur a ventis, imo per hyemem maturuerunt. III. Acceſſit ergo ad arborem Chriſtus fructus ex ea quærens (quamvis non adeſſet tempus ordinarium ficuum) quia probabile admodum erat, fructus in ea reperiri potuiſſe. Præſentis quidem anni ficus, nec exſpectavit, nec potuit exſpectare, cum σύκων καιρὸς abeſſet quinquemeſtre, atque in dubio ſit, an folia habuerit anni præſentis. Erat jam menſis Niſan, quo primum folia tenera & minuta germinant, vix foliorum nomine digna, (nam dies menſis erat tantum undecimus) ut ficus ejusdem cum iſtis foliis anni exſpectare, non ſolum fruſtraneum eſſet, ſed ridiculum. Hanc autem ficum, cum vidiſſet Dominus e longinquo habentem folia, tempore, quo ejusdem generis arbores, non habuere, venit viſurus, num aliquid inveniret in ea. A foliis ſpes ficuum: hæc ergo certe folia erant non præſentis veris, ſed vel anni præteriti, vel iſtius ficus, cui & folia per biennium aut triennium hæſerunt, antequam fructus perduceretur ad maturitatem. *Hor. Hebr. p.* 353. *Apud Coccejum Conſider. quæſtion. Judaic. cap.* 50. quærit Judæus: Qua ratione nititur & qua interpretatione defendent Chriſtiani doctores id, quod legitur *Marc.* 11. 13. de ficu, quam fructum non ferentem, quia necdum venerat tempus ficuum, execratus eſt Jeſus. Quid meruerat miſera illa ficus, ut eam extra tempus non ferentem fructum execraretur? Reſpondet ei *Coccejus:* Non erat tempus maturarum ficuum, (*fuit enim Martii undecimus dies*) tamen ea ficulnea oſtendebat magnam luxuriem foliorum, & frondium præ cæteris. Solent ficus, quum abundant foliis, habere aliquem fructum, nam & fico folium ſerius naſcitur, quam pomum: *Plin. lib.* 16. *cap.* 26. Et docent nos hortorum cuſtodes etiam in his regionibus frigidioribus ficos eſſe biferas, (*quod & Plinius teſtatur lib.* 16. *c.* 27.) ſeros fructus per hyemem in arbore manere, & æſtate inter novas frondes & folia matureſcere. *Columella de arboribus cap.* 21. docet, quibus locis præcoques (ita appellat quarum fructus ante hyemem matureſcit) ſerendæ ſint, quibus item ſerotinæ, quas & ſeras vocat. Locis frigidis, & autumni temporibus aquoſis, præcoques ſerito, ut ante pluviam fructum deligas. Locis calidis hibernas ſerotinas ſerito. At ſi voles ficum quamvis non natura ſeram facere, cum groſſuli minuti erunt, fructum decutito. Iterum alterum edet fructum, & in

in hyemem ſeram differet maturitatem. Eadem habet de re ruſtica libro quinto, capite decimo. *Plin: lib.* 15. *c.* 18. Sunt & hibernæ quibuſdam Provinciis, ſed artis, non naturæ. Parvarum genus arborum, poſt autumnum fimo contegunt; deprehenſaſque in his hyeme groſſos: quæ mitiore cœlo refoſſæ cum arbore, atque in lucem remiſſæ, novos ſoles alioſque quam quibus vixere, avide tanquam iterum natæ accipiunt: & cum venientium flore matureſcunt, alieno præcoces anno in tractu vel gelidiſſimo. Quid igitur mirum intempeſtivam & novam fertilitatem pollicente, (habebat enim folia, quum tempus ficuum non eſſet) requiri fructum aliquem præcocem a ſerotino germinante cum novo flore, ut Plinius loquitur, maturitatem ad æſtum in calidis regionibus? Hoc animo acceſſit Chriſtus. At nullum fructum reperit. Execratus eſt eam, ne unquam ferret fructum. Et ficus quidem illa nihil meruit, ſed populus, apud quem nata erat, & fertilitatem mentiebatur, meruit ut in fico admoneretur, ne in ſimilem execrationem incideret: qui fertilitatem mentiens omni fructu caruit, ut renovaretur in hoc facto parabola, qua & Spiritus Sanctus uſus eſt *Mich.* 7: 1. *Væ mihi*, *quia extiti tanquam in collectionibus autumni*, *ut in racemationibus vindemiæ! non eſt botrus ad comedendum*, *præcox*, *quem deſiderabat anima mea*. Qualis erat illa arbor, talis erat ille populus. Folia habebat arbor; fructus ne ſpem quidem faciebat. Ita populus, habebat verba Dei in ore, & præcepta externæ & carnalis obſervantiæ exercebat, quum totum adhuc mundum hyems ignorantiæ & vitiorum premeret; fructum autem fidei & pietatis non habebat. Quod etiam queritur Deus apud Eſaiam quinto: Exſpectabat uvas & tulit labruſcas, exſpectabat judicium, & ecce ſcabies: juſtitiam, & ecce clamor. Ideo & populus ille maledictioni ſubjectus eſt, ut ea arbor. Nunquam is populus, ut populus feret fructus. Rejectus eſt enim cum omni ſua pompa, cum templo, cum cathedra, cum ſenioribus & principibus, & ſacerdotibus, & tota lege carnalis præcepti. *Eſaias* 28: 3. illuſtrat non parum hunc locum *Matthæi* כבקור׳ בטרם קיץ ut præcox ante æſtatem: *Marcus*: ȣ̓ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, non enim erat tempus ficuum. Æſtas non erat, diceret *Eſaias*.

XV. Vinearum ficetorumque desolatio, peccatorum poenæ.

Hoſe. 2: 14. Desolabo *vitem* averſæ Iſraëlis, *& ficum ejus*, *de quibus dicit*, *merces hæ ſunt mihi*, *quas dederunt mihi amatores mei*,

gamque eas in ſilvam , ut comedant eas beſtiæ agri. Vitem & ficum ejus redigam in ſilvam , id eſt, vineas & ficeta ejus redigam in deſertum. Arborum ſingularia nomina pro collectis ſumi interdum ſolent, ut תמר Palma; *Jud.* 4: 5. אשל Eſculus pro Eſculeto, *Gen.* 21: 33. אילן Quercus pro querceto *Gen.* 13: 18.

XVI. FICUS BONÆ, ACCEPTORUM DEO HOMINUM; FOEDÆ, ABOMINANDORUM EMBLEMA.

Jerem. 24: 1, 2. *& ſeqq.* VISIONEM *oſtendit mihi Dominus*, *nempe ecce duo calathi ficuum conſtituti ante templum Domini* , *poſtquam deportaſſet Nebucadretzar* , *Rex Babyloniæ Jeconiam* , *filium Jehojakimi* , *Regis Judæ* , *& fabros ipſos lignarios, ac fabros ferrarios Hieruſolymis, & abduxiſſet in Babyloniam. Calathus unus erat ficuum bonarum valde* , *quales ſunt præcoces ficuum* : *& calathus alter ficuum malarum valde* , *quæ non poſſent comedi præ pravitate. Calathi* , corbes vel quaſilli ex materia ſeu ramuſculis ceraſi arboris contexti , in quibus fici ſervabantur. *Ante templum* DOMINI , id eſt in conſpectu Dei. *Fabros ferrarios* , ne arma contra victorem ferrent, & *cœmentarios*, ne loca ſua munirent. *Præcoces* בכרות. σῦκα πρόδρομα, ſerotinis gratiora. *Malarum valde* , quæ *Jerem.* 29: vocantur *horrendæ*, a quibus guſtus nauſeam habeant. Quia viſionem hanc ipſe Deus explicavit , facilius Prophetæ dicta aſſequemur. *Ficus illæ optimæ* præcocibus ſimiles , eos denotant, quibus Deus adjicit oculos ſuos in bonum, ℣. 6. id eſt , quos favore proſequitur ex toto corde ſuo ad ipſum converſos , ℣. 7. quos imprimis cognoſcit, id eſt amat. ℣. 5. Tales fuere Jeconias , Rex Judæ, & qui cum eo in Babyloniam a Chaldæis deducti Principes Judæ , qui patiebantur cor ſuum ad reſipiſcentiam emolliri. *Ficus peſſimæ*, quæ non poſſent comedi præ pravitate , dicuntur ii , quos ob pravitatem factorum averſatus , & abominatus eſt Deus, quales fuere Tzedekias Judæorum Rex , & Principes ejus , nec non ii , qui poſt urbis & templi excidium, invito Deo , Ægyptum petierunt, homines perverſi, obſtinati, injuſti, crudeles, increduli, monitoribus Prophetis aſperi , rebelles , denique & perjuri. 2 *Chr.* 36: 11. 12. *& ſeqq.* & propter hæc ſcelera deteſtabiles Deo facti. Regem quippe excœcatum liberiſque omnibus orbatum, vinculis chalybeis & carceri perpetuo mancipavit Rex Chaldæus; Principes autem improbitatis ſocios extra patriam abductos, Chamathæ in Syria ſitæ jugulavit; Ægyptum vero petentes , gladio , peſti , famique expoſitos, cum liberis &

con-

conjugibus conſumſit ſcelerum vindex Deus.

XVII. Munimenta Nineves cadentia instar ficuum leviter concussarum.

Nachum. 3: 12. Omnes *munitiones tuæ , ſimiles ſunt ficubus cum primitivis fructibus ; ſi moveantur , illico cadunt in os comedentis* : labore oppugnantium exiguo dejiciuntur , vix quaſſatæ corruent , concidentque , quemadmodum ficus abjicit groſſos ſuos a vento concuſſa. *Apoc.* 6: 13.

XVIII. Ficus spoliata exstirpationis typus.

Jerem. 8: 13. Omnino *aufero eos , dictum veriſſimum Domini : Nullæ ſunt uvæ , nullique fici in ficu : etiam ipſa folia ceciderunt , & quæ dederam eis , cum ipſis prætereunt* , urbs , templum , ædes , liberi , conjuges , honores ac divitiæ.

XIX. Siderum casus , cum ficu decidua comparatus , ad interitum Edomi non referendus.

Jeſa. 34: 4. Etiam *contabeſcet totus exercitus cœlorum , convolventurque tanquam liber cœli : & totus exercitus eorum decidet , ut decidit folium e vite , & ut deciduus* fructus *e ficu.* Vaticinium hoc plerique Interpretes ad excidium Eſavi referunt , & per hyperbolen & exaggerationem dicta putant, quæ Jeſaias de toto cœlorum exercitu contabeſcente , de convolvendis cœlis , ac de omnium ſiderum caſu vaticinatur. Putant enim verba commatis quinti , ubi judicium Edomi incipit , cohærere cum præcedentibus vi conjunctionis cauſalis. Sed a vero multum deviant. Erroris cauſam dedit כי ambigua vocula , quam illi pro *nam* cauſali conjunctione accipientes textum verterunt : Nam inebriatus eſt in cœlis gladius meus: quum, ut aliis plurimis in locis, in hoc textu temporis adverbium ſignificet, vertendum per *quando* ; Quando inebriatus fuerit in cœlis gladius meus, ecce , ſuper Edom deſcendet in judicium.

Secundo , caſus ſiderum atque cœlorum convolutio majus quiddam & auguſtius ſignificat , quam Idumææ gentis deletionem, nec ulli magis rei , quam ſeculi convenire poteſt conſummationi; iisdemque verbis mundi interitus a Johanne deſcriptus. *Apoc.* 16: 12, 13, 14. *Deinde aſpexi , cum aperuiſſet Agnus ſigillum ſextum , & ecce terræ motus magnus factus eſt , & ſol factus eſt niger ut ſaccus cilicinus , & luna tota facta eſt ut ſanguis , & ſtellæ cœli ceciderunt in terram , ſicut ficus abjicit groſſos ſuos , quum vento magno concutitur.*

Et

Et cœlum abſceſſit ſicut liber, qui convolvitur. Notandum autem, quod, quæ poſt apertum ſeptimum ſigillum, clangentibus ſeptem Angelis, revelantur arcana, nullam habeant connexionem vel conſecutionem ad ea, quæ poſt apertum ſextum ſigillum prænunciantur *Apoc.* 6: 1. 3. 5. 7. 9. 12. ſed quod novus ordo fatorum Eccleſiæ Chriſtianæ retexatur, quæ antequam ſextum aperiretur ſigillum contigerunt. Hinc intelligere eſt, ea, quæ *Apoc.* 6: 12, 13, 14. de ſole obfuſcato, de luna ſanguine tincto, de ſtellarum caſu, de convolutis cœlis, montibuſque & inſulis loco motis memorantur, ad univerſi interitum pertinere, quem proxime ſequitur dies ille magnus indignationis & iræ, quam in maximos minimoſque convertet Agnus. ℣s. 15, 16, 17.

Tertio, Idumæorum, qui Eſavum generis autorem habuere excidium apud Jeſaiam memorari, ex eo non fit veriſimile, quod Idumæos, Eſavi poſteros & Sehiris quondam habitatores tam grave excidium, quam Propheta vaticinatur, non oppreſſit. Nunquam torrentes Idumææ in picem, nunquam pulvis ejus in ſulphur mutatus, nunquam terra eorum fuit pro pice ardente, nec denique igne arſit inexſtincto, nec etiamnum aſcendit fumus ejus. ℣. 9. Senſim quippe Idumæi a Judæis & aliis gentibus attriti, populus eſſe deſierunt. Redacti enim ſub Chaldæorum Perſarumque & Macedonum imperium, poſtea a Juda Maccabæo afflicti, 1 *Macc.* 5: 65. & ab Hircano ſubacti *Joſeph. lib.* 13. *c.* 17. tandem cum Judæis juncti, Romanis rebellarunt, & quum ad templum defendendum Hieruſolymas venirent, a Veſpaſiano devicti ſunt; qui eorum 10000 occidiſſe, centum captivos duxiſſe, reliquos diſſipaſſe, legitur, apud *Egeſippum lib.* 4. *cap.* 16. ex quo tempore ne nomen quidem Idumæorum ullibi terrarum relictum eſt. Alius igitur quærendus eſt Edomus, in quo Jeſaiæ vaticinium impleatur. Alius, inquam, qui & nominis menſuram rependat, eique factis & moribus & exitio comparari queat. Qualem quidem in Scriptura quærentibus occurret a Paulo & Johanne in Apocalypſi depictus Antichriſtus. Hic ante omnes alios Edom meruit appellari, uti ſeductrix illa mulier, altera Jezabel. *Apoc.* 2: 20. Is eſt *Edom* ſive *Rufus Gen.* 25: 25. 30. ארום ארמי, quæ literæ per gematriam, numerum beſtiæ complectuntur: ם enim finale 600. denotat, reliquæ in ſummam collectæ literæ 66. Joth eſt paragogicum. Nimirum rubet Antichriſtus a Sanctorum ſanguine, & a ſanguine Martyrum Jeſu, beſtia.

ſtia. *Apoc.* 7: 6. *&* 13: 7. In ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt, & omnium, qui mactati ſunt in terra. *Apoc.* 18: 24.

Excidium Edomi, de quo Jeſaias, erit ſine exemplo horrendum. *Devobebit eum* Dominus *internecioni. Inebriabitur in cœlis gladius ejus.* ℣. 5. *Gladius Domini implebitur ſanguine, pinguefiet adipe, ſanguine agnorum & hircorum, adipe renum arietum*, id eſt, ſanguine juvenum ſenumque & fortium. ℣. 9. *Mutabuntur torrentes ejus in picem, &c.* Nihil ei fiet reliquum. *Extendet ſuper ejus terram Dominus lineam deformationis & perpendicula inanitatis.* ℣. 11. *Quomodo exciſa es Idumæa? ſi fures advenirent tibi, ſi vaſtatores nocturni nonne furarentur quod ſatis eſſet ipſis? Si vindemiatores advenirent tibi, nonne relinquerent racemos? Obad.* ℣. 18. *Eritque domus Jacobi velut ignis, & domus Joſephi flamma; domus autem Eſavi in ſtipulam, ut accenſi in hos conſumant ipſos; neque erit ſuperſtes domui Eſavi, quia Dominus eloquitur. ibid.* ℣. 18. Idem excidium manebit Antichriſtum, funditus evertetur, nunquam reſtituendus. Implebitur, quod *Apoc.* 18: 21. prædictum eſt: Tum ſuſtulit quidam Angelus validus lapidem inſtar molæ ingentis & projecit in mare dicens: ita cum impetu projicietur Babylon, urbs illa magna, nec amplius invenietur, &c. Edomi & Antichriſti excidium ſequetur tempus, quo inaudita ſterilitas & ſolitudo terram invadet. „ Aſſurget in palatiis Edomi ſpinarum multitudo, chamæleon & „ ſpina in munitionibus ejus, eritque caula draconum, atrium u„ lulis, & concurrent fera animalia cum feralibus; & dæmon „ proximo acclamabit: tantum ibi reſidet ſtrix, invenietque ſibi „ quietis locum. Ibi nidificabit acontias, quumque eruperit, colli„ get ad umbram ſuam: tantum ibi congregabuntur milvi alter cum „ altero. *Jeſa.* 34: 13, 14, 15. A generatione in generationem va„ ſtata manebit Idumæa, in ſempiternum nemo tranſibit per eam. „ *ibid.* ℣. 10. „ Solitudo & vaſtitas non diſſimilis poſt exciſum Antichriſtum efficienda deſcribitur *Apoc.* 18: 2. *Exclamavit Angelus e cœlo deſcendens, qui habebat auctoritatem magnam, & terra illuminata fuit ipſius gloria,* (intellige Dominum gloriæ, qui ſceleratum illum illuſtri adventu ſuo abolebit) *is, inquam, exclamavit vehementer voce magna, dicens: Cecidit, cecidit, Babylon illa magna, & facta eſt domicilium dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus impuri, & cuſtodia omnis volucris immundæ & exoſæ.* Tempus illud vaſtitatis, noſtro quidem judicio, bene longum erit. Intercedit enim

inter beſtiæ & pſeudoprophetæ interitum, & inter diaboli finalem condemnationem, duraturum a ligatione diaboli uſque ad illius dejectionem in ſtagnum ignis ardens ſulphure: id quod volunt verba. *Apoc.* 20: 10. Dejectus eſt Diabolus in igneum ſulphureumque ſtagnum, ubi jam pridem ſcilicet erat bellua falſusque vates. *Apoc.* 19: 20.

Antichriſtum cultores & amici deſerent. Decem cornua, id eſt, decem Reges odio proſequentur meretricem & deſertam reddent illam, & nudam, & carnes ejus edent, & ipſam igne exurent. *Apoc.* 17: 16. Sic implebitur quod per Obadjam de Edomo dictum: Uſque ad terminum deducent te omnes fœderati tui, decipient te, prævalebunt tibi *qui pacem colunt tecum. Convivæ tui* imponent vulnus loco tuo, cujus vulneris nulla erit intelligentia. *Obad.* 7.

XX. ΣΥΚΟΦΑΝΤΕΙΝ EST DEFRAUDARE.

Luc. 3: 14. Johannes militibus: Μηδένα διασείσετε, μηδὲ συκοφαντήσητε. & *Luc.* 19: 8. Zacchæus gloriatur: εἴ τινος τι ἐσυκοφάντησα ἀποδίδωμι τετραπλοῦν. Abraham. Scultetus, in Delit. Evangel. *ad Luc. cap.* 3. Συκοφαντεῖν eſt διαβάλλειν, & συκοφάντεια διαβολὴ, & διδάγματα συκοφαντικὰ apud Juſtinum Triphone. Hoc loco, ut & *cap.* 19: 8. τὸ συκοφαντεῖν generatim uſurpatur pro omni injuriæ genere. Illud ergo μηδὲ συκοφαντήσητε, vertere malim, *neminem defraudate*, quam vel cum Vulgata, *neque calumniam faciatis*, vel cum Beza, *neque dolo opprimite.* Hoc poſterius enim violentiam ſignificat, etſi doloſam; & milites non tam calumniantur, quam defraudant, quos poſſunt. Ad hanc generalem vocis ſignificationem attendentes, Vulgatus Interpres & Eraſmus, iſta *Luc.* 19: 8. καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν, caute & eleganter interpretati ſunt. Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum; ubi Beza, *ſi quid cuipiam per calumniam eripui*, nec loci, nec gloriationis Zacchæi ſenſum aſſequutus. Nam, ſi quadruplum ille reddebat pro ereptis, juris id neceſſitate fiebat, nec erat, in quo magnopere æquitatem ſuam oſtentaret. Ita enim edicto de publicanis cautum fuit: ſi quid per vim extorſiſſent, ut in quadruplum tenerentur, in quo inerat & ſimplum. *L. Hoc edicto, in fin. Dig. de publican.* Cum, ſi quid ſimpliciter & vi non adhibita defraudaſſent, dupli in quo & ipſum ſimplum inerat, tenerentur. Ille autem ſe quadruplum etiam in hoc caſu reſtituere gloriabatur. *Grotius ad Luc.* 19. *Redde quadruplum:* Imitatione ejus, quod erat in lege;

lege; nam, qui pecudem, extra bovem, ſurripuiſſet, pendebat quadruplum, *Exod.* 22: 1. Unde originem ſumſiſſe videtur Lex Attica, & porro Romana; imitatione dico, non ex lege ipſa. Nam primum lex non obſtringebat, niſi in judicium adductos: erat enim hæc velut pœna inficiationis: alioqui ſi quis ante judicium facti pœnitudine duceretur, is culpa abſolvebatur, reſtituens ſimplum & quintam ſimpli, quæ videtur ſucceſſiſſe in locum incertæ æſtimationis damni, furtum conſequentis. *Num.* 5: 7. Deinde pœna quadrupli locum non habet, niſi poſt alienationem rei ſurreptæ: alioqui reus duplum ſolvens, liberabitur, *Exod.* 22: 4.

XXI. Sycomoræa, בכא Bacha.

Luc. 19: 2, 3, 4. Zacchæus, *magiſter Publicanorum, ſtudebat videre, quis eſſet Jeſus, nec poterat præ turba, quod ſtatura parvus eſſet, præcurrens igitur aſcendit in Sycomoræam, ut eum videret.*

Sycomorus, quam ſycomoræam nominat Lucas, ut auctor eſt *Theophraſtus Lib.* 4. *Cap.* 2. *Hiſtor. Plant.* arbor eſt Moro ſimilis, folio ſcilicet magnitudine aſpectuque proxima. Fructum præter cæteras peculiariter gignit, non enim germinibus, non ramis extremis, ſed caudice pomum parit magnitudine ficus & viſu proximum, ſucco atque ſapore caprificis ſane ſimile, verum longe dulcius, graniſque internis omnino carens, multitudine numeroſius; matureſcere nequit, niſi ſcalpatur. Hæc inter cæteras arbores, id ſibi proprium vendicavit, quod cæſa continuo viret, neque ſiccatur unquam, niſi aqua obruatur. Eaque propter & lacubus & ſtagnis demergitur, madefactaque in profundo ſiccatur, cumque ſicca omnino fuerit, ſuperfluitat innatatque. *Dioſcorides* his eam verbis depingit: „ Arbor eſt magna, fico ſimilis, frondoſa, multo „ lacte abundans, foliis mori, pomum ter aut quater anno fert, „ non ramis, ut fico, ſed caudice ipſo, caprifico non diſſimile, „ dulcius groſſis, ſine granis interioribus: quod non matureſcit, „ niſi ungue, aut ferro ſcalpatur. *libr.* 1. *cap.* 144. „ Hanc arborem in Africæ deſcriptione libro nono, Leo ficui ſimilem dicit fructus ſapore, ut qui non inter folia, ſed in ipſo arboris trunco naſcatur; eſſe autem magnæ proceritatis: unde apparet, cur inde deſpectum quæſierit Zacchæus. Συκόμορον, ἔνιοι δὲ καὶ τȣ̃το συκάμινον λέγȣσιν, inquit *Dioſcorides.* Et ſane non uno in loco, ubi LXX. habent συκαμίνȣς, alii Interpretes Græci maluerunt ponere συκομόρȣς. Sed omnino differunt Sycaminus & Sycamorus: Alexandriæ, in-

 quit,

quit, Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus, Sycomori plantam vidi una cum fructu, parvæ candidæque ficui aſſimilem. Is fructus nullam habet acrimoniam, exiguæ dulcedinis eſt particeps, facultate humidior quodam modo, ac frigidior, veluti mora: quin imo inter moræ ac ficus medium jure quis ipſum collocavit, atque hinc nomen ipſi inditum eſſe mihi videtur. Ridiculi namque ſunt, qui fructum hunc ob id ajunt ſycomora fuiſſe adpellatum, quod parvis ficubus aſſimiletur. Ipſius autem naſcendi ratio ab aliis arborum fructibus quodammodo eſt diverſa. Haut enim ex prioribus ramulis ac germinibus, ſed ex prægrandibus ramis caudiceque enaſcitur. Sycomoræam Syrus Interpres *fatuam* vocat *ficum*: Aſcendit *lethitho' phachitho'*, in ficum fatuam vel inſipidam: fatua ficus, ut beta fatua, dicitur propter fructus guſtum inefficacem, quod & *Dioſcorides* notat *lib.* 1. *c.* 144. In Æthiopica verſione pro ſycomoræa ponitur *Sagla*, quæ Amharice *Schyla*, communis in Æthiopia arbor, atque ut Ludolfo Æthiops ſuus affirmabat, magnas ferens ficus. Conſtat igitur Sycomorum alibi etiam quam in Ægypto proveniſſe, licet eam Ægyptiam vocaverit Plinius. Quo autem nomine Sycomorum Hebræi dixerint, nemo hactenus, quod ſciam, docuit. בכא me judice, adpellata eſt a lachrymis, בכה enim eſt lachrymas fundere. ה cum א permutatum, ut in שנא ſomnus, pro שנה. Id enim Sycomorus peculiare habet, quod nullum ferat æſtate fructum, niſi vere largas emiſerit lachrymas. *Dioſcorid. lib.* 1. *cap.* 144. Succus Sycomori primo vere tenera arbore, antequam fructum ferat, eximitur, lapidis ictu ſummo cortice deſquammato: ſi enim altiore plaga violetur cortex, nihil effluet. Spongia aut vellere lachryma excipitur, quæ ſiccata & in paſtillos coacta fictili vaſe reponitur. *Plin. Hiſt. Nat. lib.* 3. *c.* 7. Groſſus ejus non matureſcit, niſi inciſura emiſſo lacte. *Idem lib. lib.* 16. *c.* 38. Mirum hic in moro (*Sycomorum indigetat, in moro enim id compertum non eſt*) medicis ſuccum quærentibus, fere hora diei ſecunda lapide incuſſus manat, altius fractus, ſiccus videtur. Sycomori lachrymas & lactis nomine notavit *Plinius H. N. lib.* 4. *cap.* 7. Groſſus Sycomori non matureſcit, niſi inciſura, amiſſo lacte. Lactentes autem arbores præter ſycomorum & ficum reperio & ſtyracem atque palmas *Plin. L.* 16. *c.* 138. Ficis humor lacteus. Huic ad caſcos figurandos coagulivis. *Ovidius.*

At tibi dum lactens hærebat in arbore ficus.

Sty-

Styrax, Arabibus a lacte dicitur ابني *lobna*, quod & *Golio* viſum, *lex. p.* 2100. De caryotis palmarum fructu *Plinius*; Dos caryotis præcipua ſucco pingui lactentibus, quodamque vini ſapore in melle prædulci. Sed nec fico, nec ſtyraci, nec palmæ convenire poteſt nomen Baca. Ficus non eſt *The'ena*; ſtyrax planta Syriæ, in Judæa non provenit *Plin. lib.* 12. *cap.* 22. Styracem Syria Judææ proxima ſupra Phœnicem gignit, circa Gabala & Marathunta, & Caſſium Seleuciæ montem. Caryotarum autem fertiles palmæ (quarum ut Plinius refert, nobilitas eſt Hiericunte maxime,) ab Hebræis non *Bechaim*; ſed *Thamarim* adpellantur, *Deut.* 34: 3. *Oſtendit Dominus Moſi convallem Hierichuntis*, עיר התמרים *civitatis palmiferæ.* Duobus omnino locis de Sycomoro loquuntur Sacræ Literæ.

Pſal. 84: 7. *Tranſeuntes per vallem Sycomori, fontem faciunt eam: etiam fœcundata loca operit pluvia. Tranſeuntes per vallem Sycomori*, id eſt, per arida, ſiticuloſa & inculta. *Fontem faciunt*, Deo ſuo fidentes, hauriunt aquas cum gaudio e fontibus ſalutis divinæ, *Jeſa.* 12: 3. fœcundata loca, Hebr. benedictiones: loca, quibus benedixit; id eſt, quos fœcundavit Deus, ut *Ezech.* 34: 26. Reddam iſta quæ ſunt circa collem meum benedictiones, id eſt, feraciſſima, maxime fæcunda. Alter locus 2 *Sam.* 1: 18. Davidi conſulenti Deum, an aſcenderet contra Philiſtæos, reſpondit, *ne aſcendito: diverte a perſequendis eis, ut aggrediaris eos ex adverſo ſycomororum. Et eſto, quum audieris ſonum inceſſus in cacuminibus ſycomororum, ut tunc moveas te, tunc enim prodierit Dominus ante te ad percutiendum caſtra Philiſtæorum.* Divertere jubetur David a fronte hoſtium ad eorum latus, poſt ſycomoros longo ordine in valle conſitas, ita ut ſycomori inter utramque aciem ſtarent, ſtrepituſque & fragor qui ſuper cacumina earum auditus, ſignum Iſraëlitis daret cum Angelorum exercitu adventantis Dei, & quantocyus committendæ cum hoſtibus pugnæ. Locus pugnæ dicitur Vallis Rephaim, haut procul a Bethlehemo, Gebah vel Gibea Saulis, Adullamo & Valle filii Hinnom diſſita. 1 *Sam.* 5: 22. & 1 *Par.* 14: 9. Latitudinem ejus exiſtimare ex eo licet, quod explicandis Philiſtæorum copiis ſuffecerat, & frugum ubertate celebratur. *Jeſa* 17: 5. Igitur ſolum quod ab agrorum cultu vacabat, in ſycomoris conſitum fuit, vel pecoribus paſtum, vel itinerantibus viam præbuit. Qua parte ſycomoros protulit, Vallis ſycomori adpellari meruerat. Illa ſcilicet

quam cœtus Hieruſolyma petentium tranſiviſſe, inque ea pro fonte Deum ſibi conſtituiſſe traditur *Pſal.* 84. Nec enim veriſimile eſt alibi in Judæa Sycomorum tanto numero proveniſſe, Ægypto ſibi copiam ejus vendicante, unde etiam apud Plinium Ægyptiæ ficus nomine inſignitur, non quod ibi ſolum naſceretur, ſed, ut dictum, quod nullibi frequentior.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE OLEA.

OLEA *Hebræis ab ardendo dicta. Canaanitidis Oleæ fertiliſſimæ. Naſcebantur in montibus collibuſque. Oleoſarum arborum rami. Oleoſa ligna præter Oleam, ex quibus* Cherubini *facti.* Mons Oliveti. Gethſemane *non vocata eſt a torculari, quo ex olivis oleum exprimitur. Oleæ in Libano & in* glareoſis Arabiæ deſertæ rupibus. *Oleæ in* Genneſar: *In* Argob *ſive Thrachonitide, juxta Hebræos. Celebratur ab iisdem ab olivarum bonitate* Thecoa; Ragab *trans Jordanem*, Kehila, Netopha, Chuſch-chalab, *Areſitarum oppidum.* Oliveta Philiſtæorum accendit Simſon, *immiſſis trecentis vulpibus.* Schuhalim *vulpes dicuntur a mordacitate, Bocharto a tuſſiendo. Quæ transpoſitis literis ſcribuntur nomina ab eadem radice deſcendere queunt. Suſpecta ſunt quæ ex gentilium ſcriptis ad illuſtrandum codicem ſacrum afferuntur.*

I. OLEA HEBRÆIS AB ARDENDO DICTA.

IN pruniferis arboribus a Rajo recenſentur Olea, (non obſtante, quod illius fructus a Plinio, Scaligero & aliis baccæ vocantur) Prunus, Myxa vel Sebaſte, Caſſia, Cinnamomum, Amygdalus. Oleæ, ſecundum *Matthioli* deſcriptionem folia habent longa, in acutum deſinentia, craſſia pinguiaque, ſuperne virentia, inferne albicantia, ſapore amaro & acriuſculo. Florent omnes Julio menſe floribus albis, racematim prodeuntibus, e quibus baccæ prodeunt primum virides, deinde appropinquante maturitate palleſcunt, tandem purpureæ prius factæ ſaturate nigreſcunt. Decerpuntur menſe Novembri & Decembri: namque antea non matureſcunt. Sternuntur deinde in pavimentis, donec rugoſæ fiant, deinde molæ ſup-

ſupponuntur, & torculari premuntur, affuſa ferventi aqua: ita enim oleum reddunt. Ligni materies pulchra, ſolida, venoſa, criſpa, ardetque viridis, perinde ac ſicca: ſeruntur in collibus & in campis. זית Hebraicum oleæ nomen pro צית dictum, zajin cum צ cognata litera alternante, ut in זהר pro צהר ſplendor, in זעק pro צעק clamavit, in זוף unde זפת: זיפה: זיף id eſt pix, pro צוף fluere. זית igitur venit a verbo זות, ut ציד venatio a צוד venari, idemque ſonat, quod צות ardere, unde Hiphilicum אציתנה ardere fecit eam. Dicitur autem ab ardendo Olea, quod peculiare ſit ligno ejus, etiam viridi, facile exardeſcere, & quod ignem celeriter concipit e fructu ejus expreſſum oleum. Ardet, inquit *Matthiolus*, oleæ materies viridis, perinde ut ſicca. De oleo autem ignis præcipua alimonia, teſtatur locutio proverbialis: Oleum camino addere, id eſt malo fomentum ſuppeditare: Oleo incendium reſtinguere, id eſt, ea remedia admovere, quæ malum magis ac magis augeant & exacerbent.

II. Canaanitidis Oleæ fertiliſſimæ.

Olearum ſuperfluente olim multitudine redundavit Judæa, ut noſtra tempeſtate Italia & Hiſpania, & quæ nulli terrarum fœcunditate ceſſerit Gallia. Naſcebantur autem in omnibus Terræ Sanctæ finibus. *Deut.* 28: 40. *Oleas habebis in toto termino tuo.* *Deut.* 8: 8. *Introducturus eſt te Deus in terram optimam...... terram feracem oleæ oleoſæ*, id eſt, olearum olei maxime fertilium. Magnus ille Sanheribi pocillator, probaturus Judæis, Aſſyriorum terram bonitate & proventu eorum, quibus vita carere non debeat, cum Hebræorum terra contendere, præter alia eam etiam prædicat, ארץ זית יצהר *terram feracem oleæ olei & mellis.* 2 *Reg.* 18: 32. Quam ferax olearum fuerit Judæa, vel ex proventu olei colligi poteſt. Salomon quippe Hiramo Tyriorum Regi, quamdiu ſervis ejus ad paranda ligna utebatur, dediſſe legitur vicies mille bathos olei, id eſt, mille centum viginti urnas, quæ reductæ in plauſtra, conficiunt plauſtra centum octoginta ſeptem, urnas tres 2 *Par.* 2: 10.

III. Oleoſæ arbores montana amant; rami earum.

Naſcebantur oleæ in montibus atque collibus, queis Columellæ & Palladii teſtimonio maxime gaudent. *Nechem.* 8: 16. *Exite in montana & afferte ramos olivarum, & ramos arborum oleoſarum, ramoſque myrti*, quæ pariter montes amat, *ad faciendum tabernaculum*,

lum, *prout ſcriptum eſt*. Sunt enim עלי זית folia vel rami, quorum fructus eſt oliva, & quæ dicunt עלי עץ שמן folia vel rami arborum, quarum fructus folia & lignum oleoſa gaudent pinguedine, ut fagus, nux, juglans, amygdalus, piſtacia, laurus, mirtus nigra, e cujus foliis probe tuſis oleum exprimitur, quemadmodum e lauri baccis *Plin.* 15: 7. Citro etiam oleoſum lignum tribuit *Pometius*, *Hiſtor. general. de aromatis lib.* 3. *c.* 4.

IV. CHERUBINI EX LIGNO OLEOSO FACTI.

E lignis oleoſis in adyto duos Cherubinos fecit Salomo: decem cubitorum altitudo erat utriusque eorum 1 *Reg.* 6: 23. *E lignis oleoſis*, ut nos quidem exiſtimamus, *diverſi generis*: alias ſcripſiſſet עצי זית ex lignis olivæ. Quia enim utriuſque Cherubi decem cubitorum altitudo fuit, & quinque cubitorum utriuſque ala, corpus quidem utriusque ex oleagino ligno, alæ autem ex abiegno, vel alius generis oleoſæ materiæ. Nec enim, puto, reperiri tantæ amplitudinis caudicem, ut ex ea ſimulacrum ſculpatur, cujus alæ ex corpore ad quinque cubitos protendantur, ſolido & indiviſo manente ligno. Sic intelligam, quod de foribus in porta adyti ſcriptum 1 *Reg.* 6: 31: 32. *In porta adyti fecit fores e lignis oleoſis*; *ſuperliminare cum poſtibus quinta parietis. In his autem binis foribus e lignis oleoſis incidit cæſuras Cherubinorum & palmarum & apertos flores*, ſcilicet ex lignis oleoſis fores adyti, ſuperliminare cum poſtibus cæſurisque palmarum, florum & Cherubinorum, ut non ex ſolida vel indiviſa materia, ita nec eodem oleoſarum genere fabrefacta ſunt. Nec iſta ligni varietas operi deformitatem attulit, quoniam auro obducebantur omnia.

V. DE LOCIS OLEÆ FERACIBUS.

IN oliviferis montibus erat I. הר הזיתים MONS OLIVETI, *Zach.* 14: 4. poſitus e regione templi ad ortum Hieruſolymorum. A quibus diſtabat 2000. paſſus, qui faciunt quadrantem milliaris Germanici. *Marc.* 13: 3. *Act.* 1: 12. *Joſeph. Bell. Jud. lib.* 14: *cap.* 13. Qua parte mons conſcenditur inter oleas, vocatur מעלה זיתים Aſcenſus Olearum, 2 *Sam.* 15: 30. ut מעלה עקרבים dicitur ſentium aſcenſus, quæ ſcorpiorum inſtar ictum inferunt, quoniam utrinque ad latera aſcendentium ſurgebant. *Jud.* 1: 36. *Num.* 34: 4. *Capellus* opinatur in GETHSEMANE, loco ubi Salvator ante paſſionem oravit, quia ſitus fuit in monte Olearum, dictum fuiſſe a torculari aliquo publico pro exprimendo ex olivis oleo, quæ magna

copia

copia toto illo monte, ſeu colle colligebantur. Quamvis igitur haut negaverim Torcular hoc premendis olivis conditum, interpretationem tamen nominis quam adfert, admittere nequeo. Nam nec oleum ſonat שמני nec ſcriptio vocis patitur; eo quod ſcheva in Græcanica verſione nunquam in η tranſit. Nos veram & congruam interpretationem in *Onomaſtico Sacro* dedimus, *pag.* 118. 119. & 813. ubi & rationem nominis luculenter expoſitam reperiet Lector. Eſt apud *Hieronymum Comment. in Eſai.* 60: & *Ezech.* 27: in Libano etiam proveniſſe Oleas. Cæterum naſcebantur in ipſis Cananææ rupibus. *Deut.* 32. 13. *Præbuit Iſraëli Deus ſugendum mel ex petra*, (ex petris, in quibus apes favos ſtruebant) & *oleum a ſilice rupis*, a rupium ad cætera ſterili ſolo. Itidem de Usitide ſua ſeu Arabiæ Deſertæ glareoſis rupibus prædicavit. *Job.* 29: 6. *Quum natarent greſſus mei butyro*; quum lactis in butyrum coacti copia circumfluebar: & *petra funderet apud me rivos olei*, id eſt olei pluſquam ſatis ex ipſis rupibus eſſet. Hoc *Deut.* 32: 24. eſt tingere in oleo pedem ſuum. *Clarius*: Tempore, quo pinguiſſimorum, id eſt, optimorum proventuum copia, tum ex re pecuaria, tum ex rure mihi ſuppetebant. Celebrarunt & profani autores loca in Canaanitide Olearum feracia. De Terra Gennesar *Joſeph. Bell. Jud. lib.* III. *cap.* 35. *p.* 86. Cœli temperies etiam diverſis plantis aptiſſima eſt. Nuces enim, quæ arborum maxime frigoribus gaudent, infinitæ floreſcunt: ubi etiam palmæ, quas nutrit calor æſtivus: has juxta ficus & oleæ, quibus aura mollior deſtinata eſt: ut naturæ magnificentiam hanc eſſe, quis dixerit, vim adhibentis, ut in unum conveniant inter ſe repugnantia, annique temporum contentionem bonam, veluti ſingula peculiari ſtudio terræ faverent. Argob *Deut.* 13: 14. quæ Thargumiſtis dicitur *Trachona*, id eſt, Trachonitis, a Thalmudiſtis celebratur ob olei præſtantiam. *Menachoth fol*, 85. *col.* 2. Thecon primas obtinet propter oleum. Abba Schaul dicit: Secunda poſt eam eſt Ragob trans Jordanem. Nec pro vilibus habuerunt palathas Kehilæ. *Sanhedr. Babyl. fol.* 70. *col.* 2. & *Joma fol.* 76. *col.* 1. Fuit etiam in laude Oliva Netophæa *Tract. Pea. cap.* 7. Netopha urbs eſt tribus Judæ, *Ezra.* 2: 22. & *Nechem.* 7: 26. vicina Bethlehemo, humore abundans, unde diurnus graminis & herbarum vigor. In *Menuchot fol.* 85. *col.* 2. narratur hiſtoria de oleo pretioſiſſimo coemto in Gusch-Chalab, urbe Aſeritica, quale coemi non potuit alibi uſpiam locorum.

VI. OLIVETA PHILISTÆORUM IMMISSIS VULPIBUS ACCENDIT SIMSON.

NON poſſumus heic præterire Oliveta Philiſtæorum, quæ ſuccendit Simſon facibus inter caudas vulpium ligatis. *Judic.* 15: 4, 5. Si audimus authorem metamorphoſeos vulpecularum Simſonis, qui Hallenſes auxit Obſervationes, non trecentæ vulpes ſed trecenti ſtraminis manipuli fuerunt, quos colligatos in ſegetes vineaſque & Oliveta Palæſtinorum conjecit Simſon. Igitur locum melius atque a Doctiſſimis Interpretibus factum, in hunc modum exponi poſſe arbitratus eſt: Und Simſon gieng hin / und nahm 300. Strohwiſche/ und kehret ein ende gegen das andere / und legte einen brand zwiſchen zweijen enden / und zündete die an mit feuer / und warff ſie unter das korn der Philiſter. Vocem שׁועלים ſtraminis manipulos eſſe contendit duabus maxime rationibus nixus: una, quod hac ſignificatione *Schuhalim* cum ſua radice amicius conſpiret, quam altera vulpium: Altera, quod antiquæ ſcripturæ, qua textus abſque punctis exaratus fuit, magis ſit conformis. Vellem author iſtius opinionis radicem nominis *Schuhal* oſtendiſſet, quod facere, quum neglexerit, quantum a radice ſua diſtent *Schuhalim* & *Schehalim*, nos nondum docuit. Si cognatum idioma conſulimus, fallimur, niſi Arabum lingua radicem nominis *Schuhal* ſervavit. Habet enim verbum لعس *lahaſa*, momordit, a quo & lupus لعس *lahaſon*, transpoſitiſque literis عاسل *haſlon*, dicitur, unde alio ordine trajectis literis שׁועל, id eſt mordax, vocatur Vulpis. Bochartus a سعل *tuſſiendo* derivat, quod hoc animal per omnem vitam tuſſiat. At nos viciſſim Arabicum verbum a nomine Hebraico deflexum eſſe arbitramur, ut ſit, vulpis in morem tuſſire. Nam & alia tuſſiendi verba habent Arabes, ut اخ *accha*, قحب *kachaba*, & عفط *haphata*, & frequenter ex nominibus verba formant Arabes. Ex literarum ſimilitudine non ſemper intelligitur derivati & radicis affinitas, vel eadem nominum ſignificatio, quia eandem vocem a diverſis originibus venire, exempla arguunt, & ejuſdem organi vel cognatæ litteræ promiſcue permutari non ſolent. *Dal* elatio, a *Dala* extulit, *Dal* tenuis, a *Dalal*, attenuari: *Hora* jecit, ab *Jara* & *Hora* genitrix, ab

ab *Hara*, concepit: *Moſer* vinculum, ab *Jaſar*, caſtigavit, & *Moſer* tradens, a *Maſar*: *Methom*, homines a *Matha* & *Methom* integritas, a *Thamam*: *Thaava* deſiderium, ab *Ivva*, & *Thaava* finis a *Tha'a*: *Thammim*, integri a *Thamam*, & *Thammim*, gemelli, a *Tha'am*. Contra, quæ tranſpoſitis literis ſcribuntur voces, licet non parum diſcrepent, eas tamen ab eadem radice deſcendere, manifeſtum eſt: ut *Pachat* fovea, pro *Pethach*, a radice *Pathach*. *Dorban* ſtimulus, pro *Dobran*, a ductu. *Zevaha*, & *Zahava*, commotio a *Zuah*. *Vaijikkalehu* 2 *Sam*. 20: 14. idem quod *Vaijikkahalu*, & congregati fuerunt. Sic משעול non eſt congenerum nominis שעלים ſed (ab שלע derivatum, quod Arabice eſt سلع *Salaha*, fidit, diffidit, unde & سلع *Silhon* fiſſura montis) fiſſuram denotat. Quare non dubitem locum *Num*. 22: 24. hunc in modum interpretari. *Tunc ſtetit Angelus* Domini *in fiſſura vinearum*, id eſt, loco, quo fiſſæ vineæ tranſitum præbuerunt, maceriam utrinque habentes. Denique שעל nuſpiam ſignificat manipulum, id enim eſt מלא־חצן, quod impleat lacertum. *Pſal*. 129: 7. ſed pugillum, quod Hebræi dicunt מלא־כף plenitudinem volæ ſive pugni, incluſum manu, ſive id, quod manum impleat. שעלים ſive pugillum interpreteris, generis manet vocabulum. Ut adeo, ſi *Schuhalim* σύσσημον illius fuerit, verti tamen ſententia non poſſet: nahm 300. Stroh-wiſche / ſed juxta vim Hebraici conjugati, 300. hand voll / aut 300. wiſche. Quid obſcurius hac verſione, quid imperfectius. Jam, quod ex punctorum abſentia petit, imbecille & ſtramineum eſt argumentum. Norma recte legendarum vocum, non eſt textus abſque punctis exaratus, meritoque ſententia rejicitur, quæ non ſine periculo rei Chriſtianæ, punctorum aſſerit novitatem. Prudenter autem factum quod hic author ſuſpicionem ſententiæ declinavit, quæ textus divinos judicat corruptos. Tam violento enim argumento, in explicatione Scripturarum uti, quid eſſet aliud, quam, quod ipſe fatetur, Gordium nodum gladio diſſecare? Nec minus erudite *Bocharti* opinionem rejicit, qui Vulpinalia Romanorum ab hiſtoria Simſonis arceſſit. Suſpecta enim fere ſunt, quæ ex dictis Poëtarum & gentilium antiquitate ad illuſtranda Scripturæ dicta congeruntur. Facile quippe ex innumera prolixiorum fabula-

rum multitudine, aliquid in Hiſtoria Sacra laudatis hominibus accommodaveris, quod vel nominis vel facti ſimilitudinem referat. Sed ad oleam redeundum eſt.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SIMILITUDINES AB OLEA DUCTÆ, ET DE INFESTANTIBUS OLEAM.

FOLIUM *Olivæ per columbam Noacho allatum, typus Evangelii. Dei populus Olivæ comparatus, Oleaſter exteris. Olivæ decus, perpetuus Eccleſiæ honos Iſraëliticæ. In oleam oleaſter inſitus, gentilis in Eccleſiam Dei adoptatus. Deflagratum oleæ decus pernicies principum virorum. Oleæ viror perpetua Sanctorum felicitas. Oleæ duæ apud Zachariam cap.* 4. *Oleæ duæ, Miniſtri Evangelii. Lychnuchus aureus Eccleſia. Oleum, Evangelii verbum. Filii plantæ ſunt Olearum. Olea, ut vitis & ficus, Principis emblema. Olea deſtricta, emblema eſt relictæ in populo paucitatis: Prorſus deſtricta exitium gentis deſignat. Duæ olivæ* Apocal. 11: 3, 4. *Evangelii præcones. Infeſtant oleam intempeſtivæ pluviæ, fertilitas nimia, erucæ. Flos oleæ dejectus, rerum & conatuum ademta ſpes. Olivæ tempeſtatibus dejectæ, ſpem interceptam ſignificant.*

I. FOLIUM OLEÆ NOACHO ALLATUM A COLUMBA SIGNUM ERAT AQUIS DILUVIALIBUS LEVATÆ TERRÆ.

GEN. 8: 11. *Venit ad Noachum columba, quam ſecundam ex arca miſerat, tempore veſpertino; ecce autem folium Olivæ decerptum in ore illius; ſic cognovit Noach levatam eſſe aquis ſuperficiem terræ.* Folium olivæ roſtro carptum attulit, non decuſſum, non aridum. עלה termitem quidam ſeu ramum vertunt: nam & עלי *Nehem.* 8: 15. termites notat, ſed non fit veriſimile termitem adhuc viridem adeoque tenacius arbori hærentem ab infirma volucri fuiſſe direptum. Quæritur autem unde folium hoc decerptum, cum arbores omnes per diluvium periiſſent. Reſpondet *Bochartus* a veteribus tradi, ſub aquis vivere & virere non ſolum oleæ, ſed & aliarum arborum quaſdam ſpecies. *Theophr. Hiſtor. Plant. lib.* 4. *cap.* 8.

ὀν δὲ τῇ θαλάτῃ ἐρυθρᾷ δένδρά τινα φύεται· καὶ καλοῦσιν αὐτὰ δάφνην καὶ ἐλαίαν. Ἐστι δὲ ἡ μὲν δάφνη ὁμόια τῇ ἀρίᾳ· ἡ δὲ ἐλαία τῷ φύλλῳ. καρπὸν δὲ ἔχει ἡ ἐλαία. παραπλήσιον δὲ ταῖς ἐλαίαις. Quæ ita contrahit *Plinius lib.* 13. *cap.* 25. In Mari vero Rubro (*mirum eſt*) ſilvas vivere, laurum maxime & olivam ferentem baccas. Ex eodem Theophraſto & ſequentia adfert *Plinius*: Eodem tractu inſularum ſilvas operit æſtus, quamquam altiores platanis, populiſque altiſſimis. Folia iis lauri, flos violæ odore & colore, baccæ ut oleis, & ipſæ odoris jucundi, autumno naſcentes, foliis nunquam deciduis. Harum minores integit mare; maximarum cacumina extant. *Plutarchus* etiam in libro de facie in orbe Lunæ.

Gedroſiæ autem & Troglodyticæ regionis ea pars, quæ ad Oceanum pertingit, cum ſit omnino ſterilis ob ſiccitatem, & arboribus careat; in mari vicino, quo alluitur, inuſitatæ magnitudinis plantæ naſcuntur, & ex profundo pullulant, quarum alias oleas, alias lauros, alias crines Iſidis, nominant. Quid obſtat igitur quin olea, cujus folia nunquam decidunt (unde Poëta:

------- *Ramum ſemper frondentis olivæ*)

folia ſua, aut ſaltem eorum unum aliquod ſub aquis per aliquot menſes retinuerit, quod fuerit a columba decerptum: Maxime, cum oleæ folia aquis & imbribus diu obſiſtere, ex eo colligatur, quod his Ichthyophagi tuguria ſua obtegunt. Ut *Strabo* tradit *Geogr. lib.* 16.

Myſticum ſenſum quod attinet, folium oleæ, quod in ore columba poſt diluvium ad Noachum attulit, adumbrare Euangelium, poſt Lutherum, & Glaſſius noſter docuit in ſelectis Moſaicis, *p.* 470. ubi: 1. Folium, inquit, Oleæ geſtabat columba in ore: ita Evangelium de gratia Dei & pace conſcientiæ, nobis proponitur per os Apoſtolorum & Miniſtrorum verbi, cooperante Spiritu Sancto. 2. Folium erat decerptum ab olea: Sic quæcunque Spiritus Sanctus in doctrina Evangelii proponi curat, deſumit a Chriſto, qui cum Olea non abſurde comparari poteſt. Non loquetur Spiritus Sanctus ex ſemet ipſo, ut ait Chriſtus *Johan.* 16. 3. Folium a columba decerptum fuit, non ex motu naturali (quid enim columbæ cum folio oleæ? grana hordei, triticæ, avenæ, ipſi ſunt accepta) ſed ex ſingulari Dei impulſu: ita Apoſtoli, qui lætiſſimum

mum hoc nuncium hominibus attulerunt, non ſua ſponte cucurrerunt, ſed ex ſingulari Spiritus Sancti impulſu. *Gal.* 1: 11. 4. Circa veſperam adferebat columba folium ex olea: ita ſonus Evangelii per Apoſtolos exiit in mundum circa veſperam mundi *Joh.* 1: 18. 5. Ex folio oleæ colligebat Noach aquas jam ſupra terram cecidiſſe, & mox poſſe ſe ex arca egredi: ſic ex verbo Evangelii nobis inn-noteſcit fluctus iræ divinæ ſedatos, & nos per Chriſtum cum Deo reconciliatos eſſe, quibus mox, in articulo ſcilicet beatæ mortis, ex arca militantis hujus Eccleſiæ, pateat aditus in terram novam & cœlum novum, in quibus Juſtitia habitat. 2 *Pet.* 3: 13. *Eſai.* 65. 17.

II. DEI POPULUS OLIVÆ COMPARATUS: OLEASTER EXTERIS.

Rom. 11: 17, 18. QUOD *ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum Oleaſter eſſes, inſertus es pro illis, & particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus es, Ne gloriare adverſus ramos, quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.* Olea eſt populus Dei, habens pacem cum Deo, & tranquillitatem conſcientiæ. Ita enim vocatur *Jerem.* 11. 16. Radix oleæ eſt Abrahamus cum cæteris patribus, quibus primum facta eſt promiſſio. Rami defracti ſunt Judæi, ex Patriarchis, quoad carnem oriundi, ſed ex populo Dei tandem propter infidelitatem, ut infra addit, excluſi; non tamen omnes, ſed aliqui. Supra enim ſe ipſum exceperat, & reliquias, quas conſervavit Dominus a malo. Pinguedo oleæ ſunt privilegia & beneficia Eccleſiæ, quæ a Patriarchis ad cæteros cives Eccleſiæ, tanquam a radice in ramos profluxerunt. Oleaſtri nomine intelligit gentiles omnes extra Eccleſiam. Quemadmodum enim oleaſter ſpeciem quandam oleæ habet, & tamen vero ſucco caret: ita Gentiles non renati habent quidem ſpeciem externam populi Deo grati, propter reliquias imaginis Dei poſt lapſum, quæ ſeſe exerunt in honeſtis operibus & ſapientiæ ſtudiis, carent tamen ſucco Spiritus Sancti, abſque quo fructus eorum Deo placere non poſſunt. Et tales erant Gentiles, natura inſerti autem ſunt in oleam, ex gratia, hoc eſt, Deus ipſos in locum Judæorum, tanquam ramorum defractorum, gratuita vocatione, membra fecit Eccleſiæ veræ, ubi pinguedo radicis, hoc eſt, gratia Spiritus Sancti ipſis etiam communicata eſt, ipſique cum Sanctis Patribus in unum eorundem beneficiorum pervenerunt conſortium. Utantur igitur hac

gratia humili animo, neque ſuperbe deſpiciant Judæos, qui in ipſo Dei populo nati ſunt. *Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.* Nemo ſanus gloriatur ob aliquod privilegium, adverſus eum a quo habet privilegium. Superbia tua & deſpectus Judæorum, non in ramos ſaltem defractos, ſed in radicem, hoc eſt, in Sanctos Patriarchas redundat. *Balduinus ad loc. laud. fol.* 210.

III. Olivæ decus perpetuum: Ecclesia Israelitica.

Hoſe. 14. 6. Diffundent *ſe teneri rami ejus, eritque quaſi oliva decus ejus, & odor ejus quaſi Libani. Diffundet ſe*, Hebraice ילכו *ibunt*, id eſt, augmentum capient fructum uberem laturæ. *Olivæ decus*, id eſt, perpetuus foliorum nunquam deciduorum honos, quo ſignificatur vitæ beatioris perpetuus tenor. *Odor ejus quaſi Libani*, arborum Libanicarum, cedri, vitis, oleæ, quæ floribus ſuis veſtitæ ſuaviſſimum longe lateque ſpirant odorem, qua locutione nominis celebritas indicatur.

IV. In Oleam matricem oleastri ramus insitus, gentilis in Ecclesiam Dei adoptatus.

Rom. 11. 24. Situ *ex naturali exſectus es Oleaſtro, & præter naturam inſitus es in veram oleam; quanto magis ii, qui naturales ſunt inſerentur propriæ oleæ.* Exegeſis: *Si tu* gentilis, qui cum Dei populo commune nihil habuiſti, *ex naturali exſectus es Oleaſtro*, deſumtus ex gentili populo, qui erat ſine Chriſto, ab Iſraëlitica Republica alienus, & extraneus, quod ad pactorum promiſſiones attinet, ſpe deſtitutus & expers Dei in mundo. *Epheſ.* 2: 12. *Præter naturam:* Agreſtem ſurculum, ſi in arborem mitem inſeras meliuſcula quidem fiet germinatio, at non tam perfecta. In naturam vero mitis arboris nullo modo tranſierit. Sic enim a Theophraſto accepimus, qui in *Hiſt. Plant. l. II. c.* 3. ſcribit, ex oleaſtro nulla arte poſſe fieri oleum, ut neque ex pyraſtro pyrum, neque ex caprifice ficum. ὁ γὰρ ἐπὶ τȣ̃ κοτίνȣ φασὶ συμβαίνειν, ὥϛε ἂν περικόπτης τὴν θαλίαν ἢ ὅλως μεταφυτευθῇ, φέρειν φαυλίας, ȣ̓ μετακίνησίς τις γίνεται μεγάλη. Negat ex oleaſtro, hoc eſt, κοτίνῳ oleam poſſe fieri & naturam illam ſilveſtrem mitigari. Quod enim in Oleaſtro deputato contingere ajunt, aut tranſlato, ut olivas ferat φαυλίας dictas, non magnam hanc mutationem cenſeri debere. Nam φαυλίαι peſſimum olivarum genus, quales fert tranſlatus oleaſter, vel deputatus. Apoſtolus

ſtolus igitur, qui id non ignoraverat, inſitionem illius ſcribit factam *præter naturam*, & rerum ordinem, ut Origenes ait, hic mutat, res magis cauſſis, quam cauſſas rebus aptans. Gentilium enim converſio, per inſitionem oleaſtri in oleam præfigurata, non eſt naturæ, nec artis opus, ſed ſolius voluntatis divinæ beneplacito peragitur, per quam hæc agreſtis olea ad mitis oleæ bonitatem ſimiliumque fructuum ubertatem proficere poteſt. *Inſitus in veram oleam*, hoc eſt, in genuinam, frugiferam, & optimis non diſſimilem: Sicut vera vitis, dicitur generoſa, non ſterilis, גפן אמת vitis veritatis. Sicut *Jerem.* 2: 21. זרע אמת ſemen verum vocatur, vel fidele, non fallax, ex quo fructum fruſtra non ſperes; *quanto magis ii qui naturales ſunt*, ex Abrahamo nati, quibus peculiaris facta promiſſio, *inſerentur propriæ oleæ.* Ita concludit ex communi axiomate Ἐυπρόσφυτον ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον. Tanto magis τὸ αὐτὸ γένει ἢ εἴδει. Si ſimile cooptatur cumque eo coaleſcit, quanto commodius ac minore negotio ea, quæ ſunt ſecundum formam eadem. *Theophraſtus ap. Scalig. in lib.* 1. *Theoph. de cauſ. Plantarum.* Stirpes quædam per ſe ſunt inſociabiles, gaudentque ſolitudine, ut cupreſſus, pinus, larix, & complures aliæ, quæ diffiſſo ſponte libro, aut ligno duriore fœdus recuſant: repudiat quippe advenam inhoſpitalis duritia, ut monet *Plinius libro* 17. Sed opinor, inquit *Ripinus*, nullas inſeri melius, quam quæ plus habent germanitatis inter ſe: quod naturale ſit ſocietatis vinculum, illudque omnium arctiſſimum germanitas *de Diſcipl. Univerſalis Horticulturæ. pag.* 41: 42.

Eleganter autem Eccleſiæ Chriſti unitus gentilis, cum inſito in aliam arborem ſurculo comparatur. Surculus inſitus primæ parentis immemor, nutricem parentis loco habet, eamque totis fibris quaſi brachiolis complectitur, & in unam eandem cum illa plantam abit. Sic unitus Eccleſiæ gentilis, pro matre deinceps eam agnoſcit, ab eadem nutritur, atque in unum cum ea corpus adoleſcit. Planta inſitione manſueſcit, ita ex gentibus converſi induuntur viſceribus miſerationum, benignitate, animi ſubmiſſione, lenitate, iræ cohibitione: ſufferentes alii alios, & condonantes ſibi mutuo, ſi quis adverſus aliquem habuerit querelam. *Coloſſ.* 3: 12. 13. Plantæ inſitæ fructus meliores ferunt, quia bonitas fructus ex ſucco bene cocto procedit: ita converſi ex gentiliſmo non amplius hominum cupiditatibus, ſed voluntati Dei, quod in carne reliquum

liquum eſt temporis vivunt. 1 *Pet.* 4: 2. Non amplius ambulant, ſicut reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis ſuæ, tenebris obſcuratam mentem habentes, & alienati a vita Dei propter ignorantiam, quæ eſt in ipſis, per obdurationem cordis ipſorum. *Eph.* 4: 17, 18. Inſita fructus majores producunt. Nam fructus provenit ex majore copia ſucci alimentitii paratioris. In inſito autem ſuccus paratior eſt. Ita Chriſti Eccleſia, per fidem unita cum ipſo, augeſcit Dei augmento, *Coloſ.* 2: 19. creſcitque in gratia & notitia Domini noſtri Jeſu Chriſti. 2 *Petr.* 3: 18.

V. Deflagratum Oleæ decus, pernicies principum virorum.

Jerem. 11. 16. O *tu, cujus nomen oleam viridem, pulchram fructu ſpecioſo nominaverat* Dominus, *in vocem crepitationis magnæ accendit ignem circa eam, & depaſti ſunt ramos ejus.* Exegeſis. Compellat Hieruſolymam, quam dicit a Domino appellatam eſſe oleam viridem, pulchram ſpecioſo fructu: at eundem circa eam accendiſſe ignem crepitantem cum ſonitu magno & eſſe, qui depaſti ſint ramos ejus, & defregerint; nempe ut in ignem conjicerent. Syntaxis eſt, qualem obſervavimus *Habac.* 2: 15. *Pſal.* 91: 1. & *Deut.* 33: 2, 3, 4, 5. & alibi. *Nominaverat te oleam viridem*: exornaverat te, & copioſam fecerat, & omnibus bonis cumulaverat; ita ut nominari poſſes Olea viridis, ſpecioſo fructu decora, & eam opinionem haberes apud omnes. Hieruſolyma ſine dubio compellat, quippe quæ hic ab Iſraële & Juda diſtinguitur. Ea autem fuit omnibus ornamentis decorata. *Accendit ignem in vocem crepitationis*, hoc eſt, tantum ignem, ut ſtrepitus crepitantis materiæ late audiretur. Intelligitur æſtus gentium cum hoſtili animo, ardorque magnus oppugnantium. Ideo & mox: *& depaſti ſunt*; nempe, cum flamma comparantur. *Ramos ejus*, Regem, Principes, Seniores, Sacerdotes, Prophetas, Cives quoque nobiliſſimos. *Coccejus.*

VI. Oleæ viror, perpetuitatem significat.

Olea fronde eſt ſempiterna, cariem vetuſtatemque non ſentit; firmiſſima ad vivendum, ut quam durare annis cc. inter autores conveniat. Lætos & uberes edit fructus. Fert enim quotannis, at, ſi non vi, ſed ſuaviter fructus auferantur, plus fert. In adyto templi, quod extruxit Salomo, ut Cheruborum, hoc eſt, angelicorum ſpirituum, qui Arcæ Fœderis, Chriſto, famulantur, perpe-

tuam

tuam doceret ævitatem, e lignis olei, hoc eſt, oleoſis fecit. 1 *Reg.* 6: 23. Ex eadem materia in porta adyti fecit fores: ſuperliminare cum poſtibus quinta parietis, id juxta Junium eſt, altitudine & latitudine ſua quatuor continebat cubitos, qui efficiunt quincuncem parietis. Iſtæ fores æternitatem ſignificant Chriſti redemtoris, qui ſolus eſt janua, per quam ad Sanctum Sanctorum, id eſt, ad Dei fruitionem pervenitur.

Pſal. 52: 10. Oleæ virenti ſe comparans David, perpetuam prædicit ſibi felicitatem. *Ego vero ut oliva virens in domo Dei: confido benignitati Dei, in ſeculum & ſempiternum.* Exegeſis. *Ego vero*, exſtirpato propter ſævitiam ex tabernaculo Dei Doëgo, *ero ut Olea virens*, ſucciplena, vivax, fertilis. Succo enim divinæ gratiæ in animum meum intrante fructibus juſtitiæ repleor, jugiter manſurus *in Dei domo*, coram facie divina, in cœtu fidelium: *Confido benignitati Dei in ſeculum & ſempiternum*; tutum atque ſecurum me Dei facit benignitas, certumque ſalutis & gratiæ Dei ſempiternæ.

VII. OLEA, MINISTER EVANGELII.

Zach. 4. 1. DEINDE *reverſus Angelus, qui mecum loquebatur, excitavit me, ut aliquem, qui excitatur e ſomno ſuo.* 2. *Et, quid tu vides? inquit mihi. Cui ego: video, inquam, Candelabrum totum aureum, cujus ad ſummitatem eſt phiala; & ſuper id ſeptem ejus lucernæ, ſeptemque iterumque ſeptem, infuſoria pro lucernis:* 3. *Tum apud id oleæ duæ, una ad phialæ dextram, altera ad ſiniſtram ejus.* 4. *Itaque ego Angelum, qui me alloquebatur, interrogavi: Quid iſta ſibi volunt, Domine?* 5. *Et Angelus, qui alloquebatur me, ita mihi reſpondit: Hoc eſt verbum Domini ad Sorobabelem &c.* (℣. 6. & *ſeqq.* quibus Zorobabeli promittit Angelus ipſum fore, qui Templum abſolvat,) 11. *Tum amplius eum alloquens, Quid ſibi volunt iſtæ duæ Oleæ, inquam, ad dextram & ſiniſtram Candelabri?* 12. *Iterumque eum* tertia vice *interrogans: quid volunt ſibi, inquam, duo olearum termites, qui ſunt ad latus anguſtiorum tubulorum auri, qui effundunt auro ſimilem liquorem?* 13. *Et ille mihi: an neſcis, inquit, quid ſibi velint iſta? Neſcio, inquam, Domine.* 4. *Hi ſunt, inquit, duo Oleæ filii, ſtantes coram totius terræ Domino.*

Oſtendit Angelus Domini, hoc capite, quem det Templi reſtauratorem Deus, quos Eccleſiæ ſuæ Miniſtros. Reſtauratorem clariſſimis verbis indicat, Miniſtros Evangelii per imagines, quarum men-

mentem, niſi edoctus etiam Propheta percipere non potuit, & in qua eruenda etiam poſt Angeli indicium, Interpretes laborarunt. *Ribera*, Hiſpanus Jeſuita, agi putat non niſi de gentium Eccleſia Chriſto adjuncta, ejuſque gratia & luce, deque Judæorum converſione in fine mundi per Enochum & Eliam ex cœlo demiſſos, quod commentum diu eſt, quod ſolidis rationibus Theologi refutarunt. *Joannes Tarnovius* exiſtimat Lychnuchum aureum denotare typum Eccleſiæ coram Deo pretioſiſſimæ. Septem lucernæ, ipſius judicio, ſunt Eccleſiæ Doctores, qui Evangelii lucem late ſpargunt. Septem infundibula ſunt multa Spiritus Sancti dona, quibus illi inſtructi hoc officium rite ſubeunt. Lecythus aut lenticula candelabro impoſita eſt Chriſtus, qui ſolus Eccleſiæ caput, ex cujus plenitudine omnes accipimus. *Commentar. in Zachar. p.* 1391. Aliis hæc viſio ad florem ſtatuum in populo Dei, poſt ſolutam captivitatem referenda eſſe videtur. Candelabrum ergo his ſtatum Eccleſiaſticum notat, vel, Eccleſiam, in qua lucem verbi ſui poſuit Dominus, Lucernæ ſunt Spiritus Sancti dona, quibus lucet in renatorum cordibus per lucernam verbi. *Pſal.* 119. 105. Vaſcula oleum recipientia ſunt corda hominum, quæ hoc oleo Spiritu ſcilicet Sancto plena, hic enim eſt oleum lætitiæ, quod ſi intus in corde fidelium, flamma charitatis promicat extra. *Gal.* 5: 5. Duæ olivæ juxta candelabrum, notant ſtatum politicum & œconomicum, candelabro ſtante in medio, ſtatu ſcilicet Eccleſiaſtico ex quo lux omnis in reliquos derivatur. *Vid. D. Bottſak Moral. Gedan. f.* 427. Nos exiſtimamus in hac viſione reddi ſimilitudinem Præconum Evangelii, Prophetarum & Apoſtolorum. Hi, inquam, ſunt oleæ duæ ℣. 3. quarum termites oleum fundunt. ℣. 12. quæ & oleæ filii, hoc eſt, oleo abundantes dicuntur. ℣. 14. Stare enim coram Deo, eſt ſervire Deo. *Dan.* 7: 10. Millies mille miniſtrabant ei, & coram eo myrias myriadum ſtabat. Lychnuchus totus aureus, ℣. 2. eſt Eccleſia, quam pretioſo ſuo ſanguine Chriſtus redemit. *Actor.* 20: 28. 1 *Pet.* 1: 19. Lychnuchi, quos vidiſti, ſunt ſeptem Eccleſiæ, *Apoc.* 3. ℣ *ult.* Oleum ſignificat Evangelii verbum, quod eſt odoratiſſimum. *Odor vitæ ad vitam.* 2 *Cor.* 2: 15, 16. Ad odoratum unguentorum tuorum optimorum, velut unguentum diffunditur nomen tuum. *Cant.* 1: 3. Laudatiſſimum enim eſt oleum, quod ſine mora ex maturis recentibuſque olivis exprimitur, dulce & flagrans. Eſt 2. Evangelii verbum, olei inſtar, penetrantiſſi-

mium, ingreditur oſſa. *Hebr.* 4: 12. *Sermo Dei penetrantior quovis gladio ancipiti : & pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagumque & medullarum.* 3. Salutare, conſcientiæ ſanans vulnera. *Sapient.* 16: 12. *Neque herba, neque malagma curavit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* 4. Recreans membra & lætificans animum. *Pſal.* 19: 9. *Mandata Dei exhilarant animam.* Hinc ſpiritus ille patientiæ, fortitudinis & alacritatis in paſſionibus Chriſtianorum declaratus. Puriſſimum inſtar auri purgatiſſimum. Totus vel omnis ſermo Dei purgatiſſimus. *Prov.* 30: 5. comparatus aureo liquori, qui ex tubulis aureis effunditur. *Zach.* 4: 12. 6. Sanctificans *Johan.* 17: 17. *Sanctifica eos tua veritate, ſermo tuus eſt veritas.* In ritu ſanati a lepra & in cœtum recipiendi, requirebatur aqua, ſanguis avicularum, & oleum. Aqua, quæ ipſum mundaret, ſanguis ut expiaret, Oleum, ut ſanctificaret, id eſt, ſepararet a ſocietate lepra infectorum. 7. Opulentos efficiens. Oleum in theſauris habebant. *Olei apothecas comparaverat ſibi Hiskias, dederat enim ei Deus facultates multas valde.* 2 *Chron.* 32: 28, 29. Dei ſermo omnibus divitiis potior. *Pſal.* 119. 127. *Amplius diligo præcepta tua, quam aurum, & quidem purgatiſſimum. Ibid.* ℣. 72. *Melior eſt mihi lex oris tui multis millibus nummum aureorum & argenteorum.* 8. Sapidiſſimum, ſuaviſſimum. *Pſal.* 119. 103. *Quam ſuavia ſunt judicia ſermonis tui, ſuaviora melle ori meo.* Mannam cœleſtem cibum, in hoc ſuperant, cujus ſapor tanquam ſapor humoris præſtantiſſimi ex oleo. *Num.* 11. 8. *Phiala* in quam Oleum a termitibus Olearum in aureos tubulos demiſſum influit, ℣. 2. 12. Scripturæ Sacræ codicem deſignat, in quem aureus liquor, id eſt, Evangelii doctrina per ſtylum & calamum Prophetarum & Apoſtolorum tanquam per tubulos derivatur. In volumine libri ſcriptum eſt de Chriſto. *Pſal.* 40: 8. Paulus ſeparatus fuit ad prædicandum *voce & ſcripto*, Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis. *Rom.* 1: 1, 2. גלה quam phialam interpretamur, proprie eſt orbis 1 *Reg.* 7: 41. hinc phiala in orbem formata, quo nomine etiam notatur ſcaturigo, phialæ præbens ſpeciem. *Joſu.* 15: 9. Et apud *Joſephum* fons Jordanis ex rotunditate ſua phiala dicitur *de Bello Jud. lib.* 3. *c.* 18. *vel* 35. צנתרות הזהב : Tubuli anguſti aurei, (ita vertendam cenſeo vocem ex duabus צנרות־ערות compoſitam,) ad quorum latus pendent, olearum termites, qui oleum ipſis demittunt in phialam effundendum, ſunt,

ſunt, ut diximus, ſcribendi inſtrumenta ſtylus ſcilicet ſcribarum; quo utebantur Prophetæ *Pſal.* 45: 2. & calamus, quo Apoſtoli. 3 *Johan.* ℣. 13. Septem מוצקות ſeu canaliculi, quos, velut ora quædam, ex phiala prodeuntes oleum effundere vidit Propheta, in totidem canaliculos inferiores, ſunt ora prædicantium gratiam Dei, per Scripturam revelatam. Septem canaliculi, qui a ſuperioribus emiſſum oleum excipiunt, idemque in lucernas effundunt, ſunt, qui verbum Evangelii auribus perceptum, in animum quoque admittunt.

Lucernæ in Lychnucho poſitæ, ſunt corda fidelium, in quibus Evangelium, vivificus Dei ſermo, fidem atque fidei lumen, charitatem erga Deum & proximum exercendam, accendit, alit, atque conſervat.

VIII. Filii: plantæ olearum.

Pſal. 128: 3. Filii *tui, ut plantæ olearum circa menſam tuam.* Plantantur oleæ talearum inſitione, earumque culturam Cato apud Plinium docet, *lib.* 17. *c.* 18. Taleas vocaſſe truncos *Virgilius* videtur, quia talea ramus eſt truncatus. Verſus leguntur *Lib.* 2. *Georg.*

Sed truncis oleæ melius propagine vites,
Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore Myrtus,
Plantis & duræ coryli naſcuntur.

Olivis autem ſuarum talearum inſitione propagatis, piorum filios comparat Pſaltes 1. ob induſtriam & curam educationis; quemadmodum oleagina talea, ut proficiat, diligenter tractanda, ſuo tempore irriganda, putanda, ablaqueanda. 2. Ob juventæ gratiam & pulchritudinem: Olea ante multas alias arbores ſpecie & pulchritudine inſignis. Juventutem commendat formæ dignitas, vigor, ſuavitas quædam & lepos:

Germinat, ut nunquam fallacis termes olivæ.

Itaque a pulchritudine & nitore Malciel, celebris Aſerita, filio nomen dedit ברזית, id eſt, בהר זית nitor, ſeu ſplendor oleæ. 1 *Par.* 7: 31. 3. Ob felicia ingenii & ætatis incrementa. Olea cum annis ad eximiam proceritatem aſſurgit. Et piorum liberi proficiunt ſa-

pientia & ſtatura & gratia apud Deum & homines. *Luc.* 2: ℣. 52. & 40. 4. Ob ſtirpis originem & genituram. Olea nihil extraneum admittit, nec alterius arboris inſitionem patitur; ſic Piorum liberi non procreantur e ſtupro, & qui ambulat in viis Dei non errat cum extranea, nec amplectitur pectus alienæ. *Prov.* 5: 20. 5. Ob lætitiam parentibus oblatam. Ut Oleæ fructus eſt oleum lætitiæ, viſu recreans & uſu, ſic valde exſultat Pater juſti & genitor ſapientis lætatur de eo. *Prov.* 23: 24. Significatur etiam, ſi *Coccejo* credimus, aliquid ſpirituale. Cibabis multos, doctrina & typo vitæ tuæ acquiſitos, & tanquam ex te per ſpirituale ſemen genitos, de pane tuo, illique creſcent & adoleſcent abundantes oleo Spiritus Sancti. Effundit enim Deus de ſpiritu ſuo in omnem carnem. *Act.* 2: 17.

IX. OLEA, UT FICUS ET VITIS, PRINCIPIS EMBLEMA.

Judic. 9: 8, 9. ARBORES in Jothami apologo Regem denotant, qualem Sichemitæ exoptaverant, Oleam, Ficum, Vitem. 1. Oleam, hoc eſt eum, qui, quæ ad luxuriam & corporis ſpectant voluptatem, ſuppeditaret; ſub quo loti & delibuti genio ſuo indulgerent, hilariterque & delicate epularentur, non niſi ſimilam & mel & oleum, hoc eſt ſimilam cum melle & oleo coctam comeſturi; ut ſuavior & delicatior cibus deſcribitur *Ezech.* 16: 13. 2. Optarunt Ficum, Regem, qui victum & ad vitam neceſſaria ſuppeditet. Ficus enim inter annonæ ſubſidia habitæ. Itaque Davidis militibus commeatus copiam ſubminiſtratura Abigail inter alia ducentas attulit ficuum palathas. 1 *Sam.* 30: 12. Ad eundem, quum Hebrone Rex conſtitueretur ex omnibus tribubus, ne commeatus deficeret, advecti panes aſinis, & camelis, & mulis, & bobus, cibus, farina, palathæ, & uvæ paſſæ. 1 *Chr.* 12: 40. Hinc & panis vicem ficus impleverunt, & apud Romanos Cato cibaria ruris operariis juſta cum lege ſanciens, minui juſſit per fici maturitatem. 3. Deſiderarunt Vitem, Bacchum aliquem, lætitiæ datorem, qui languentibus animis redderet calorem; metuque eos & curis, & moleſtia liberaret. Nota: quando Jothamus ait, arbores primum oleæ, fico, & viti, regnum obtuliſſe, non cogitandum eſt Sichemitas, Hemore natos, ante electionem Abimelechi, alios, qui oleæ, fici, & vitis, ſimilitudinem virtutibus ac factis expreſſerunt, ad regnum capeſſendum ſollicitaſſe. Nimirum intra vota ſaltem & deſideria ſubſtitit electio

electio. Quum enim intelligerent neminem bonum fore, qui invaderet regnum, quod Deus tum ſibi vendicaverat, ne eſſent ἀδέσποτοι & ἀκέφαλοι, Rubo, id eſt, ſui generis improbo ſceleſtoque homini, regnandi cupido, nec umbra, nec fructu ejus potituri, regnum detulerunt.

X. Olea destricta, paucis remanentibus olivis, emblema est relictæ in populo paucitatis.

Jeſai. 17: 6. Tantum *relinquetur in Jacobo racematio; ut cum ſtringitur olea duæ tresve baccæ in vertice ſummi rami: quatuor aut quinque, in ramis* olim *fructiferæ, dictum veriſſimum* Domini, *Dei Iſraëlis.* Senſus: Pauci, coram hoſte, Aſſyriorum Rege Tiglath-Pilneſer, evadent. 2 *Reg.* 15: 2, 9.

XI. Olea prorsus destricta, exitium et perniciem gentis designat.

Jeſa. 24: 13. Talis *erit*, populus Iſraël, *in medio terræ, & in medio gentium, quale eſt ſtrigmentum oleæ*, hoc eſt, qualis oliva deſtrictis omnibus oleis; *quales racemi, cum finita eſt vindemia.*

XII. Duæ Olivæ Evangelii Præcones.

Apoc. 11: 3, 4. Dabo *duobus teſtibus meis, ut prophetent diebus*, id eſt annis, *mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oleæ, & duo candelabra in conſpectu Dei terræ poſita.*

Supra dictum, duas olivas apud Zachariam ſignificare Apoſtolos & Prophetas, oleum Evangelii ſubminiſtrantes. Eodem nomine duos veritatis teſtes hic dignatur Spiritus Sanctus, qui diebus vocis ſeptimi Angeli, Evangelium prædicaturi erant.

XIII. De iis, quæ Oleam infestant.

Oleam intempeſtivæ necant pluviæ, at illæ peſſimæ, quæ floreſcentibus ingruunt. Peſſimum, inquit *Plinius*, inter omnia cum defloreſcentem vitem & oleam percuſſit imber, quia ſimul defluit fructus. Olea præter vermiculationem, quam æque ac ficus patitur, ſive fungum placet dici aut patellam. Hæc eſt ſolis exuſtio. Nocere tradit Cato & muſcum rubrum, nec non nimiam fertilitatem: Pingui autem & ferventi loco vitiari oleum, arboremque ipſam fertilitate conſumi. Ex imbrium ubertate naſcuntur erucæ, dirum animal, frondem floremque erodens. Eſt etiamnum peculiare olivis ac vitibus vitium, quod araneum vocant, cum veluti telæ involvunt fructum & abſumunt.

De erucis *Amos.* 4: 9. *Ficus & oleas veſtras conſumſit eruca : nec tamen reverſi eſtis ad me , dictum veriſſimum Domini.*

XIV. FLOS OLEÆ DEJECTUS, SPES ADEMTA RERUM ET CONATUUM.

Job. 15: 33. ABJICIET Deus *ſicut oleæ florem* improbi: Ut ſi oliva florem dejiciat omnis ſpes oleitatis perit agricolis : ita & impio accidet , ut quum magnam ſpem hominibus præbuit, in ipſo defloreat, omnibuſque ſtudiis & conatibus excidat.

X V. OLIVÆ TEMPESTATIBUS AUT VITIO QUODAM DEJECTÆ , SPEM , QUAM IN MANIBUS, HABUERIS , INTERCEPTAM, SIGNIFICANT.

Deut. 28. 40. OLEÆ *erunt tibi in toto termino tuo , ſed oleo non unges te , quia dejicietur* (vel, ſi ישל pro futuro Niphal accipiatur , *ſpoliabitur*,) *oliva tua.*

CAPUT VIGESIMUM.

DE OLEO SACRO ET ILLIUS CONFECTIONE.

EXPLICATUR *vis vocabuli* Kodeſch & Kadoſch. *Olei ſanctificationis præparatio. Ingredientia , ut loquuntur : Myrrha libera, calamus odoratus , aromaticus , Kidda , ſive ſtorax , veterumque cinnamomum hodie ignotum. Solvitur quæſtio , quomodo cum libris* 12. *olei potuerit e libris* 62. *ſemis, oleum ſeu unguentum fieri liquidum ?* Olei ſacri uſus. *Oleo ſanctificati ſunt* 1. *Sacerdos ſummus & filii.* 2. *Tabernaculum et in eo contentum* 3. *Reges.* 4. *Ante latæ legis tempora Prophetæ ; Jacobus Patriarcha etiam lapidem unxit. Largior Summi Pontificis unctio, Typus erat, Chriſti ſupra conſortes uncti. Tabernaculum Typus Eccleſiæ in terris adhuc peregrinantis. Oleum Divini Spiritus dona ſignificat. Arca fœderis cum propitiatorio , Altare holocauſti & Ara ſuffitoria, ſacræ unctionis unguento tincta, Jeſum deſignant a Spiritu Sancto unctum. Labrum æneum Baptismi typus. Olei cum aromatis non permixti uſus multiplex. Oleum in theſauris.* De abuſu olei.

I. Ex-

I. EXPLICATUR VIS KODESCH, ET KADOSCH.

OLEUM multiplici utilitate ſeſe commendat, ſive neceſſitatem, ſive delicias, ſive ſublimiorem uſum, conſideres. In ſacris utebantur eo Hebræi ad ſanctificationem, ipſorum ſermone קדש adpellatam, quod vocabulum, ut & collactanea ejus verba & nomina, obſervamus prima & generali notione ſeparationem vel ſegregationem ſignificare. Ita unctio ſacra dicitur משחת שמן הקדש Unctio olei ſeparationis, quod perſonis aut rebus inunctum eas a profanis uſibus ſeparat. *Exod.* 30: 25. Lamina aurea in fronte Summi Sacerdotis, quæ inſcribitur קדש ליהוה denotat Summum Sacerdotem ad ſolius Dei miniſterium a reliquo populo ſeparatum. *Exod.* 28: 26. קדש קדשים vocatur penetrale ſeu adytum tabernaculi a Sancto & atrio ejus ſeparatum. *Exod.* 26: 33. Deus ab Angelis celebratur קדוש *Jeſa.* 6: 3. ſeparatus, quia infinitatem & perfectionem ejus longiſſime a creatis mentibus ſeparatam non aſſequuntur. Chriſtus Jeſus dicitur Sacerdos ἅγιος καὶ ἀφωρισμένος Sanctus & ſeparatus a peccatoribus, altior quippe cœlo. *Hebr.* 7: 26. Septimum Deus diem ſanctificavit, id eſt, ſeparavit & ſegregavit ad cultum a profeſtis diebus. *Gen.* 2: 3. *Ego Dominus* מקדש *qui ſeparat Iſraëlem a profanis & exteris gentibus. Ezech.* 37: 28. Oleum autem ſanctificationis fuit, de quo Moſi in hunc modum præcepit Deus: *Exod.* 30: 22: 23. *Tu autem accipe tibi* ex *aromatum præſtantiſſimo, myrrhæ ingenuæ quingentos* ſiclos, ponderis ſacri & *cinnamomi odorati dimidium ejus*, ducentos quinquaginta, & calami odorati ducentos quinquaginta, & ſtoracis quingentos, prout eſt pondus ſacrum, & olei olivi hinem. Et parabis ex illo Oleum unctionis Sacræ, confectura unguentoria: Oleum unctionis ſacræ eſto. Medici noſtri ejus conficiendi hanc formulam præſcriberent:

℞. *Myrrhæ primæ & electæ.*
Storacis ana ſidos quingentos, id eſt ℔ *xx. &* ℥*x.*
Cinnamomi, calami, ana ſub duplum.
2. *Olei olivarum, menſuram Hin,*
Miſce: fiat lege artis Unguentum.

Excipiens, ut loquuntur, vel receptaculum, eſt oleum olivi, ingre-

dientia בשמים ראש id meo judicio dicitur pro בשמים מראש aromatum ex unoquoque præcipuum ſive præſtantiſſimum, ut *Amos.* 6: 6. laudatiſſimum unguentorum vocatur ראשית שמנים princeps unguentum. In his primo loco ſcribitur *Myrrha libera*, ſeu libere fluens, hoc eſt, ingenua, quæ & ſtacte vocatur, διὰ τὸ μικρὸν ϛάζειν quia minutatim ſtillat. Altera ingredientium ſpecies eſt *Cinnamon* vel Cinnamonum odoratum ſeu aromaticum, de quo *Dioſcorid. lib.* 1. *cap.* 14. Tertia fuit *Canna* vel *Calamus* aromaticus, diſtinguendus ab acoro noſtrate, qui & ipſe calamus vel calmus dicitur. Quarta ſpecies קדה quam קציעה id eſt Caſiam Chaldæus, nos ſtoracem ſuo loco interpretamur. קציעה fuit caſſia veterum aromatica, a *Dioſcoride* memorata, *lib.* 1. *c.* 12. Illam hodie ignotam eſſe poſt alios & Salmaſius credit, qui *Homon. Hyl. Iatr. p.* 144. Nullum hodie, inquit, ex illis caſiæ generibus, quorum veteres meminerunt in uſu & notitia proſtat. Sed nec cinnamomum amplius noſcitur, niſi nomine, quod falſo vocamus caſiam fiſtulam veterum noſtramque canellam. Longe igitur aliud fuit antiquorum cinnamomum, aliud hodiernum, quod nihil aliud eſt, quam *Caſia Syrinx* veterum. Idem antiquiſſimos authores ſequutus Caſiam a Cinnamomo ita diſtinguit. Cinnamomum in ſurculis & ramis cortice ſuo veſtitis veniebat. *Theophraſtus* ῥάβδες vocat, *Dioſcorides* ῥαβδία, qui optimum cinnamomum debere eſſe, ait, λεπτὸν τοῖς ῥαβδίοις καὶ λεῖον, ὄζοις συνεχέσι κεχηνμένον. *Galenus de antidotis lib.* 1. κλωνία, id eſt, ramulos. Caſia cortice tantum conſtabat in fiſtulæ modum complicato. *Exercit. Plin. fol.* 919. Certum eſt deſcriptiones, quas veteres dederunt, canellæ noſtræ, & caſiæ recentium Botanicorum, non convenire: defeciſſe igitur vero maxime conſentaneum eſt. Neque id ſine divina providentia factum crediderim, quæ ſuperſtitioſorum & improborum hominum, non niſi in vetita nitentium, conatibus; aromatum illorum interitu, præſtruxit. *Kidda* nos ſtoracem non caſiam interpretemur, *cap.* 23. De oleo, quo ad maceranda miſcendaque & diluenda aromata opus fuit, non abs re quæritur apud *Wedelium*, *Centur. II. Decad.* 3. *Exercit.* 4. quomodo cum libris duodecim olei, poſſit ex libris 62. ſemis oleum ſeu unguentum fieri liquidum? Magnam & dignam tractatu quæſtionem ex artis ſuæ principiis dextre, ut opinor, vir doctiſſimus diſſolvit. Non pigrabor, licet in his explicandis multus ſit, in gratiam lectoris, verba ejus exſcribere. Huic problemati, inquit, ut clavem aliquam inveniamus

anni-

annitendum eſt, Dubium videri poſſit, an ſiclorum numerus aſſignandus, potius pretio & valori, tum temporis forſan ſatis eminenti accommodandus ſit, quam ponderi pharmaceutico. Id vero non modo *Hoſtius* recte negat, pondus potius dici & intelligendum eſſe aſſerens. *lib.* 2. *de pond. Hebr. cap.* 20. *ex Lev. cap.* 27: 25. verum & res ipſa docet. Neque non niſi forte hodie apud plebeculam medicamenta, eorumque formulæ, tam ex pretio præſcribuntur & judicantur, quam ſuo quælibet pondere, & maxime apud medicos rationales, pretio non ſolvendo vel æſtimando, quam quando diſpenſata ſunt & impenſa ſuo ſcopo ingredientia. An per miraculum id factum ſuſpicandum ſit, ut Deo Opt. Max. placuerit, ſingulari aliquo privilegio beare unguentum unguentorum? Id vero utut Judæis jactabundis ſic videri poſſit, vel perſuaſum eſſe, nemo tamen Chriſtianus id temere aſſeruerit. Nulla enim cauſa ſubeſt; cum nec gloriæ divinæ videatur id attribuendum, & declarandæ omnipotentiæ, ut reliquis omnibus naturaliter ſe habentibus, miraculum aliquod ſine cauſa fingamus, vel concipiamus, quo non opus fuerit? Sane in via regia, quamdiu manere integrum eſt, non temere ad diverticula declinare fas eſt, imprimis, quum expreſſis verbis aſſerat Spiritus Sanctus, fieri debere id omne lege artis, termino uſitato, vel verbis Scripturæ, unguentum compoſitum, opere unguentarii. Ex artis igitur pharmaceuticæ more adulto, & regulis id arceſſendum fuerit merito, adeoque non ad miracula confugiendum temere, nulla cogente neceſſitate vel argumento. Videamus ergo, an non ullo modo naturali poſſibile ſit ex his ingredientibus juxta hanc formulam, parare unguentum vel linimentum, dotibus ſuis præditum, & uſibus ſacris aptum. Si receptum antiquis modum conſideremus, vel hodie frequentatam conſuetudinem, tantum abeſt, ut olei olivarum proportio ad parandum quodcunque oleum per coctionem vel infuſionem minori quantitati debeat vel poſſit recipi, ut major potius duplo, triplo, quadruplo, vel amplius quoque pro re nata, major, inquam, requiratur. A libris vero duodecim olei, ſpecierum libræ ſexaginta duæ ſemis vix humectari potuerint ſufficienter, nedum coqui vel exprimi. Ex artis legibus ita fieri oportuerit, ſi conſulamus in exempli locum *Dioſcoridem* in oleo irino *lib.* 1. *c.* 67. Infundi nempe debet & coqui vaſe clauſo, hinc exprimi organis, idemque repeti, & ſic quaſi cohobari idem, & de novo maceratione facta exprimi.

Ponamus affuſa etiam aquæ vel vini potius maxima quantitate coctionem fuiſſe inſtitutam, neque ſic tamen oleum vel unguentum acquiſiveris proportionatum. Neque enim remanere poteſt plus olei, quam additum fuerat pro infuſione; neque virtus caſiæ, cinnamomi & myrrhæ, (nam horum meminit) adde & calami, impraegnare potuit oleum, vel cum eodem communicari. Experimento enim notum eſt, aromatum vires omnes per coctionem exui, & evanidas reddi, quod vel aquæ cinnamomi exemplo ad oculum patet. Res ergo illuc redit, ut additione vel aquæ, vel vini, maceratio; coctio & fortis expreſſio fiat, ad acquirendum oleum, medicatum, aut ſublimiori artificio id ſtatuamus perfectum. Quantum ergo ingenio humano aſſequi poſſumus, non alio ullo medio ex hoc labyrintho eluctabimur, quam filo Ariadneo Philoſophiæ, per ignem, ſeu chimiam, artem divinam, ab Ægyptiis, eorumque Hermete Triſmegiſto inventam excultamque, in quorum ſapientia Moſes, autor ejuſdem ſecundarius, fuit verſatiſſimus doctiſſimusque. Hæc ſola ſufficit, & facilem ſuggerit viam modumque, citra quem omne oleum, omnis opera perdita fuerit, necquicquam tentanda vel ſuſcipienda. Colligi enim ulterius id poteſt ex *Theophraſti Ereſii* deſcriptione ſeu proceſſu & ἐγχειρήσει *in parando megalio Ægyptioque unguento*, licet maxime incompleta, exactius examinata; evinci ex rei ipſius natura & collatione poſſibili, citra quam ἐγχείρησιν omne id erit impoſſibile, & tantum non fruſtraneum. Hoc arcano vero detecto, omnia promte fluunt, & ſole meridiano clarius elucent. Verbo, dixerim deſtillando uſos artifices id peregiſſe. In omni deſtillatione eſt coctio, ſed ſui generis & curioſior, in qua ultra vulgus debemus ſapere. Ponamus ex libris decem cinnamomi minimum drachmas decem olei deſtillatione prolecti haberi poſſe, quod hodie etiam impetrare licet, ſaltem in India, & apud nos, ex cinnamomo genuino; ex calami aromatici libris decem, item drachmas decem vel amplius; ex caſiæ libris viginti & ultra, totidem vel plures quoque drachmas. Hæc ut rata ſunt, ita & myrrha liquida, ſeu ſtacte, vel quaſi, ſtatim ſua, cum oleo olivarum, & reliquis miſceri homogenialiter facilius potuit, ut videtur, vel ſaltem baſin etiam, majori mole balſamici ſui corporis, unguentum conſtituere, & ſic ſi minimum ℥ij, (unciæ duæ) oleorum deſtillatorum ad lib. 12. olei olivarum & myrrhæ corporaturam molliorem acceſſerint, ſufficiens & eximia quantitas habebitur

un-

unguenti ſacri hujus decantati. Uti enim Ægyptiis nota ars Chimica & in ſecretis habita fuit, & concedi facile poteſt, oleorum deſtillationem noviſſe; ita, ſi quis, uti ſunt chimiæ oſores, & artis antiquitatem fruſtra negantes, abnuerit, minimum confiteri neceſſum habebit, divinum virum Moſem, & Betzaleelem, reliquoſque, Spiritus Sancti donis largiter beatos, edoctoſque fuiſſe. Et hinc exoletum apud Anazarbeum etiam megalion unguentum ſcribitur, ſine dubio ob pretium & ignorantiam præparationis legitimæ. Atque huc referri poteſt, quod Scriptores antiquitatis illius Ægyptiæ arcanioris poſtulant, ut ſi quis in ſua arte, id eſt, Chimica ſucceſſum ſibi polliceri velit, τὰ σώματα efficiat ἀσώματα, quod fieri nequit, ſine ope alembici, aut inſtrumenti, quod alembico reſpondet, elogio *Borrichii l. de Hermetis Ægyptior. & Chimicor. ſapientia, cap. 6. p. 155.* Cum ergo non mixtione ſimplici ingredientium conficiendum fuerit unguentum, quod vulgo fruſtra ſibi perſuaſum habent quidam, ſed præparatione artificioſa prævia, componendum, nullus vero alius modus effingi, dari, vel concipi queat, quam a nobis laudatus, vel hic ipſe admittendus videtur, vel alius melior excogitandus. Ita vero omnia optime quadrant, concurrunt, & concipi & elaborari queunt, ut conſurgat, quale etiam *Philo* nominat, *libro de vita Moſis* χρῖσμα εὐωδέστατον, unguentum ſuaveolentiſſimum, confectum arte unguentaria. Sub unguenti vero nomine etiam olea comprehendi non tantum ex *Palladio lib. 4. tit. 9.* notat *Rhodius Not. in Scribon. Larg. pag.* 188. Sed & medicis linimenti & unguenti acceptio laxior idem confirmat, ut hoc pro illo, & vice verſa ſumatur.

II. De usu Olei Sacri.

Fuit præcipuus Olei Sacri uſus, ut dictum, 1. Sanctificatio. Sanctificati autem, Deoque conſecrati ſunt. 1. *Sacerdos Summus, & filii ejus. Exod.* 30. 30. *Aharonem quoque & filios ejus ungito; ita conſecraveris eos, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Ubi *Aben-ezra* notat, horum ſolorum mentionem fieri, quia hi ſoli erant ungendi. De filiis clare præcipit Deus. *Exod.* 29: 21. *Accipiens, de arietis jugulati ſanguine, qui ſuper altare, & de oleo unctionis inſperget Aharonem & veſtimenta filiorum ejus, filioſque ejus & veſtimenta filiorum ejus cum eo: ita ſanctus erit ipſe, veſtimentaque ejus, atque filii ejus, & veſtimenta filiorum ejus cum eo.* Quæ loca de unctione filiorum Summi Sacerdotis adhuc ſuperſtitis capienda eſſe, con-

firmant dicta *Levit.* 10: 6, 7. *Edixit Moſe Aharoni & Eleazari & Ahamari filiis ejus , capita veſtra ne nudate , neque veſtimenta veſtra diſcindite. . . . . . neque a porta tentorii conventus exite , ne moriamini , nam Oleum Unctionis* DOMINI *ſuper vos eſt.* Itaque unctionem hanc cum filiis communem habuit Aharon : illam vero peculiarem , quæ deſcribitur *Lev.* 8: 12. *Effundens Moſe de Oleo unctionis ſuper caput Aharonis unxit eum ad ſanctificandum eum.* 2. Sanctificatum fuit oleo *tabernaculum* , *& quicquid in eo erat* , *altare & omnia* inſtrumenta ejus , & labrum , & ſcapus ejus , & area teſtimonii , & menſa , & lychnuchus & inſtrumenta ejus, & Altare Suffitus. *Exod.* 30: 26, 27. 3. *Reges*, quibus hæc unctio nomen & dignitatem regiam contulit , & vivo adhuc anteceſſore ſucceſſionem ſpondebat. *Pſal.* 89: 21. 1 *Reg.* 1: 39. 45. Hinc per tropum etiam unctus dicitur , qui divina deſtinatione regnum acquiſivit , licet unguento ſacro non inungeretur , ut Cyrus Perſarum Rex , quem unctum ſuum nominat Deus. *Jeſa.* 45: 1. 4. Ante inſtitutionem Levitici cultus *res & perſonas* oleo conſecratas fuiſſe Moſes nos docuit , qui *Gen.* 28: 18. 22. & 31: 13. Jacobum refert lapides pro cervicali ſuo diſpoſitos & in cippum erectos oleo conſperſiſſe. Prophetas illis temporibus unctos fuiſſe , ex verbis liquet , quibus Patriarchis a Deo cautum eſt. *Ne attingitote unctos meos & prophetas meos , ne afficitote malo. Pſal.* 105: 15. Per Prophetas indigetat Patriarchas, nam Abrahamum vocat Prophetam Deus. *Gen.* 20: 7. & Jacobus moriens vaticinatur. *Gen.* 37: 28. & 39. 20: & 49. 15. Unctos autem adpellare alienum iſtis ætatibus fuiſſet niſi vates conſecrare oleo mos obtinuiſſet. Poſt Moſem unus & ſolus Eliſa unctus perhibetur. 1 *Reg.* 19: 16. Illa autem Sacerdotes , ac tabernaculum , & Reges unguendi conſuetudo non caruit myſterio. SUMMUS PONTIFEX largiore in caput effuſo oleo a Moſe delibutus , Chriſti Redemtoris typus eſt , qui ſupra conſortes oleæ lætitiæ unctus dicitur. *Pſal.* 45: 8. Oleum ſunt infinita dona , quibus Dominus noſter a Spiritu Sancto ditatus. Vertendum igitur *ſupra conſortes* , quod & *Hebr.* 1. παρὰ μετόχȣς ſonat , non ut vulgo ſolent, præ conſortibus. Facit enim hæc verſio , Chriſtum & Sanctos , eorundem donorum gradu , ſaltem differentium , participes. Atqui dona humanitati hic conceſſa , infinita ſunt ; & ſic aliis omnibus ἀκοινώνητα. Accepit enim ſpiritum ȣ̓κ ἐκ μέτρȣ , *Johan.* 3: 34. & *Joh.* 1: 16. id quod omnem comparationem tollit. Conſortes & participes unctio-

unctionis Summus Pontifex habuit filios & Reges. Conſortes Chriſti intelliguntur fideles, quos ipſe, Dei filios, *Joh.* 1: 11, 12, Regeſque, & Sacerdotes Deo, Patri ſuo, fecit. *Apoc.* 1: 6. a quo etiam unctionem, id eſt, Spiritum Sanctum, 1 *Joh.* 2: 20. ſed ſecundum menſuram, habent *Joh.* 3: 34. *Actor.* 10: 38. Tabernaculum typus eſt Eccleſiæ Chriſtianæ in terris adhuc peregrinantis. Hanc ſibi ungit atque conſecrat Deus per ſpiritum & verbum ſuum. *Rom.* 1: 4. & 15: 16. cujus unguenti odor, & Chriſto teſte, præſtantior eſt omnibus aromatis. *Cant.* 4: 10. Oleum, quod a capite Summi Sacerdotis in veſtimentorum ejus oram defluit *Pſal.* 133: 2. divini ſpiritus multiplicia dona ſignificat, quæ a capite Chriſto in membra ſua, hoc eſt, in credentes derivantur, ſecundum illud *Pſalmi* 68: 19. *Accepiſti dona pro hominibus, etiam qui receſſerant ad habitandum* ſe componunt. Illud vero oleum, quo aſperſæ ſunt Vestes filiorum Aharonis, deſignat Dei ſpiritum gratas acceptaſque facere credentium virtutes. Sunt enim illa quaſi quædam veſtimenta, quibus nuditatem noſtram tegimus. Nec aliter de officiis Chriſtianorum loquitur D. Paulus: *Induite, ut Dei electi, Sancti, amatique, affectum miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, manſuetudinem, patientiam, alius alium ferentes, & invicem condonantes. Sed ſuper hæc omnia induite charitatem, quæ perfectionis vinculum eſt. Gal.* 3: 12, 13, 14.

Arca Foederis cum propitiatorio, Altare holocauſti & Ara ſuffitoria *Exod.* 30: 1. ſacræ unctionis unguento tincta, Jeſum, hominis filium adumbrant, quem Deus Sancto Spiritu & poteſtate unxit *Act.* 10: 38. *Pſal.* 2: 26. 27. Cujus propitiatio & ſacrificium in cruce factum, preceſque, & perennis coram Patre pro nobis interceſſio, ille ריח ניחוח ſuaviſſimus odor, qui nares Domini delinit. *Gen.* 8: 21. *Exod.* 29: 25. *Levit.* 8: 21. Porro Labrum Æneum oleo ſanctitatis reſperſum Baptiſmi, lavacri regenerationis noſtræ typus eſt. Ut enim labrum æneum eo fine ſanctitatis oleo conſecratum eſt, ut Sacerdotes Sanctum ingreſſuri lavarentur: ita Baptiſmi aquas, & Dei verbum, Spiritus Sanctus conſecravit, ut Eccleſiam ingreſſuri a peccatorum ſordibus abluerentur. *Act.* 22: 16. Ideo enim & *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſemetipſum pro ea expoſuit, ut ſanctificaret purificatam lavacro aquæ per verbum. Epheſ.* 5: 25. 26. *Per unum Spiritum*, ſcilicet Sanctum, *omnes nos in unum corpus baptizati ſumus.* 1 *Cor.* 12: 13. Lychnuchus aureus unguento

guento ſacro illitus, Miniſtros Eccleſiæ repræſentat, qui verbi præconio fidelium mentes illuſtrant, fideique ignem accendunt, foventque. Hos, neceſſe eſt, nonniſi unctos, id eſt, divini Spiritus donis inſtructos, & legitima vocatione conſecratos muneris ſui partem ſuſtinere.

Sed & alias Olei cum aromatis non permixti, cum ad Dei Cultum Veterem, tum ad vitæ jucunditatem, neceſſitatemque, frequentiſſimus fuit uſus. Nutrivit Candelabri aurei in tentorio conventus poſiti, & prudentem virginum obviam ſponſo profectarum, lucernas. *Exod.* 27. 20. 21. *Matth.* 25: 48. Lucernarum ignem pro ratione textus ſacri, vel fidem verbo Dei accenſam, vel ipſum Dei verbum intelligimus. *Coccejus ad Matth. loc. cit.* „ Laudantur „ prudentes virgines, quod oleum in vaſculis ſuis aſſumſerint. Hæc „ eſt doctrina Spiritus Sancti, fidem paſcens in perpetuum, ut non „ deficiat. Imprudentum igitur lucernæ nec habuerunt flammam „ veræ fidei, nec oleum ſalutaris doctrinæ; ſed tantum gaudium „ aliquod evanidum, & opinionem, cum quibuſdam verbis Spiritus „ Sancti, quæ etiam ab hypocritis admitti poſſunt. Patet, quia „ flamma illarum non potuit perennare, ſed temporis tractu languit. Hæc parabola inſinuat ſpeciem fidei temporariæ, quæ non „ poſſit ſuſtinere tentationem, & moram, qualis eſt illa fides, qua „ Chriſtus recipitur ob illa quæ in hoc mundo cernuntur ſplendida, & carni opportuna." II. Oleum tuſum cum ſimila ſacrificiis additum, verbi gratia, Sacrificio jugi, matutino & veſpertino. *Exod.* 29: 40. *Præter agnum* mane, & alterum in media veſpera, *offerendum, offerto decimam* Ephæ *ſimilæ, miſtæ quarta hinis olei tuſi, & libamen quartam hinis vini*, id eſt, tres octavæ partes menſuræ, & totidem vini *ad libamen.* Adeoque ſingulis diebus tres quartæ olei, & tres quartæ partes vini, in hoc ſacrificio abſumebantur. **Alle tag 3. quart Oel und 3. quart Wein.** III. Miſcebatur oleum collyræ panis, quem ſuper holocauſto adolebat Moſes, die quo Aharon cum filiis ſuis ſacerdotio conſecrati ſunt. *Exod.* 29: 23. & *Levit.* 8: 26. IV. Voluntarium munus conſtabat ſimila, *vel farre*, cui ſuper fuſum oleum atque impoſitum thus. *Levit.* 2: 1. V. Offerebatur Deo in munus ſimila commiſta oleo, quoties vel agnum, Iſraelitæ, vel arietem, vel juvencum ſubrumum, vel bovem ſacrificaverant. *Num.* 15: 4. 5. 6. *& ſeq.* Similiter expiationum die, muneri Deo oblata, cum holocauſtis, oleum & ſimila. *Num.* 29: 12. Myſterium.

rium. Oleum, ſimila, vinum, ad vitam neceſſaria cum ſacrificiis oblata, monebant Iſraelitas, ſe victum & alimenta uni & ſoli Deo debere, qui quæ dederit jure ſuo repetere in cultum ſuum poſſit, uti etiam David perſuaſum habuit: *Quæ*, inquiens, *offerimus ex te ſunt, & a manu tua accepta reddimus tibi.* 1 *Par. c. ult.* ℣. 14. Gratiarum igitur loco, non pro expiatione delictorum obtulerunt oleum; & in errore maximo verſabantur Judæi, qui muneribus ſuis Deum placari crediderunt. Sed nec gratiarum loco data munera, ſine fide viva, cordi fuere Deo. Amor juſtitiæ, ſtudium benignitatis, & animus coram Deo demiſſus & humilis, præſtabat denis fluviorum olei millibus. *Mic.* 6: 8. VI. Sacrificio leproſi addebantur tres decimæ *Ephæ* ſimilæ, in munus, miſtæ oleo, & *Log*, ſive ſextarius unus olei, *octava pars noſtratis menſuræ. Levit.* 14: 10. E contra non conjiciebatur oleum in munus peccatoris. *Levit.* 5: 11. neque in munus mulieris de adulterio ſuſpectæ. *Num.* 5: 15. Oleum lætitiæ & deliciarum, materia peccati, reo non convenerat, ſed triſtitia. Cauſſam interdicti de non affundendo oleo in oblationem Sotæ variam afferunt Rabbini. *Tanchuma fol.* 69. *Col.* 4. Quare *huic oblationi* non fuit affuſum oleum? Quia oleum lucis ſymbolum eſt, & ideo, a ſplendore יצהר dicitur: iſta vero, cum tenebras amarit, æquum erat ut ab ejus oblatione abeſſet lux. Quare vero oblationi ejuſdem non fuit impoſitum thus? Quia thus Matrum noſtrarum (Saræ, Rebeccæ, Rachelis,) Mnemoſynon eſt, uti in illo *Cant.* 4: 6. *Ibo mihi ad montem myrrhæ, ad collem thuris.* At iſta ſegregavit ſe ab illarum moribus, proindeque ejus oblatio, tantum peccati, neutiquam pietatis, memoriam inducit. Aliter opinatur author Commentarii, qui *Mincha Belula* inſcribitur *p.* 136. Olei inquiens affuſio prohibita, quia bona fama oleo comparatur. Sic enim ſcriptum eſt *Eccl.* 7: 1. *Gratior exiſtimatio eſt oleo:* iſta vero famam malam contraxit. Chaskuni non tantum circa oleum, ſed & circa thus, a veteri opinione receſſit, ſcribens: *Sotæ oblationi* nec oleum affundendum, nec imponendum thus. Scillicet oleum & thus, quæ in reliquis oblationibus adhibentur, *Scriptura* אזכרה appellitat; nam ea offerens, efficit ſui (*apud Deum*) recordationem. Quod ſi igitur in Sotæ oblatione, oleum & thus locum reperirent, id quidem peccati ejus eſſet mnemoſynon: quo reſpiciens Scriptura mox addit: Eſt enim Zeli oblatio. Præ omnibus hactenus allatis rationibus placet illa *S. Chryſoſtomi* noſtri, *Orat. V. adverſ. Judæos:* Quoniam id quod gere-

 ba-

batur luctus erat & incuſatio ſuſpicioque prava, forma ſacrificii, domeſticam calamitatem imitabatur, eoque dicit, non effundes ſuper illam oleum, neque impones illi thus. Nam oleum & thus lætitiæ ſigna fuiſſe, nec niſi in gaudio & feſtivitate locum reperiſſe, notum eſt ex divinis literis. Atque ſic ipſa etiam Gemara oleum & thus omiſſum ait, שלא יהא קרבן מהודר ut venuſtate oblatio deſtitueretur. *Wagenſellius ad Miſchn: Sot. p.* 352. VII. Inſumebatur oleum ad exhilarandum hoſpites. Capiti enim infuſum jucunditate perfundit ſenſus. *Athenæus* in fragmento, quod producit *Canterus nov. lect. lib.* 3. *c.* 31. αἱ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ ἡμῶν αἰσθήσεις ὀδμαῖς ἡδείαις παρηγοροῦνται, προσέτι τε θεραπεύονται, κατὰ καὶ Ἄλεξίς φησι, ὑγιείας μέρος μέγιστον ὀδμὰς ἐγκεφάλῳ χρηστὰς ποιεῖν. Hinc David gaudium expoſiturus ſpirituale quo Deus eum cumulaverat, *Inſtruis*, inquit, *coram me menſam e regione hoſtium meorum; delibutum reddis oleo caput meum, poculum meum exuberat Pſal.* 23: 5. Hoc impendio Simonem Phariſæum ſuperavit mulier illa peccatrix, quæ Chriſti pedes lacrymis rigatos, & capitis ſui capillis abſterſos, & oſculo honoratos unguento unxit. *Luc.* 7: 38. Permittitur ejuſmodi ſenſuum recreatio ab Eccleſiaſte, capite nono, commate octavo: *Omni tempore ſunto veſtimenta tua nitida, & unguentum capiti tuo infuſum ne deficito.* VIII. Conciliat munditiem & venuſtatem, ſicut dicitur: Elicit Deus ex terra oleum, quo hominum niteant facies. *Pſal.* 104: 13. Ut formam probarent puellæ Ahaſvero Perſarum Regi ſex menſes oleo myrrhino ungebantur. *Eſth.* 2: 12. Quia venuſtatem nitoremque faciei affert oleum, lugentes eo ſe non perfundebant. 2 *Sam.* 14: 2. IX. Roborat membra. Hinc Pſaltes canit: *Attollis tanquam* ut *Orygis*, firmiſſimarum virium animalis, *cornu meum*, vires meas *perfundendo me oleo virente;* id eſt, amœniſſimo puriſſimoque. *Pſal.* 92: 11. Etiam Athletæ corpora oleo roborarunt. Non enim tam aperit cutem, ut putarunt, quam denſat. Omne namque pingue viſcidum. In gymnaſticis oleum aperire arbitrati ſunt, decepti frictionibus. *Scaliger in lib.* 2. *Theophr. de cauſ. Plant.* X. Uſus olei fuit ad vulnerum ſanationem: quale Samaritanus vulnerato illi viatori cum vino infudiſſe legitur, *Luc.* 10: 34. Vulnera, vomicæ, ulceraque purulenta, quæ neque expreſſa, neque obligata, neque oleo mitigata, in deſperatis habentur. *Jeſ.* 1: 6. Comparat enim Propheta Judæorum Scelera morbo inſanabili, totum corpus pervadenti, cui fruſtra medicinam paraveris. Deſperatis

ratis enim & Hippocrates vetat adhibere medicinam. XI. Uſus illius Apoſtolorum temporibus fuit in miraculoſa ægrorum ſanatione. *Marc.* 6: 12. Ungebant Apoſtoli multos ægros atque ſanabant. Oleum externum erat ſymbolum in edendo ſanationis miraculo, ſicut luto utebatur Chriſtus. *Johan.* 5. Gratiam Dei & remiſſionem peccatorum utentibus non applicavit. *Jacobi* 5: 14. *Infirmatur quis in vobis, advocet Eccleſiæ presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum in nomine Domini & fidei ſupplicatio laborantem ſervabit, eumque allevabit Dominus, & ſi peccata commiſerit ignoscetur ei.* Per presbyteros hoc loco, vel miniſtros verbi, vel vicinos ſeniores, notat, quorum eſt ſpectata & probata pietas. Deinde, quid iſtis ſenioribus agendum ſit 1. ut orent pro ægro, cum initium quarumvis actionum a precibus fieri debeat. 2. Ut ungant ægrotum oleo in nomine Domini; unctione non Sacramentali ſed peculiari & miraculoſa; directa non ad animæ ſalutem, ſed, ut textus perbibet, ad corpoream ſublevationem. XII. Oleum expiationis ſignum fuit. Duo requirebantur ad leproſi hominis expiationem, ſanguis ſacrificialis, & oleum. Utrumque Sacerdos corpori ipſius applicuit. Impoſuit enim ea infimo auriculæ ejus dexteræ, & pollici pedis dexteri; oleum etiam capiti ejus infudit. *Levit.* 14: 15, 16, 17, 18. Auris, manus, pes, hominis, inſtrumenta & organa ſunt peccandi. Auris obſurdeſcit ad legis divinæ vocem. Manus elanguet ad opus bonum. Pes ad obſequium Dei ſegnis eſt & torpet. Non meretur a Deo laudari homo, ut ſervus ille a Centurione domino. *Matth.* 8: 9. *Si quem eorum, quibus præſum, militum, ire jubeo, ibit; ſi alterum venire, venit, ſi ſervum meum aliquid facere, facit.* Sanguis ſacrificialis denotat ſanguinem Chriſti expiatorium, Oleum vero Dei gratiam & miſericordiam, quæ peccatum tegit deletque: ſicut dicitur: *Levit.* 14: 18. וכפר עליו הכהן לפני יהוה Sic expiationem faciet Sacerdos coram Domino, id eſt, ſic tegetur, ſic amovebitur per Sacerdotem peccatum. כפר enim in hemiſtichiis Scripturæ æquipollentibus reſpondet verbis tegendi & amovendi, ut *Jerem.* 18: 23. *Ne expiato* iniquitatem eorum, & peccatum eorum a conſpectu tuo ne *deleto.* Et *Jeſa.* 27: 9. *Expiabitur* iniquitas Jacobi: *removit* peccatum ejus. Tectorium vel tegumentum Arcæ כפורת, Apoſtolus & LXX. ἱλαςήριον, id eſt, propitiatorium, interpretantur, & is, pro quo facta eſt expiatio אשר יכפר לו העון dicitur etiam כסוי חטאה is, cujus tegitur peccatum *Pſal,* 32: 1. XIII. Oleo ungebant clypeos. *Jeſai.* 21: 5.

Surgite Principes Helam & Madai ungite clypeos. Hos ex ære potiſſimum factitabant, cujusmodi clypeum in caſtra Philiſtæorum tulit Goliathus. 1 *Sam.* 17: 6. Æs vero licet ad ſpeculi nitorem lævigatum, ſi ſanguine aut lutulento liquore aſperſum fuit, rubigo facile contaminabat, cujus ſcabritiem atque maculas oleo emendarunt. Non referendum huc, quod de Saule dictum : שם נגעל מגן גבורים מגן שאול בלי משיח בשמן : quod alii varie, nos ita interpretamur : *Illic faſtidio fuit clypeus robuſtorum, clypeus Saulis*; כמגן בלי משיח בשמן *ut clypeus* gregarii militis, *non uncti oleo* 2 *Sam.* 1: 21. Tanta olei utilitate, quid mirum, ſi in theſauris gratiſſimum liquorem habuere. Id enim de Chizkia Rege traditum, quod in gazophylacio ſuo Regis Babylonii legatis oſtenderit argentum, & aurum, & aromata, ac *oleum præſtantiſſimum.* 2 *Reg.* 20: 13. Quo etiam pertinet, quod *Prov.* 21: 20. dictum. *Theſaurus deſideratiſſimus, & oleum, eſt in habitaculo ſapientis : ſtolidus autem homo abſorbet illud.* Apparet ex locutione, in qua poſt generalitatem intulit ſpeciem, præcipuis opibus accenſeri oleum. Simile : Paraſti luminaria & ſolem. *Pſal.* 74: 16. Senſus dicti : Sapiens partas opes cuſtodit; ſtultus res ſuas in libidine ac luxuria conſumit.

III. DE ABUSU OLEI.

USUM Olei ad luxuriem & idolorum cultum verterunt Iſraëlitæ. Hinc Dei querela: *Amoſ.* 6: 6. Præſtantiſſimo unguentorum ungunt ſeſe, neque afficiuntur ægritudine propter confractionem Joſephi. Senſus: delitiis affluunt publica calamitate non commoti. ראשית שמני præcipuo unguento. *Rabbi Jehuda Bar Jecheskel* dicit : זה שמן אסטקטון. Hoc eſt oleum ſtactinum. *Plinius lib.* 12: *cap.* 15. de arboribus myrrhæ : Sudant autem prius quam incidantur, myrrham ſtacten dictam, cui nulla præfertur. *Lecto tuo ſuffitum meum & oleum adhibes*, id eſt, ſuffitu & oleo, quæ vitæ neceſſitatibus & cultui meo impendenda erant, luxuria laſciviaque diffluens, lectum tuum meretricium perfudiſti, *Ezech.* 23: 41. *Cibum meum, quem dederam tibi, ſimilam, ac oleum, ac mel, quibus cibabam te, hoc propoſuiſti ſimulacris, in odorem gratum, & fuit*, omnino hoc factum, tergiverſandum non eſt, res non amplius conjectura, ſed oculis & manibus tenetur, *dictum veriſſimum Domini Jehova Dei*, *Ezech.* 16: 19. *Comparuiſti Regi cum oleo, & multiplicaſti pigmenta tua*, id eſt, non comparuiſti vacua, ſed cum munere & oleo; *& multiplicaſti*

pigmen-

pigmenta tua, hoc eſt, comparaſti te omnibus modis ad ſeductionem. *Jeſa.* 57: 9.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Ab Oleo ductæ similitudines.

Sicut *oleum diffluens jugum. Pauperum eſt oleum premere Lecythus olei, benefica Juſtorum manus. Oleum fraternæ aſſimilatum concordiæ. Odor nominis Chriſti, ut unguenti, ſuaviſſimus. Oleum, verba blanda. Oleum oſſa penetrans, efficax maledictio. Oleum & mulier contentioſa. Cornu, filius olei, locus feraciſſimus. Unguentum pretioſum, egregia fama.* Nechoth, *Olea tuſa.*

I. Sicut oleum diffluens Jugum.

Difficultatem expoſitoribus objiciunt Jeſaiæ verba וחבל עֹל מפני־שמן quæ leguntur *cap.* 10: ℣. 27. *Sanctius* exponit: Computreſcet jugum, id eſt, jugi lora, defectu olei. *A facie olei*, idem eſt, inquit, quod e non oleo, ut *Pſal.* 109: 24. vel quia oleum defuit. *Junius & Tremellius: Deſtruetur jugum propter oleum*, id eſt, propter Chriſtum liberaberis, in quo quieſcit Spiritus Jehovæ, qui unxit eum. *Jeſa.* 51: 1. *Coccejus: Propter oleum corruptum iri jugum*, hoc eſt, eum ſpiritum, non fore ſpiritum ſervitutis, ſed libertatis filiorum, *Rom.* 8: 18. ſpiritum gratiæ & precum. *Zach.* 12. De confractione jugi *Jeſa.* 9: 13. *Vatablus deſtruetur jugum tuum*, o Iſraël, *propter oleum*, id eſt, in gratiam Ezechiæ Regis, uncti oleo unctionis. Oleum pro Rege uncto. *Lucas Oſiander: Computreſcet Jugum propter pinguedinem*, id eſt, Dominus, Ezechiam Regem Judæ ejuſque populum, tam pingues, animoſos forteſque reddet, ut ſint excuſſuri jugum Regis Aſſyrii; ita ut illius tributarii poſthac eſſe nolint: ſicut bos impinguatus excutit jugum, illudque confringit, quod impletum eſſe ſub Ezechia teſtatur Scriptura. 2 *Reg.* 18. Patet ex his plus interpretes laboraſſe in ſcrutando ſenſu nominis שמן, quam in ſenſu verbi יחבל. Ego vero exiſtimo magis diſpiciendum eſſe de verbi ſignificatu, eoque recte explicato ſententiam fieri clariorem. Dico igitur יחבל ſtare loco יחלב. Frequentiſſima enim liquidarum & labialium li-

terarum eſt metatheſis. Sic שמלי *Ezræ*. 2: 46. dicitur, qui & שלמי id eſt retributio Dei *Nechem*. 7: 48. נאם dictum veriſſimum pro אמן veritas. צנף oblexit, pro צפן abſcondit. אשנב feneſtra, a נשב ſpiravit, quaſi ſpiratorium dicas. ערבות campeſtria, pro עברות 2 *Sam*. 15: 25. & 17: 16. עורב corvus, pro רועב eſuritor. Simili elementorum literalium tranſpoſitione ex nomine חלב derivatum verbum יחבל ſignificaverit id, quod in Latino ſermone, *pinguis exhibebitur*, חלב pinguedinem eſſe, quæ conveniat oleo, liquet ex eo, quod dicitur חלב יצהר pinguedo olei. *Deut*. 32: 14. מפני denotat *plus quam*, *magis quam*, ut *Job*. 17: 12. Noctem in diem ponunt, אור קרוב מפני־חשך & lucem magis propinquam, quam tenebras. Senſus hinc naſcitur valde commodus & prophetæ ſcopo conſentaneus. *Erit tempore illo, ut amoveatur onus ejus*, onus Regis Aſſyriorum, *ab humero tuo*, habitator Tzionis, *& jugum ejus a collo tuo, & jugum pingue magis præbebitur, quam oleum*, vel pinguius dabitur, quam oleum. Ita enim fiet, ut diffluat, nec ſit amplius oneri, miſeriæque Judæis.

II. PAUPERUM EST OLEUM PREMERE.

Job. 24: 11. INTRA *muros improborum oleum exprimunt mercenarii* pauperes, *inter lacus calcant uvas & ſitiunt*. Bove miſeriores, *cui trituranti os non capiſtratur*.

III. LECYTHUS OLEI, BENEFICUS JUSTORUM ANIMUS.

(1) OLEUM lecythi, quod, apud viduam prophetæ auctum ab Eliſa legitur 2 *Reg*. 4: 1. 2. & *ſeqq*. cum ſanctorum intima miſericordia, benignitate, & gratia, comparamus, qua tanquam oleo pauperes & afflictos recreant, alunt, ſanant: uti jubentur *Eph*. 4: 32. *Eſtote alii in alios benigni, miſericordes, condonantes vobis mutuo offenſas:* & *Coloſ*. 3: 12. *Induemini ut electi Dei, ſancti & dilecti, viſceribus miſerationum, benignitate, animi ſubmiſſione, lenitate, iræ cohibitione*. (2) Oleum lecythi miraculo fuit auctum; pariter beneficentiæ ſtudium, aſſiduitatem, & flagrantis opera charitatis ſecundum infinitæ ſuæ potentiæ vim Dei ſpiritus operatur. *Gal*. 5: 22. Ipſius eſt facere, ut auctiores ſimus, & exundemus mutua inter nos charitate & in omnes. 1 *Theſſ*. 3: 12. (3) Modicum lecythi oleum exuberavit, in bathis defecit. Nimirum, *præſtat tenuis res juſtorum, quam impiorum opulentia*, *Pſal*. 37: 16 *Eſt qui divitem ſe jactat, quum nihil habeat, & qui pauperem ſe fingit, quum ſit dives*.

ves. Prov. 13: 7. (4) Lecythus non ſibi tantum ſervat oleum, ſed alia etiam vaſa ex plenitudine ejus accipiunt : ita non ſibi tantum βίον τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ, vel opes, ſervant electi, ſed eas inter egenos manu non parca partiri ſolent. *Diſpergit juſtus & dat pauperibus. Pſal.* 112: 5. 9. *Non cohibet ſe ab optato tenuium, nec oculos viduæ conficit, nec comedit fruſtum ſuum ſolus. Job.* 31: 16. (5) Ut lecythus oleo non defecit, ſic ei qui dat pauperi non erit egeſtas. *Proverb.* 28: 27.

Quo plus dat, plus Juſtus habet, ceu flumina, quorum
Quo plus ſunt hauſtæ, plus regeruntur aquæ.

Eſt qui largitur & tamen augetur amplius ; eſt qui præter æquum parcit, & tamen fit indigentior, & qui ubertim communicat, idem amplius perfundet. *Prov.* 11: 24. 25. *Theſaurus deſideratiſſimus, & oleum eſt in habitaculo ſapientis. Prov.* 21: 20. (6) Licuit e lecytho viduæ haurire oleum occulte, ſine teſte, ſine ullo conſcio, ita a Juſtis, afflicti & pauperes, ſine teſte miſericordiæ fructum percipiunt : & hoc quidem de conſilio Chriſti Domini : *Quum præſtas eleemoſynam, ne noverit ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua : ut ſit tua eleemoſyna in occulto : Pater autem tuus, qui te aſpicit in occulto, reddet tibi in propatulo. Matth.* 6: 3, 4. (7) De lecythi oleo gratis dato rependitur creditoribus : de temporalibus bonis ſolvitur Deo, cui animam, & corpus, & omnia debemus ; ſolvitur & proximo, amoris debitum. *Rom.* 13: 8. *Mutuat Domino, qui gratioſe largitur, & beneficium ipſius rependet ipſi. Prov.* 19: 17.

IV. Oleum sacrum fraternæ assimilatum concordiæ.

Pſal. 133. Ecce *quam bonum & quam amœnum eſt habitare etiam una fratres* (non ſolum ſecundum carnem, ſed etiam ſecundum ſpiritum conjunctos, vel quibus idem ſanguis, eadem fides, idem officium,) *ſuavitate odoris recreat* ut oleum optimum, *quod deſcendit in barbam : barbam Aharonis* ; *quod deſcendit uſque ad oram veſtium ejus* ; vel : *barbam Aharonis, quæ deſcendit*, id eſt, promittitur, *uſque ad oram* ſuperiorem *veſtimentorum ejus.*

V. Odor nominis Christi ut unguenti suavissimus, fragrantissimus.

Cant. 1: 3. Propter *odoratum unguentorum tuorum optimorum*, propter

propter odoratum *unguenti*, quod *effunditur* ex *nomine tuo*: propter hoc, inquam, *puellæ diligunt te. Propter odoratum*: ל notare præpoſitionem *propter*, notum eſt, & exemplis pluribus *Noldius in Concordantiis* probavit, & parallela arguunt loca, in quibus ל poſitum loco על ut 2 Sam. 7: 26. אלהים על־ישראל *Deus ſuper Iſraëlem.* in parallelo legitur אלהים לישראל *Propter odoratum unguentorum tuorum optimorum*: id eſt propter dona ſpiritualia, quæ cum Spiritu Sancto regeneratis a Chriſto dantur. *Tit.* 3: 5, 6. *Servavit nos* Servator noſter, Deus, *per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti; quem effudit ſuper nos copioſe per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum.* Conf. *Jeſa.* ℣. 1. 1 *Joh.* 2: 27. *Unguenti, quod effunditur*: id eſt, propter verbum de Chriſti gratia & merito promulgatum, quod eſt odor vitæ reficiens animas. 2 *Cor.* 2: 15, 16. *Theodoretus* ad hunc locum: Quemadmodum unguentum in vaſe concluſum continet & ipſam odoris fragrantiam; ſin autem effundatur ipſum quoque replet aërem: Sic Dominus Chriſtus ante paſſionem paucis notus erat, at poſtquam crucem mortemque ſuſtinuit, continuo beati Apoſtoli ſuavitate illa repleti ſunt, terram percurrentes & maria trajicientes, omnibuſque Evangelium nunciantes, odoris ſuavitate mundum univerſum compleverunt. שמן Ad hoc refertur fœmininum verbum תורק effundetur, de quo ſic *Aben-Ezra*; Ne mireris nomen שמן eſſe generis fœminini. Sic namque reperies omnia arte facta, domum & locum, in Scriptura, hic in maſculino, illic in fœmineo, genere uſurpari. Qui verbum תורק conſtruunt cum præcedente nomine שמן ii peccant contra accentuationis Hebraicæ leges, juxta quas תורק verbum per ſervum Munach cum ſequenti nomine שמך quod accentu Domino Athnach diſtinctivo notatur, conſtrui debet. Itaque vertimus: Unguentum, quod effunditur ex nomine tuo, non, ut alii unguentum effuſum eſt nomen tuum. *Ex nomine tuo*, Nomen Chriſti eſt Evangelii præconium, ut vocatur *Actor.* 9: 15. *Ego Paulum mihi velut organum inſigne elegi, ut prædicet nomen meum apud gentes, apud reges, ac filios Iſraël.* Eſt verbum gratiæ a Jehovæ Moſi prædicatum. *Exod.* 34: 6. *Et prædicavit Dominus nomen* DOMINI, *& tranſivit Dominus coram Moſe & prædicavit*: DOMINUS, DOMINUS DEUS, *miſericors eſt, & gratioſus; longanimis, & multus benignitate ac fide.* מ præpoſitio ſubauditur in voce שמך. Ellipſeos cauſa eſt *Mem* ſequentis ſyllabæ, ſolent enim Hebræi literam in eadem voce redituram

turam omittere, exempli gratia: יום legitur 1 *Sam.* 18: 10. pro מיום a die, עם *Jeſa.* 18: 7. pro מעם a populo מר, *Cantic.* 5: 5. pro כמר ex myrrha, מוסרי *Jeſa.* 52: 2. pro כמוסרי ex vinculis, כתים *Dan.* 11: 30. pro מכתים ex Chittim 1 *Reg.* 18: 1. ימים pro מימים poſt dies, חמון גלגליו *Jerem.* 47: 3. pro מחמון גלגליו propter tumultum rotarum ejus. *Propterea*, inquam, *diligunt te virgines vel puellæ*: id eſt, Puræ rectæque animæ, pietatis & caſtitatis amantes. His enim unis Eccleſia Catholica conſtat. *Johan.* 14: 4. *Matth.* 25: 1. 1 *Cor.* 11: 2. *Apoc.* 14: 1. 4. 5.

VI. Oleum: verba blanda.

Prov. 5: 3. Quamvis *favum ſtillent labia extraneæ, & mollius oleo ſtillet palatum ejus: attamen poſterius ejus amarum eſt ut abſinthium: acutum, ut gladius bipennis.* Nihil oleo lenius & mollius eſt, nihil in eo aſperum. Alvum mollit, & aſpera omnia mitigat, doloreſque lenit ac ſedat. *Poſterius amarum eſt ut abſinthium*: Extrema gaudii luctus occupat. Omnia amœna pollicetur caro, ſed feces relinquit. Similis voluptas eſt, locuſtis Apocalypticis, quarum facies, ut facies hominum, capilli ut mulierum; ſed & habent caudas ſimiles ſcorpionum. *Apoc.* 9: 7. 10. *Pſalm.* 55: 22. *Molliora quidem verba familiaris mei oleo, ſed ſtricti gladii ſunt.* Senſus eſt: Utitur quidem molliſſimis ac blandiſſimis verbis, ſed ea non minus ſunt acuta, nec minus vulnerant, quam gladii. Quæ dici a nobis poſſunt ac torqueri eleganter in adulatorem blanda oratione alicui perniciem afferentem; vel in meretricem fel animi (ut verbis utar, quibus alibi uſus eſt *Hieronymus*) melle tegentem labiorum. *Druſ. Prov. Sacr. p.* 565.

VII. Oleum oſſa penetrans, efficax maledictio.

Pſal. 109: 18. Ingrediatur *maledictio velut oleum in oſſa ejus.* Senſus: Ut oleum in corpus penetrat, ita maledictio ad intima iſtius impii permeet, animam & omne corpus, velut tabe quadam conſumtura.

VIII. Oleum et mulier contentioſa.

Prov. 27: 16. Qui *recondit mulierem rixoſam, recondit ventum, & unguentum* recondit, *quod dexteram ſuam præconiat*, id eſt, quod prodit dexteram, quæ unguentum tetigit. Ita verſionem ſuam explicat *Coccejus*; *Mercerus* aliter: *Abſcondens eam, abſcondit ventum: & ut unguentum* quod eſt in *dextera ſua, clamabit*: vel, *unguentum dexteræ ejus clamabit*: hoc eſt, qui contentioſam mulierem ab-

 ſcon-

ſcondit, perinde eſt, ac ſi unguentum, quo dextram ſuam perfudit, occultare vellet, quod ſuo ſe ipſum odore prodit, ac velut clamat, ut latere non poſſit, ſicut mulier ſuo ſe clamore prodit, & contentioſitate. *Junius* & *Tremellius* vertunt: *Abſcondentium eam quiſque abſconderit ventum, ut unguentum dexteræ ipſius proclamet, proclamabit illa:* id eſt, ut in annotationibus explicatur: Nulla ratione poteſt cohiberi malum iſtud, aut ignominia contineri, quin pervagetur in aures omnium; citius ventum pugno detinueris, aut odorem unguenti compreſſeris, ne ad alios perferatur, quam ignominiam hanc averteris, ne late diffundatur. *Proclamat*, id eſt, tanta vi ſe prodit, ac ſi quis clamet. Equidem per metaphoram valde alienam clamorem oleo vel unguento tribui exiſtimo; Itaque a laudatis interpretibus diſſentiens יקרא verbum, non dubitem dicere ſcriptum loco יקרה id eſt, occurret, obveniet, א cum ה permutato, quod in hoc verbo frequenter factum. Reddendum igitur: *Qui abſcondit* litigioſam, *recondit ventum, & oleum dexteræ ejus obveniet, oleum* ſcilicet, quod dextera manu non magis quam ventum capiat. Videtur idem in animo habuiſſe Vatablus vertendo: *Qui cohibet eam, ventos cohibet, & dextera ſua oleo occurrit*: ſed in notis abit ab explicatione noſtra, & mulieri & oleo clamorem tribuit.

IX. CORNU FILIUS OLEI.

Jeſa. 5: 1. VINEA *eſt dilecto meo in cornu filio olei*; In cornu ſervabatur oleum, quo ungebantur Reges. Cornu igitur accipimus pro loco tuto, concluſo, atque cuſtodito, *Junius* & *Coccejus* cum Rabbinis pro edito. Filius olei, ſive oleum habens dicitur, non tantum, quia ferax olei & abundans omnibus bonis eſſet is locus, ſed etiam quia Deus eum elegerat, ut iſthic tanquam in publico theatro mundi, in meditullio gentium, charismata ſpiritus ſui effunderet.

X. UNGUENTUM PRETIOSUM: EGREGIA FAMA.

Eccleſ. 7: 1. MELIOR *eſt homini fama unguento optimo.* Sic ſummum patrimonium Cicero dixit boni nominis exiſtimationem. *Eccleſ.* 10. 1. *Ut muſcarum* mortuarum ſeu *maleficarum*, una ex earum ſcilicet genere, quarum morſus Ægyptios occiderunt, *Sap.* 16: 9. efficit putrefactione ſui, *ut fœtorem eructet unguentum* pretioſum *pigmentarii: Similiter pretioſum nomine ſapientiæ & gloriæ* virum *fœtidum efficit ſtoliditatis parum*, paucula ſtultitia, exigua culpa ſapien-

tiæ

tiæ & gloriæ decus inquinat & turpificat. Alibi etiam *fœtere facere*, eſt vilem, odioſum aut alienatum reddere. *Gen.* 34: 30. *feciſtis ut fœteam apud incolas regionis hujus. Exod.* 5: 21. *Feciſtis, ut fœteat odor noſter ante oculos Pharaonis, & ante oculos ſervorum ejus. Vid.* 1 *Sam.* 27: 12. 1 *Par.* 19: 6. 2 *Sam.* 16: 21.

XI. Vallis olearum vel pinguedinum.

גיא־שמנים : Olei feraciſſima, ſubjecta Samariæ, *Jeſa.* 28: 1. *Væ coronæ faſtus ebrioſis Ephrajimi, cujus ornatus, decor eſt flos caducæ plantæ; Væ eis qui præſunt valli pinguedinum*, Principibus Samariæ, *obtuſis vino.* Ab hac pinguedinum valle differt Gethſemane tam ſitu, quam nomine ſuo. Gethſemane enim ut in Onomaſtico Sacro docui, eſt torcular ſignorum, unde & loco nomen, in cujus horto paſſionem inchoans Redemtor noſter Jeſus, ſudore ſanguineo manabat. Situs loci haut procul Hieruſolymis ad olivarum montem. *Joh.* 18. *Matth.* 26: 36. *Luc.* 22. 39.

XII. Necoth, olea tusa.

Necoth non ſunt, ut Syrus interpres voluit, Reſina, quæ, quod ſuo loco probabitur, per צרי indigetatur. Nec ſunt, ut Arabs expoſuit, *ſiliquæ*, vulgariſſimus, nec Judææ peculiaris fructus; nec, ut Samaritanus, *opobalſamum.* Balſamum quippe, ut *Joſephus* tradit, ante Salomonis tempora in Judæa non innotuit, tranſlatum ex Arabia Felice a Regina Sabæorum *Antiq. lib.* 8. *c.* 2. nec plantatum in Gileaditide trans Jordanem fuit, ſed cis Jordanem prope Engedi & Hierichuntem, ut teſtantur *Strabo lib.* 16. *Diodorus lib.* 19. *Joſephus Antiq. lib.* 4. *c.* 3. & *Bell. Jud. lib.* 5. *c.* 4. Non eſt *Necoth Theriaca*, utpote quam inferioribus ſeculis repertam memorat Nicander Colophonius, auxit Mithridates, perfecit juxta Galenum Andromachus, Neronis Archiater. Non myxaria, quæ Junius ait Arabice *Nuketha* dici. Atqui Arabicum myxariorum nomen مخيط *muchait*, prout Arabes ſcribunt, inquit Bochartus, ne unam quidem literulam communem habet cum Hebræo נכאת *lib.* 4. *c.* 12. *Part.* 11. *Hieroz.* Ipſa arbor vulgo *ſebeſten*, voce Arabica, ſeu potius Perſica سبستان adpellatur. Si myxaria Iſmaëlitici Mercatores intuliſſent in Ægyptum, gramen aut fœnum, ut eſt in Hebræorum proverbio, portaſſent in Ephrajim, ſtroh gen korn

weſten. Iſto enim fructu abundabant Ægyptii, & ex myxis autore *Plinio*, in Ægypto etiam vina fiebant. *lib.* 13. *c.* 5. *Hiſt. Nat.* Nec *aromata* ſignificat, uti recentiores quidam ſentiunt, quia præſtantiſſima aromata, non ſunt Cananææ terræ cantica, ſed Indiæ & Arabiæ, & *necoth* 2 *Reg.* 20: 13. a בשמים hoc eſt, ab aromatis luculenter diſtincta. Onkelos, Chaldæus Interpres, in ceram vertit, quæ tamen Hebræis nuſquam *necoth*, ſed רנג appellata. Quam vim igitur hujus eſſe nominis dicemus? Equidem exiſtimo, origine ejus recte explicata, faciliorem nos rei cgnitionem habituros. Sciendum ergo duas voces נכת ſine א, & נכאת per א ſcriptum, ex diverſis, quamvis affinibus, thematis natas, eodem gaudere ſignificatu; niſi quod נכאת abſolutum & plurale nomen eſt, נכותה autem ſingulare & cum ſuffixo compoſitum. Porro נכאת *Gen.* 37: 25. & 43: 11. ſcribitur loco נכתות tuſa, litera ת repetenda, ut frequenter amat fieri, in א mutata. Sic ימאס liquefiet, dictum pro ימסס *Job.* 7: 5. & שגיאה error, pro שגיגה *Pſal.* 19: 13. Sic רבאות pro רביבות myriades, *Ezr.* 2: 69: quæ permutatio & Syris uſitata, qui pro רגג dicunt ראג concupiſcens *Gal.* 5: 17. pro רותת Thau in Olaph mutato, ܪܐܬ *roeth*, tremens, *Act.* 16: 29: *Vid. Inſtitut. noſtr. cap.* 14: *p.* 545. & *ſeqq.* Radix ergo nominis eſt כתת tudit, contudit. *Pſal.* 89: 24. *Jeſa.* 30: 11. *Deut.* 9: 21. Sed נכת apud *Jeſ.* 39: 1. & 2 *Reg.* 20: 13. figuratum ad inſtar גדול, id eſt, magnitudo, venit a themate נכת, cujus exſtat futurum Hophal יכת contereтur, contundetur. *Jeſa.* 24: 12. & Hiphilicum יכתו contriverunt, contuderunt. *Num.* 14: 45. & *Deut.* 1: 44. Tuſa igitur vel contrita ſignificat נכאת vel נכות, quæ Jacobus Ægypti Præſidi muneri miſit, *Gen.* 43: 11. & Arabes e Gileaditide in Ægyptum adportarunt, *Gen.* 37: 25. & Hiskias Judæorum Rex in cellis theſauriſque habuit 2 *Reg.* 20: 13. Reliquum eſt, ut videamus, quænam tandem illa, quæ Tuſorum nomine inſinuata fuerint. Malleorum ictibus tundebatur aurum & argentum in formas, quæ placuerint. Ita Lychnuchus tabernaculi ſacri factus opere continente, *non ferruminato*, ex auro puro *Exod.* 25: 31. & 37: 22. Pilis tundebantur aromata, unde factus pulvis aromatarii ſeu pigmentarii. *Cant.* 3: 6. Tundebantur & Olea, ut Cicinum, Amygdalinum, Balaninum & Myrteum; de quibus *Dioſcorides lib.* 1. *c.* 33, 34, 35, 37. Equidem

dem aſſerere non dubito, *Necoth* ſignificare *Tuſa* olea. Nam 1. ex eodem argumento & cognata voce, oleum purius & pretioſius, (cujuſmodi lucernis in templo & oblationibus ſacris impenſum) vocatur שמן זית כתית *Oleum olivæ tuſum. Exod.* 27: 20. *Lev.* 34: 2. *Exod.* 29: 4. *& Num.* 28: 5. Puriſſimum hoc habebatur. Iſtud enim quod prælo aut mola expreſſerant amurca & fecibus plenum. *Secundo*, utiliſſima laudatiſſimaque oleo tundendo conficiebantur. Ut fieret cicinum, caro cicini colligebatur, & conjecta in pilam aſſidue tundebatur. *Dioſcorid. lib. I. c.* 33. Amygdalinum, quod aliqui metopion vocarunt, hoc factum modo: Semodius ex amaris nucibus repurgatis ſiccatiſque, in pila ligneo piſtillo leniter tunditur in offas, aquæ, quæ ferbuerit, ſextarius adjicitur, & ubi dimidia hora humorem hauſerit, vehementius quam antea tunditur. *Dioſcorid. lib.* 1. *c.* 34. Amygdalinum dulce hodie paratur amygdalis dulcibus in lapideo mortario tuſis. *Matthiol. ad Dioſcorid. lib.* 1: *cap.* 34. Myrteum oleum, e myrto nigra ſilveſtri aut ſativa, foliorum molliſſima, quæque tuſa premuntur, &c. *Dioſc. lib.* 1. *c.* 37. Maſtichinum e trita fit maſtiche. *Idem. lib.* 1: *c.* 40. Hyoſciamium ſic paratur: ſemen candidum, recens ac ſiccum tunditur, & calida aſpergitur aqua, ut in amygdalino diximus. *Dioſc. l.* 1: *c.* 36. Oleum tuſum, vel quod tuſione paratum fuit, hodie rependit illud, quod ſine mora ex maturis & recentibus olivis in molis oleariis ad id aptatis exprimitur eleganter flavum, dulce & flagrans, ac propterea ab *Hofmanno in Clav. Schrœder*: flos olei, a Materialiſtis vero a Laco di Garda, Oleum Gardzenſe vocatur, de quo *Marxius in mater. Muſeo. Tertio*, perſpicuum argumentum ducitur ex eo, quod aptiſſime ad omnia Scripturæ loca, quibus obvenit *Necoth*, expoſitio noſtra quadrat. Clariſſimus *Bochartus in Hierozoico*, נכות ſine א & נכאת cum א ſcriptum, diverſarum rerum vocabulum eſſe exiſtimat; quia enim id quod in Geneſi obvium ſtyracem interpretatur, notionem hanc reliquis Scripturæ locis applicari non poſſe intellexit. At nos, qui *olea tuſa* reddimus, hanc expoſitionem nullibi refragrare animadvertimus. Poſtulat ſane eam locus *Gen.* 37: 25. *Ecce cœtum commeantium Iſmaelitarum, venientem ex Gileade, quorum cameli ferebant tuſa olea, & reſinam terebinthinam, & ladanum, pergentes, ut deportarent ea in Ægyptum.* Ad unguenta, quæ laudatiſſima Ægyptii parabant, tuſo, id eſt, optimo puriſſimoque oleo indigebant. Quod enim in Ægypto provenerat, nec optimum

 fuit

fuit, nec ſuffecerat unguentis. Ut enim *Plinius* teſtis, in Ægypto, carnoſiſſimis oleis, olei exiguum. *lib.* 15. *c.* 3. Abundarunt autem tuſis oleis & reſina terebinthina Gileadeni, quibus, ut erant medica ſcientia inſtructiſſimi, *Jerem.* 8: 22. non ſolum vulnera emolliverunt, *Jeſa.* 1: 5. ſed & artificio mixtis, remedia ad morbos compararunt, ne ab Ægyptiorum quidem medicis curandos. *Jerem.* 46: 11. Admittunt etiam noſtram verſionem verba *Gen.* 43: 11. *Dixit ergo Iſraël, pater ipſorum, ſi ita jam faciendum eſt, id facite, accipite de laudatiſſimis rebus hujus regionis in vaſis veſtris, & deferte ad virum illum munus: parum reſinæ terebinthinæ & parum mellis, tuſa olea & ladanum, avellanas & amygdalas.* Oleum laudatiſſimus Cananææ proventus, & olearum ubertas ab ipſo Deo celebrata. *Deut.* 8: 8. *Jehova Deus tuus, introducturus eſt te, in terram optimam, terram feracem oleæ oleoſæ & mellis.* Nec vile poterat munus hoc cenſeri; aut indignum quod Ægypti Præſidi mitteretur, quum & Reges munificentiam ſuam oſtenſuri olei dono alios honorarunt. Salomo quippe, ut munificum & gratum ſe teſtaretur, Tyriorum Regi & familiæ ejus de anno in annum viginti coros, hoc eſt, 1125. urnas, tuſi olei largitus eſt 1 *Reg.* 5: 11. Ita vero paratum non dabatur operariis in Libano, putatoribus ſcilicet & cæſoribus arborum, quibus dedit vini bathos vicies mille, ac olei *non tuſi*, bathos vicies mille. 2 *Par.* 2: 10. Nec denique נכת ſingulare nomen, eo quem diximus ſenſu acceptum, abnuit textus *Jeſaiæ cap.* 34: ℣. 12. & 2. *Reg.* 20: 13. *Cum legatis Regis Babyloniæ lætatus Hiskias, oſtendit eis omnem olei ſui tuſi cellam*, *argentum & aurum, & aromata, atque oleum præſtantiſſimum*, id eſt, balſamum, *totamque domum vaſorum ſuorum, denique quicquid inveniebatur in theſauris ſuis.* Nimirum & privatorum divitias augebat oleum, ut legitur *Prov.* 21: 20. *Theſaurus deſideratiſſimus & oleum eſt in habitaculo ſapientis.* Et Regum opibus accenſebatur, ut conſtat etiam ex 1. *Paral.* 27: 28. ubi theſauris olei, a ſubditis collecti, David Rex præfeciſſe memoratur Joaſum: Cultoribus autem Olearum, Bahal-Chananem, ſive Hannibalem Gederitam.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De Amygdala.

Amygdala *Hebræis* Schaked & Luz. Schaked *ob maturatum florem ; Luz a receſſu tunicæ. Amygdalæ etymon Syriacum. Germinans Aharonis virga, typus fuit* 1. *patientis ac reſurgentis Chriſti.* 2. *Miniſterii ſacri ſymbolum.* 3. *Renovationis.* 4. *Credentium imago.* 5. *Symbolum, judicia ſua maturantis Dei.* 6. *Flos amygdalæ, ſenum canities.*

I. Schaked et Luz.

Geminum apud Hebræos Amygdalarum nomen eſt, unum quidem a præcoci maturitate dictum שקד. Quia, ut a *Plinio* obſervatum floret prima omnium amygdala, Martio vero pomum maturat. Unde eſt, quod ab ipſo Deo proponitur pro maturationis ſymbolo. *Jerem.* 1: 11: 12. & eidem *Theophraſtus* tribuit τὸ πρωΐκαρπον; & quæ ab inſula Thaſo Thaſia dicuntur amygdala, θάσια dici putavit Etymologus, ἀπὸ τοῦ θᾶσσον τὸν καρπὸν προϊέναι, πρώϊμα γὰρ ὑπὲρ τὰ λοιπὰ δένδρα, eo quod citius fructum emittunt, cum præ cæteris præcocia ſint: & juxta *Scaligerum* prius edit Amygdalus fructus veſtigia, quam frondium. *Commentario in Theophr. de cauſſis plantarum.* Alterum arboris nomen לוז eſt, eoque ſignificatu & in Arabum ſcriptis uſurpatur. Non capio, inquit, doctiſſimus *Bochartus* cur corylum reddiderint recentiores, cum in *Avicenna* ſexcenties occurrat pro Amygdalo. In Serapione itidem & Pandectario Arabe & barbaris gloſſariis ubi *Lauz* vel *Luz* reſpondet Hebræo שקד. Itaque in loco Geneſeos Hieronymus habet virgas amygdalinas. Et in libro Quæſtionum comprobatur, inquit, idem, Bethel Luzam, id eſt, Amygdalum eſſe vocatam, neque aliter, quiſquis eſt Philo in nominibus de Jeſu, Nave, Luza, Amygdalum. Nullis cedet rationibus is, cui hæc non perſuadebunt לוז eſſe amygdalum *Canaan p.* 628. לוז a recedendo vel abſcedendo nomen traxit, quia, quod imprimis in nucum genere amygdalo contingit, extima maturi fructus tunica dehiſcens, ab interiori compactili operimento ſeu putamine oſſeo recedit, abſcedit ac ſeparatur.

Avel-

Avellanæ idem accidere conſtat, ut adeo non ſit mirum, ſi recentiores Interpretes vocabulum *luz* etiam de corylo acceperunt. Ἀμυγδάλης etymon violenter *Herodianus* Grammaticus repetit παρὰ τὸ ἐν τῷ μετὰ τὸ χλορὸν ὥσπερεὶ ἀμυχὰς ἔχειν πολλὰς, ab eo quod infra viride ejus operimentum oſſeum plures habet inciſuras. Teſte *Athenæo lib.* 2. *Dipnoſ.* Nos Amygdalæ nomen a Syris inditum fuiſſe arbitramur, quibus אין מגדלא *ah-mugdala* ſonat *arborem magnificatam*, reſpectu, ut nobis quidem videtur, habito ad Perſicam, quæ Amygdalæ per omnia ſimilis præter ſtaturæ proceritatem. Eſt autem Amygdala, ex deſcriptione *Matthioli*, arbor ſpectatæ ſatis proceritatis, caudice craſſo, raro tamen recto, cortice aſpero, paucis radicibus, ſiquidem plurimum ſingulari nititur radice robuſta, grandi, alte deſcendente. Folia habet Perſico perquam ſimilia, quam quoque tota æmulatur planta: nam & flores in amygdalo ſpectarentur, quales in Perſico, niſi hujus ſaturatiori purpura rubeſcerent. Floret vere inchoante. Nuces edit cordis figura, quæ antequam obdureſcant, integræ cum putamine comeduntur.

II. GERMINANS AHARONIS VIRGA.

Num. 17: 1, 2. *& ſeqq.* 1. ALLOQUUTUS *eſt Dominus Moſen dicendo*: 2. *Alloquere filios Iſraëlis*, conſternatos adhuc ob interitum Korachi, *& accipe ab eis virgam & virgam*, hoc eſt, unam poſt aliam; ſcipiones, quos principes Tribuum in ſignum poteſtatis & dignitatis geſtarunt, *pro paterna familia*, *ab omnibus ducibus eorum*, *ſecundum paternam familiam ſuam*, duodecim virgas pro numero Tribuum Iſraëliticarum, *cujuſque nomen inſcribito*, incidito, *virgæ ejus.* 3. *Nomen vero Aharonis inſcribito virgæ Levi*, *nam virga una eſt in quodque caput*, in quemque primarium familiæ paternæ ſuæ. 4. *Et relinques illas in tentorio conventus coram teſtimonio*, *ubi convenire ſoleo vos*, ubi conveniens cum Moſe præcipio dicenda filiis Iſraël. *Exod.* 25: 22 5. *Eritque*, *ut ejus*, *quem elegero*, quem nova ad ſacerdotium electione confirmavero, *virga floreat*, germinet; (*Origenes*: Promiſit Deus germen virgæ, & plura dedit, ſcilicet germen, flores, frondes, fructus:) *ſic ſedando*, avertam *a me murmura filiorum Iſraëlis*, *quibus murmurarunt contra vos*, hoc eſt, ita me expediam iſtis ſeditionibus, quibus in vos Iſraëlitæ conſpirant. 6. *Quæ cum expoſuiſſet Moſe filiis Iſraëlis*, *dederunt ei omnes duces eorum virgas*, *ſingulas in duces ſingulos domus paternæ ſuæ duodecim virgas*, *eratque virga Aharonis inter virgas illorum*, inter virgas duodecim

decim ducum. 7. *Reliquit autem Moſe virgas illas coram Domino*, coram Arca, e cujus ſuperiore parte præcipiebat Dominus, *in tentorio teſtimonii*, ubi voluntatem ſuam teſtabatur Deus. 8. *Et fuit poſtridie, ingreſſo Moſe in tentorium teſtimonii, ut ecce*, rem miratu dignam! *germinaſſet virga Aaronis pro familia Levi: producens enim germen emiſerat florem*, productis primum contra naturam amygdali foliis, poſt folia emiſerat florem, *& educabat*, maturabat, *amygdala; 9: Protulitque Moſe omnes virgas a conſpectu Demini*, ab arca teſtimonii, *ad omnes filios Iſraëlis; quas inſpexerunt, & receperunt quiſque virgam ſuam.* 10, *Edixit autem* Dominus *Moſi: refer virgam Aaronis ante teſtimonium* in conſpectum Arcæ, non in ipſam Arcam: ſiquidem in eam nihil aliud reponi juſſit Deus, quam duas tabulas lapideas, quæ etiam ſolæ in ea reperiebantur, ut patet ex 1 *Reg.* 8: 9. & 2 *Par.* 5: 10. *Obſervandum in ſignum contra deditos rebellioni, ut auferas a me murmura eorum*, ut compreſſis eorum contra ipſum ſeditionibus, non moriantur. Habes literalem verborum Scripturæ ſenſum. Rem his verbis indicatam cum rebus aliis conferentes Theologi noſtri, typos plurimos invenerunt, quorum partem operæ pretium eſt referre.

III. Virga Aaronica, typus patientis et resurgentis Christi.

Divino miraculo factum quod Aharonis arida virga revireſcens florem & fructum una nocte edidit. Experimento quidem cognitum, ſtirpis quaſdam exſuccas atque aridas germinaſſe. Obſervatione inquit *Jonſtonus*, *Præfatione in Hiſtor. Naturalem*, habemus, ex plantis etiam exſiccatis & quaſi emortuis prodiiſſe germen, exſerente ſe ſine dubio acceſſu caloris, ſpiritus humidi anima, quæ ante hac his deſtituta & otioſa latuerat. Clavam ſane Herculis, quæ ex Oleaſtro fuit, autores fide digni, germinaſſe referunt. Idem de haſta Romuli, quæ ex orno, apud Plutarchum legitur. Ex Oleæ duriſſimo ligno, cardines in foribus diutius immotos plantæ modo germinaſſe, apud Plinium. Sciditur in Hiſpania, prodente *de la Cerda* oleæ caudex, amputata radice & ramis, infoſſaque terræ promit radicem, mox arborem. Et vide quid de oleæ ſativæ ſtipite per decennium & ultra a trunco ſeparato ſcribat *Fortunius Licetus libro* 3. de his, qui diu ſine alimentis vivant. Ipſi vidimus ſentem, quem ante annos ducentos & viginti & plus, eo Eberhardus Primus Wirtembergiæ Princeps, ex Palæſtina redux, pileo ſuo affixum attulerat,

torridumque & humore vacuum, in Cœnobio ad D. Petrum, terræ ſua manu impegerat, revireſcentem in eam amplitudinem excreviſſe, ut amœniſſimi topiarii vicem præſtare queat. Sed iſta naturæ miracula noſtro multis modis inferiora ſunt. Regerminat non ſolum arefacta virga, ſed ad prædictum tempus, una duntaxat nocte ſimul florem fructumque maturum edidit. Idem factum miramur in virga e trunco Jeſſæo nata. Nam & ad præfinitum a prophetis tempus, poſt exhauſtum corporis ſui nobiliſſimum ſuccum, ſanguinem puta, & duarum noctium moras revixit, edito juſtitiæ & redemtionis fructu ſuaviſſimo. *Traditus enim morti fuit propter offenſas noſtras, & ſuſcitatus ad noſtri juſtificationem Rom.* 4: 25. Et quemadmodum revireſcens Aaronis virga in Sanctum Sanctorum illata, & ante Teſtimonium Dei in ſignum contra deditos rebellioni repoſita, Aaronitis Sacerdotii dignitatem aſſeruit, ita Chriſtus Jeſus factus eſt per reſurrectionem ſignum rebellibus Judæis, ut firmaret verbum ab eo ſignum requirentibus: *Gens improba & adulterina ſignum requirit, ſed ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes. Matth.* 12: 39. 40. Fidelibus autem quum in Sancta Sanctorum ſeſe inferret, ut Deo coram appareat *Hebr.* 9: 24. æterni Sacerdotii honorem vendicavit. Primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ, dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris per ſanguinem ſuum, fecitque nos reges, & ſacerdotes, Deo & Patri ſuo. Ei ſit gloria & robur in ſecula ſeculorum. *Apoc.* 1: 5. 6.

IV. VIRGA AARONIS SYMBOLUM EST MINISTERII SACRI.

REPRÆSENTATUR in ea 1. Miniſtrorum indignitas. Nihil ſunt quam arida in manu Moſis virga. *Non ſumus idonei*, inquit vas electionis, Doctor nationum, *per nos ipſos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipſis; ſed quod idonei ſumus ex Deo eſt, qui etiam fecit, ut idonei eſſemus miniſtri Novi Teſtamenti.* 2 *Cor.* 3: 5, 6. *Quis enim Paulus? quis Apollo? niſi miniſtri per quos credidiſtis. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus dedit incrementum. Itaque nec is qui plantat, eſt aliquid, nec is qui rigat, ſed, qui dat incrementum, Deus.* 1 *Cor.* 3: 5, 6, 7. Omnes natura ſumus inhabiles ad gratiam & munus divinum, virtute ſpirituali carentes, natura filii iræ; ſed ſi digniores reddimur aliis, a quo illa dignitas niſi a Deo?

Deo? Omnes ſumus ſilveſtres arbores in horto Dei, qui ſi ramum gratiæ indiderit, ſua electione ſublime quid addit. Cujuſque nomen ſuæ additum eſt virgæ; non hic ullum diſcrimen, neque literarum, neque ligni. Literæ Aaronis, neque elegantiores, neque virga nobilior; ſola Dei electio hanc parit differentiam. *Joſeph. Hall. Viſ. Bibl. part.* 1. *p.* 48. 2. Repræſentatur Miniſterii dignitas. Aaronis virga indicium & inſigne fuit dignitatis & authoritatis, quam gratis & abſque merito ei Deus tribuerat. Nec aliter, qui Eccleſiæ miniſtrant dignitatem ſuam obtinuerunt. Organa ſunt divinæ gratiæ. *Vaſa ſunt aura & argentea, ad decus in magna Dei domo, non a ſeipſis, ſed a Domino parata.* 2 *Tim.* 2: 20. *Dei gratia*, inquit Apoſtolus, *ſum quod ſum, & gratia ejus, qua in me collata eſt, non fuit inanis: ſed amplius quam illi omnes laboravi.* 1 *Cor.* 15: 10. Quo enim plus operis ſervo imponit, eo plus gratiæ tribuit Deus, cujus inter virgas numerari non minimus honos, ex virgis eligi major, inter virgas florere maxima eſt gratia. Ingens hoc incitamentum fidelitatis & curæ verbi depoſitum cuſtodiendi, & vocationem ſuam vitæ ſanctitate & innocentia ornandi. 3. Depingit Aaronis virga evangelici miniſterii utilitates. Non ſufficit dignitate florentem alios anteire; niſi fructum feras a maledictione tutum te non præſtiteris. Feret autem, qui conceſſa divinitus dona cum fœnore quodam augere ſategerit, feret qui infirmos confirmaverit in fide, qui ſolatio eriget afflictos, qui errantes in viam reduxerit, qui viſitaverit ægros, abſolverit pœnitentes, informaverit ignaros, & moribundos in ſpem futuræ vitæ erexerit; is, denique, qui prodeſſe fidelibus exemplo etiam ſtudioſe curaverit, quem intuentes imitari queant verbis, moribus, charitate, ſpiritu, fide, caſtitate. 1 *Tim.* 4: 12.

V. VIRGA AARONIS SYMBOLUM RENOVATIONIS.

QUI in Chriſtum credit, primum moritur, deinde renaſcitur. Primum germen eſt prima in Chriſto confeſſio: ſecundo prius frondeſcit, ubi renatus donum gratiæ & ſpiritus ſanctificationem recipit: deinde profert flores, ubi proficit, & ſuavitate morum decoratus, & fragantiam miſericordiæ & benignitatis effundit: tandem affert fructus juſtitiæ quibus non ſolum ipſe vivat, ſed viam aliis præbeat, proferendo ex ſe verba fidei & ſcientiæ Dei. Ita *Origines Homil.* IX. *in Num.* & ex illo *Auguſtinus Sermone* 69. *de temp.* Egregium vero de hoc opere judicium. Quilibet enim Chriſtianus,

qui natura aridum eſt lignum, Servatori ſuo, ut palmes viti inſeritur. In hoc fructus feret. *Joh.* 15: 4, 5. *Juſtus ut palma germinabit, ut Cedrus in Libano creſcet. Plantati in domo Domini, in atriis Dei noſtri, germina profundent. Adhuc abundabunt in canitie, pingues & virentes erunt. Pſal.* 92: 13, 14, 15.

VI. AMYGDALA CREDENTIUM TYPUS.

QUI arborem plantat Agricola, Deus eſt. *Joh.* 15: 1. Firmata gratiæ divinæ Sole, & aſſiduo Sancti Spiritus imbre educata, properat ad maturitatem, ut, quæ hyeme aquila Oriente concipit, prima omnium floret Amygdala, floret enim, menſe Januario, Martio vero pomum maturat. *Plin. lib.* 16. *cap.* 25. Fructus nucleo conſtat & corticibus, interiore, medio & extimo. Nucleus eſt Dei ſermo, alius dulcis in promiſſionibus, amarus alius in minis. *Apoc.* 10: 10. Cortex interior, qui proxime hæret nucleo, credentis cor ſignificat, quod Dei verbo nixum promiſſiones ejus dulciſſimo amplexu tenet. In hoc corde habitat Chriſti ſerno. *Coloſſ.* 3: 16. & hunc in animo ſuo ſancti recondunt. *Pſal.* 119: 11. Cortex medius duriſſimus, eſt cor credentis firmum & fide corroboratum, *Rom.* 4: 20. 1 *Theſſ.* 3: 13. Extimus cortex maximus, qui reliquos contra aëris injurias tegit, & aſpectu ſuo indicium Amygdali facit, cor eſt credentis, charitatis plenum, quæ proximum fovet, ſinceræ fidei & inhabitantis Dei ſignum. 1 *Joh.* 3: 24. *Per hoc novimus eum habitare in nobis nempe ex ſpiritu* charitatis, *quem dedit nobis*, ſive, ut 1 *Joh.* 4: 13. legitur, *quod de ſpiritu ſuo*, charitatem *dedit nobis. Joh.* 13: 35. *In eo cognoſcent omnes vos meos eſſe diſcipulos, ſi mutuo vos amore proſequimini.* 1 *Cor.* 13: 7, 13. Charitas omnia ſuſtinet. Manet fides, ſpes, charitas, tria hæc; maxima autem charitas.

VII. AMYGDALUS, SYMBOLUM JUDICIA SUA MATURANTIS DEI.

Jerem. 1: 11, 12. DEINDE *fuit verbum Domini ad me dicendo: Quid vides Jeremia? cui dixi: Virgam celeriter florem maturantis Amygdali video. Tum dixit Dominus mihi: bene vides: quia maturo celeriter verbum meum* comminatorium, ut *efficiam illud.*

VIII. FLOS AMYGDALI SENUM CANITIES.

Eccl. 12: 5. ET *floreſcet Amygdalus, & locuſta onuſtam ſe præbebit. Et cineſiet appetitus*, hoc eſt: Ut Amygdalus extrema hyeme, Januario ſcil. menſe, in florem ſe induit; ita ſub vitæ hyemem

mem caneſcunt Senes: & locuſta onuſtam ſe præbebit, hoc eſt, ſenis tenuia crura, & macilenta femora, ſub corpuſculi ſui onere laſſorabunt, ut locuſta, quæ hyberno frigore torpens, *Nachum* 3: 11. cruribus macilentis & rigentibus ſaltare nequit. Expoſitores, qui ינאץ a נאץ *ſpernendo* ducunt, nomini שקד ſignificatum affingunt ſcripturis inuſitatum, quorum ſententiam reliqui jure meritoque repudiant. Omnino enim ינאץ reddendum eſt *florebit:* Stat quippe loco ינצץ, & ſibilans litera repetenda in א mutatur, ut in ימאסו liquefiant, שאסך diripientes te, באשים uvæ tardiores, באזקים in catenis pro, ימסו: שססך : בששים : בזקים : Uſum verbi arguunt derivata nomina: נץ unde נצה flos ejus נצנים flores & ניצוץ ſcintilla, flos ignis.

חגב quod vocabulum *locuſtam* communiter vertunt, fallor, niſi rependit ſenſum Arabici nominis fœminini حجبة *chagabathon*, id eſt, caput coxæ vel coxendicis. Itaque interpretabor: *Oneratam ſe præbet coxa.* Senibus enim coxa eſt infirmiſſima, quæ onere geſtati corporis plurimum laborat. *Cinefiet* תפר cum ellipſi nominis hoc verbum alii accipiunt exponendo: Et franget *fœdus* concupiſcentiæ, vel irritum faciet *animus* iſte appetens, ut *Junius & Tremellius*; vel, Appetitus reſpuit *res oblatas*, ut Tigurina. Violenta mihi hæc ſupplementa videntur, & fœderis quidem concupiſcentiæ in ſcripturis nulla mentio, & reſpuendi verbum a frangendi vel irrita reddendi ſignificatu longius abſcedit. Alii neutraliter ſeu intranſitive ſumunt ותפר itaque vertunt, *diſſolvetur*, *diſſipabitur*, *irrita fiet*, *peribit appetentia* vel libido, ut *Calvinus*, *Piſcator*, *Angli*, *Gejerus*. Impeditur acquieſcentia, ut Coccejus. Sed Hiphilicum verbum, niſi ex nomine traxerit originem, non admittit intranſitivam ſignificationem, ut apparet ex iiſdem verbis quibus ſententiam ſuam firmare ſatagunt, verbi gratia, ex הבאיש *Exod.* 16: 24. ubi rectiſſime vertatur: *Non fœtere fecit Dominus* Manna, *neque vermis in eo fuit.* Et ex הבאישו *Pſal.* 38: 6. ubi commode vertas: *Fœtidum reddiderunt, & contabuerunt tumices mei, propter ſtultitiam meam.* In reliquis certe locis הבאיש tranſitivam habet ſignificationem. Magis igitur ad ſenſum Eccleſiaſtis quadrabit, ſi originem verbi תפר repetamus a nomine אפר, quod cinerem ſignificat, atque in hunc modum vertamus: *Cinefiet*, vel, in cineres abibit *libido*, id eſt, extinguetur libidinis æſtus. תפר enim poſitum loco תאפר eliſo א, & primis vocalibus in Kamets contractis, quemadmodum הכיל ſcribi-

tur pro האכיל consumere, *Ezech.* 21: 28. & אזין pro אאזין *Job.* 32: 11. ac plura hujuſmodi, de quibus *Vid. Inſtitut. noſtras*, *cap. De literar. Eliſione.* *Appetitus* vel vehemens concupiſcentia, אביונה Excuſum eſt ex optandi vel deſiderandi voce, אבי quæ legitur *Jobi* 34: 36. אבי יבחן איוב Utinam probetur Job! Addita terminatione nominis intenſiva יון deſiderium magnum ſive vehementem voluptatis appetitum notat. Hinc Syrus & Vulgatus Græcos interpretes ſequuti, reddunt, *diſſipabitur capparis*, quæ ſcil. ciborum præſtet appetentiam. Quibus tamen contrarii Thalmudis authores, qui Abijonoth & cappares diſtinguunt: על האביונות ועל הקפריסים אומר בורא פרי העץ *Super baccas* (lauri, olivæ, myrti, & ſimilium,) *& ſuper cappares dicit* (Benedictus Deus) *creans fructum arboris. Beracoth fol.* 36: 1.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

DE NUCE ET STORACE.

NUX *Hebræis* Egoz *a detondendo adpellata. Nucetum Sulammitidis oblectatio. Nux myriſtica in terra ſancta non gignitur. Ibbe hannachal quid Cant.* 6: 11. Botnim *avellanæ ſunt*, *non piſtacium*, *non dactyli*, *non terebinthi. Ab avellanis dicta urbium vocabula.* Kidda *ab ardore adpellata*, *incenſum ſonat vel* θυμίαμα. *Non eſt lilium*, *nec coſtum*, *neque etiam*, *quod vulgo volunt*, *caſia*, *ſed ſtorax arbor*; *quia parvas præfert nuces ab Johanne Rajo nuciferis arboribus accenſetur. Storax veterum vel ſiccus vel liquidus. Siccus ei convenit*, *qui* Kidda *vocatur. Tanquam Tymiamate eo utebantur. Storacis nomen in Syria natum*, *ut & ipſe ſtorax. Colligebatur etiam in Ægypto*, *in Pamphilia*, *Piſidia*, *Arabia*, *India. Docetur quis Dan & Javan circulator in nundinis Tyriis. Ezech.* 27: 19.

I. NUX HEBRÆIS DICTA.

אגוז Nux Hebræis dicitur pro גאוז litera ſibilante ante ſeipſum in *aleph* mutata, cujus mutationis exempla vide ad locum proxime præcedentem. Radix nominis eſt גזז detendit, decorticavit, nux enim, cujus nucleum eſſe cupias, decorticanda. Nucibus honor naturæ peculiaris, triplici protectis operimento, pulvinari primum calycis

lycis, mox lignei, deinceps tenerrimi putaminis. A cognato themate Arabes & Perſæ nucis vocabulum derivantes, nominant جوزن *Gauzon* vel *Gauz*. Nuces autem, ut ſcribit *Auſonius* Popma dicuntur omnia, quæ foris corio duriore teguntur, & intus habent, quod eſt eſui, ut avellanæ, juglandes, caſtaneæ, quæ Διὸς βάλανοι, & amygdala. Græci totidem genera numerarunt, τὸ κάρυον, τὸ λεπτοκάρυον, τὸ ἀμύγδαλον, καὶ τὸ κάςανον. *Apicius* & pineam nucem addit: *De nucleis hoc: nuces majores, nucleos pineos, amygdala, avellana*; excluſis caſtaneis, quas ſine dubio, cum aliis authoribus pro glandibus habuit. Nuciferæ quoque ſunt Terebinthus & Piſtacia arbor, pineis nucibus conſimilem fructum edens. Uberrimum gignendis nucibus ſolum Genneſariticæ regionis fuiſſe tradit Joſephus *lib*. 3. *Bel. Jud. cap*. 35. *pag*. 861. Cœli temperies, inquit, etiam diverſis aptiſſima eſt. Nuces enim, quæ arborum maxime frigoribus gaudent, infinitæ floreſcunt: ubi etiam palmæ, quas nutrit calor æſtivus; has juxta ficus & oleæ, quibus anima mollior deſtinata eſt: ut naturæ magnificentiam eſſe quis dixerit, vim adhibentis, ut in unum conveniant, inter ſe repugnantia, annique temporum contentionem bonam, veluti ſingula peculiari ſtudio terræ faverent.

II. Nucetum Sulamitidis oblectatio.

Cant. 6: 11, 12, 13. Descendi *in hortum nucum, ad inſpiciendum an germinaret vitis, floreſcerent mali punica. Neſciebam iſta: Anima mea impoſuit me curribus Haminadabi. Revertere! revertere! o Sullamithis, ut ſpectemus te. Deſcendi*, voluptatis & oblectamenti gratia. *In hortum nucum*, juglandium ſcilicet, avellanarum & amygdalarum, quæ ſtirpes indigenæ erant Judææ. Qui his myriſticam nucem annumerarunt meminiſſe debuerant, eam nec in Judæa nec in Syria proveniſſe, ſed in Orientali India. Ad Indos autem eam petiviſſe Judæos, quis probaverit? *Ad inſpiciendum virores vallis &c.* ut oculos paſcerem undique pubeſcentium herbarum virore, & mali punici amœniſſimo flore: & recrearer florentis odore vitis flagrantiſſimo. אבי הנחל non ſonare *fructus maturos* vallis, ut *Coccejus* voluit, ſed *virores* aut *viridantes in valle ſtirpes*, ex eo liquet, quod Sulamitidos deſcenſus factus eſt tempore, quo ver aperire ſe cœpit, quo vitis germinat & florem edit Malus punica, &

--- Circum colles campoſque per omnes
Florida fulſerunt viridanti prata colore.

Neſ-

Neſciebam: an ſcilicet floreret vitis aut Malus punica: *Anima* mea, id eſt, vehemens ea ſciendi deſiderium, *impoſuit me curribus*, id eſt uni curruum, *Hammi-nadabi*, ut præcipiti feſtinatione tanquam celeri vecta curru deſcenderem. Ab hac voluptate revocant Sullamitidem Sponſus & Hieruſolymitanæ virgines, animæ Sponſo addictæ, *Revertere! Revertere o Sullamithis.* Iteratur verbum præ acerrimo eam videndi ſtudio. Senſus dicti myſticus: Veni, ut perſpicerem ſingulorum fidelium varios in cognitione Dei bonorumque operum exercitio progreſſus. *Nuces* ſunt fructus fidei latentes. *Virores vallis*, fructus manifeſti: Vitis germinans, fructuum ſpes remotior: flores mali Punicæ fructuum ſpes provecta vel propior.

III. בטנים BOTNIM, AVELLANÆ. *Gen.* 43: 11.

IN vertendo nomine *Botnim*, mire variant Interpretes. Vatablus & Tigurina juglandes, alii nuces pineas, LXX. & Hieronymus terebinthum, Junius, Tremellius, Belgæ & Salmaſius nuces reddunt terebinthinas. Sunt apud Rabbinos Kimchium & Salomonem, qui piſtacium explicant, nec aliter viſum Moſi Majemonidi in Thalmudico tractu Sebiith; quos ſequitur Clariſſimus *Bochartus Geograph. ſacræ lib.* 1. *c.* 10. Aben-Ezræ aliiſque plurimis avellanæ placuerunt, Lutherus & Genevenſes exponunt Dactylos, Jekuthiel in verſione Bibliorum germanica Pferſichkern, id eſt, perſici mali nucleos. Omnes, ut apparet, *Botnim* pro nucum aliquo genere accipiunt. Præ cæteris autem bene conjectaſſe ſibi videntur Salmaſius & Bochartus. Illius argumenta in ſynonymis Hyles Iatrica his verbis proponuntur: *Botnim* ſunt terebinthi, *Gen.* 43: 11. ut recte habet Vulgaris Verſio, quæ terebinthos dixit pro fructu terebinthi. Alii piſtacia, alii avellanas. Nihil video, cur non melior exiſtimari poſſit Hieronymi ſententia, quam & Arabica vox inde derivata adſtruit, idem ſignificans, & natura ipſius rei, etymique ratio. Junguntur ibidem *botnim* cum amygdalis. Certum eſt terebinthi grana æque olim ad eſum uſitata fuiſſe Orientalibus hodieque eſſe, ut pineos nucleos & amygdala, aut piſtacia. *Dioſcorides* de terebintho: καρπὸς δὲ ἐςιν ἐδώδιμος. Præterea etymo vocis hæc ſignificatio confirmatur. Sic enim appellantur Hebraice a בטן id eſt, ventre; Arabice quoque بطن *beten* eſt venter vel uterus. Terebinthi grana ea plane forma ſunt in rotunditate quadantenus concava ad ventriculi effigiem. Hinc Batnin grana terebinthina, quæ ventriculos dicas vel utriculos. Folliculos etiam habet terebinthi arbor, ramis

mis & foliis adhærentes, ex quibus exeunt alata animalia. Fortaſſe & a concavitate illa ventricoſa folliculorum nomen arbori inditum penes Hebræos & Arabes. De grano tamen magis placet, quandoquidem traditur eſſe forma, ut ventrem exiguum repræſentet, præcipue quod minuſculum habetur. Duo quippe genera faciunt Arabes terebinthi, ac dividunt in majus & minus. *Bochartus*, ut probet *Botnim* eſſe Piſtacia rationes attulit ſequentes. 1. Jacobi filii in Ægyptum ferebant *fructus laudatiſſimos*. Piſtacia autem in nucibus facile primas obtinent, nihil jecori aut ſtomacho amicius. Valent contra venena & ſerpentum ictus. Sapore amygdalis præfert *Theophraſtus*. Perſis regiæ nuces dicuntur, hoc eſt, βιςάκια, (quomodo ſcribunt *Poſidonius*, *Athenæus* & *Suidas*. Βίςαξ enim Perſis Rex, inquit, *Heſychius*. 2. Piſtacium fructus eſt Judææ & Syriæ peculiaris, teſtibus *Athenaſ. lib.* 14. *Dioſcoride lib.* 1. *Plinio lib.* 13. *cap.* 5. *Galeno lib* 8. *ſimplic.* Ideo a piſtaciis dicta eſt urbs בטנים in tribu Gad, *Joſu.* 13: 26. & בטן in Aſer, *Joſ.* 19: 25. & Batnæ, urbs prope Berrhæam. 3. Conſentit origo vocis a בטן ventre. Piſtacia ſunt figuræ oblongæ, ventre protuberantes, inquit, *Dalechampius Hiſt. plant.* 3: 27. 4. Recte junguntur בטנים piſtacia, & שקדים amygdala; ſunt enim hi fructus congeneres. Specioſa utique argumenta doctiſſimi viri attulerunt, ſed quæ penitius ea conſiderantibus non ſatisfaciunt. Nec enim ideo, quod ἐδώδιμος ſive eſculentus apud veteres fructus terebinthi; aut quod in rotunditate ſua cavum quoddam præbuit, ſtatim efficitur terebinthi fructum fuiſſe *Botnim.* Quotusquiſque enim fructus in nucum genere non eſculentus eſt, & cavum ſeu umbilicus ſpectatur in omni pomorum genere. Nec ſoni affinitas, qui auditur in *terebinthi* & *botnim* vocabulis tam arcta, ut eandem ſtirpem credere nos cogat. Præterea ט nunquam in Θ, a Græcis verſum, & vel ob hoc affirmari nequit Βύνθος, alteram vocis Τερέβινθος partem reſpondere nomini בטנים vel בטנה ſingulari. Accedit & hoc, quod nullum fere aut exiguum uſum Ægyptio Præſidi præſtare poterant terebinthinæ nuces. Granum quippe earum minuſculum & exile, magnitudine lentis, licet ἐδώδιμον, concoqui tamen nequit, & Dioſcoridem ſi audimus, eſui non admodum aptum ſtomacho adverſatur. Nulla etiam ex fructu Terebinthi reſina exprimi poteſt. Omnis enim reſina ejus ex caudice & ramis vulneratis manat. Videatur *Matthiolus pag.* 108. *ad Dioſc. lib.* 1. *cap.* 77. Neque etiam

Bochartus conjecturam ſuam roborat, quando Piſtacia, ſtirpem, quæ peculiaris fuit Syriæ, Judææ arborem fecit, quod nec *Poſidonius* apud *Athenæum*, nec ipſe *Athenæus*, nec *Dioſcorides*, nec denique *Theophraſtus* aſſeruit, quorum tamen teſtimonio utitur vir doctus. Omnes enim iſti, vel Arabiæ, vel Perſiæ, vel Syriæ piſtacia, Judææ nullus tribuit. Imo nec in Syria paſſim provenire auctor eſt *Golius* in eruditiſſimis *ad Alferganum notis pag.* 272. *&* 273. *ubi*, *Halebo*, inquit. propria pene ſunt Piſtacia, alibi rariſſima. Notandum vero, quæ prope Halebum urbem naſcuntur hortenſia eſſe, & مسقية *educata rigando*: alia eſſe montana, & عذية hoc eſt, per ſe nata, pluviæ ſolius ope, qualia mons Kinneſrine vicinus fert, سمعان *Semhaan* dictus, pars Amani, alteris illis minora, minusque ſucculenta. Non ignoro Syriæ nomine, quandoque Judæam etiam veteres comprehendere, ſed hoc ſenſu in laudatis autoribus non intelligi Syriam ex *Plinio* diſcimus, qui poſt recenſitas Judææ ſtirpes tranſit ad hiſtoriam Syriacarum arborum, in quibus primo memorat loco piſtaciam. Syria, inquit, initio *lib.* 13. *cap.* 5. præter hanc, (*palmam ſcilicet*) peculiares habet arbores. In nucum genere piſtacia nota. *Idem lib.* 15. *cap.* 22. Lucius, inquit Vitellius, e Syria in Italiam primus intulit piſtacia, cum legatus in ea provincia fuiſſet, noviſſimis Tiberii Cæſaris temporibus. Quod ſi igitur nemo Scriptorum piſtaciæ arborem in Judæa ponit, urbes illæ, quas *Beten* & *Betonim* vocatas ait, a piſtaciorum frequentia nomen adeptæ non ſunt. Sed nec ideo piſtacia credimus fuiſſe *Botnim*, quia filios Patriarcha juſſit muneri in Ægyptum ferre fructus laudatiſſimos. Tales enim piſtacia fuiſſe non ſufficit probare, quod jecori ſunt amica, & quod valent contra venena & ſerpentium ictus. Hac enim virtute & efficacia ignobiles quoque herbas gaudere novimus. Atque βιςάκια, inquit, ob præſtantiam Perſis regiæ nuces dicuntur, βίςαξ enim, apud Heſychium Regem ſonat. Sed in hoc fugit ratio doctiſſimum virum; Regiam quippe nucem, ſive βασιλικὸν κάρυον juglandem Græci vocarunt. Dioſcorides: κάρυα βασιλικὰ, ἃ ἔνιοι περσικὰ καλοῦσι. Nominis rationem indicat *Plinius* de nuce juglande: Et has e Perſide regibus translatas, indicio ſunt Græca nomina: optimum quippe genus earum Perſicum atque Baſilicon

vo-

vocant, & hæc fuere prima nomina: Præterea non eſt quod exiſtimemus, Syros indigenam plantam perſico adpellaſſe vocabulo. Certe ad Syriacam originem facile piſtacii vocem reduxeris, פשט enim Syris & Chaldæis eſt detrahere cutem vel excoriare, unde פשטן cum he ſervili elemento, quod ipſi דן pronomini ex דא & ן nato, aliiſque vocibus Syris hærere, alibi docuimus, ſignificat fructum excoriandum, ſive corticibus & cuticula interiore denudandum. Quod autem vocis etymo opinionem ſuam confirmaturus, a ventre dicta *Botnim* contendit, hac quidem appellatione piſtacia a reliquis nucum generibus non diſcriminat, quorum multa in majorem creſcunt ventrem potiore jure ventricoſorum nomen ſibi vendicatura. Nos igitur exiſtimamus בטנים rectiſſime verti in *avellanas*, non illas, quæ paſſim in ſilvis & villarum ſepibus viſuntur, & a quibus pagis plurimis impoſita nomina, ſed quæ ſunt in avellanarum genere optimæ, quales hodie vel ex Italia afferuntur craſſæ & magnæ, ac fere cordis figuram habentes, vel quales olim in Græciam e Ponto illatas Ponticas nuces vocarunt. Has inquit *Secundus* mollis protegit barba, ſed putamini nucleiſque ſolida rotunditas ineſt. Eæ & torrentur, & umbilico, qui illis intus in ventre medio, probant nomen quod Hebræi a ventris forma indidere, בטנים id eſt, ventricoſas, vel quæ ventrem faciant, adpellantes. Ab his igitur non a piſtaciis, urbium dicta vocabula בטן & בטונים quarum altera in Aſeris partibus ad occidentem, altera ad orientem Cananitidos in Tribu Gad. Et vero vocum בטן, בטוני & כטן a quo deflexum eſt בטנים unam eandem fuiſſe ſignificationem, ex eo liquet, quod & alibi ejuſmodi formæ ſunt æquivalentes, verbi gratia גדל & גודל magnitudo, סבך & סבך perplexitas, באוש & באש fœtor. Sic eandem vim habent, מתק & מתק dulcedo, ארב & ארב inſidiæ, גשם & גשם pluvia. Nec tandem abſque autoritate & ſuffragio doctorum ponticas nuces vel avellanas בטנים exponimus. Idem quippe ſentiunt præter *Aben-Ezram*, *Rabbi Nathan*, *David de Pomis*, *Mercerus*, *Munſterus*, *Pagninus*, & *Arias Montanus*. Si quis autem reputat vilius fuiſſe munus, quam ut Ægyptio Præſidi avellana nux mitteretur, is cogitet temporum illorum ſimplicitatem, & ſcopum, quem Patriarcha ſibi propoſuit, ut pro ſuarum facultatum conditione, & terræ, in qua habitabat proventu, ea mitteret dona, quibus Præfectum Ægyptiorum, filiis ſuis redderet placatiorem.

IV. קדה STORAX.

NON poteſt nomen קדה ſalva Hebrææ Grammaticæ analogia, ex alio nomine derivari quam ex יקדה id eſt, incenſum, formæ כלמה & קהלה a themate יקד id eſt, incendit, arſit, quod Arabibus effertur وقد *wakada*, arſit, accenſus fuit. Joth radicale ab יקדה ſcheva mobili afficiendum, ut fieri amat, a Joth inchoatis, ablatum eſt. Sic pro ישיבה uſurpatum שיבה ſeſſio, 2 *Sam.* 19: 33. שישה candor, qualis eſt marmoris in תרשישה, quo nomine dictus Javanis filius, 1 *Par.* 1: 7. pro integro ישישה id eſt, candida, vel candidæ filius. Sic ציבה Saulis ſervus diminuta a voce dicitur pro יציבה hoc eſt, *ſtatio.* Si ex Arabico ſermone nominis repetenda eſt origo, derivabitur a قند *Kindon*, id eſt, mel, in Hebraica voce קנדה Nun ſcheva afficiendum exteritur relicto nomine קדה mel, molliti ſtyracis liquor, melleus. *Dioſcorides lib.* 1. *cap.* 68. de ſtyrace: Præfertur pinguis, flavus, reſinoſus, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit, qualis a Gabalitis, Piſidia & Cicilia devehitur. Itaque & melle & iridis ſedimento adulteratur. Idem de eo *Plinius*, Adulteratur Cedri reſina vel gummi, alias melle, aut amygdalis amaris *Hiſt. Nat. lib.* 13. *cap.* 25. Sonat igitur Hebræis *Kidda incenſum* vel θυμίαμα. Unde exiſtimari poteſt, *Kidda* non eſſe lilium, ut volunt LXX. neque coſtum, ut Saadias in verſione Arabica, cui etiam Jonathan Chaldæus interpres adverſatur, qui כשת coſtum ait Hebræis appellari שחלת *Exod.* 30: 24. & lilium quidem unguentis addita legimus apud *Theophraſtum, lib.* 9. *cap.* 7. *Hiſt. Plantarum:* Suffimentis mixta nemo tradidit. Majemonidem, qui & ipſe *Kidda* coſtum eſſe credidit contribulis refutat author Ceſeph Miſchne in Notis. Qui hodie coſtus in officinis vænit, lignum eſt, quod Matthiolus, & herbariæ rei longe peritiſſimus *Caſpar Bauhinus* veterem dicere coſtum verentur, qui Theophraſto de odoribus teſte, radix fuit. Sed nec caſiam eſſe affirmaverim, tum ea de cauſa, quod caſiam קציעה vocarunt Hebræi, parciſſimi in tradendis aromatum ſynonymis; tum quod ſi caſia, quæ liquari non potuit, adjecta fuit unguento ſacro, *Exod.* 30: 24. difficilius explicabitur, quomodo cum libris duodecim olei poſſit ex ſpecierum libris ſexaginta duobus ſemis unguentum uſibus a Deo deſtinatis congruum parari. Probabiliter ergo, mea quidem ſententia, quod Hebræi *Kidda*, nos

Storacem dixerimus. Colligitur ex arbore, quæ Malo cotoneæ ſimilis, & quia parvas & rotundas nuces profert, nuciferis arboribus a *Joh. Rajo* accenſetur. Fuerunt etiam, quia nucum putamina in Styrace reperiuntur, a nucibus eum provenire exiſtimarunt, ut *Pometus* notat, in *Hiſtoire des Drogues pag.* 249. Storax autem veterum vel ſiccus vel liquidus fuit. Sicco congruit Hebraici nominis etymon, *Kidda* enim, ut ſupra oſtendimus, eſt incenſum vel *θυμίαμα.* Utebantur hoc thymiamate veteres in ceremoniis Deorum. Arabes autem & Sabæi, acri ejus odore, ad odorum ſuorum thuris & myrrhæ faſtidia abigenda *Plin. Hiſt. Nat. lib.* 12. *cap.* 17. Eo incenſo, quod ſummopere indigerent Syri, primum ab indigentia vel neceſſitate uſus, אצטרך, Arabes autem اصطرك *Aſtarac*, vocarunt, quod nomen poſtea etiam in ſtoracem liquidum tranſivit. Ex Aſtorac terminatione σ, ob flexum vocis addita, Στύραξ vel Στόραξ excuderunt Græci, א in ſcriptione ſua neglecto, quia, quæ voces gemina conſonante Στ, incipiunt, a Syris & Hebræis cum præfixo א pronunciantur, verbi gratia: אסטדיון στάδιον, אסטוא στοὰ, אסטומכא ſtomachus, אסטלא ſtola, אסכולא χολή. Arabibus Græcorum ſtyrax *Segiar Marjem*, ſiccus vero *Bacchur Marjam* vocatur. *Alpagus in Lexico:* Et Segjar Marjem dicitur de arbore, cujus folia ſimilantur foliis arboris Codoniorum, & ex ea colliguntur *grana algul*, in Ægypto; & in Græcia colligitur ſtorax ſicca gummoſa, aromatica & odorifera, quæ ab Avicenna dicitur *Aſtarac*, & apud Vulgares Arabes *bacchur Marjem*, hoc eſt, ſuffimigium Mariæ. *Ezech.* 27. jungitur ſtorax *ferro* & calamo odorato, mercibus ſcil. quæ multis regionibus erant communes. Styracis enim thymiama ex arbore ſua colligebatur in Pamphilia, Piſidia, Side, Cypro, Cilicia, Creta, & Syria. *Calamus odoratus* tota India ſeritur, & in hortis etiam ſativus provenit. Unde Ἐρυθραίου κήπου δονακότρεφες ἔρνος eum Nonnus indigetat, in hortis Erythræis, id eſt, Indicis, de quo *Salmaſ. Exerc. Plin. pag.* 742. Naſcitur idem in Syria, quem Theophraſtus odoratiſſimum eſſe vult, & Plinius in Arabia naſcentem communem Indis & Syriæ eſſe dicit. Calamus, ut idem *Theophraſtus* auctor *lib.* 9. *cap.* 17. *de Hiſt. Plant.* trans Libanum montem, inter ipſum Libanum & alium quendam montem parvum, valle minima exit, (non, ut quidam dixere, in Libanum & Antilibanum) inter quos campus ampliſſimus & pulcherrimus eſt, quem Aulonem appellant. *Ferrum* denique paſ-

ſim effoditur, paſſim politur. Ferro abundabant Parthi & Seres. Ferri gloria nobilitata fuit Bilbilis & Turiaſſo in Hiſpania, Ferrum Chalybes in Sicilia Cyclopes, in Creta, ut notat *Heſiodus*, ii, qui vocati ſunt Dactyli Idæi cudebant. In Norico vena bonitatem ferri præſtat, Salmone aqua. In ſacris literis celebratur ferrum Aſeritidis, & ad benedictionem Aſeris copia ejus refertur: *Ferrum ſub calceo tuo. Deut.* 33: 25. Jam odorato calamo junctus ſtorax καλαμίτης intelligitur, nulla ſcobe ſordeſcens, puriſſimus, & rarior pretioſiorque habitus; calamites dictus, quod adhæreſceret concretus circa caudicem arboris egeſta ſcobe cavatum, & in ſpeciem arundinis redactum opera vermium, ut notavit *Salmaſius Hyl. Iatr. cap.* 97. Secundum ea quæ hactenus diſputata *Ezech.* 27: 19. verba ſic verterimus: *Et Dan ac Javan circulator in nundinis tuis negotiabatur: Ferrum nitidum, ſtorax & calamus odoratus, erat in commercio tuo.* Non debuerant interpretes *negotiandi* verbum conſtruere cum ſequentibus; *negotiabatur ferro nitido, caſia & calamo odorato.* Accentus enim regius diſtinctivus prohibet hanc ſtructuram. Ex illegitima diſtinctione prophetæ ſenſus mutatus fuit, atque expoſitores coacti ferrum caſiamque & odoratum calamum quærere in regionibus, quæ Danis aut Javanis nomen ferrent. Igitur *Bochartus* caſiam & calamum repetit ab Javan, oppido Jeman, id eſt, intimæ Arabiæ, & ex Uzal, Metropoli Terræ Jeman. Uzal autem metropolin facit unius Salmanticenſis dubia authoritate, quam firmat vocis textualis מאוזל corruptione, ſubſtituendo מאוזל, ſimplicem ſcilicet, in compoſitæ,& nomen in participii locum. Porro caſiam in Arabicarum mercium cenſum perperam refert. Ea enim extra Arabiam, vel ut *Dioſcorides*, juxta odoriferam Arabiam gignitur. Hinc illa *Plinii.* Non ſunt Arabum cinnamomum aut caſia, & tamen felix appellatur Arabia, falſa & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum Superis ferat, cum plus ex eo inferis debeat. *Hiſt. Nat. lib.* 12. *cap. Grotius* Danum & Javanum ſe reperiſſe putat in Taprobane, id eſt, in Zeilana Inſula, in qua fuere urbes Dana & Joganna & Modutu. Sed Javan & Joganna, multum diſcrepantia vocabula, pro iiſdem haberi nequeunt. Dana quoque ignobilius oppidum, quam ut cum Javane memoretur.

Conquirenda igitur erat explicatio, quæ non imponeret neceſſitatem in terrarum orbe veſtigandi Danum aut Javanem, qui ferrum, caſiam, aut calamum, Tyriis advexerint. Talis autem ea eſt, quam ſupra attulimus,

limus, quæ ſimpliciter Danem & Javanem circulatores ad nundinas Tyrias ad fuiſſe, atque in iis aliis quoque gentibus communes merces venales expoſitas fuiſſe, nec ferri, aut Kidæ ſeu ſtoracis, aut calami odorati, natale ſolum memorat. Cæterum ſi & nobis de Dane & Javane conjectare licet, Javan circumforaneus in hoc vaticinio Dani junctus, Græculum innuit circulatorem, ex Attica vel circumjectis Atticæ locis advenam. Alius ab Javane, quem propheta commate decimo tertio cum Thubal & Meſchec, id eſt, cum Tibarenis & Moſchis ſeu Moſynoecis recenſuit, in Tyriorum nundinis negotiantem animabus, id eſt, ſervis e Cappadocia collectis, vaſisque æneis, Jonia, ſcilicet, ac Doride aliiſque Græcorum in Aſia coloniis oriundum. Dan vero, quantum auguror, ex Danao natos Argos vel Archivos inſinuat, qui Peloponneſum & Laconicam habitarunt, nam & hæc Straboni Argea adpellata. Danaus & Javan ſunt Græcorum conditores, quos conſtat lucri gratia ultimas terras peragraſſe, ſecundum illud Poëtæ:

Græculus eſuriens in cœlum juſſeris ibit.

Nomen vero Danai ex Syriaco expreſſum videri poteſt, ad formam patronymici יהודאה id eſt Judæus, quod ex יהוד deflexum eſt.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Myrto et Myrrha.

Myrti *genera: proceritas. A myrto nigra Eſtheræ nomen. Myrtus in deſerto. Myrtus in Ruſci locum data. Myrti & Chriſtianorum comparatio.* Myrrha. *Benſoinum officinarum an Dioſcoridis myrrha Troglodytica. Myrrhæ veterum deſcriptio. Legitima hodie, ſed rariſſima. Myrrhæ ſecundum veteres quatuor genera. Ejus lacryma decerpta charitatis & beneficentiæ fructum deſignat. Suffumigata dicitur, ad vitæ ſanctimoniam comparata. Theca myrrhæ, beneficiorum Chriſti, redemtoris memoria. Veſtes myrrham olentes, carnis Chriſti majeſtatem denotant. Myrrhæ odor ſapientiæ ſuavitatem. Myrrha libera, id eſt proba. Myrrhæ oleo unctæ in Regum thalamos ducendæ virgines. Myrrha tranſiens, id eſt, genuina. Myrrha in labiis ſponſi Verbi Divini ſolatia. Ejus liquor per thalamos ſparſus. Mons myrrhæ. Myrrhatum vinum Servatori noſtro oblatum.* Χολὴ *apud Marcum amaritiem ſignificat. Matthæus cum Marco conciliatus.*

tus. Myrrhæ potus Domino commiſerationis affectu propinatus non eſt; nec ut ſtuporem induceret; nec ut vires ad tolerandum ſupplicium crucis firmaret. Myrrhæ & Aloës centum libræ ad pollingendum Chriſti corpus allatæ.

[I] MYRTUS.

I. MYRTI GENERA, ET PROCERITAS.

MYRTORUM duo produntur genera: ſativum quod in candidum & nigrum dividitur, & ſilveſtre. Sativæ in arbores facile adoleſcunt, at ſilveſtris magis frutificat, foliis perpetuo virentibus punicæ æmulis. Inter Schirazium & Behebonum, Perſiæ oppida, ſtupendæ proceritatis & amplitudinis myrtos vidiſſe ſe memorat in *Gazophylacio Perſico Angelus a S. Joſeph*, eique ruri, qua patet, ea de cauſſa obtigiſſe nomen Mourdeſtan, id eſt, Myrtetum. Flores omnibus inſident candidi, numeroſi, eximie odorati, ideoque aqua ex iis confecta odoris ſuavitate unguentariis expetitur. Sativarum utrumque genus baccas fert oblongas, nigraſque & ſubalbidas, agreſtes oleas quadantenus referentes, multo ſane ſilveſtribus majores, parvis numeroſiſque nucleis. *Matthiolus ad Dioſc. lib. 1. cap.* 128.

II. ESTHERÆ NOMEN A MYRTO NIGRA.

A Myrto nigra, ſeu pulla, qua magis veteres gaudebant Eſtheræ nomen apud Perſas impoſitum. *Eſth.* 2: 7. Nam اس *as*, myrtum, & تبره *there* vel *ther*, nigram vocitant, unde in unam conjunctis vocibus استبر *Eſther*, ſignificat, Myrtum nigram. Hebraice הדס dicitur myrtus. *Nechem.* 8: 15. a quo ejuſdem notionis fœmininum הדסה, (id Græcis eſt Myrto, Myrſine,) alterum Eſtheræ nomen. *Eſth.* 2: 7. *Mordecai, filius Jairis Binjaminitæ nutriebat Hadaſſam: Ea eſt Eſther, filia patrui ejus.* Quare autem vocatur nomen ejus Myrtus? Reſpondet Thargum: Eo, quod eſſet juſta: Juſti autem, qui aſſimilantur myrto, vocarunt eam Eſtheram. *Eſth.* 2: 7. Eſtheræ nomen vocatum fuit Hadaſſa, nomine myrti: nam ſicut myrtus non areſcit æſtate vel hyeme, ſic juſtis

juſtis eſt pars in ſeculo hoc & in ſeculo futuro. In ſecundo Thargum Eſther, aliud reſponſum redditur: *Ut ſuavis eſt illius arboris odor in hoc mundo, ſic etiam Eſther fecit bona opera in hoc mundo.* Enimvero Myrtus dici meruit Eſther, quia ſanctiſſima Virgo inter ſeculi ſui illecebras hoſtiumque inſultus & inſidias, tanquam inter urticas illæſa & intemerata ſtetit, & propter egregiam corporis formam, omnibus prælata, ſummo Principi placuit. Nec inſolitum fœminas ab arboribus nomen trahere. Sic Thamar, Judæ Patriarchæ nurus, & Davidis filia, Abſalomi ſoror, & Tomyris, Schytharum Regina à תמר vel תמר hoc eſt, ardua viridique palma nomina acceperunt. Ex eodem argumento dicuntur & iſta Perſicarum mulierum vocabula: Statira, Darii, ſoror & conjux; item Idarnis filia Ameſtris, Darii, fratris filia, ex fratre neptis, Cratero in matrimonium data; Artozoſtris, id eſt, maxima Eſtris, vel maxima myrtus, Darii filia.

III. Myrtus in deserto.

Rerum notat ampliorem ſtatum. *Jeſai.* 42: 19. *Ponam in deſerto cedrum, acaciam, myrtumque & arborem oleoſam.*

IV. Myrtus in Rusci locum data: utilium atque inutilium, noxiorum et salubrium permutatio.

Jeſa. 55. 13. Loco *ruſci aſſurget Myrtus. Vid. Part. I. cap.* 62. *ſect.* 4.

V. Myrti in profundo, Christiani humiles et depressi.

Zach. 1: 8. " Vidi *nocte*, tempore viſionibus commodo & uſitato. *Job.* 33: 15. *quod ecce vir*, Chriſtus ſpecie humana ad tempus aſſumta, qui ℣. 11. dicitur *Angelus Jehovæ*, *inſidebat equo rufo*, ſanguinei coloris, cædes & ultionem hoſtibus Iſraëlitarum minatus, *& ſtabat inter myrtos, quæ erant in profundo, vel in fundo aquarum.* Nimirum ob ſiccitatem demiſſa profundaque & irrigua loca amant myrti. Imago fidelium, qui coram Deo perpetuo virent, ſuaviter florent, fructumque edunt: ſed verſantur in humili loco, nec inter mundanos eminent." Hactenus *Tarnovii* verba. Myrtus non eſt natura ſua μονοφυὴς, ſed fruticoſa & penitus παραβλαςικὴ, multos a radice pullos emittens, & quum maxime ſit fertilis bis ferens. Figura fidelium, qui ſpiritus divini gratia fœcundati non ceſſant emittere ex ſe germina, ſanctitate vi-

tæ & doctrinæ ſalubritate proximum ædificantes. Myrtus denſa eſt, Chriſtiani ſociabiles & charitate mutua inter ſe conjuncti. Myrtum ſolido robore natura cumulavit. Unde *Virgilius Georgic. lib.* 2.

------ *Solido Paphiæ de robore myrtus.*

Hinc haſtilibus electa. *Virgilius* ubi ſupra :

Viminibus ſalices, fœcundæ, frondibus ulmi,
At myrtus validis haſtilibus.

Et *Æneidos lib.* 3., ubi tela, quibus Polydorus confixus eſt, *myrtea* facit. *Didymus* autem *Geoponicorum libr.* 1. tradit myrtum irrigatam ita rectam præcelſamque exire, ut non vaſis tantum textilibus, ſed jaculis haſtiſque apta evadat; & Paſtores etiam e myrto clavis uti ſolitos, indicat iterum *Virgilius*, *Æneid. lib.* 7. ubi parem dat Camillæ, ſed ſpiculo præfixam :

------ *Lyciam ut gerat ipſa pharetram*
Et paſtoralem, præfixa cuſpide, myrtum.

Suos quoque firmitate & robore inſtruxit Dominus. Corroborantur in eo, & robore virium ejus, *Epheſ.* 6: 10. Largiendo ipſis Spiritum roboris, 2 *Tim.* 1: 7. Accingit eos robore ad bellum, docetque manus eorum ad prælium, ut frangant hoſtem adeo, ut non poſſit exſurgere. *Pſal.* 18: 35. 40. Myrtus opacis gaudet locis, fideles umbra Omnipotentis. Efficaces poſtulat myrtus ſoles ad maturandum; fideles ferventem Juſtitiæ ſolem ad fructificandum. Myrti, quod ſicciorem ferat fructum, mitiora volunt frigora : propterea ſi contentius ingruat frigus, urit porro nimis : Fidelium quia imperfecta virtus fere graviores tentationes non proferunt. *Coram frigore ejus quis conſiſtat?* *Pſal.* 147: 17. Myrtum πλείσης διακαρθάσεως δεῖσθαι ferroque compeſcendam ait *Theophraſtus*, facile, ni amputetur, areſcentem. Fideles & verbo Dei & caſtigationibus coercendi, ne cum mundo condemnentur. 1 *Cor.* 11. 32. Myrtum inter & Oleam ajunt eſſe quaſdam leges certas occultæ neceſſitudinis, & *Androtione* authore, tanquam conjugium radicum fieri; fieri namque mutuas amplexationes, & myrteas virgas inter oleæ ramos ſubire, ac tanquam verſari. Olea Chriſtus eſt miſericordiæ & gratiæ author, cui ſoli animæ fidelium benignitate, miſericordia & fide deſponſantur. *Hoſe.* 2: 21, 22. Myrtum *Theophraſtus* inter φυτὰ ἀμφίβια ponit *Hiſt. Plant. lib.* 1. Chriſtianus Mundi inquilinus eſt, Cœli civis. *Pſal.* 39: 13. *Hebr.* 11.

13, 14, 15. Myrtus, ut Hebræorum adagio fertur, ſtans inter urticas, myrtus eſt nomen ejus. *Sanhedrin fol.* 445. Sancti in Chriſto Jeſu irreprehenſi integrique ſunt inculpati Dei filii, in medio pravi perverſique generis hominum, quos intermicant tanquam in mundo luminaria; tanquam Noachus inter antediluvianos, ut Lotus in Sodomis, Abrahamus in Cananæis, Elias in Iſraëlitis, in Judæis Jeremias.

[II] MYRRHA, מור MOR.

I. Bensoinum officinarum an Dioscoridis Myrrha Troglodytica.

Mor Hebraicum nomen ſignificare muſcum Moſis Majemonidis & Arabici Interpretis Saadiæ, ſomnium eſt, ab Aben Ezra refutatum eo, quod de *Mor* dicitur *Cant.* 5: 1. *Decerpſi* מורי *myrrham meam.* Moſchus autem non eſt germen ſeu planta, quæ decerpi queat, humor enim eſt ex beſtia quadam Indica exſudans. Myrrham Arabiæ nobiliſſimum germen indigitari, non ſinit nos ipſius nominis ſonus dubitare. De eo ſolum ambigitur an frutex vel arbor myrrhæ lachrymam exſtillet. Ab hodiernis Botanicis ad arbores bacciferas refertur. Tamen ſunt, qui exiſtimant Benſoinum officinarum eſſe apud *Dioſcoridem* myrrham Troglodyticam; gummi vero, quod Luſitani Anime vocant, multi myrrham Amineam ejus ſtatuunt. Sic & Indicam myrrham a *Plinio* vocatam eam eſſe, qua vera myrrha adulterabatur. *Salmaſius ad Solinum p.* 127. Benzuinum multis veterum Myrrha eſt, quam Aſtrantiam dixere priſci. Liquorem ajunt profluere lentum, ac modice rufum, ſuaviſſimi odoris & myrrham optimam redolentis, linguamque vellicantis acrimonia ſua, nihilo deteriorem ſtacte myrrha; ut Theophraſtus, qui myrrham diſtillare ex Smyrnio ſcribit, & quoſdam ea re putaſſe Smyrnium e myrrhæ ſatu provenire. Quæ omnino myrrha eſt Troglitis recentiorum Græcorum, qui eam πετροσέλινον exponunt, unde & Aſtrantiam non pauci hodie herbam Benzuini vocant.

II. Myrrhæ Veterum descriptio.

An his ſpeciebus characteres & ſigna probatiſſimæ & electæ myrrhæ conveniant, *Theophraſti* & *Dioſcoridis*, non futilium autorum verbis conſtiterit, quæ ſubjiciemus. Gignitur thus & myrrha, inquit *Theophraſtus*, regione Arabum media circa Saba & Adramytta & Citibæna, & Mali; & exeunt thuris myrrhæque arbores aliæ ſuper montem, aliæ in pede montis culturis propriis: quam-

 obrem

obrem aliæ coluntur, aliæ vitam agunt incultæ: Montem iſtum præaltum affirmant & ningi ſolitum, amnes quoque de eo in plana fluere. Myrrhæ arborem thure altitudine minorem, fructicoſioremque narrant; caudice duro contortoque juxta terram craſſiorique ſura hominis, cortice levi, adrachnæ ſimili. Alii vero, qui ſe vidiſſe affirmant, de magnitudine fere conſentiunt: neutram earum arborum magnam referunt, & minorem myrrha humilioremque. Sed thuris folium laurinum, læveque; myrrhæ aculeatum, non læve, ulmeo ſimile; criſpum tamen, extrema ſpina horridulum, ilignei modo. Iidem ea navigatione, qua ex Sinu Heroum, vehementer egreſſi, ſeſe aquam in monte quæſiſſe, dicebant, atque ita vidiſſe has arbores, & lectionem notaſſe hoc modo ambarum: & caudices & ramos inciſos quidem, ſed alios veluti ſecuri percuſſos videri, alios tenuiores inciſuras habere: & lachrymam aliam decidere, aliam arbori inhærere: nonnuſquam etiam ſubjectas tegetes, ex palmis contextas, alibi ſolum tantummodo circumpavimentatum. Alii myrrhæ arborem terebintho ſimilem reddidere, ſed ſcabriorem ſpinoſioremque: folium paulo rotundius, guſtatu proximum terebintho: Parum quoque veteres præſtantiores haberi.... Myrrhæ, alia ſtillatitia, alia, fictitia eſt. Probatur melior guſtu; ejuſque norma concolorem accipiunt. *Dioſcoridis* hæc ſunt: Myrrha lachryma eſt arboris, quæ in Arabia gignitur, Ægyptiæ ſpinæ non diſſimilis; e cujus vulnere defluit lachryma in ſubjectas tegetes, alia circum caudicem concreſcit. Dicitur ex his aliqua pediaſimos præpinguis, qua expreſſa, ſtacte emittitur. Alia Gabirea pinguiſſima, læto & pingui ſolo naſcens: ea copioſam ſudat ſtacten. Omnium prima eſt, quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine a loco, in quo provenit, ſplendens, ſubviridis, ac mordens. Quin etiam legitur tenuis quædam, quæ a Troglodytica ſecunda eſt, bdellii modo mollis, verum odore graviuſcula, apricis naſcens. Alia caucalis cognominatur, præter modum exoleta, nigra & retorrida. Omnium deterrima, quæ ergaſima dicitur, pingui carens, cano ſitu obducta, acris, ad gummi imaginem vergens, & viribus ejus proxima. Improbatur Aminæa cognomine. Eligenda eſt recens, fragilis, levis, undique concolor, quæ confracta venas unguium modo candidas & læves oſtendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calefaciens. Supervacua eſt & inutilis, ponderoſa, coloris picei. Liceat & *Plin. Hiſt. Nat. libr.*

12. *c.* 15, 16. addere deſcriptionem. Arbori altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina, caudice duro & intorto, craſſiore quam thuris, & ab radice ejus quam reliqua ſui parte. Corticem levem ſimilemque unedoni, ſcabrum alii ſpinoſumque dixere. Folium olivæ, verum criſpius & aculeatum. Juba oluſatri. Aliqui ſimilem junipero, ſcabriorem tantum ſpiniſque horridam, folio rotundiore, ſed ſapore juniperi. Nec non fuere, qui e thuris arbore utrumque naſci mentirentur. Inciduntur bis & ipſæ, iisdemque temporibus, ſed a radice uſque ad ramos, qui valent. Sudant autem ſponte prius, quam incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur. Genera complura.... Probatur ſilveſtrium prima, Troglodytica pinguedine, & quod aſpectu rigidior eſt, ſordidaque atque barbara, ſed acrior cæteris.... In plenum autem probatio eſt minutis glebis, nec rotundis in concretu albicantis ſucci & tabeſcentis: utque fracta candidos ungues habeat, guſtu leniter amara. Secunda bonitas intus varia. Peſſima intus nigra; pejor ſi etiam foris.

III. Legitima hodie rarissima.

Hanc δόκιμον & legitimam hodie vendi contendunt *Bauhinus*, *Parkinſonus* & *Pometus in Hiſtoire des Drogues*, ea habetur durum ſiccumque & reſinoſum, *e vulnerata arbore fluens* Gummi, ex flavo fuſcis, ſeu rubicundis fruſtulis, iisdemque cæſiis & albis ſtriis interſtinctis conſtans, præter ſaporem amarum, acrem & aromaticum, odorem habens ſatis vehementem.

Ex Ægypto & Æthiopia per Maſſiliam venit, in ſortes diſtincta, in magnis coriaceis farcinis, quatuor aut quinque centenaria pendentibus; ut in laudata aromatum hiſtoria *Pometus* refert. De ea *Fuchſius* noſter dudum, an ſit quæ a veteribus deſcribitur genuina & legitima, dubitavit. Multis quoque argumentis non inanibus Matthiolus probare ſatagit Myrrham, quæ ex Alexandria Ægypti ad nos affertur admodum ab ea differre, quam inter præſtantiſſimas recenſuit *Dioſcorides*. Juvat doctiſſimum virum prolixius de hoc argumento diſſerentem audire: Univerſa fere, inquit, myrrha, quæ in officinarum uſu habetur, iis omnibus qualitatibus ac notis deſtituitur, quibus optima commendatur. Namque ea, ut videre eſt, minime vireſcit, pinguis non eſt, non odorata, non undique concolor, nec confracta venas unguium figura leves intus oſtendit, nec ſapore acri deprehenditur, tametſi guſtui amaritudinem relinquat. Verum ſi fortaſſe cuipiam videretur & hæc in-

ter myrrhæ ſpecies eſſe, recipienda, quod tamen non ſatis compertum habeo, aut cacalim, aut ergaſimam eſſe crediderim, aut potius quam *Plinius* ex India deferri ait, cum hæ ceteris deteriores habeantur, certoque ſciamus, ex India in Alexandriam myrrham importari. Nam ea, quæ plurima ad nos affertur: non modo ſicca nigraque eſt, ſed etiam retorrida, macilenta, & cano quodam ſitu obducta. Et quanquam inter hujuſmodi globulos aliquod quandoque reperiatur fragmentum, quod & clarum ſit ac pellucens, confractum tamen diverſicolor apparet. Ecquid magis? nec guſtui inſigniter amarum, nec myrrhæ odore præditum ſentitur. Quo fit, ut credere liceat, ejuſmodi myrrham aut e deterioribus eſſe, aut gummi alicujus, aliarumque miſtionum adulterio minime vacare: Hac enim impoſtura, ut *Dioſcorides* inquit, myrrha adulterari ſolet. Sed hæc ita de illa conjicimus, quæ paſſim vulgaris habetur. Cæterum electam myrrham jam ad nos advehi ſcimus, quæ & legitima & probatiſſima eſſe cenſetur. Verum ea hactenus tam rara eſt, ut non niſi ad oſtentationem aſſervetur & ad aliarum dignoſcendarum regulam. *Dioſcor. libr.* I. *cap.* 67. *p.* 87. Sed hanc ſcriptorum diſſidentium litem illis relinquimus decidendam, quibus Arabicarum Æthiopicarumque mercium videndi facta copia.

IV. MYRRHÆ GENERA QUATUOR; EJUS LACHRYMA.

NOS ex hiſtoria, quam antiqui & recentiores nobis tradiderunt, quatuor maxime myrrhæ genera, quæ ad inſtitutum noſtrum pertineant, conſideramus. Unum, quod ſua ſponte ex arbore manat; & Hebræis נטף eodem ſenſu quo Græcis ſtacte dicitur. *Exod.* 30: 34. Alterum, quod ex vulnerata; Tertium, quod ex his exprimitur. Quartum quod ab expreſſis relictum in paſtillos formatur. Theophraſtus hæc in duo genera myrrham diſtinxit τῆς σμύρνης, inquit, ἡ μεν ϛακτὴ, ἡ δὲ πλαϛὴ. Myrrha alia ſtillatitia; alia factitia. Sua ſponte ex junioribus fluens arboribus liquor, ſtacte ut dictum vocatus, nunquam in Europam tranſportatur, ut obſervavit *Schrœderus in Pharmac. Medico-Chym. p.* 196. Quæ ex veteri vel adulta arbore ſauciata provenit myrrha, triplici hodie diſcrimine ſeparatur: Eſt aſpera puraque & gummoſa, quæ *Electa*, eſt & levis, pura & clara ſpecie, quæ *Fina*, eſt denique nigra, ſubcava, ex impuris conſtans cruſtis quæ *Communis & Meſſina*, vocatur, ut *Schurtzius*, docuit,

docuit, *Mater. Muſ. Germanico p.* 39. Quem e ſpontanea vel coacta myrrhæ lacryma, liquorem expreſſerunt veteres, pinguedo fuit pretioſiſſima, quæ per ſe unguentum faciebat, & unguentis optimis addebatur, haud minus ac illa, quæ ex juniore arbore fluit, ſtacte appellata. *Theophraſtus:* Ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. Στακτὴ γὰρ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν, ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων libro de Odoribus. Sic *Dioſcordes* ex myrrha pedaſimo, id eſt, in campeſtribus nata, ſi exprimatur, ſtacten emitti ſcribit, *lib.* 1. *cap.* 60. ejuſdemque *lib. cap.* 62. ſtacten vocari, ait, pinguedinem recentis myrrhæ. Quod a pinguedine ſeu ſucco myrrhæ expreſſo relictum, id & ipſum Myrrhæ nomine veniens *plaſte*, id eſt, fictitia myrrha cognominatum fuit. Ita enim *Theophraſtus Plant. Hiſt. lib.* 9. *cap.* 4. τῆς σμύρνης ἡ μὲν στακτὴ ἡ δὲ πλαστὴ, Myrrha alia eſt ſtacte, ſtillatitia; altera factitia, in paſtillos ſcilicet formata. Nec diſſentit *Baſilius in Pſal.* 44. *vel* 45. ſequentia commentatus: ἡ δὲ στακτὴ, καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶν εἶδος τὸ λεπτότατον. Ἐκθλιβέντος γὰρ τοῦ ἀρώματος, ὅσον μὲν αὐτοῦ ῥυτὸν, εἰς τὴν στακτὴν ἀπομερίζεται, τὸ δὲ παχὺ ἀπομένον, σμύρνα προσαγορεύεται. Quod Latine redditur: *Et ipſa ſtacte eſt myrrhæ ſpecies tenuiſſima. Expreſſo enim aromate, quantum quidem illius eſt fluidum, in ſtacten ſeponitur. Craſſum autem illud, quod remanet, myrrha vocatur.* Idem vult *Dioſcorides*, cujus mentem ſic interpretatur *Ruellius.* Ex *prædictis ſcilicet myrrhæ* generibus paſtilli fiunt; ſed e pinguibus pingues & odorati: e ſiccioribus haut quaquam pingues & inodorati; minus odore pollet, quæ oleum non admiſit, cum in paſtillos digerebatur. *lib.* 1. *cap.* 78. Jam ea, quæ ſponte vel vulnere coacta manavit, vel quod ex his expreſſis relictum, id ſuffitibus fere admiſcebatur: quæ autem ex iſtis lacrymis vel grumis expreſſa fuit pinguedo, miſcebatur unguentis. Scriptura igitur ſacra, ex arbore defluentem, & ſuffitibus additam myrrham, ſequentibus locis memorat.

V. Myrrhæ lacryma, decerptæ caritatis et beneficentiæ fructum designant.

Cant. 5: 1. Ingressus *in hortum meum*; id eſt, in tuum *ſoror mea ſponſa, decerpſi myrrham meam*, lacrymam myrrhæ cui, ut creſceret, incrementum dedi, *cum aromatis meis*, aliis thure puta & maſtice, mihi ſervatis atque debitis, ut ex odore illorum voluptatem capiam, id eſt: Ingreſſus in animum tuum, quem mihi tanquam paradiſum conſecraſti, ex charitate & benignitate tua erga

ſanctos,

ſanctos, fructibus a ſpiritu profectis, delectationem habeam, tanquam ex bonæ fragrantiæ odore jucundiſſimo. *Rhil.* 4: 18.

VI. SUFFUMIGATA, DICITUR AD VITÆ SANCTIMONIAM COMPARATA.

Cant. 3: 6, 7. QUÆNAM *eſt illa, quæ aſcendit ex deſerto ſicut columnæ fumi, ſuffimigata myrrha & thure.* Senſus myſticus. Quænam eſt illa quæ Chriſto, ſervatori ſuo deſponſata, depoſito peccati foetore, pollutiones mundi, per amorem & agnitionem ejus effugit, & in ſublime ad cœliſtia tendit, perenni ſanctitatis ſtudio apud ipſum gratioſa. כתימרות ut palmæ, id eſt, columnæ fumi, quaſi dicat, rectà. Quia, inquit, Mercerus, Palma arbor eſt recta, & in ſublime recta tendens; ideo palmæ nomine columna ſignificatur, maxime apud Rabbinos, ubi fumum recta in ſublime tendentem volunt exprimere: quod fumo thymiamatis præcipue tribuunt, ut eo nomine etiam artifices ex Alexandria evocaſſent, & certos homines deſtinaſſent huic rei, qui ſcilicet arte ſua efficerent, ut fumus thymiamatis quam rectiſſime aſcenderet. Significatur ergo rectus Eccleſiæ ad Chriſtum aſcenſus, nullis impedimentis retardatus, aut huc illuc diſtractus.

VII. THECA MYRRHÆ, BENEFICIORUM CHRISTI MEMORIA.

Cant. 1. 13. EST *amicus meus mihi ut theca myrrhæ.* ut in *thethecam repoſita myrrhæ lacryma*, inter ubera mea pernoctans, *cujus odore nunquam non fruar*, id eſt, Nunquam a corde meo abit jucundiſſima meritorum Domini & Servatoris mei memoria. Venerabilis Beda: Myrrha eſt quantum medendis infirmitatibus ſalubris, tantum guſtui amara: Ita ſane divini Servatoris noſtri paſſio, graviſſimis amaroribus plena, commodum ac ſalutem noſtram, mirifice promovet. De ſuis vulneribus, vitæ nobis & ſalutis ſacramenta profundit.

Theca צרור vaſculum, in quo aliquid repoſitum, uſurpatur de marſupio vel loculo, quem Cicero thecam nummariam vocat, *Prov.* 7: 20. צרור הכסף *Loculum pecuniæ accepit in ſuam Hag.* 1: 6. mercedem reportat in צרור נקוב loculum pertuſum. Item de *gluma*, quæ Varroni *grani theca* adpellatur; *Amoſ.* 9: 9. quod ſic vertendum cenſeo: *Ecce enim ego præcipiens agitabo inter omnes gentes domum Iſraëlis, quemadmodum agitatur in cribro* frumenti granum, nec *tamen agitatione & motu iſto purgatur: ita Iſraelitas cribrabo, nihil ſuccernens, nullo ipſorum bono.* Sonat צרור המור Græce dixeris Μυῤῥοθήκιον, ut

μυρο-

μυροθήκιον unguenti ſonet repoſitorium. *Inter ubera mea* mihi præſentiſſimus atque conjunctiſſimus, quo ſemper frui delectari & recreari queam: cujus memoria ex animo meo nullo tempore elabatur.

VIII. Vestes myrrham olentes carnis Christi majestatem denotant.

Pſal. 45: 9. Myrrha *cedriumque & caſia*, a quibus ſuaviſſimus & jucundiſſimus odor fluit, *ſunt omnia veſtimenta tua.* Humanitatis tuæ, qua veluti veſtimento divinitatem tuam, Jeſu Chriſte, obvelaſti. *Phil.* 2: 7. opera & apoteleſmata in Eccleſia tua fidelibus percepta, præſtantiſſimis odoramentis ſuaviora. *Noldius Annotat. ad Concord. num.* 1664. *ita* commentatur: Per veſtes, quæ hic deſcribuntur tam ſuaveolentes, ac ſi in ipſa aromata converſa eſſent, intellige majeſtatem carnis Chriſti, unctæ donis incomparabilibus. *Pſal.* 45: 8. *Act.* 10: 38. *Joh.* 3: 34. *ex quibus* ὀσμὴ εὐωδίας tum ad officium ſacerdotale, *Epheſ.* 5: 2. tum ad doctrinam Evangelii, qua, dum ſponſa, (hoc eſt, pavidæ conſcientiæ,) recreantur, ſimul delectatur & gaudet ſponſus. *Jeſ.* 53: 10. *Cant.* 3: 6. 2 *Cor.* 2: 14.

IX. Myrrhæ odor sapientiæ suavitas.

Eccleſiaſt. 24: 15, 16. Tanquam *cinnamomum & aſpalathus aromatum, & tanquam myrrha electa emiſi odorem. Tanquam galbanum & onyx ſtacteque, & tanquam thuris vapor in tabernaculo. Aſpalathus aromatum*; id eſt, aromaticum odorem ſpirans. Reperitur enim Aſpalathi genus candidum, lignoſum ſine odore. *Dioſc. lib.* 1. *cap.* 19. *& Matthiolo* referente, Cyprii plantariæ rei periti, penes quos naſcitur aſpalathus, memorant ex centum aſpalathi plantis, vix reperiri duas, aut tres, quæ odoratæ habentur. *Myrrha electa* cujus fuit uſus in unguentis, ut Stactæ in ſuffitibus. *Exod.* 30: 23. 24. & 30: 34.

X. Myrrha libera, id est, proba.

Mor, Myrrha dicitur pinguedo ſive liquor ex lacryma myrrhæ expreſſus, quo res ac perſonæ ungebantur. *Exod.* 30: 23, 24. *Accipe tibi ex aromatum præſtantiſſimis*; myrrhæ ingenuæ *quingenta pondo & cinnamomi odorati dimidiu ejus ducenta quinquaginta, & calami odorati ducenta quinquaginta; & ſtoracis quingenta, prout eſt pondus ſacrum, & olei olivæ hinem, & parabis ex illo oleum unctionis ſacræ, &c.*

Myrrha ingenua; מר דרור myrrhæ libertatis, id eſt, probæ, πι-

ϛικῆς, non adulteratæ. Sæpius enim myrrha expreſſum liquorem adulterari, teſtis eſt ſupra laudatus *Dioſcorides*; Adulteratur, inquit, macerato gummi aqua in qua myrrha maduerit; & *Plinius* de Myrrha: Adulteratur lentiſci glebis, & gummi. Item cucumeris ſucco, amaritudinis cauſſa, ſicut ponderis ſpuma, argenti *Nat. Hiſt. lib.* 12. *cap.* 16. Ingenua & vitii expers myrrha laudabatur, Trogloditis dicta, quæ antidotis convenit, quæque a pago Minæorum adpellatur Minæa, aliter Aminæa. Ea *Hippocrati* σμύρνα πρώτη, hoc eſt, primaria, libro περὶ ἐπικυήσιος. Poterat etiam Mor-deror, id eſt, libertatis myrrha adpellari, quod non coacta inciſione ſudaret de qua *Plinius*: Sudant ſponte, priuſquam incidantur, ſtacten dictam cui nulla præfertur.

XI. MYRRHÆ OLEO, IN REGUM THALAMOS DUCENDÆ VIRGINES UNGUEBANTUR.

Eſther. 11: 12. COMPLEBANTUR dies mundi earum *Virginum*, quæ ad *Aſſuerum regem ingrederentur*: ſex menſes oleo myrrhino *quo corpora earum mollirentur vigoremque & robur acciperent*, & ſex menſes aromatibus *aliis*, mundoque muliebri. *Oleo myrrhino*, vel *pinguedine myrrhæ*, hoc eſt ſtacte, ſeu oleo ex lacryma myrrhæ eliquata. Pinguedo ſæpius myrrhæ tribuitur a *Dioſcoride lib.* 1. *cap.* 6. Frequentiſſimus myrrhini olei uſus in unguentis fuit; nam & eo veteres crines & caput perfundebant, & defunctorum condiebant corpora *Joh.* 19: 39. ea enim a putredine diu defendit; & a vivis fœtorem arcet, *Amoſ.* 6: 6. Oleo etiam ſacro ut audivimus, addebatur; omnibus denique unguentis miſcebatur. *Vid. Plin. pag.* 330. *& ſeq.*

XII. MYRRHA TRANSIENS, ID EST, GENUINA.

Cant. 5: 5. SURREXI *ad aperiendum dilecto meo*, *&* quum aperrirem *manus meæ ſtillarunt myrrham, digitique mei myrrham tranſeuntem* quæ erat *ad manubria ſeræ*. *Myrrham tranſeuntem*, id eſt, myrrham genuinam, quæ tranſierat ad Mercatorem, qua manubria ſeu annulos peſſuli imbuerat ſponſus, ut diſcedens ſignum relinqueret præſentem ſe adfuiſſe; ſed ad ſurgendum cunctante ſponſa, impatientem ad moræ tædium diſceſſiſſe. Senſus Myſticus. Sæpius tædio exſpectandi noſtram pœnitentiam abſcedit a nobis Dominus; relictis tamen gratioſæ præſentiæ ſignis, ut quem amiſerimus recordati, ſolicitius quæramus. מר עבר *Bocchartus explicat Myrrham flentis.* Τὸ عبر *habara*, inquit, inter cætera ſignificat *flere*. Inde *myrrha habir* eſt myrrha lacrymans, id eſt, pinguiſſima, & ſtactes plurimum ſudans,

dans, quam ipſam *Dioſcorides* vocat Gabiream. At non opus eſt ex Arabiſmo accerſere explicationem; quæ æque congrua & conveniens ex Hebraiſmo capiatur. Sebaſtianus Caſtalio, non indoctus Scripturæ interpres, locum ita reddit. Manibus digituliſque meis myrrha manantibus, per annulos peſſuli transfluente. Adverſatur autem ei verſioni quod ℣. 13. ejuſdem capitis ſcriptum: *Labia ejus ſimilia liliis ſtillantia myrrham tranſeuntem*, quod non poteſt non de myrrha liquida intelligi, quæ ad mercatorem tranſit δόκιμ☉ καὶ πιςική, nec aliter hic ipſe Caſtalio: *Labra habet fluentibus excellenti myrrha roſis ſimilia.*

XIII. Myrrha in labiis Sponsi verbi divini solatia.

Myrrham quæ *Cant.* 5: 13. *ſtillare dicitur e labiis ſponſi* myſtice intelligimus Verbum ſalutaribus Jeſu Chriſti ſolatiis tinctum, recreans animas, purgatiſſimum, juſtiſſimum, inculpatum, infinitæ virtutis & efficaciæ, ſpiritus & vitæ. *Joh.* 6: 63. Gratia diffuſa eſt in labiis ejus. *Pſal.* 45: 3. Nullus unquam hominum ſic loquutus fuit, ut is homo. *Johan.* 7: 46.

XIV. Myrrhæ liquor per thalamos sparsus.

Prov. 7: 17. Perstillavi *cubile meum, myrrha, cedrio & cinnamomo. Perſtillavi* ſeu *aſperſi.* נפתי ſcribitur loco נפפתי eliſa dentali ob ſequentem congenerem. *Myrrha, cedrio & cinnamomo*, id eſt, liquore myrrhino, cedrio, & cinnamomo, arte quadam eliquato. Colligitur hinc delicatiores atque mollitiis fluentes odoratis liquoribus reſperſiſſe loca. Sic in theatri ſcenæque delicias apud Romanos Crocum obrepſit; præcipue quum agerentur fabulæ. Id quod in *Epiſtolis* ſignificat *Horatius*, ubi de Atta Comico Poëta meminit his verſibus.

Recte, nec ne, crocum floresque perambulet Attæ
Fabula, ſi dubitem, clamant periiſſe pudorem
Cuncti pene Patres.

Ad hanc croci ſparſionem eſt referendum illud *Lucretii*,

Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt.

Et, quod legitur apud *Propertium*,

Pulpita ſolennes non oluere crocos.

De Croco in *Exercitationibus Plinianis Salmaſius*: Croci multus fuit uſus in theatris apud veteres Romanos, præcipue Cyrenaici & Cen-

turipini, quibus utebantur in ea ſparſione, quam Κροκόρανσιν Græci vocant. *Dioſcorides de Centuripino*: Ἀσθενὴς κατὰ δύναμιν, διὰ μέντοι τὸ πολύχυλον καὶ εὔχρουν οἱ ἐν Ἰταλίᾳ τὴν θέαν βάπτοντες τούτῳ χρῶνται. Inepte ſcribitur vulgo, οἱ ἐν Ἰταλίᾳ τὴν θυίαν βάπτοντες. Quod ineptius defendunt doctiſſimi Medicorum. Ἡ θέα ἐβάπτετο, quæ ſpargebatur & tingebatur illo imbre croceo. *Plinius*: Sed vino mire congruit, præcipue dulci tritum ad theatra replenda. Ἡ θέα theatrum.

XV. MONS MYRRHÆ.

Cant. 4: 6. DONEC *aſpiraverit dies*, *& fugerint umbræ*, *ibo ad montem myrrhæ*, *& ad collem thuris*. Loquitur ſponſa: *Mons myrrhæ*, *collis thuris*, locus peragendi cultus divini. Senſus dicti literalis: Donec mihi faciei tuæ lux affulſerit, & nox, te, præſente ſole, præterierit, ibo ad montem myrrhæ & ad collem thuris, aſcenſurus montem Moriæ, montem Domino conſecratum, ubi myrrha ſeu ſtacte & thure plurimo tibi quotidie adoletur. *Exod.* 30: 7. 34. Senſus myſticus: Donec ignorantiæ nocte & calamitatum fugatis tenebris lumen faciei tuæ mentem meam undique ſerenaverit, interea frequentabo domum tuam, locum unde coelum aſſidue preces fidelium aſcendunt, & nomen gloriæ tuæ celebratur.

XVI. VINUM MYRRHATUM SERVATORI NOSTRO OBLATUM.

UT in locum ſupplicii deventum potatur Dominus οἴνῳ ἐσμυρνισμένῳ, ut habet *Marcus c.* 15: 23., vel, ut *Matthæus c.* 27: 34. ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. Ab aliis vinum myrrhatum, ab aliis vinum felle mixtum Servatori oblatum vult *Euthymius*. At hiſtoria lucide docet eandem ab iisdem factam hic deſcribi potationem. Communis ſententia, quam ex magno *Caſaubono* mutuati ſunt viri ad invidiam docti, *Gerhardus*, *Calixtus*, *& Quiſtorpius ſenior*; eſt fœminas quaſdam pias, Chriſti doctrinam amplectentes, illi bene cupientes, & caſum miſerantes, vinum myrrhatum, conſuetudine gentis, paraſſe; ſed cum accedere ad Dominum non poſſent, ac ne honeſtas quidem pateretur, vinum præparatum militibus tradidiſſe Domino porrigendum, qui, ut erant proni ad ſcelus, aceto ac felle immixto poculum mulierum corruperint. Verum conjectura mera eſt, cujus ipſa Hiſtoria ne veſtigium quoddam exhibet. Ipſe fons optimam conciliandi rationem commonſtrat. Differunt Evangeliſtæ in aſſignatione tum ipſius potus, tum mixturæ. Potum *Marcus* vocat

vocat vinum, *Matthæus* acetum. At Vulgatus οἶνον; Vinum, quomodo in vetuſtiſſimo ſuo exemplari legi teſtatur *Beza*. Putat *Voſſius* pro οἶνος librarium ὄξος reſcripſiſſe, facili in ea vocum affinitate errore. At non uſque adeo faciles eſſe debemus in admittendis librariorum erroribus, imprimis quando plerorumque exemplarium conſenſum habemus. Sane hoc loco, præter Syrum & Arabem, ὄξος non οἶνος legit *Origenes*, diligens exemplarium inquiſitor. Quod *Bezæ* vetuſtum codicem attinet, fortaſſe in illum librariorum culpa οἶνος irrepſit. Conſtat enim in multis exemplaribus Græco margini ad vocem ὄξος adjectum οἶνος, interpretamenti gratia, quod poſtmodum in contextum quorundam librorum involavit. *Hugo Grotius* vult ὄξος notare vinum conditum, ſeu factitii ſaporis, quemadmodum *Xenophonti* ὄξος ἑψητὸν ex palmulis memoratur, & contra cerevisia οἶνος κρίθινος *Athenæo* adpellatur. *De Dieu* contra ὄξος ſumere pro vino condito; exemplo putat carere & auctoritate. Nos ne ſine neceſſitate literam videamur deſerere, quod boni Interpretis non eſt, per ὄξος intelligimus acetum proprie dictum, & apud *Marcum* per οἶνος vinum, ſed aceſcens, quod acetum dicitur *Horatio*:

Si poſitis intus Chii, veteriſque Falerni
Mille cadis (nihil eſt trecentum millibus) acre
Potet acetum.

Ubi acetum ſeu vinum acre & acetoſum opponitur Chio & Falerno. Poteſt enim per ὄξος vinum acidum intelligi ſeu vappa, quæ Græcis dicitur ὀξίνη. *Multa prolutus vappa*, apud *Horatium*, nauta dicitur. Vappam enim potare plebeji ſolebant. Mixturam potus quod attinet, Marcus dicit fuiſſe οἶνον ἐσμυρνισμένον. Beza vult intelligi myrrhinam, ſeu murinam Romanorum, quæ erat vinum dulce, mulierum Romanarum nectar, de quo *Plinius*: Lautiſſima apud priſcos vina erant, myrrhæ odore condita, ut apparet in *Plauti* fabula, quæ Perſa inſcribitur, quanquam in ea & calamum addi jubet. Ideo quidam aromaticem delectatos maxime credunt. Sed *Fabius Dorſenus* his verſibus decernit. Mittebam vinum pulcrum murrhinam. Scævolam quoque Cœlium & Attejum Capitonem, in eadem fuiſſe ſententia video, quoniam in *Pſeudolo* ſit:

Quod ſi opus eſt, ut dulce promat,
Indidem, & quicquid habet rogas
Murrhinam, paſſum, defrutum, mella.

Qui-

Quibus apparet non inter vina modo murrhinam, ſed inter dulcia quoque nominatum. Barronius exiſtimat, ex potoriis murrhinis ſaporem vina murrhinum attraxiſſe, ideoque & illa in pretio habita. Poſterius non negamus, fuiſſe nempe potoria murrhina in pretio. Teſtatur id *Plinius*: Eadem victoria (de triumpho Pompeii loquitur) primum in urbem murrhina induxit; primusque *Pompejus* ſex pocula ex eo triumpho Capitolino Jovi dicavit; quæ protinus ad hominum uſum tranſiere, abacis etiam eſcariiſque vaſis inde expetitis. Excreſcitque in dies ejus rei luxus murrhino octoginta ſeſtertiis emto, capaci plane ad ſextarios tres calice. Potavit ex eo ante hos annos Conſularis, ob amorem obroſo ejus margine, ut tamen injuria illa pretium augeret &c. At murrhina Romanorum locum hic nullum habet; quod exhibere Domino per immanem hoſtium crudelitatem matronæ ſanctæ non permittebantur; quodque non fellei, hoc eſt, amariſſimi, ſed jucundi erat ſaporis; nec denique Evangeliſtis cruciatibus ludibriiſque annumerari poterat. Nec a vaſis, cognominationem ἐσμυρνισμένε, ſortita vina, certum eſt. Nam apud Græcos, de myrrhinis poculis loquentes, ὕλην μυῤῥίνην; materiam murrheam legimus, σμύρναν ea notione uſurpatum nuſquam invenimus. At quomodo ab illis vaſis adpellari vinum ἐσμυρνισμένον quitum eſt, niſi ipſa vaſa ita nominarentur? nec exemplo ſimilis analogiæ defendi poteſt, vinum in myrrhinis propinatum, ἐσμυρνισμένον adpellari. Sane veterum nullus vinum ὑαλισμένον dixit, quod in vitrea, aut ἠργυρισμένον, quod in argentea pocula eſſet infuſum. Imo vero cum ejuſmodi pocula in maximo pretio fuiſſe conſtet, ipſeque *Baronius* haut neget; petulantiſſimis militibus præſto fuiſſe tam pretioſa, tam fragilia vaſa, cui probabit? Quis credat inter carnificum manus, Regum delicias eſſe volutatas? Inſuper odorem vino non conciliabant myrrhina, niſi calefacto, foculum autem eo allatum, ne fingere quidem fas eſt. Quod, ſi quisquam comminiſci velit, in myrrhino fuiſſe vinum calefactum, ſed deinde in aliud vas infuſum, & in locum ſupplicii illatum, præter fingendi quam ſibi ſumit licentiam, hoc etiam incommodum ſubire cogitur, ut concedat, plus hoc modo generoſitati vini decedere & ſapori, quam gratiæ addant myrrhina. Omne enim vetus vinum calefactum, & refrigeratum, languidum eſt & inſalubre, evaporantibus ſpiritibus, & feculentiore materia reſidente. Prolixius contra *Baronium* agunt *Caſaubonus* & *Adamus Conzen*. Rectius judicant

dicant, qui putant intelligi vinum myrrha miſtum, lacryma ſcilicet myrrhæ infuſa. Id enim proprie dicitur ἐσμυρνισμένον, quod myrrhatum, ſeu myrrha miſtum eſt. Nec aliter Syrus intellexit, qui vertit, *vinum miſtum in myrrha vel cum myrrha.* Et Syro conſentit Arabs. Ex Rabbinis quoque obſervare eſt, puniendo ſolitum exhiberi : קורט לבנה בכוס של יין granum thuris in calice vini. Thus pro myrrha, per quandam ſpecierum σύγχυσιν, poſitum vult *Caſaubonus.* At de Dieu : Nihil ex recepto Judæorum more hic factum, qui hoc morituris humanitatis officium præſtare ſolebant, ut vinum propinarent cum grano thuris. Hic contra pro vino, acetum, pro benigni ſaporis thure, amarorem myrrhæ, propinarunt; ne quid deeſſet, quo virulentum ſuum in Servatorem animum proderent. Id ſane malo, quam cum *Cl. Caſaubono* ſtatuere, in libris Hebræorum thus memorari pro myrrha, quum hæc longe diverſiſſimi ſint ſaporis, & loca ex Hebræis citata conſtanter thuris mentionem ferant. Gem. Babyl. Sanhedrin: Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt, granum thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus, ſicut dicitur: Date ſiceram perituro, & vinum iis, qui amaro ſunt animo. Traditioque eſt, fœminas generoſas Hieroſolymitanas, hoc a ſpontaneo ſumtu ſuo exhibuiſſe. Quod *Matthæus* de felle habet, ita cum *Marco* conciliat *Theophylactus*, ἡ σμύρνα πικρὰ ὡς χολή. Nimirum χολὴ, quod advertunt *Beza*, *Grotius* & *de Dieu*, hoc loco, non in ſpecie notat fel, ſed laxius amarorem, qualis erat myrrhæ genuinæ. Sane voce χολῆς abſinthium ſignificant Græci interpretes *Prov.* 5: 4. *Thren.* 3: 15. Atque ita vocem Græcam hic ſumſit Syrus, vertens מררתא, quod amarorem ſignificat, & propterea abſinthio non minus quam felli aptatur. Nec multum culpandus Arabs, qui pro μετὰ χολῆς habet *myrrha.* Neque vero aliter *Auguſtinus*, *qui fel*, inquit, *pro amaritudine poſuit.* Reſtat, ut diſcutiamus, cur Domino vinum hoc myrrhatum exhibitum? Qui cum *Baronio*, commiſerationis affectu allatum volunt, viri graviſſimi, mihi non ſatis faciunt. Non enim humanitatem ullam, ſed crudelitatem maximam, tam in Judæis, quam in militibus, notant Evangeliſtæ. Volunt alii, oblatum hoc vinum, ut inebriaret, ne horrorem ſupplicii Dominus attenderet. Audiendus hic imprimis eſt Cl. *Caſaubonus*, qui, dubitari non poteſt, inquit, ex Hebræorum conſuetudine profectum eſſe, quod Servatori in ipſo articulo, quo fuit crucifigendus, poculum eſt exhibitum vini myrrhati,

ti. Invenio ſimilis humanitatis genus apud Athenienſes olim fuiſſe in uſu: nam qui damnati capitis fuerant, cum e loco judicii exibant ducendi ad ſupplicium, cibum vinumque largius ſumendi facultatem habebant, tum etiam poterant tria, quæ vellent cunque proloqui. Deinde, ubi edendi bibendique finem fecerunt, ore obturato ad pœnam rapiebantur. Omnino ſimilis Athenienſium mos hic eſt cum more Judæorum. Illi dabant exeuntibus e judicio jam jam perituris: hi perductis ad locum ſupplicii poſt factam confeſſionem, quam diligenter a morituris ſive ſupplicio ſive morte ſua, exigebant. Illi poteſtatem faciebant ingurgitandi ſeſe cibo & vino, id procul dubio ſpectantes, ut puniendi, vino ciboque obruti, horrorem ſupplicii minus attenderent. Hebræi in eundem finem granum thuris aut myrrhæ vino miſcebant. Finem potionis hujus declarant Rabbini, cum dicunt, propterea fuiſſe exhibitam, morituro rationis uſus ut tolleretur. Sed audiamus ipſos Rabbinos. Thalmudici in *Sanhedrin. cap.* 6. היוצא משקין אותו קורט של לבנה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו: *Ei, qui exit neci tradendus, propinatur granum thuris in calice vini, ut mens ejus perturbetur*, ubi Gloſſator addit ולא ידאג ויתמהמה בהרי-גתו, *ne mæreat, atque ut ſtupidus fiat, cum morti addicitur*. Convenit fere *Dioſcorides lib.* 1. qui de thure: μανιῶδες ἐςὶ, inquit, πινόμενον, ὑπὸ τῶν ὑγιαινόντων à ſanis potum, furorem excitat. Refutat hoſce *Baronius*, eo, quod myrrha ebrietatem & alienationem a ſenſibus non efficiat, imo præſervet, & vapores digerat. Idque probare conatur allato teſtimonio Ariſtotelis ex Athenæo. Sed graviter halucinatur. Habere myrrham vim ſoporiferam, docent *Galenus lib.* 15. *c.* 19. *& Dioſcorides lib.* 1. *c.* 77. At quomodo ſoporem, qui ex humido & frigido originem habet, efficiat myrrha, quæ calefacit, ſiccat, adſtringit, fluxiones ſiſtit? Myrrha largius ſumta, calefactione nimium celeri & vehementi, ſolvit humores & emollit, qui ſubito delati arterias, quæ Carotides appellantur, cum nervis adjunctis opprimunt, atque ita carum efficiunt. Mihi vero, quo minus probetur Cl. *Caſauboni* ſententia, obſtat, tum quod de aliis duobus cruciariis nihil de marcore referatur, qui tamen a communi lege & conſuetudine non poterant excludi; tum quod ſciam, in crucem actos ſceleratos, ut diu morerentur & mori ſe ſentirent. Sane Hiſtoriæ, quotquot de crucifixis legi, omnes contendunt, ſupplicia illis undique aucta & conquiſita, non autem mitigata fuiſſe. Si dicendum, quod res eſt, & quod communis cruciacia-

ciarios tractandi conſuetudo ſuggerit, dixerim vinum myrrhatum Domino exhibitum, ut vires animumque ad graviora tormenta ferenda firmaret, neve deliquio & imbecillitate penitus obtorpeſceret, cum multi ſolo tormentorum adſpectu linquantur animo, idque poſt vigilias, vexationes nocturnas, flagellationem, & qui ſecuti erant labores, vererentur, ne Chriſto contingeret, quem cruci ferendæ in via imparem viderant. Certe myrrham animo & corpori robur conciliare ex *Apulejo* conſtat, apud quem *Metamorph. lib.* 8. legas: indidem ſeſe multimodis commaculat ictibus, myrrhæ præſumtione munitus. Et alibi: obfirmatus myrrhæ præſumtione, multis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni. Vis eadem eſt ſemini erucæ, quo idcirco ſe præmunire ſolebant, qui torquendi ſunt. *Plinius*: Ajunt, verbera ſubituris, potum erucæ ſemen ex vino, duritiem quandam contra ſenſum inducere. Hæc de myrrhato vino mutuati ſumus. *Ex D. Henrici Mulleri, Theologi Roſtochienſis Jeſu patiente, Nota* 48.

XVII. Myrrhæ et aloes centum libræ. *Johan.* 19: 39.

De Nicodemo, Principe Phariſæorum ſcribitur, quod venerit ad ſepeliendum Jeſum, Dominum noſtrum, φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν, ſignum ſcilicet opulentiæ, & non parci in Magiſtrum affectus. Quæritur, quia ungendo corpori centum libræ nimium multum videntur, quid λίτρας nomine Evangeliſta intellexerit? *Seb. Schmidius* per λίτραν hoc loco notari putat, non ponderis ſed monetæ genus, quæ oboli Æginetici nomine apud Pollucem veniat. Certe, tres aut quatuor ad ſummum, libras aromatum, uni condiendo funeri impenſas, legimus apud Aetium, ubi alvus exenterata odoribus farcienda erat. Ad quid ergo, inquiunt, tot libræ? & quomodo tantum pondus ferre potuit Nicodemus? His non aſſentior. Nam per λίτραν libræ pondus intelligere *Johannem*, manifeſtum eſt ex capitis duodecimi tertio commate, ubi ſcribit, Mariam, Lazari ſororem, accepta λίτρα, hoc eſt, libra unguenti nardi liquidæ, multi pretii, unxiſſe pedes Jeſu. Decalitron, ut *Cœlius Rhodiginus* obſervavit, ſtater erat Corinthius, obolorum decem. Quod, ſi admiſeris, unguentum nardi piſticæ ſive probæ, quod in pedes Chriſti effuſum, non fuit πολύτιμον. *Joh.* 13. 3. Jam, quod ajunt, Nicodemum oneri centum librarum ferendo imparem fuiſſe, facile diluitur. Attulit quippe ſervorum opera. Nos igitur tutiſſimum

eſſe arbitramur cum celeberrimo Viro *Claudio Salmaſio* dicere, attuliſſe Nicodemum ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν, Myrrhæ & Aloës mixturam ad libras centum, non tam ut corpus Servatoris ungeret, quam ut faſciis linteiſque involutum, pollingeret.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

DE SYCAMINO SIVE MORO.

Sycaminus apud Lucam non eſt Sycomorus: Sycaminus veterum eſt Morus. Sycamini vocabulum in Oriente natum. Frequentiſſimas Sycaminos Judæa tulit. Synonymum Sycamini Gamzuz. *Moro ſuffecta Cedrus.* Chanamal *eſt grando. Morus ab armentino lecta.*

I. SYCAMINUS APUD LUCAM NON EST SYCOMORES.

LUc. 17: 6. SI *haberetis fidem, quantulum eſt granum Sinapis, diceretis huic Sycamino, Eradicator, & plantator in mare: & obediret vobis.* Sycaminus apud *Lucam* hoc loco non eſt Sycomorus, vel Morus Ægyptia, ſed ſimpliciter dicitur Morus; quamvis contrarium pertendat *Eraſmus:* nam συκομορέαν alio capite nominat, diverſam utique a Moro ſive Sycamino vulgari. Sic Συκάμινον morum eſt in hoc verſu Attici, Scurra:

Συκάμινον ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.
Sylla morum eſt polenta ſparſum.

Utut ergo Sycaminus Ægyptia, quæ & Morus Ægyptia vocatur, vulgaris illa, & in Judæa etiam frequens morus non ſit, ipſi tamen valde conſimilis habetur. *Theophr. H. l.* 4. *c.* 2. *p.* 71. ἔστι δὲ ἡ μὲν συκάμινος παραπλησία πως τῇ ἐνταῦθα συκαμίνῳ, καὶ γὰρ τὸ φύλλον ἔχει, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ὅλην πρόσοψιν. Hinc & Sycaminon etiam vocat idem arborem illam Ægypti, quod per omnia ſimilis eſſet moro, quam Græci Συκάμινον appellant. Quo magis miror, inquit in *Exercit. Plin. Salmaſius*, ficum Ægyptiam a *Plinio* adpellari, cum alia ſit arbor quæ Ficus Ægyptia Græcis dicitur, & *Theophraſtus* a quo deſcriptionem hujus arboris mutuatus eſt, συκάμινον αἰγυπτίαν ſemper eam indigetet, id eſt, morum Ægyptiam, non ficum. Antiqui Græci ſcriptores συκάμινον appellant, morum arborem, & fructum arboris. Rubi fructum μόρον potius vocabant, quæ μόρα βάτινα & βατώδη. Notat *Athe-*

Athenæus, *Phaniæ Ereſio*, *Ariſtotelis* Diſcipulo, morum appellari, τῆς ἀγρίας συκαμίνȣ fructum. Per ἀγρίαν συκάμινον intelligit rubum. Nam in verbis *Phaniæ*, quæ ſubjicit μόρον βατῶδες appellatur. At Sycaminos Ægyptia ſui generis eſt, quam a mori ſimilitudine alii συκάμινον vocant, alii συκήν, quod fructum edat ficui ſimilem. Alii rurſus compoſito nomine Συκόμορον. Morus eſt, quæ noviſſima urbanarum arborum germinat, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum: ſed cum cepit in tantum univerſa germinatio erumpit, ut una nocte peragat, etiam cum ſtrepitu. *Theophraſtus in libro de cauſis primo*, aſſignat pro cauſa, loci frigiditatem. Ei, *Scaligero* judice, poteſt addi aquei ſucci copia, & caloris innati ad eam operam minus quam par ſit. Inde fructuum frequentia par exhibet negotium. Sed idem ait, has ob res ſerius evectam ad germinationem, facilius ſe in opere coquendi expedire, propter imbecillitatem ſucci. Recte ſane. Similis enim proportio in fœminino fœtu. Intus ſero perficitur ob principiorum debilitatem. Ubi edita fœmella eſt, citiſſime capit incrementa, ſcilicet ob eandem principiorum imperfectionem. Celerrime namque metam, quæ prope eſt, & paratu facilis, adipiſcitur. *lib.* 1. *de Plant. pag.* 74.

Tantum de arbore. Quod ad nomen arboris ſpectat non eſt, ut videri quidem poſſet, Græcæ originis, ſed e ſermone Syriaco traductum. Syris enim: שקמין Sycaminos vel moros denotant, voce ab Hebræo שקמה deflexa, a qua ſunt, שקמים & שקמות pluralia. Dictum vero שקמה trajectis literis pro משקה *miſchkeh*, vel ut *Buxtorfius in Lex. Thalmudico* pronunciandum putat, משקה *maſchkeh*, id eſt, liquor. Nimirum baccæ mori arboris nudæ ſunt & merus liquor. Thalmudicis בנות שקמה Sycaminorum filiæ vocantur. Quin & Mori vocabulum mutuaſſe ex oriente Græci videntur מוחר *mavhhar* enim vel, מוחר *mohher* tardantem Syris ſignificat; arborem ſcilicet quæ tardat florem, noviſſima urbanarum germinans, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum. Niſi magis placeat Mori vocabulum ſcribi ad exemplum Syriaci nominis מערא formæ participialis מגלא vel Hebraicæ מעורה *nudatus*. Fructus enim mori nec corio tegitur, ut malicorium & caſtanea, nec denſiore cute, ut botrus, nec cortice ut nux. Morum igitur, quam Hebræi, שקמה Græci Sycaminum, vel, ut *Dioſcorides* extulit συκαμινέα vocabant, peregrino, ut dictum vocabulo, Syri & Thalmudici doctores vocabant תות *Thuth*, ex integro תהות, congenero nominis תהו inanitas, vacuitas; quod mori ſit bac-

ca intus inanis & vacua, unde ſumuntur תותים pro fragis & moris rubi. *Mahaſeroth cap.* 1. Frequentiſſimas olim ſycaminos Judæa tulit. Hinc eſt quod de Salomone Rege cedrorum undique numerum augente. 1 *Reg.* 10: 27. *legitur*, *quod cedros reddiderit*, *ut Sycaminos*, *quæ* creſcunt *in loco depreſſo* , *multitudine. In loco depreſſo*, ubi ſcilicet felicius veniunt. Nam & moreta Davidis, quibus præerat Baalhanan Gederita, erant in humili loco. 1 *Chr.* 27: 28. *vel* 28: 28. In regios igitur cenſus cum oleis referebantur Sycamini, quod ipſum ſatis magno argumento eſt, שקמים non vocari ſycomoros, ut *Eraſmus* & *Junius* voluit. Viliſſimus ſane fructus eſt, qui, ut *Galenus* tradit, nullam habet acrimoniam, & exiguæ eſt dulcedinis, eamque ob cauſam a Syro interprete fatua ficus eſt adpellata Sycaminus. Amos vates ſycaminos legit in agro Thecoæ. *Amoſ.* 7: 14 Eaſdem inferior Galilæa protulit. *Schevijith cap.* 9. *hal.* 2. Eſt Galilæa ſuperior & inferior & convallis. A, Caphar Hanania & ſupra, quæcunque non producit ſycaminos eſt Gallilæa ſuperior; At a Caphar Hanania & infra, quæcunque producit Sycaminos eſt Galilæa inferior. Ab arboris hujus frequentia & multitudine, nomen etiam invenit Sycaminum, a *Plinio* memoratum *Nat. Hiſt. lib.* 5. haut procul a Ptolemaide ſitum oppidum *Joſeph. Antiq. lib.* 3. *cap.* 20: Igitur Ptolemæus cognita in itinere Ptolemaidenſium mutatione, nihilominus curſum continuavit, & cum appuliſſet ad Sycaminum eo loci copias expoſuit. *Strabo Geogr. lib.* 16. Sycaminorum urbs inter Accam, id eſt, Ptolemaidem & Stratonis turrim, hoc eſt, Cæſaream. Ex eodem denique argumento denominatur גמזו, id eſt, עיר גמזות civitas mororum; in partibus Judæ 2 *Par.* 28: 18. גמזוו enim in Medraſch Echa a Rabbinis vocatur Sycaminus, & ab Arabibus Perſisque cognato vocabulo جميز *gommijazon* vel جميز *gammaizon.*

II. MORO SUFFECTA CEDRUS.

Jeſa. 9: 10. *Sycamini exciſæ ſunt*, *ſed cedros ſufficiemus.* Pro ſycaminis Vulgatus poſuit ſycomoros, quæ locum hic habere non queunt, Sycomorus enim, quæ aliter ficus Ægyptia, ligni duritia & utilitate non inferior habita cedro, incorrupta pariter, & emori contumax & præcipua ædificiis, & pluribus vitæ operibus. *Plil. lib.* 13. Materies proprii generis inter utiliſſimas, quum ex adverſo tramite, Sycamini ſive Mori, torta materies ad ædificandum, vel raro vel

vel nunquam abhibeatur, utilis tantum operibus, quæ flexu conſtant. Ephrajimitæ igitur, damna, quæ maxima paſſi fuerant, extenuaturi, elatione & inſolentia animi dixerunt: Mori exciſæ ſunt, ſed cedros ſufficiemus: quaſi dicerent, Facilis jactura eſt amiſſorum, quæ multo majoribus commodis compenſatur ac reſtituitur. Ab eadem mente dictum eſt eodem commate: Lateritia opera ceciderunt, ſed lapide cæſo exſtruemus.

III. Morus grandine verberata.

Pſal. 74: 47. Interimebat *grandine vites eorum, & ſycaminos, grandine ſæva.* Bochartus ad Saadiæ, Kimchii & Vulgati opinionem abit, qui חנמל pruinam interpretantur. Nos grandinem intelligimus. Convenit enim hoc etymo nominis חנמל, compoſiti ex verbis חנן־חמל miſerere! parce! quibus & nos horrendam grandinis vim deprecamur. Sic חשמל fulminis aut fulguris vocabulum coivit ex duobus verbis חש חמל *feſtina! parce! Ezech.* 1: 4.

IV. Morus ab armentino lecta.

Amoſ. 7. 14. Non *propheta eram, neque filius Prophetæ, ſed armenti cuſtos & ſycaminos legens.* בלס κνίζων συκάμινα LXX. avellens moros. In Arabica & Æthiopica lingua, ut Ludolfus teſtatur *balas* ſycaminum ſignificat, unde בלס fuerit operam ſycaminis in victum legendis, vel plantandis colendisve inſumere, ut כרם dicitur, qui vinearum cultu vel vindemia legenda occupatur. Senſus dicti: Non fui nomen meum inter doctores populi vel inter ſtudioſos ſacrarum literarum profeſſus, bubulcus eram, inter pecora degens, & ſycaminis victitans.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Juniperus.

Hebraicum *Juniperi nomen. Juniperi genera. Cedro cognata. Juniperus Eliæ. Carbones ejus vivaciſſimi. Radix cibus inopum, Job.* 30: 34. *Non eſt orobanche, geniſtæ radix. In diverſa lingua vox eadem aliud quoddam ſæpenumero ſonat, quin & in eadem.*

I. Juniperi nomen Hebraicum, et genera.

Juniperus Hebræis dicitur a conjunctione. רתם eſt jungere: רתום המרכבה *junge*, queis vecteris, equos & *currum*, id eſt,

 junge

junge vectoria. *Mich.* 1: 13. In junipero enim, fructus fructui & ligno arctiſſime hæret, & folia foliis conjunguntur, & novus fructus cum annotino pendet, recenſque veterem occupat, baccis ſubnaſcentibus, quæ biennio hæreant. Grandiorem juniperum, quæ Cedrum maxime æmulatur, Afri nominant *Etthalch.* Ejus medulla in Numidia candida, in Æthiopia nigra, in Libya purpurea: qua in ſcobem comminuta, dicuntur Afri Medici feliciſſimo ſucceſſu vice Gajaci ad morbum Indicum (id eſt Sipylin) profligandum uti: ut *Scaliger* tradit *Exercit.* 181.*p.* 563. Duo apud nos genera inveniuntur montibus vernacula. Unum pumilum, humile, ſeſſilibus in terra ramulis, aliis parum ſe ab humo attollentibus, quibus ſpina pro folio eſt, radicibus ſummo ceſpite fuſis, baccis primum virentibus, deinde per maturitatem nigris; caducas nova ſemper occupat. Radix ligni materie odoratior, ſuavem noſtratibus ſuffitum præbet. Alterum altius adoleſcit, caudice procero, cortice fragili, nec difficulter fatiſcente, ligno fulvo, odorato, ramis latioribus, aculeorum acervo ſtipatis, baccis alteri conſimilibus. *Ruellius lib. I. c.* 90. *p.* 179. Folio tantum a cedro Juniperus creditur diſtare. Junipero ſimplicius ac mollius aſſignatur: cedro acutum, ſpinoſum, durum. Alii nominum ambage poſthabita, utramque cedrum (inquit *Theophraſtus*) appellant. Faciunt hoc Arabes, quibus vocabulum ارزن *Arzon*, vel ارزن *Orzon*, cedrum & juniperum ſonat: licet junipero ſuum ſit vocabulum عرعر *harhar.* Utriuſque materies dura compactaque, cariem & vetuſtatem haut ſentit; ut non abs re Hannibal juſſerit, Epheſiæ Dianæ templum juniperinis trabibus extrui, per multas ætates duraturum.

II. ELIAS SUB JUNIPERO.

1. *Reg.* 19: 4. A *Beerſcheba perrexit in deſertum itinere unius diei & veniens conſedit ſub junipero quadam.* In Hebræo ſcribitur, תחת רתם אחת & in margine textus אחר, qua ſcriptione inſinuatur commune nominis genus, ideoque in uno Bibliorum Sacrorum codice ſcriptum fuiſſe רותם אחת, vel רתמה אחת, in altero רותם אחר. Frequentatum antiquitus fuiſſe nomen רתמה, liquet ex nomine ſtationis Iſraëlitarum, inter Chatzerothas & Rimmon-Peretz interjectæ *Num.* 33: 20. Fallor niſi in hac deſerti parte; quæ a Juniperorum frequentia adpellata, ſub Junipero procubuit Elias: nam & ipſa inter

ter Sinai montem & Beerſchebam ſita legitur 1 *Reg.* 19: 3. 8. Sub Junipero autem reſedit Elias, non quod valetudinis curam abjiceret, mortem gravi arboris umbra acceleraturus; id enim precibus ad Deum fuſis minime convenerat, cujus arbitrio vitæ finem permiſit; neque ut a ſerpentium ictu ſe tueretur, qui juniperum fugere dicuntur: ſed ut feſſus ærumnis, & viæ longioris moleſtia fractus, ſub umbra juniperi denſiore refectus, aliquantiſper quieſceret. Juſto quippe diutius ſub ea commorantibus, propter blandam odoris eluviem, noxia & gravis eſt, *Virgilio* teſte, juniperi umbra.

III. Juniperi carbones.

Pſal. 120: 3. 4. Quid *dat tibi, & quid addit tibi lingua fraudulenta*: ℞. *Tela herois acuta cum prunis juniperi.* Verſionem ita explicat *Coccejus*: Tela, & ea non hebetia ſed acuta; nec a manu languida, ſed herois. Deus tela ſua, in vos lingua fraudulenta utentes, omnipotenti brachio ſuo conjicit. Deinde prunas vivaciſſimas (an ſtreperas?) ut juniperorum. Malam conſcientiæ iram in Deum & Regem noſtrum Chriſtum, invidiamque creſcentis & florentis regni ejus, cum ſtrepitu blaſphemiæ. Vivaces feruntur juniperi carbones. *Cardanus. de Plantis lib.* 8. *p.* 343. Fuerunt qui exiſtimaverint truncum ligni juniperi accenſum & proprio cinere contectum, ignem annuum ſervare. Tam diu certe mirum: at diu nihil mirum: ſubſtantia enim denſa & pingui admodum eſt, & ad opera incorruptibili. Ad hæc *Scaliger*: Non queo mihi perſuadere, quod e ſufflatoriis libellis habui, te ignoraſſe. Omnia enim tibi naturæ arcana, non arcana ſunt; cui nota dicis eſſe arcana æternitatis. Ajunt illi: Ex Junipero carbones tanta eſſe vi, ut per annum integrum ignem ſervent incorruptum. Neque a Prometheo didicerunt hoc, ut per manus traderent Veſtalibus. *Exercit.* 328. Textum *Junius* & *Tremellius* ita reddunt: Quid datura eſt tibi, quidve adjectura tibi, lingua doloſa? *Verba ſimilia* ſagittis robuſti acutis, comparanda prunis juniperorum. Nos: Quid tibi dabit, aut quid adjectura eſt lingua doloſa? *Verba linguæ doloſæ, ſunt* ſagittæ Herois acutæ: *ſunt ſagittæ* e prunis juniperorum *emiſſæ.* עם accipio pro מעם, ſæpius enim litera repetenda perit. *Sunt ſagittæ e prunis juniperorum*, e quibus ſubito flammæ ſeu ſcintillæ ſulphurei coloris erumpunt, quæ telorum ſpecie in latus obliquatæ, ſerpentino quodam ſibilatu minantur, & exſtinctæ fumum excitant. Carbonem, ut Plinianis utar verbis de reſiniferis, juniperi ligna repente

pente exſpuunt, cum eruptionis crepitu, ejaculanturque longe.

IV. RADIX JUNIPERI PANIS INOPUM.

Job. 30. 3, 4. IN *inopia & fame ſolitariis radices juniperorum panis erant.* Radices juniperorum edendo non ſunt. Vertunt igitur: *Quorum panis erat, ut juniperorum*, ſcilicet inſipidus. In Thargum habetur: Radices juniperorum comburuntur, & fiunt prunæ ad cibum eorum. Alii: Veſcebantur *orobanche*, tuberoſa planta, quæ geniſtis annaſcitur. Arabes enim geniſtam رتم *Rhathamon* vocant. Intelligunt Interpretes geniſtam, non ſpinoſam illam, anguloſam & ſcopariam, ſed orobanchen ex geniſtæ fibris profectam, quam alii rapum geniſtæ vocant, alii hypoſpartium. Tuberoſum hoc turbinatum, ſubnigricantibus ſquamis, pulpa ſublutea. Caulis inde dodrantalis, cui flores circa faſtigium ſubcandidi, Lamii fere æmuli, ſeu galeati; ſiliquæ oblongæ, craſſæ, teretes, in quibus ſemina minutiſſima, ſupervacanea. Provenit locis ſiccis, glareoſis, ſecus vias, aliquando in ſilvis. Rapum menſe Junio & Julio invenitur, in Flandria, Gallia, Anglia, Auſtriæ & Pannoniæ ſilvis. Sabaudiæ & Pedemontii colles copioſum fundunt, &c. *Joh. Jonſtonus Hiſt. Nat. lib.* 7. *p.* 372. Sed nec Orobanche dici poteſt *geniſtæ radix*, nec illa vocum רתם & رتم ſimilitudo, ex junipero geniſtam facit. Sæpius enim una eademque vox, in alia lingua, præſertim Arabica, ſi proferatur, ſignificatu plurimum differt. Sic & ערער Hebræis ſtirpem nudatiſſimam vel hominem nudatiſſimum, Arabibus juniperum ſonat. *Vid. cap. X. ſect.* 29. *art.* 3. און Hebræis *vires & moleſtia*, Arabibus اون *Awnon*, *quies* dicitur; ארי eſt Leo, اري *Arjon*, mel, גשם imber, جسم *giſmon*, corpus, חלד mundus, خلد *choldon*, æternitas, עמר manipulus, عمر *hamron*, ætas, קרח gelu, قرح *karchon*, ulcus, קשט veritas, قسط *kaſton*, juſtitia, לחם panis, لحم *lachmon*, caro, נשק armatura, armamentarium, نسق *naskon*, ſeries vel, oratio, יער ſilva, favus, يعر hœdus, capra: אשל lucus, اثل Tamarix, פגר cadaver, فجر Lucifer. Quin imo eadem ejuſdem

dem linguæ vox res notare interim ſolet diverſiſſimas, ut אגמון in Hebræo juncus eſt & ahenum, כפר pix, cyprus & villa, בר filius & frumentum, שד mamma & vaſtitas, זיז ſplendor & fera, חלקה lævitas & portio, חמר lutum & acervus, חמור aſinus & acervus, חסד benignitas & probrum יער ſilva & favus, כר paſcuum, clitellæ & agnus, & in plurali duces, primores, מטה virga & lectus, *Hebr.* 11: 21. *&* *Gen.* 47: 31. סוס Equus, & grus avis, סיר olla & ſpina. סעיף ramus, cogitatio, & ſcopulus, סף limen & pelvis. Noſtro judicio לחם ſive panis, laudato loco, victum ſonat, quem ex venditis juniperorum radicibus inopes ſibi pararunt.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

דודאים Cerasa.

Dudaim *deſcribitur a pulchritudine & amabilitate, a cœli temperie, ab odoris exhalatione, a tempore floris & fructus, a communi ſolo, ab eorum ad calathos uſu, a vulgi notitia, a diſcrimine, ab herbis, denique a ſervandi cura.* Dudaim *non ſunt amabilium florum generale nomen, non ſunt madragoræ, non lilia, non terræ tubera, non violæ, non ſampſuchus, non germinus, non ſolanum vericarium, non ſatyrion, non mora rubi, non ſolanum ſoporiferum, non melonis ſpecies, non cornus arbor, nec Manzon vel Muſa, nec Perſicæ mali flores, neque nux juglans, neque balſamum, nec denique philera.* Dudaim *ſunt ceraſi arbores, vel ceraſa fructus arboris. In ceraſis nihil non amabile. In tepidis frigidiſque regionibus proveniunt, ſed in frigidis felicius. Ante vitem & punicam florent. Florem vere, & fructum æſtate ferunt. Naſcuntur in Syria & Judæa. Cortices & libri ſportis utiles. Fructus notiſſimus. In futuros denique uſus recondi poſſunt.*

Quid ſint הדודאים a multis fruſtra quæſitum eſt, & temeritas, fateor, videri poterat, poſt tot eruditorum hominum curas & labores, etiamnum in veriorem ſententiam inquirere, niſi conſtaret pleroſque eorum, nec ſibi, nec aliis, indagine ſua ſatisfeciſſe. An melius hoc operis mihi proceſſerit, expenſis, quas affero rationibus, Lector benevolus judicabit. Totum negotium conficietur, ſi ex locis, ubi nominis *Dudaim* facta mentio, indubi-

tatas propoſitiones educendo, deinceps e conceſſis, quæ volumus, concludamus. Loca Scripturæ in quibus *Dudaim* memorantur omnino tria ſunt. Primus locus eſt *Cantic.* 7: 14. *Dudaim ederunt odorem.* Alter exſtat *Gen.* 30: 14. *Quum abiens Ruben temporibus meſſis triticeæ, inveniſſet Dudaim in agro, eoſque attuliſſet ad Leam matrem ſuam, dixit Rachel Leæ, da mihi quæſo de Dudaim filii tui. Hæc autem illi, an parum videtur, inquit, te recepiſſe virum meum an etiam capias Dudaim filii mei? cui dixit Rachel, propterea cubet ille tecum hac nocte pro Dudaim filii tui. Redeunte igitur Jacobo ex agro veſpere, egrediens Lea ei obviam dixit, congreſſurus es mecum, nam omnino mercede conduxi te, pro Dudaim filii mei; cubavitque cum ea, nocte illa.* Tertius habetur *Jerem.* 24: 1, 2. ubi ex omnium interpretum conſenſu, *Dudaim* vertitur in calathos vel fiſcellas: *Oſtendit mihi* DOMINUS *duos ficuum calathos poſitos ante templum Domini, Calathus unus erat ficuum valde bonarum, quales ſunt primores ficus, alter ita malarum, ut comedi non poſſent.* Ex his igitur elicimus propoſitiones, quarum

PRIMA HÆC EST.

DUDAIM SUNT PLANTÆ AUT FRUCTUS PLANTARUM AMOENISSIMI.

IPSUM nomen hoc declarat. Venit enim *Dudaim* a ידד amandi vel diligendi verbo, & ſingulariter dicitur דודא quod nomen poſitum loco דודה, ut שועא legitur pro שועה 1 *Par.* 7: 32. ut שנא ſomnus, uſurpatum loco שנה, ut מרא amaritudo, loco מרה; ut זרא זרא faſtidium. Talium א in plurali etiam numero retinetur: ita enim a צבא, quod venit loco צבה deflexum צבאים & צבאות capreæ. Maſculinum nomen eſt דוד, formatum ut לוד, ab ילד genuit, ut בול ab יבל, ut סור ab יסר *Jerem.* 17: 13. ut דוע in compoſito מדוע id enim tantundem vult quod מה־דוע quæ ſcientià? vel qua re? Sic ipſum quoque שוע comparet in compoſitis Jehoſchuah, Malciſchuah, Abiſchuah, Bathſchuah, Eliſchuah. Ex eodem themate flexa nomina *Jadid* dilectus, ידידות dilectio, Jeduthun, Jedüthun, Jedidja, דוד dilectus, דודים amores, Dodaujahu, 2 *Par.* 20: 37. Dodai, Dodo, Elidad, Eldad & Medad.

PROPOSITIO SECUNDA.

DUDAIM SUNT QUÆ PUER SEPTENNIS ET MATRONÆ HAUT INSCITÆ VEL INSUBIDÆ, IN DILECTAMENTIS HABERE ET CONCU-

PIS-

piscere potuerunt.

Ruben, Leæ filius, pulchritudine & ſapore τῶν *Dudaim* delectatus, in agro lecto domum retulit, matremque eorum participem fecit. Rachel autem, Leæ ſoror illorum potiundi deſiderio noctem ſorori cum marito degendam hoc pretio locavit.

PROPOSITIO TERTIA.

Dudaim nascuntur in Regione in qua ovium pastores interdiu absumit æstus, noctu frigus.

Provenisse ea legimus in Paddan Aran, ſeu Meſopotamiæ agris, *Gen.* 30: 14. *collat. cum cap.* 28: 2. Ibidem Jacobus greges ſoceri paſcens, ea ſe apud eum conditione queritur, ut de die æſtu, de nocte conficeretur gelu, oculis interea ſomno carentibus. *Gen.* 31. 40.

PROPOSITIO QUARTA.

Dudaimorum odor vitis florem et odorem prævenit.

Dicuntur enim in Cantico odorem ante florem vitis & Punicæ mali exhalaſſe, *cap.* 7: 14. ac de illis perhibetur הדודאים נתנו ריח id eſt, *Dudaim* fragrarunt, vel defluxit jam eorum odor. De vite & punica; Videamus an germinet vitis, an floreant mali Punicæ. Eſt quidem, ubi præteritum etiam pro futuro ponatur, præſertim in vaticiniis de re certo eventura, ut *Jeſai.* 9: 6. Sed hic nullus eſt vaticinio locus, neque quiſquam Interpretum de eo cogitavit, omnibus in præteriti ſignificatione verbum נתנו accipientibus. Jam quod ante vitem & malum Punicam odorem exſpiraſſe Dudaim feruntur, ex eo clare intelligitur, eſſe plantam, quæ ante vites & Punicas edat florem. Ut adeo germinantis ordo a natura ſervatus, primum florem ipſis Dudaim, alterum Punicis, ultimum tribuat viti. Quod vitem Punicæ ſponſa præpoſuit, eam pretium & authoritatem quæſtuoſioris fructus cogitaſſe, vero conſentaneum eſt.

PROPOSITIO QUINTA.

Odor Dudaimorum non radicum, non stirpium est.

De Dudaim teſtatur Sponſa dediſſe, id eſt, ſpirare odore deſiviſſe. Radices ac ſtirpes odorem ſervant, & radicum in allatis textibus nulla facta eſt mentio. Flores vel in caulibus marceſcunt, vel quum decidunt, quicquid eſt fragantiæ perdunt.

PROPOSITIO SEXTA.

DUDAIM ET PRIMO VERE EE TEMPORE MESSIS COMPARUERUNT.

SCILICET veris initio florem, tempore autem meſſis fructum dederunt. De flore *Cant.* 7. de fructu *Gen.* 30. Meſſis triticeæ tempus incidebat in menſem Niſan, qui ex parte Majo noſtro reſpondet. Is enim dicitur menſis novarum frugum *Exod.* 34: 4. *& poſtridie paſchatis offerebantur novæ fruges Lev.* 23: 1. *Deut.* 16: 9. *Vid. Nicol. Fullerus Miſcell. lib.* 3. *cap.* 11. *& Bochartus Hieroz. Part.* 1. *cap.* 13. *fol.* 857. Martio menſe in Judæa ſegetes falce reſecant & metunt agricolæ. Ideo poſtridie Paſchatis, hoc eſt, medio menſe Abib manipulus e primis frugibus Deo offerebatur. *Levit.* 23: 10. 11. Sed feſto Pentecoſtes, id eſt, quinquageſimo demum die poſt paſchale feſtum meſſis erat plena peracta. Unde eſt, quod *Exod.* 23: 16. vocatur חג הקציר *feſtum meſſis*, nempe abſolutæ, non inchoactæ. Non eſt dubium, quin triticea meſſis in Meſopotamia terra, quæ ſole plurimum calet vel in eoſdem anni dies, vel etiam temporius inciderit. Æſtus enim ſideris, qui fertiles regionis campos torrebat, frugum maturitatem acceleravit. Non mirum ergo fructum præcocem aut primitivum æſtatis tantopere puerum & fœminas petiiſſe. Præcocium quippe avidi ſunt homines, de quo *Jeſ.* 28: 4. *Decor ornatus Ephrajimi erit, ut fructus præcox, quem uti videt quiſpiam dum adhuc eſt in manu ſua deglutit.*

PROPOSITIO SEPTIMA.

DUDAIM SUNT COMMUNES SYRIÆ ET PALÆSTINÆ.

IN Syria quippe inter Amnana, quæ Paddam-Aram. *Gen.* 28: 2, 5, 7. & שדה ארם Ager Syriæ ab Hoſea dicitur, Rubenus ruri invenit *Dudaim Gen.* 30: 14. In Judæa autem Sulamitis amico nunciat Dudaim in agro odorem ſuum edidiſſe. *Cant.* 7: 14.

PROPOSITIO OCTAVA.

SUNT DUDAIM CALATHIS SPORTISQUE, FRUCTUS ÆSTIVOS QUÆ CAPIANT, UTILES.

PONITUR enim hoc nomen apud *Jerem.* 24: 1, 2. in calathis vel caniſtris ficuum. *Viſionem oſtendit mihi Dominus, nempe, ecce duo Dudaim, id eſt, calathi ficuum compoſiti ante templum* DOMINI, *&c.* Calathus unus erat ficuum bonarum valde, quales ſunt præcoces ficuum, & calathus alter ficuum malarum valde, quæ non poſſent

ſent comedi præ pravitate. Ex eo igitur quod *Dudaim* præbent materiam calathis vaſisque quibus æſtivi contineantur fructus, oppido liquet, eodem nomine notatas fuiſſe arbores, quarum materia vaſis ejuſmodi utiliſſima judicatur, & per metonymiam cauſæ materialis pro materiato, ut loquuntur, *Dudaim* a Jeremia dici vas aut ſupellectilem ex ligno dudaimorum factam; quemadmodum alias in Scripturis eodem tropo abietes videmus accipi pro inſtrumentis muſicis 2 *Sam.* 6: 5. Juncum pro fiſcella, *Job.* 40: 26. arundinem pro ſagitta, *Pſal.* 68: 31. & apud *Virgilium*, arundinem pro jaculo, *Æneidos lib.* 4.

---- *Hæret lateri lethalis arundo.*

& *Æneidos V.*

Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo.

ut myrtum pro haſtili.

------- *Luciam ut gerat ipſa pharetram,*
Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.

PROPOSITIO NONA.

Dudaim fuerunt fructus vulgo non ignoti.

Primum viſi a mulieribus tanquam res notiſſima nomine ſuo adpellantur. Ita enim Rachel ſorori: *Da, quæſo, inquiebat, mihi de Dudaimis filii tui. Hæc autem illi: An parum videtur, te recepiſſe virum meum? an etiam capias Dudaim filii mei? Cui reſpondit Rachel: Propterea cubet ille tecum hac nocte pro Dudaim filii tui. Gen.* 30: 10, 15.

PROPOSITIO DECIMA.

Dudaim sunt arborei foetus.

Nam, ubi de arborum flore agitur, *Cant.* 7: 14. ante alias dicuntur dediſſe odorem, & materiem calathis ſportisque utilem præbent.

PROPOSITIO UNDECIMA.

Dudaim sunt fructus, qui servari et recondi possunt.

Ex eo enim quod animadverterat Sponſa, *Dudaim* exhalato floris odore, proxime datura fructum, ſpem fecit ſponſo propediem accipiendi recentes fructus, quos ei cum veteribus in oporophylaciis recondat. *Cant.* 7: 14.

CONCLUSIO PRIMA.

Nullus interpretum assecuutus est vim no-

minis Dudaim, omnibus in plantam vertentibus, quæ autorum divinitus inspiratorum descriptioni haut convenit.

I. Igitur *Dudaim* non poſſunt intelligi *Amabiles omnes* flores elegantia & odore, & humiles, ut voluerunt *Junius* & *Tremellius*. Quo minus enim doctiſſimis viris aſſentiamur, vetat Jeremiæ vatis locus, qui docet calathos ſportaſque ex Dudaimis factas. Ex floribus autem calathi aut ſimilia vaſa confici haut queunt, ſed ex arborum libris & corticibus, aut reliqua earum materia.

II. Dudaim nec mandrogoræ florem, nec radicem ejus ſignificant. Et florem quidem ejus nemo eſt, qui vel ab odoris ſuavitate, vel a ſpecie laudet, nec mala aut radix pro ſenſuum oblectamentis captantur. *Plinius Nat. Hiſt. lib.* 23. *cap.* 13. *Odor gravis eſt, ſed radicis & mali gravior.* Adde quod ſoporiferum ſpirent odorem, & a *Dioſcoride* venenis annumerentur, *Alexi pharmacorum lib.* 15. ubi inter alia, Mandragora, inquit, ſi bibatur, confeſtim ſopor inſequitur, exſolutio & vehemens veternus, nihil diſtans a lethargo. Nec diſſentit ab eo Medicorum celeberrimus *Sennertus*, qui *lib.* 5. *Pract. Part.* 7. *cap.* 10. *pag.* 1095. ita pronunciat. Vulgo mandragoram refrigerando haut nocere creditur: tamen ſapor amarus, odor gravis, pruritus & ardor intolerabilis, qui corporis ſuperficiem adurit, linguæ & oris ariditas, contrarium docent. Et hi quidem effectus, ait, omnes, quibus nocet mandragora, ad vim venenatam & occultam proprietatem reducuntur. Ita *Scaliger* in exceptis per fratres Puteanos: *Mandragoræ ſunt frigidæ & ſomnum inducunt; mirum quomodo datæ, ut incaleſceret Jacob & in venerem incitaretur.* Qui exiſtimant fœtificandi vim mulieribus afferre mandragoras, eaque fini Racheli, tantopere expetitas fuiſſe, ea, quæ de frigiditate radicis objiciuntur, ita refellere conantur, ut hanc eis virtutem permittant in Africa, Hiſpania, Judæa, Mauritamia, Ægypto, iisque regionibus, in quibus pomi hujus eſu corpora mulierum aduſtos ac fervidos uteros habentium, ad temperiem adduci poſſe exiſtimant. Sed conclamatum herbæ frigus viruſque ſoporiferum in utero Meſopotamenæ mulieris, vel alicujus earum gentium, quas laudarunt, ignavum extitiſſe, quibus teſtibus aut experimentis probabunt? Porro, cum mandragoræ fructus autumno matureſcant, in-

inſcitia ſit ſtatuere, poma ejus, tempore meſſis triticeæ, & longe ante autumnum lecta, altercandi materiam ſororibus dediſſe.

III. *Dudaim* non ſunt *Lilia.* Roſæ quidem nobilitati proximum eſt Lilium, & impoſitum quoque maxime roſas decet, medio proventu earum incipiens. Nec ulli florum excelſitas major, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficienti capitis oneri. Sed quis, inquit Druſius, tam hoſpes eſt in Hebraica lingua, ut neſciat Lilia *ſchoſchannim* adpellari, non *Dudaim?*

IV. Dudaim non ſunt *Tubera*, ex eo genere, quæ ſunt ſine radice, vulgo Gallice *Truffes:* Rivetus, Tuberum, inquit, duo ſunt genera, unum ſine radice, ſine caule, ſi non ipſe tuber radix eſt: Alterum, quod caulem & radicem vel fibras præter tuber habet. Hoc vulgo panis parcinus adpellatur, Botanicis Cyclamen. Tubera iſtius generis edulia eſſe, certum eſt, inter fungorum ſpecies, ſed in illis nulla pulchritudo, quin potius deformitas quædam, quæ non magis oculis poteſt placere quam concretæ terræ plortiuncula. De odore autem, quem ei tribuit vir doctus, grato & ſuaveolente, non aſſentientur, qui ſæpius talia viderunt & commederunt. Certum eſt, formam coloremque & odorem, non reſpondere etymologiæ nominis *Dudaim*, nec deſcriptioni, quæ habetur *Cant.* 7: 4.

V. *Dudaim* non ſunt *Violæ.* *Bahal Aruch* ex *Sanhedrin fol.* 99. Quid ſunt Dudaim? Rab putat fuiſſe *Jabruchin*, mamdragoras, Rabbi Levi *Sigle*, violas; R. Jonathan, ut in noſtris legitur libris סבסוך id eſt, *ſampſucus.* Gloſſa Gemaræ, *Sigle* vel *ſiglin* exponit herbam, quam violam dicunt, cujus ſunt tria folia. Fallor, aut deſcriptione hac notatur Trifolium odoratum. Melilotus major, odorata, violacea apud *Moriſon. Hiſt. l.* 11. *c.* 162. quæ etiam lotus hortenſis, odorata *Caſpari Bauchino, pag.* 331. ſive lotus ſativa odorata, flore cæruleo *Joh. Bauhino Tom.* 2. *lib.* 17.

VI. *Dudaim* non ſunt Sampſuchum, quod a Judæis *Sabſuch* appellatum a Jonathane accepimus. Sampſuchum vel Sampſuchus eſt Clinopodium, Mari Syriaci foliis, odore maſtiches, ut eſt apud *Joh. Bauh. lib.* 28. *Tom.* 243. vel Marum maſtichem redolens, apud *Caſp. Bauhinum pag.* 224.

VII. Dudaim non ſunt *Geſminus* floſculus, Jaſmin Gallis adpellatus, cujus ſpeciem & odorem, ut deſcribat niſi fortiſſimo experitur *Franciſcus Pomey*, *Diverſ. deſcript.* Verba hæc ſunt. An cerni flos

poteſt

poteſt illo tenuior? vix vincit mole violam. An candidiorem reperias ullum? Nivem & lac adæquat colore. Ecquis autem ſuaviorem olfaciat? Nequaquam ambaris & moſchi æque ſuavis odor eſt. Quis demum vel cogitationem ſpecioſiorem effingat? ſtellæ cœlo delapſæ ſpeciem præbet ac fulgorem, adeo ut tam vere dici poſſit, quam ſcite, virentem cameram Geſminis intertextam inumbratamque terreſtre quoddam eſſe cœlum, quot pictum floſculis odoriferis, tot ſtellulis micans.

VIII. Nec ſunt *Solani veſicarii* vel *halicacabi* fructus, qui Arabibus *Alkekengi*, noſtratibus Juden-Kirſchen.

IX. Nec *Satyrion*, quæ prodeſſe dicitur genitalibus partibus & conceptioni. *Plinius* de Satyrio: Concitatricem vim habet. Duo ejus genera: una longioribus foliis quam oleæ, caule quatuor digitorum, flore purpureo radice gemina, ad formam hominis teſtium, alternis annis intumeſcente vel reſidente. Altera Satyrion orchis cognominata, quæ fœmina eſſe creditur. *Nat. Hiſt. cap.* 10. *lib.* 26.

X. Nec *Mora Rubi.*

XI. Nec *ſolanum ſomniferum*, quod Morion aliis, aliis Belladonna vocatur.

XII. Nec *peponis* ſeu Melonis parvi ſpecies, in Syria vel Ægypto frequens, colocynthidis inſtar, odoratum ſtriis viridibus, flavis rubriſque conſpicua, teſte *Ibn. Beitare.* In verſione Perſica *Tarwuſi*, Perſica lingua dicitur *Deſtanbouia*, id eſt, manus odoramentum, quod fructus ille grati odoris cauſa manu contineri & contrectari ſoleat. Arabice vocatur *Tsagariron*, & *Schamamon*, *Dudaim* eſſe cum alii, tum Clariſſimus *Golius* ſuſpicatus eſt. *Lex. Arab. fol.* 429. At nos hactenus memorata germina, quoniam in ea, quæ Scriptura Sacra tribuit ipſis *Dudaim* minus conveniunt, Dudaim eſſe negamus. Sunt enim in his alia, quibus nec fructus nec flos eſt præcox, ut Geſmino; ſunt quorum flores odorem non jaciunt, ut pepones, rubi mora, ſolanum, ſatyrion & halicacabus. Aliorum flores nec in veris initia, nec fructus in triticeæ meſſis incidunt tempora, ut lilium, viola, geſminus, mora rubi. Solanum & Mandragoræ vim habent noxiam & peſtiferam, nec merebantur a ſanctiſſimis conjugibus tantopere peti. De mandragora diximus: de Solano audiatur *Dodonæus*: Solanum ſoporiferum eſt, mentem conturbat, inſaniam facit, ſi pauciores baccæ ſumantur, plures vero etiam interficiunt, feſtinam mortem inferentes. *Hiſt. Stirpium,*

p.

p. 457. Nulla denique ex dictis ad vaſa continendis æſtivis fructibus ſunt utilia. Igitur & alias legere non memini ex herbarum foliis contextos calathos, vel ſportas, vel corbes, aut ſimile quoddam ſupellectile, excepta ob foliorum latitudinem colocaſia, quæ tamen nec in Syriæ nec in Palæſtinæ ſolo provenit, Ægypti ſaltem vel Cyrenarum indigena.

XIII. *Dudaim* non ſunt, quod in Bereſchith rabba, ſectione 72. verparum quidam opinatur מיש arbor, quam Arabes ميسن *Maiſon* vocant, ſellis doſſuariis apta, cornus ſcilicet maſcula, cujus ligno ob eximiam firmitatem ad ſellas doſſuarias nulla utilior: unde ad rotarum quoque radios, item ad torcularia & ſariſſas adhibetur. Primo quidem favonio cornus germinat, ſed fructum autumno demum, non, uti *Dudaim*, triticeæ meſſis temporibus adipiſcitur. *Ovidius Metamorph. l.* 8.

Conditaque in liquida corna autumnalia face.

Sunt ea cum quadam aciditate auſtera, neque adeo jucundiſſima; plus lapidis quam carnis habentia, quod etiam Poëtæ verſus teſtatur, qui ea ſilveſtribus baccis, tenuiſſimo cibo accenſet, *Æneidos II.*

Victum infelicem baccas lapidoſaque corna.

Nulla igitur cauſſa fuit, quamobrem ab uxoribus Jacobi tam enixe corna potuerint deſiderari. XIV. *Dudaim* non ſunt fructus arboris, quæ Arabibus موزن *Mauzon*, Mus vel Muſa, Indis *Kelli*; Perſis vero تين هندي *Thin-hindi*, id eſt, ficus Indica nominatur, & fructus ſuavitate & amplitudine foliorum & ramorum carentia, totoque adeo habitu memorabilis. Juvat hic pleniorem ejus deſcriptionem e Gazophylacio Perſico Angeli à S. Joſeph, *Hiſtoria Nat. Joh: Jonſtoni*, & *Baumgartneri itinerario*, exhibere. Muſa viginti fere palmorum altitudine attollitur. Radix eſt rotunda, gratum Elephanti pabulum. Rami nulli. Caudex cruris humani craſſitie, nodoſus, ex multorum corticum ſibi mutuo incumbentium junctura conſtat. Folia, quæ in caudicis cacumine expanduntur ſunt decempedalis longitudinis, latitudinis vero palmaris & ſemis. Duodecim interdum palmas longa, quatuor lata; minora plerumque hominem æquare, in longum procumbentem, dixit, in *Itine-*

rario Leonhardus Rauwolfius, creduntque Æthiopes Adamum & Evam ex iſtis foliis perizomata ſeu tegumenta ſibi paraſſe. Perpetuo virent, nunquam defluunt. Ex faſtigio naſcitur veluti thyrſus quidam florum, in morem pinei ſtrobili congeſtorum, ex cujus pediculis ſeu malleolis nodisque fructus producitur, palmari longitudine, craſſitie brachiali, cucumeris figura, guſtu ſapidiſſimo, odore admodum & ſuavi & ſalubri, & quaſi ſimilem cum melle ſaporem habens. Creſcit botratim, id eſt, plures in uno botro, aliquando decem, plerumque viginti, nonnunquam etiam ſupra, qui ubicunque & quotieſcunque incideris, in utraque parte inciſa, crucis effigiem clare oſtendunt. Menſe Junio, ut eſt in Itinerario Principis Radzevilii, matureſcit. Naſcitur Berythi, Phœniciæ quondam non ignobili urbe, tanta copia, ut inde efferatur Tripolim, Damaſcum, Damiatam, & uſque in Ægypti Alexandriam. Provenit etiam in Orientali India, in Guinea, in Abeſſinia, in Portugallia, in Cypro & in hortis Paphi. Etiam in Sinenſi Imperio, in Quantonia Provincia, Muſæ eæque ſingulares reperiuntur, uti annotat *Author Anonymus Sinæ & Europæ cap.* 36. Has, inquam, Muſas, poſt *Caſp. Bauhinum* & alios, *Jobus Ludolfus*, *Dudaim* fuiſſe ideo credidit, quia fructus in Syria fuerit rarus, & jucundus, qui puerum moverit, ut decerptum matri ſuæ afferret, eaque rixa, cui ſorores Rachel & Lea ſe commiſerant, non indignus fuerit. Nam flores, inquit, amabiles (ut alii reddunt) lilia, violas & ſimiles, miſſa ancilla æque facile legere potuiſſent. Ipſum quoque nomen, inquit, huc optime quadrat. Cognationem enim plurium ex communi quadam ſtipite profectorum inferre videtur. Præterea Dudaim apud Jeremiam ſportulas & calathos denotat. Hos vero ex foliis Muſæ ingentibus latisque & cubitalis longitudinis aptiſſime Paſtores conficiebant. *Vid. Annotationes ejus ad Hiſt. Æthiop. f.* 141. 152. 143. Sed fidem nobis talibus argumentis Vir Clariſſimus non facit, 1. Quia Muſam, qui Palæſtinæ plantas in itinerariis memorant, in Judæa non obſervarunt. 2. Serius matureſcunt in calidiſſimis regionibus Muſæ, quam ut in Syriæ interamnis agro, triticeæ meſſis tempore, id eſt, in Martio vel Aprili legi potuerint. 3. *Dod* & *Dudaim* nomina, habent quidem cognationem thematis, ſed formæ ſimilitudinem non habent. Nec enim a דוד, ſed a דוד deflexum eſt *Dudaim*, quæ formarum diſparitas ſignificationis paritatem tollit. 4. An Muſæ folia ad calathos ſportulaſque contexen-

das

das apta fuerint nullo argumento probavit. XV. *Dudaim* non ſunt Perſicæ mali flores, nec fructus. Ita fortean exiſtimaret, qui Perſicas primo ſtatim vere & ab Amygdalo proxime florentes meminerit. *Ferrarius Floræ lib. 2. c. 14. de Perſicæ floribus*: Florent poſt Amygdalam tepore verno evocati, roſeo pudore ſubrubicundi, leviter odorati, folioſo Damaſcenæ roſæ textu, pares ſpiſſo arctoque congeſtu ramulis adhæreſcunt, rari autem in fructum exeunt, magna virium parte in oſtentationem effuſa. Tamen & Perſicarum mala & flores, Dudaim fuiſſe nego: tum quod earum materia ſupellectilibus eſt inutilis; tum quia odorem minime acrem aut late fluentem ſpirant, tum quod mature quidem floreſcunt: ſed tardius aſſequuntur maturitatem. Septembri enim adulta fiunt. Aſiatica vero poſt autumnum matureſcunt. Id quod *Columella* etiam his verbis tradit:

Tempeſtiva manent, quæ maxima Gallia mittit;
Frigoribus pigro veniunt Aſiatica, fœtu.

XVI. Vox *Dudaim* non ſignificat *Nuces juglandes*. Interpres Bibliorum Abeſſinus *Dudaim* vertit in Cala-hakyl, id eſt, malum agri vel agreſte. Nucis genus eſſe ajebat Cl. *Ludolfi* Æthiops, magnitudine ovi columbini, nucleum oleaceum, flavi coloris ſatis jucundum habens: arborem ad radices montium creſcere; quæ deſcriptio nuci juglandi competit. *Ludolf. Lex. Æthiop. p.* 304. Omnino fallitur Interpres. *Dudaim* odorem poſt malum Punicam exhalant, juglandes non item: imo flos vel julus nucis multiplici callo compactus, odoris nullas in hortis delicias facit. Fructus vero nunquam initio meſſis triticeæ, nec ante Auguſtum menſem matureſcit. Ne dicam, quod alio nomine in Oriente Nux vocitetur. Hebræis enim אגוז, Arabibus cognata voce جوز *gauzon*; Perſis کوز *Cauz* adpellari ſolet. XVII. Dudaim non eſt Balſamum. Ita gratis Interpres Cantici Chaldæus ſtatuit, qui meminiſſe debebat, Dudaim a Rubene in Syria interamni inventa: balſamum vero Judææ vel Arabiæ conceſſum fuiſſe. XVIII. Dudaim non ſunt *philtra*. Id *Nicolaus Fullerus in Miſcellaneis* ex nomine colligi poſſe arbitratus eſt. Fruſtra. Eam quippe quæ nomine ſignificatur, amabilitatem, ad florem fructumque arborum, non amato-

torio poculo conciliandum pertinere, ex eo colligitur, quod puero *Dudaim* placuerunt, qui philtris minime indigebat; & quod matrona ea petiit, quam nullius ope philtri tenerrime dilexerat maritus, & a cujus pietate alienum fuit ſanitatis ac mentis e ſtatu ſuo movendæ periculo, quod amatoriis poculis fere conjunctum eſt, viri in ſe amorem concitare.

CONCLUSIO SECUNDA.

DUDAIM SUNT CERASI ARBORES, VEL CERASA FRUCTUS.

IN ceraſum quippe, vel fructum ejus, ea omnia, quæ de Dudaim in ſacris paginis memorata, conveniunt. Primo enim nominis menſuram hæc arbor vel maxime implet. Flores jucundiſſimi odoris, & fructus fert amœniſſimos. Et ex floribus quidem non alia magis gaudet, voluptuarii lactei candoris pompa. Fructus autem jucundiſſimæ figuræ, coloris ſaporisque & ſucci varietate ac viciſſitudine ſenſus afficiunt. Et figuram quidem aliis rotundam, ut cæcilianis vel ſativis; oblongam aliis, ut duracinis, aliis turbinatiorem longioremque ut Marobis Plinianis; his denique roſæ, illis vero cordi ſimilem, natura dedit. Quod ad colorem attinet, ſunt alba, ſunt nigra, ſunt viridia. Naſcuntur & punicea, & quæ maxime rubent Aproniana; quædam vero baccis partim rubentibus, partim candicantibus, &, quibus tertius eſt color, duracina e nigro ac rubenti viridique ſimiles matureſcentibus ſemper. Jam ſapor eorum dulcis, ut quibus principatum tribuit *Plinius* duracinorum, quæ Campania vocat, vel ſubdulcis, vel dilutior, qui eſt majorum, & ſilveſtrium, vel dulcis cum mixtura quadam amaritudinis, ut nec nimia acerbitate reſpuantur, nec dulcedine faſtidium pariant: vel melleus, ut Julianorum; gratus, ſed ut *Plinius* ait, pene tantum ſub arbore ſua; adeo tenera, ut geſtatum non tolerent. Porro leguntur acida, quæ tardius matureſcunt; acidiſſima, Tragi primum genus: auſtera, quæ in altiore arbore naſcentia vulgus Gallorum Meraſia vocat: ſubamara, non ingratæ amaritudinis, inſita lauro, de queis *Palladius*.

Inſeritur lauro Ceraſus, partuque coacto,
Tingit adoptivus virginis ora pudor.

II. Ceraſa primitivos anni fructus pueros atque mulieres acerrime concupiſcere, iisdemque avidiſſime veſci, notiſſima res eſt. Itaque ubi iis, quorum deſiderio æſtuant prægnantes perfrui non datur,

datur, ſæpenumero nævos imprimunt fœtui. De quo *Hildanus Cent.* 5. *Obſ.* 4. 6. *Nicolaus Pfizer de Nat. Mulier. lib.* 1. *c.* 25. *Sennertus*, *Helmontius*, *Digby*, & alii plures.

III. Paſſim Ceraſi, tum in tepidis, tum in frigidis naſcuntur locis, magis tamen ſeptentrione frigidiſque gaudent. Id quod ipſo nomine ſignificatum. Ceraſus enim Syrico vocabulo dicitur קרישא, *Kereſcha*, vel קרושא, *Keruſcha*, id eſt, frigus; quam vim habet in Thargum Jonathanis, *Gen.* 31: 40. אכלני שרבא וקרושא conſumſit me æſtus & gelu. A Ceraſorum abundantia nominata Ceraſus, Ponti urbs, non quod quidam voluerunt, ceraſus arbor ab urbe. Hinc a Lucullo in Italiam translata, ut *Plinius* tradit, ægre proveniebat.

IV. Ceraſi ante Vitem & Punicam germinantes ſeptidui ſpatio defloreſcunt. *Plinius* de arborum flore: Defloreſcunt omnia ſeptenis diebus, non celerius: quædam tardius, ſed nulla pluribus bis ſeptenis. *lib.* 16. *cap.* 25.

V. Ceraſi florem ineunte vere, prima autem æſtate fructum, *Plin. lib.* 15. *c.* 25. Ordine, inquit, naturæ, ſylveſtrium primæ, ſambucus, cui medulla plurima, & cui nulla, cornus maſcula. Urbanarum malus, parvoque poſt, ut ſimul videri poſſit, pirus, & *Ceraſus*, & prunus. Sequitur laurus, illamque cupreſſus, dein *Punica* fici. At vites & oleæ florentibus jam iſtis germinant. Concipiunt Vergiliarum exortu. Hoc ſidus illarum eſt. Floret a ſolſtitio vitis, & quæ paulo ſerius incipit olea. *Pomum ceraſus initio æſtatis, ante omnes arborum fœtus maturat.* Igitur de ea idem *Plinius*: Inter prima, inquit, hoc e pomis colono gratiam annuam refert *lib.* 15. *c.* 25. Hunc itaque tam præcocem, atque primum arborum cæterarum fructum, quid mirum, ſi viſo frui tantopere Rachel cupiebat.

VI. Ceraſus in Syria & Palæſtina provenit. Vulgaris arbor eſt, & ubique, niſi impediat pinguius ſolum, proveniens. Itaque in Ægypto, quam ſingulis annis limo pinguiſſimo fæcundat Nilus, nulla cura gigni potuiſſe ſcribit *Plinius*, idem, opinor, de Judæa dicturus, ſi illa caruiſſet. Certe in munuſculis, quæ Euſtochium, Pauli filia, ex monaſterio ſuo & Bethlehemi pomariis, miſit Hieronymo, recentia quoque ceraſa fuere, de quibus ipſe Epiſtola ad Euſtochium; Accepimus & caniſtrum ceraſis refertum, talibus & tam virginali verecundia rubentibus, ut ea uunc a Lucullo delata exiſtimarem. Siquidem hoc genus pomi Ponto & Armenia ſub-

jugatis, de Ceraſunte primus Romam pertulit, *fol.* 134. *edit. Eraſm.*

VII. Ceraſorum cortices & libri ſportis calathiſque, quæ arborum fructus capiant, aptiſſimi. Amplioribus ad alburnum uſque detracti, ſunt majoribus aridorum ſiccorumve menſuris utiles. Ex iis cunas parari & funiculos, quibus adinſtar nervi vinciant, autor eſt *Jonſtonus.* Vidimus & nos e ceraſi corticibus factas paſtorales buccinas. Lentus enim & flexilis cortex plurimæ agricolarum ſupellectili materiam præbet.

VIII. Ceraſa primitivos & vulgares æſtatis fructus pueri puellæque & mulieres pulcre norunt, veſcendoque ipſis plurimum afficiuntur. Sunt enim, cum frigida ſumuntur ἐυςόμαχα, id eſt, ſtomacho valde grata. *Athenæus lib.* 2. *Dipnoſoph. p.* 51.

IX. Ceraſa ſole & igni ſiccata recondi & ſervari in plures poſſunt annos, non ſecus ac uvæ paſſæ & in palathas compoſitæ ficus, & amygdala, nuces, & piſtacia.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

DE VITE.

VITIS *arbor.* Delith, *vitis pergulana Thalmudiſtis. Vitis non fuit arbor ſcientiæ boni & mali. Vitis propagines* Canna & Cena, netiſcha. Jahzer, *urbis vocabulum pro* mijahzer, *Jerem.* 48. *Vitis malleolis propagata. Per mergos quomodo propagetur. Vitigineum ſarmentum Judæorum typus. Vitium differentia.* Gephen addereth, *vitis eximia. Vitis vinifera. Agria vel agreſtis. Vitis alba. Vinitores. Vitis Chriſtus. Vinitor Deus. Vinitores, Miniſtri Evangelii. Vinitores extranei. Vitiſator Noach. Unde Noacho vitis, quam plantaret? Colona vineæ mulier ſtrenua. Uziæ Regis vinitores. Vinitores ſcelerati. Vinitoribus data militiæ vacatio. Lignum vitis debile. Regum ſceptris apta. E ſilveſtri vite ſimulacra, templorum columnæ, ſcalæ. Palmites vitis* hanaph, zemona, *qualis cum uva ex Canaanitide in palanga deportabatur, typus verbi divini.* Baddim *palmites robuſtiores.* Sarigim *palmites complicati dierum hieroglyphicum.* Habothim, *palmites denſi*, dalijoth *excelſi. Palmitis ſagittæ. Palmites a Chriſto vite ſejuncti. Folium a vite demiſſum labentium ſiderum imago. Gemma & flos palmitis.*

I.

I. Vitis arbor, Vitis pergulana.

Vitis jure apud priſcos magnitudine quoque inter arbores annumerabatur, & in Apologo Jothami *Judic.* 9. Regem requirentes arbores viti regnum deferunt. Nullo fine creſcunt vites, villaſque & domos ambire ſingularum palmitibus ac ſequacibus loris quoque memoria dignum inter prima authores exiſtimarunt. *Plin. H. N. lib.* 14. *cap.* 1. Falce cohercitæ, ut apud nos fere ſolent, ad eam proceritatem non aſſurgunt. De pergulana vite, Thalmudicis דלית adpellata, quæ maceriam domus ambiat accipiendum illud *Pſalmi* 128: 3. Uxor tua ut vitis fructifera ad latera domus tuæ; & de arbuſtiva, quod legitur *Zach.* 3: 10. Die illo, ait Dominus Deus exercituum vocabitis quiſque proximum ſuum ſub vitem & ficum veſtram: Senſus myſticus: Vocabitis ſub vitem; invitabitis proximum ad ſpiritualia oblectamenta, ad pacem & gaudium in Spiritu Sancto: & ſub ficum; ad charitatis & beneficentiæ fructus. Et *Michæ.* 4: 4. *Conſideant quiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua*, id eſt, ſub vite arbuſtiva ſeu vite fico applicata, nemine deterrente, hoc eſt, alta pace fruatur, tuto degat, & quiete fruatur bonis ſuis. Ficus minus denſa folio, ſolis radios transmittit, & ſub ea recubantibus aut ſedentibus non quietem, ſed moleſtiam præbet. Omnino igitur maritata fico vitis hic intelligitur. Ita & *Plinii* ævo ad arbuſta eligebatur Ficus & Olea. Nam, inquit, in eligendis arbuſtis non ſpernunt plerique & fraximum ficumque, & etiam oleam, ſi non ſit umbroſa ramis. *Hiſt. Nat. lib.* 18: 23. De humili, non arbuſtiva vite loquitur *Theophraſtus lib.* 3. *de cauſſis Plant.* ubi moleſtas ait ficum & oleam eſſe viti, quia ſint voraces & ſuccibibulæ; hoc primum a radice; alterum, quia multum occupant umbra ſua. Vitis enim humilis, illæ eminent atque late operiunt. Vitis accipitur etiam pro genimine & fructu vitis. 2 *Reg.* 18: 31. *Sic comedite quiſque vitem ſuam*, & *Jerem.* 5: 17. *Comedet hoſtis vites tuas*, id eſt, fructum vitis.

II. Vitis non fuit arbor scientiæ boni et mali.

Vitem ſcientiæ boni & mali arborem fuiſſe putat *R. Jehuda Eliades*, a contribulium ſuorum ſententia longe ſejunctus: *Rabbi Meir* enim ait, fuiſſe triticum, quod magnitudine cedros Libani æquaverit,

verit, *Rabbi Abba de Accunte*, Citrum; *R. Joſe* ficum elegit in Bereſchith rabba, *ſect.* 15. Nec, quod miror, a *R. Jehudæ* partibus abeſt Clariſſimus *Ligtfootus.* Is, dum penſatius cogito, inquit, quare tam ſevera interdictione prohibeatur Naziræo totalis uſus vitis, ut non ſolum ne bibat de vino, ſed &, ne guſtet de uvis, de acinis, de granulis uvæ, aut de cortice vitis, non poſſum non hæc duo apud me revolvere, I. an vitis non fuerit arbor in paradiſo, quæ prohibita fuit Adamo, & quam guſtans peccavit. De hoc affirmative determinant Magiſtri Judæorum abſque omni ſcrupulo *Sanh. f.* 70. *col.* 1. *Bcmidbar rabba f.* 140. 2: & 238. *col.* 4. II. An non lex de Naſiræatu reſpexerit ſtatum Adami dum eſſet ſub iſta prohibitione, vel dum eſſet innocuus? Si enim immunditiæ corporales & legales de quibus præcipitur, *Num.* 5. præſertim vero lepra, immunditiarum immundiſſima: optime delinearunt ſtatum & naturam peccati: nonne Naziræatus puritas, in religione puriſſima, *Thren.* 4: 7. commemoravit aliquid de ſtatu ante peccatum? Nos tacente Scriptura genus illud arboris haut gravate ignoramus.

III. VITIS PROPAGINES, כנה CANNA, ET CENA.

Pſal. 80: 15, 16. VISITA *vitem hanc*, & *propaginem*, *quam plantavit dextera tua*, & *ſurculum quem fortificaſti tibi.* Propago vel ſurculus vocatur כנה. Hujus vocis, inquit *Bochartus*, ſeptem minimum reperio verſiones pleraſque remotiſſimas. Ego φυτὸν, plantam expono, ex Ægyptio ſermone, quo hedera χενόσιρις dicebatur, id eſt, φυτὸν Ὀσίριδος, teſte *Plutarcho in Iſide ex Alexandro, Geograph. Sacræ pag.* 67. Verum rectius mens vocis ex Maſoretharum ſcriptione percipitur. Nimirum וכנה *cum majuſculo caph* exaratum ex forma nominis גנה, id eſt hortus, a themate כנן, quod apparet in nominibus כנניה Cenanja, & כנניהו Cenanjahu, id eſt propagavit DOMINUS, 1 *Chr.* 15: 22. & *Nehem.* 3: 7. Altera ſcriptio וכנה venit cum *He paragogico.* Abſolutum nomen eſt כן propago vel ſurculus, quod extat *Dan.* 11: 7. ועמד מנצר כנו *ſtabitque de germine radicum ejus propago* vel *ſurculus ejus*; ubi Vulgatus *plantatio ejus.* Vid. *Arcanum* noſtrum *Keri p.* 167. Verbum פקד cum caſu quarto eodemque ſenſu cum על præpoſitione conſtruitur, ut *Jeſa.* 27: 3. פן־יפקד עליה *nequis viſitet illam*, & *Zach.* 10: 3. vel 5. ועל העתודים אפקד & *hircos viſitabo.* כן autem ſurculum hic interpretor, idemque ſonare exiſtimo, quod *Gen.* 49: 22. בן פרת *ſurculus fœcundus* Joſeph, ſur-

culus

culus fœcundus ſecus fontem, & quod plurale fœmininum בנות eodem commate obvium: *Surculorum* quiſque procedit ultra murum *Job.* 8: 16. pro בני ſcribitur יונקתו ſynonymon: ſupra hortum ſurculus ejus prodierit.

IV. נטישה NETISCHA.

Est propago ex vite diffuſa, נטש enim diffuſionem ſignificat *Jerem.* 48: 32. Propagines tuæ, id eſt, Juvenes tui, *trajicient mare ad mare uſque a Jahzere pervenient* vaſtatores *Domini gentium.* עד ים יעזר ſcriptum loco עד ים מיעזר ad mare ab Jahzere, ob concurſum ſcilicet duorum Mem, radicalis & ſervilis, ſervile Mem, quod nomini יעזר debebatur ἐλλείψει. Sic expoſita ſententia congruit vaticinio parallelo *Jeſa* 16: 8, 9. Domini gentium contundent lectiſſimas plantas ejus; Jahzerem uſque pervenient, errabunt per deſertum, *à Jahzere*, cujus plantas revulſerunt *digreſſi*, trajicient mare. Convenit etiam Hebraicæ accentuationis regulis, quæ vocem loci terminum notantem, per ſervum & Dominum conjungi docent. Qui interpretantur, *uſque ad mare Jahzeris pertingent*, mare vel lacum fingunt, cujus nullam ſcriptura ſacra mentionem fecit: deinde vitium propagines, in Moabitidem transferri volunt, in qua extitiſſe eas, textus innuit.

V. Malleolis propagata vitis.

Ezech. 17: 5, 6. *Accipiens Aquila quædam maxima*, Rex Babyloniæ, *e ſemine terræ*, malleolum vel viviradicem, *poſuit in agro ſativo*; *acceptum ſecundum aquas circumſpectiſſime poſuit. Atque hoc quidem ſemen germinavit*, *abiitque in vitem luxuriantem.* Semen nos malleolum interpretamur, quem Columella nominat malleolarem virgam, quod ut ſemine ſtirpes aliæ, ita malleolo & viviradice propagantur vites. Semen quippe vitis vel vinacei tardiſſime in vitem adoleſcunt. Malleolus eſt novellus palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatus ob ſimilitudinem rei, quod in ea parte, qua deciditur ex veteri ſarmento, prominens, utcunque mallei ſpeciem præbeat. Noſtrates agricolæ malleolos Kappen vocant. Viviradix dicitur planta, quæ cum radice ſeritur. Propagatur etiam vitis, quando velut arcus ſuper terram relinquitur, alia parte vitis infoſſa. Noſtrates Söhne, id eſt, filios, Latini Mergos, Rabbini בריכות *berichoth* adpellant, *Horla cap.* 1. & *Kilaim cap.* 7. *Ruellius* eum propagandi modum ſic deſcribit: Supra terram juxta ſuum adminiculum vitis curvatur, atque ex alto ſcrobe ſubmerſa perduci-

tur ad vacantem palum ; tum ex arcu inflexo vehementer citat materiam. Sequente anno inſecatur ſuperior pars curvaturæ medulla tenus : ne totas vires mares propagatum in ſe trahat flagellum, & ut paulatim diſcat ſuis radicibus ali. Bima deinde præciditur proximi palma. *lib.* 1. *p.* 7. Equidem mergum, quia fere eo loco, quo juxta vetulam vitem, matrem ſuam ſatus eſt, relinqui ſolet, non exiſtimo hic ſemen vitis a Propheta dici.

VI. VITIGINEUM SARMENTUM JUDÆORUM TYPUS.

Ezech. 15: 6. SIC *ait* DOMINUS JEHOVA DEUS, *Quemadmodum lignum vitis cum ſilveſtri ligno, tradidi igni in eſcam : ita traditurus ſum habitatores Hieruſolymæ.* Senſus : Ut lignum, ſive ſarmentum vitigineum a vite abſciſſum, cum ſilveſtri ligno viliore condidi ad concremandum & abſumendum igni : ita Hieruſolymitanos cum viliſſimis hominum exitio dabo. בעץ היער cum ligno ſylvæ, vel, & lignum ſylvæ, *juxta Noldium Concord. p.* 147.

VII. VITIUM DIFFERENTIA. SOREK VITIS GENEROSA.

Gen. 49: 11. LIGANS *ad vitem aſellum ſuum, ad generoſam vitem filium aſini ſui.* *Bochartus* voce *Soreka* colorem uvæ deſignari putat flavum aut gilvum, melius forte expoſiturus nigrum. שרק enim Chaldæis ſtibium ſonat, quo fucantur oculi. *Schabb. fol.* 95. 1. & *Moedkaton fol.* 9: 2. & שרוקי fuſcata ſeu fucata vocant Thalmudiſtæ. Sed vitem hic intelligi non uvam, ex eo patet, quod ad eam Aſinæ pullus dicitur alligatus. Jonathan Chaldæus interpres *Jerem.* 2: 21. שורק reddit גפנא בחירה & *Jeſa.* 5. 2. גפן בחירא hoc eſt, *vitem electam*, alii evgeniam vel generoſam, quæ verſio, licet textui ſacro non adverſetur, vim tamen vocis propriam non exprimit. Nam גפן שורק proprie, & ſecundum etymon explicatum nomen, fiſſi vel rupti corticis vitem ſonat. Radix enim eſt שרק quam in lingua ſua ſervatam Arabes efferunt شرق *ſcharaka* : ש Hebræorum permutato, ut ſolent cum ش. *Scharaka* autem eſt *findere* ; unde & شرق *ſcharkon*, fiſſura. Nimirum ſpontanea corticis fiſſura, rupturam diceret *Plinius*, vitem ab aliis arboribus ; ut cortex levis malum & ficum, ut ſcaber palmam, ut carnoſus populum diſcernit : & quum ante vitigineus cortex non findatur, quam ex mal-

malleolo, mergite, aut viviradice, ad ferendum fructum adoleverit; ruptura etiam vitis robur & firmitas declaratur. Fuerit igitur vitis fiſſilis vel rupta vitis adulta, roborata, confirmata; nec alio ſenſu accipiendum nomen *Sorek*, *Gen.* 46: 11. *Ligat ad vitem aſellum, & ad vitem fiſſilem (adultam ſeu corroboratam) pullum aſinæ ſuæ.* & *Jeſai.* 5: 2. *Vineam conſevit vite adulta* ſeu corroborata. Eodem gaudet ſignificatu ab eodem verbo tractum nomen שׂריקות *Jeſa.* 19: 9. *Erubeſcent artifices linorum fiſſilium*, hoc eſt, culmorum cannabinorum, & reticulatorum operum textores. *Vid. cap.* 23. *Partis II:*

VIII. גפן אדרת Vitis eximia.

Quæ in altitudinem elata & in ramos ampliſſime deducta aliis præfertur, q. d. Vitium principem, vel eam, cui principatus datur. Hanc eſſe vim nominis אדרת, apparet ex iis vocibus, quæ cum אדיר collactanea conjunguntur, verbi gratia ואת־האדירים ואת־המושלים בעם & principes dominanteſque in populo. 2 *Par.* 23: 20. *Dormitabunt paſtores tui, jacebunt* Addirecha *præſtantiſſimi* vel *principes tui. Nahum.* 3: 18. *Ejulate paſtores & clamate, & volutate vos*, Addire kattzon, *principes gregis. Jerem.* 25: 34. *Erit ex ipſo* Chriſtus, *Princeps ejus ex ipſo, & dominator ejus*, Jacobi, *e medio ejus prodibit. Jerem.* 30: 21. *Illuſtris factus eſt*, Addir, *eximius vel præſtantiſſimus, e montibus direptionis*, *Pſal.* 76: 5. Reſpondet *Addir* etiam nomini *Kadoſch*, quod ſejunctum & ſeparatum denotat *Pſal.* 16: 2. *Selectis qui ſunt in terra*, Veaddire, *& præſtantibus in quibus tota delectatio mea.* Viti eximiæ & excellenti opponitur גפן שפלת קומה, vitis humilis ſtaturæ, *Ezech.* 17: 6. & hæc quidem humilis regni, illa autem præcellentis & amplificati imperii, ſymbolum. Juvabit parabolæ partem *Ezech.* 17. propoſitæ, quatenus huc ſpectaverit, expoſitione noſtra illuſtrare. Vitis illa in agro ſativo, ab ingenti Aquila ſecundum aquas multas poſita, ℣. 5. quum jam abierat in vitem luxuriantem, ℣. 6. palmites ſuos ad aliam aquilam emiſit, ℣. 7. illa, inquam, agro bono ad aquas multas plantata vitis, in quo edere fructumque ferre, denique ex humili vitis eximia fieri poterat, ℣. 8. ad aliam aquilam, indignum! palmites ſuos porrexit, ut ab ea per ſui ſatus ordines irrigaretur: quo meruit, ut ſucciſo fructu ejus, & arefactis omnibus ramis radicitus tolleretur. Hoc eſt: Tzedekias, Judæorum Rex, Nebucadnezaris, Chaldæorum Regis potentiſſimi armis victus in Judæa,

 optima

optima & fertili terra precarium regnum obtinuit, quo quidem ſi contentus fuiſſet, feliciter ſubditis ſuis imperare, & augere opes ſuas, &, quo Deus præviderat tempore, a clientela Regis Babylonii ſolutus & liber, amplificato Imperio vitam degere potuiſſet, is, inquam, fœderis violata ſanctitate a Babylonio deſciſcens auxiliares copias ab Ægyptio Rege petiit, ℣. 5. & nefario defectionis crimine perniciem ſibi accerſivit. ℣. 16. *& ſqq.*

IX. גפן היין VITIS VINIFERA.

Judic. 13: 14. EDIXIT *Angelus Domini Manoacho: De nulla re quæ exit e vite vinifera, comedito uxor tua, & vinum, & potum inebriantem ne bibito.* Vitem viniferam dixit, διακρίσεως ἕνεκα. Nam eſt vitis agri vel agreſtis *Plin. lib.* 16. *cap.* 40. Probatur igniaria petentibus & vitis ſilveſtris, alia quam labruſca, & ipſa ederæ modo arborem ſcandens. Hanc *Theophraſtus* de Matthioli ſententia Atragenen vocaſſe videtur, *Hiſt. Plant. libr. V. cap. ult.* ubi de fomitibus ad ignem concipiendum egit. Antiqua enim ætas, chalybem fortaſſe non experta, ex ligno duriore & fungoſo ignem parabat, ad quod, meo judicio, inquit, ſilveſtris vitis materies admodum apta fuit. Deſcribitur vitis agria a *Dioſcoride lib. IV. cap.* 177. Vitis agreſtis, (non ſilveſtris, ut male vertit *Plinius*, & qui eum ſequitur *Ruellius*) ſarmenta, vitis viniferæ modo, emittit, aſpera, lignoſa, foliis hortenſis ſolani longioribus, ac latioribus, racemoſo flore & capillaceo: fructu exiguis uvis ſimili, poſt maturitatem rubente, rotunda eſt acinorum facies. Vitis etiam agreſtis nomine, labruſcam notat *Dioſcorides, lib.* 5. *cap.* 2. Ἄμπελος ἀγρία, inquit, duorum generum eſt. Alterius uva non matureſcit, ſed flore tenus Oenanthen nominatam producit: Altera ad frugem pervenit, parvis acinis nigra & adſtringens. Folia, caules & claviculæ, quibus repunt, vim habent cultæ viti ſimilem. Eſt & vitis alba, de qua *Dioſcorides.* Vitem albam aliqui bryoniam vocant. Foliis, viticulis, pampiniſque, ſativam vitem imitatur, ſed hirſutiora ſunt omnia. Ea, quos prope ſe nacta ſit frutices, ſuis claviculis complectitur; fructus rubens in uva dependet, quo coria pilis ſpoliantur. Ex ea aſparagi decocti in cibo alvum & urinam cient. *lib.* 4. *c.* 176. Eſt denique nigra, quam autore *Dioſcoride*, nigram bryoniam aliqui vocant. Folia fert ederæ, ſmilaceis proxima, ſed majora; caules etiam cognatos, capreolis ſuis, arbores quaſi adminicula comprehendit. Fructus racematim cohærent, qui inter principia

cipia virent, & poſt maturitatem nigreſcunt *lib.* 4. *cap.* 177. De vitis agriæ fungis legitur 2 *Reg.* 4: 3. *Egreſſus quidam in agrum ad colligendum olera, invenit* Vitem agrestem, *collegitque ex ea fungorum agreſtium* (qui ex ea protuberabant,) *plenam veſtem ſuam, & veniens conſciſſos poſuit in olla pultis, non enim noverat. Poſtea infuderunt hominibus, ut ea comederent. Sed fuit comedentibus illis ex ea pulte, ut clamantes ipſi dicerent, Mors eſt in olla iſta, Vir Dei! & non poſſent comedere.* De his fungis plura dabimus ſuo loco.

X. Vitis Christus.

Joh. 15: 1. Ego *ſum vitis vera.* 1. Vitem ſe vocat, id eſt ſimilem viti, ſecundum humanam naturam quidem, ſed quatenus unitam Deo. Nam quamvis vitis & palmites unius naturæ eſſe debeant, hoc eſt, humanæ, Chriſtus tamen influentiam vitis palmitibus ſuis non præſtaret, niſi ſimul Deus eſſet, ut notat *Auguſtinus.* 2. *Vitem* ſe dicit *veram*, ratione effectus ſcilicet, quia longe nobilius & perfectius immittit in palmites ſuos, homines, ſuccum, vigorem, alimentum, vitam, quam vitis naturalis in ſarmenta ſua. Cujuſmodi ſenſu vocatur ipſe *Joan.* 2. Panis vivus, non quod vere ſit corporalis ille panis; ſed, quia tam vere, imo longe verius & perfectius nutrit, quam panis. 3. Vitis eſt generoſa: Deus ex Deo, & ſecundum carnem Davidis Regis progenies. 4. Vitis fœcunda, quæ palmites gignit innumeros, eos ſcilicet, qui credunt in nomen ejus. *Apoc.* 7: 9. *Pſal.* 110: 3. 5. Vitis ad quam Jehuda alligabit aſellum, id eſt, ad quem Judæi fideles adjungent populum legis jugo preſſum. 6. Vitis, in cujus vino Jehuda loturus erat veſtimentum ſuum, & ſanguine uvarum ejus operimentum ſuum, *Gen.* 49: 11. id eſt, cujus ſanguine Judæi credentes Evangelio conſcientias animaſque ſuas purgabunt. *Apoc.* 7: 14. Eſt enim ſanguis Jeſu Chriſti, qui mundat ab omni peccato. 1 *Joh.* 1. 7. Vitis, ſub qua ſecure omnes habitant, ut Salomonis temporibus Iſraëlitæ 1 *Reg.* 4: 25. Sub alis enim & ſub umbra Jeſu Chriſti, ſine metu recubabimus, liberati e manu inimicorum, & omnium, qui oderunt nos, *Luc.* 1: 74. 8. Vitis eſt ampla & procera. גפן אררת eximia, excellens, quæ terram implet, cujus umbra montes operiuntur, & palmitum ejus cedri maximæ *Pſal.* 80: 11. 12. Chriſtus enim altior eſt cœlis, & excelſior omni principatu. Idem præſentia ſua Eccleſiam,

& cognitione ſui totum terrarum orbem implevit.

XI. VINITORES.

IN ſacris paginis dicuntur I. כרמים a *cerem* vinea. *Cerem* autem a ſoli nobilitate vel a munificentia & liberalitate. *Joel.* 1: 11. 12. *Ejulant Vinitores*, *quia vitis & ficus*, vitis adminiculum, *exaruit.* II. עשי מלאכת הכרמים *exercentes opus vinearum*; quibus Davidis tempeſtate præerat Schimhi Ramathæus, 1 *Chr.* 27: 27. III. γεωργοὶ, *agricolæ*, *Matth.* 21: 33. 34. In verſione Græca ſcriptiſque aliis vocantur vocantur ἀμπελουργοί.

XII. VINITOR I. DEUS.

Johan. 15: 1. 2. EGO *ſum vitis vera & Pater meus Agricola eſt*, id eſt, *Cultor vitis & palmitum.* Nulla arbor tanta indiget cultura atque vitis. Felicem ergo vitem cui Vinitor Deus, Chriſti Redemtoris Pater contigit. Is autem ſtudium agricolæ oſtendit 1. in vitis nobiliſſimæ, id eſt, Chriſti electione. Ex univerſo humano genere Chriſtum elegit, qui palmitibus ſuis, ſuccum, vigorem, alimentum & vitam communicaret. 2. In plantatione *Jeſa.* 53: 2. *Aſſurgit ut tenera planta coram eo*, ipſo ſecundante & incrementum largiente, *& tanquam radix in terra ſolitaria*, quæ, ut abeat ſurſum, non exſpectat virum, neque præſtolatur filios hominis. *Mich.* 5: 6. Pater eſt, qui excitavit Iſraëli nobilem plantam promiſſam, *Ezech.* 34: 29. Virum, cujus nomen eſt Germen, e loco ſuo germinantem, *Zach.* 6: 12. Cæterum, quia vites habentur etiam ad Chriſti regnum vocati homines, in iis quoque colendis ſtudium & operam impendit cœleſtis Pater. Colit autem vitem per verbi, incorrupti ſeminis, præconium, plantando. Quicquid enim ipſe hoc modo non plantaverit, eradicabitur. *Matth.* 15: 13. Plantat autem vitem generoſam, totum ſemen veritatis, id eſt, ferit eo fine, ut habeat vitem optimam, ut fructum probum ex ſuo ſemine percipiat. 2. Cultus ſui curam manifeſtat, vites purgando ſive putando. *Joh.* 15. *Pater meus purgabit omnem palmitem qui fert fructus.* Non minimam, ut *Columella* ſentit, Vinitori utilitatem præbet putatio, ſi fiat aptis diebus, ſi ſapienter; ſi ratio vel ſolis, vel generum vitis, vel materiæ habeatur. Major palmitis a Deo putati utilitas. Purgat palmitem, *ut plures* ſubinde fructus ferat. Plures juxta augmenta gratiæ in hac, & gloriæ in altera vita. Comparativus *plures* dicit intenſionem gloriæ, non gloriam eſſentialem ſeu viſionem beatificam. Ea enim in omnibus beatis æqualis, omniſ-

que

que remiſſionis & intenſionis incapax eſt. Gratia vero etſi intendi ac remitti queat, ſolos gradus tamen, non gratiam ipſam mercedis nomine venire, adverſarii per hypotheſin juſtificationis primæ, (quam ipſi mere gratuitam agnoſcunt,) largiuntur. *Schertzer Breviar. Hulſemanni exucleato cap.* 22. Tamen ad Deum vites ſuas putantem nulla redit utilitas, ſecundum id, quod legitur *Pſal.* 16: 2. *Bonum meum non pertinget ad te.* Omne igitur putationis commodum accedit hominibus, quorum luxuriæ non indulget, quorum terrenas cupiditates cohercet, ignorantiam, cæcitatem ac diffidentiam demit. 3. Vites paſtinando & ablaqueando. *Hoſe.* 10. 1. *Vitem ablaqueavit Iſraëlem, fructum ponit ipſi.* Verbum בוקק formæ *Pihel* præteritum eſt, & pendet a voce *Deus meus*, *cap.* 9: 17. de eo vide *Jerem.* ℣. 51. *in Cal. Eſai.* 24: 1. *Nahum.* 2: 3. Diligentiſſimus Dominus *de Dieu* nobiſcum animadvertit, & גפן ubique fœmininum, & verbum בקק ubique tranſitivum. Sed nimis late vertitur *evacuare.* Ex locis citatis patet notari hoc verbo paſtinationem in terra & circum arbores. Qua cum radix nudetur & propagines auferantur, ſæpe in metaphora ſignificatur debilitatio, deſtructio, coërcitio. Eſſe agricolationis vocabulum ex loco Jeremiæ & Nahumi patet. Hic actio ad multiplicationem fructus faciens aperte notatur. Latinum verbum, quo utimur in verſione diſci poteſt ex *Palladio lib.* 2. *tit.* 1. Ablaqueandæ ſunt vites, quod Itali excodicare appellant: id eſt, circa vitis radicem dolabra terram diligenter aperire, & purgatis omnibus velut lacus efficere, ut ſolis teporibus & imbribus provocentur. *Columella lib.* 4. *c.* 8. Vitis ablaqueanda eſt, quod opus adopertas oſtendit æſtivas radiculas, eaſque prudens agricola ferro decidit. Conferendus hic omnino Nahumi locus: Paſtinarunt illos paſtinatores & ramos deſtruxerunt. *Coccejus Comment. in h. l.* Paſtinat ergo Deus quando aperit corda ad noſtram conuerſionem, ut ſole gratiæ admiſſo ad ferendos bonorum operum fructus reddamur idonei.

XIII. Vinitores II. Ministri Evangelii.

1 *Cor.* 9: 7. Quis *plantat vineam & de fructu ejus non edit?* Labor vinitoris varius & moleſtus eſt; ſic & fidelis miniſtri. Jam ligandum eſt, jam putandum, jam demittendum, jam erigendum, nunc paſtinandum, nunc reſarriendum, nec ullum anni tempus eſt, quo non laborandum ſit in vinea. Idcirco non laborare tantum, ſed & inſtare jubet Apoſtolus Timotheum ſuum: *Attende*

tibi

tibi & doctrinæ , inſta in illis. 1 *Tim.* 4: 16. *Prædica verbum, inſta tempeſtive , intempeſtive , argue , objurga , exhortare ,in omni patientia & doctrina.* 2 *Tim.* 4: 2. *Balduinus ad* 1 *Cor.* 9. Huic operæ & labori tribuitur pretium ac merces , a Deo quidem ex gratia , ab homine , cui impenditur ex merito , jure, more , exemplo.

XIV. VINITORES EXTRANEI.

Jeſa. 61: 5. ADERUNT *alieni, qui veſtras paſcant oves , & extranei homines veſtri erunt agricolæ ac vinitores. Vos vero* DOMINI *Sacerdotes vocabimini , gentium facultatibus veſcemini , & vos in eorum gloria* (id eſt divitiis) *efferetis.* Senſus : Ex gentibus converſi opibus etiam ſuis juvabunt Eccleſiam , & ipſa fruetur regnorum majeſtate, dum pii principes imperiorum ſuorum potentia & ſplendore utentur ad conſervandam & amplificandam Eccleſiam Dei. *Luc. Oſiander Comm. in h. l.*

XV. VITISATOR NOA.

Gen. 9: 20, 21. NOA *vir agriculturæ deditus plantavit vineam , & bibens de vino illius inebriatus eſt.* Uſus vinearum præclarus , & quidem præcipuus hic eſt , ob quem tantopere Noachum illarum plantatione delectatum ait *Chryſoſtomus* : quod ſcilicet non ignoraret vini virtutem ad leniendum animi mœrorem , & vires hominis, quæ multo quam prius imbecilliores erant , per illud reſtaurarit , unde tanquam aliquod naturæ noſtræ ſolatium ac remedium poſteris illum hoc pacto relinquere voluiſſe addit. Plantavit autem vineam idoneo poſt diluvium ſpatio ; Nam Canaan , qui ebrio Noæ illuſit, poſt diluvium natus, ætatem habuit & rerum gerendarum facultatem. Quæſtio hinc movetur, unde Noachus habuerit vitem quam plantaret? Quidam inter Judæos dicunt, Noachum in Arca aliquot malleolos aut vitis radices aſſervaſſe , ut finito diluvio , ea rurſus plantaret. Id fieri potuiſſe non negamus; poſſunt enim ad multum tempus aſſervari. Sed factum fuiſſe , ut credamus , obſtat , quod expreſſum fuerit a Moſe mandatum Dei , de rebus quas volebat a Noacho in arca ſervari. De plantis autem nulla facta fuit mentio , nec etiam id in tanta varietate & copia potuiſſet fieri. Itaque præſtat dicere , terram adeo vaſtatam fuiſſe aquis diluvii , & plantas omnis generis, ſub aquis tam diu manentibus, immerſas , eo uſque fuiſſe corruptas , ut tamen ſumma Dei providentia , in radicibus aliquam vim conſervaverit , & ſemina etiam ſub terra condiderit , ex quibus poſtea pullularunt plantæ , ex quarum ſtolonibus aliæ potue-

potuerant multiplicari. Id de vite maxime dicimus, quæ altas ſatis agit radices, ex quibus Noachus non ſolum vites reſtituit, ſed etiam vineas inſtituit, & inventum utile experientia ſubinde auxit, donec ad perfectionem res perveniſſet. Non enim uno ſtatim & altero anno potuit omnia obſervare & noſcere, vel etiam uſurpare; ſed ratione duce, experientia magiſtra, tandem perfectam vitis culturam comparavit. Dies enim diem, annus annum, etiam in hac agricolationis parte docuit. Recte *Lactantius* de ea re agens *lib.* 1. *cap.* 18. Reliquit hæc ſane Deus humanis ingeniis eruenda, tamen fieri non poteſt, quin ipſius ſint omnia: qui tribuit ſapientiam homini, ut inveniret, & illa ipſa, quæ poſſent inveniri, primus invenit. *Rivetus Exercit. in Geneſ.* 61.

XVI. Colona vineæ mulier strenua.

Prov. 31: 16. De *fructu manuum ſuarum*, id eſt, ſuarum manuum quæſtu, נטע *plantat vineam.* Scriptio Hebræa geminam lectionem inſinuat, alteram per puncta נטעה plantat illa, per literas alteram נטע plantat ille, ſcilicet mulieris ſtrenuæ maritus.

Uziæ Regis vinitores.

2 *Chron.* 26: 10. Erant *Huzziæ agricolæ & vinitores*, quorum hi vineas plantabant *in montibus* & illi agros colebant *in arvis; nam amator agriculturæ erat. In montibus*, Bacchus amat colles. *In arvis*, Hebr. בכרמל *in arvo*, nomine collective ſumto. Sæpius autem Carmel *arvum* ſonat. *Vid. Jeſa.* 32: 15. *Mic.* 7: 14. *Jeſa.* 10: 18. & 37: 24.

XVII. Vinitores scelerati.

Matth. 21: 33. & *ſeqq.* Fuit quidam Paterfamilias, qui vineam conſevit, *is eſt Pater cœleſtis, qui Judæos in populum adſcivit*, eamque elocavit, *Rectores impoſuit populo, Hieroſolymitanum ſcilicet Synedrium, qui tamen agricolarum nunquam non terræ hærebant.* Deinde peregre profectus eſt, domoque abfuit ſatis diu *Luc.* 20: 9. *præſentiam ſuam tam frequentem, ut patribus non declaravit.* Poſtea inſtante tempore fructuum, miſit ſervos ſuos ad agricolas ad ejus fructus percipiendos. At agricolæ comprehenſos ejus ſervos pulſatoſque dimiſerunt inanes; *id quod Michææ contigit*, 1 *Reg.* 22: 24. Quumque *rurſus ad eos miſiſſet* alterum ſervum, eum quoque verberatum, capite lapidibus contuſo, *Marc.* 12: 4. & contumelioſe affectum, inanem dimiſerunt: *Id quod Zachariæ evenit* 2 *Par.* 24: 20: 21. Quumque tertium item miſiſſet, illi eum etiam vulnera-

 tum

tum expulerunt, *Luc.* 20: 12. & necarunt, *Marc.* 11: 5. Indignitatem hanc pertulit Jeremias, *Jerem.* 20: 22. Urias, *Jer.* 26: 23. & alii. 2 *Reg.* 21: 10. 16. 2 *Chr.* 36: 16. *Nechem.* 9: 26. Habebat Dominus adhuc unum filium ſibi chariſſimum, miſit illum quoque ad illos ultimum, cogitans fore, ut viſum filium ſuum revererentur. *Luc.* 20: 13. *Is ego ſum, ego Meſſias.* At illi agricolæ viſo filio ſic inter ſe dixere: Hic eſt Hæres, agite & interficiamus eum, & noſtra erit hæreditas, *nos deinceps imperitabimus populo.* Itaque ceperunt eum, necaruntque, & vinea ejecerunt. Quum ergo venerit vineæ Dominus, quid faciet iſtis agricolis? Cui illi, malos male perdet, & vineam aliis elocabit agricolis, qui ei fructus pendent ſuis temporibus. *Ita eſt, inquit Jeſus.* Veniet Dominus, agricolaſque perdet *Marc.* 12: 9. *&* *Luc.* 20: 16. Hoc audito, quum iri præſentes Chriſtum torquere dictum animadverterent, dixerunt: Abſit! *Uſſerius Harmon. Evang. cap.* 99. Ultima verba: malos male perdet, à Matthæo ſacerdotibus, à Marco ipſi Chriſto tribuuntur; quod, ne repugnare ſibi videatur, *Uſſerius* ad *Chryſoſtomi* mentem exponit, qui exiſtimat, quod primo reſponderint Sacerdotes hæc verba, quæ *Matthæus* narrat, quæ deinde Chriſtus adprobaverit, ut *Marcus* & *Lucas*; ſed ita tamen ut ſignificaret, ſe in ipſos Sacerdotes præſentes collimare: quo audito, contradixerint Chriſto dicentes: Abſit, ſcilicet, ut nos juxta parabolam tuam, necem hæredi paremus, & conſequenter nobis iſta contingant, ut male perdamur, & vinea a nobis auferatur.

XIX. VINITORIBUS MILITIÆ VACATIONEM LEX DEDIT.

Deut. 20: 6. ALLOQUENTUR *in prælium profectum populum moderatores, dicendo: Quis eſt ille vir, qui plantavit vineam, nec dum ea ſacris jam ſoluta uſus eſt? Abiens revertitor domum ſuam, ne moriatur in hoc prælio, & vir alius illa ſacris ſoluta utatur. Sacris jam ſoluta uſus eſt?* Ita Junio-Tremelliana, quæ ad marginem: *profanavit eam*, id eſt, fructus adhibuit ad uſus non ſacros. Vulgatus: *Eam fecit communem, de qua veſci omnibus licet*, id eſt, interprete *Luca Oſiandro*: Non percepit fructum plantatæ vineæ. Tribus enim primis annis (uti notum eſt) vineæ nuper plantatæ fructum non ferunt: quarto anno novi fructus vinearum tabernaculo ſeu templo Domini erant offerendi. Quinto ergo anno demum vinicola ſui laboris fructum percipiebat. Ratio legis de revertendo ex

acie,

acie, a variis varie reddita. Prima ex textu petita eſt: Ne quis otioſus fruatur alienis laboribus. Iniquum videbatur non permitti e propriis fructum aliquem percipere. Voluit illos Deus frui beneficiis ſuis. 2. Ne deſiderio eorum remiſſius agerent in prælio, ſibique parcentes, vel etiam fugam capeſſentes aliis & ſcandalo eſſent & damno. 3. Oſtendere, ajunt, hic Deum miſericordiam ſuam erga infirmos. *Vid. Poli Synopſ. Crit. fol.* 758. 759.

XX. Lignum vitis.

Ezech. 15: 2. Fili *hominis, quid eſt lignum vitis præ omni* alio *ligno? quid palmes* ejus, *cum lignis ſylvæ* comparatus? *An ſumi poteſt ex eo lignum ad aptandum operi? an aſſumitur ex eo paxillus ad appendendum ei ullum inſtrumentum? Ecce igni traditur in eſcam &c.* Nimirum ob materiæ infirmitatem non eſt apta vitis ad ullum opus, ne ad paxillum quidem. Adverſari huic dicto videtur, quod idem Propheta *cap.* 19: 11. ſcribit de vite in eam denſitatem adulta, ut Regum ſceptris & dominantium virgis faciendis ſuffecerit. Verum quod ab eo parabolice dictum, non arguit ejus generis vitigineum lignum reperiri, ex quo ſceptra fierent. In parabolis enim ea nonnunquam referuntur, quæ ſecundum naturam fieri nequeunt: atque eo duntaxat fine, ut rem, quæ ad ſcopum parabolæ pertinet, exprimat aliqua ſimilitudo. Ita heic robuſti ſcipiones & virgæ dominantium memorantur, ut ſimulacrum præberent Principum ex familia Davidis prognatorum. Adhuc tamen obſtare Prophetæ verbis videtur, quod *Johannes Chardinus Diario itineris in Perſiam per Pontum Euxinum & Colchidem*, vites Migreliæ tam craſſas tradit, ut utriusque brachii amplexum quandoque excedant; & quod à *Plinio* ſcriptum, Jovis ſimulacrum in urbe Populonia ex una vite conſpicimus, tot ævis incorruptum. Item Maſſiliæ pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Scrupulum hunc ipſe *Plinius* exemiſſe videtur, qui modo dictis ſtatim ſubjungit: Verum iſta ex ſilveſtribus facta crediderim; quando hæ vites tonſura annua coërcentur, & vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, ſuccique tantum gratia ex his pluribus modis ad cœli mores ſolique ingenia. *Hiſt. Nat. lib.* 14. *cap.* 11. Sed melius tolletur dubitatio, ſi Prophetam ſui climatis vites intelligere dixerimus. Senſus dicti: ut materia vitis, indigenæ ad

nullum

nullum opus apta traditur igni: Sic Hieruſolymitanis ad nullum recte factum bene comparatis, perniciem & interitum afferet Deus.

XXI. PALMES.

PALMES etiam palma legitur, & virga, & ſarmentum & pampinus; ejuſque modi multi, ut focanius, ſagitta, mergus & alia, quæ a noſtris agricolis commemorantur. Palmites, notante *Ruellio*, duum ſunt generum: alterum quod ex duro provenit, quod, quia primo anno plerumque frondem ſine fructu affert, pampinarium vocant: alterum, quod ex anniculo palmite procreatur, quod, quia fructu induitur, & protinus creat, fructuarium appellant. Hebræi multis palmitem nominibus diſtinxerunt. Primò ענף generali eum vocabulo deſignant. 2. Dictus זמורה palmes putari ſolitus, à זמר putando. 3. Leguntur בדים virgæ robuſtæ, quas Latine duramina vel duramenta, Græce ἀκρέμονας dixeris. Hinc & *vectes Exod.* 27. 6. item artus majores, comprimis *Job.* 18: 13. & *Hoſ.* 11: 6. 4. שריגים, palmites implicati. 5. עבותים, palmites denſi. 6. דליות, palmites vel rami excelſi. Græcum κλῆμα apud Johannem obvenit.

I. ענף HANAPH, PRO SARMENTO.

Pſal. 80. 11. OPERIEBANTUR *montes umbra ejus*, vitis, ex Ægypto translatæ, *& ramis ejus* (vel ramorum ejus, vel pampinorum umbra) *cedri maximæ*, id eſt, in eam magnitudinem excrevit populus Hebræus, ut ſuperbiſſimæ potentiſſimæque gentes ei ſe ſubmitterent. ענפיה LXX. reddunt ἀναδενδράδες. Dicitur ἀναδενδρὰς vitis arbuſtiva, quæ eſt ſuper arbores, quæ arborem conſcendit. Subauditur ἄμπελος, vitis.

XXII. זמורה SARMENTUM, PALMES PUTARI SOLITUS.

Num. 13: 23. *vel* 24. ET *pervenerunt uſque ad vallem Eſchol, unde exciſo uno palmite cum botro uvarum, deportaverunt eum palanga duobus hominibus.* Duo hi viri, qui deportarunt palmitem cum uva, ut de terræ promiſſæ fœcunditate certior redderetur populus, adumbrant Miniſterium utriuſque Teſtamenti. Chriſtus eſt vera vitis, in qua palmites fructum ferentes. *Joh.* 15: 2. Palanga vel vectis, quo portatus eſt palmes, denotat verbum, in quo exhibetur Chriſtus, arrhabo hereditatis noſtræ, quavis uva ſuavior, vinum deſtillans, quod cor lætificat. *Pſal.* 4: 8.

Ezech. 15: 2. *Fili hominis, quid eſt lignum vitis præ omni* alio *ligno?*

gno? quid palmes ejus putatus cum lignis ſylvæ, duritie vel firmitudine ſua comparatus? *Jeſai.* 17: 10. 11. *Idcirco, utut plantaveris plantas amantiſſimas, & putando palmite peregrino conſeveris ipſum*, ſcilicet vinetum; . . . . *acervus tamen meſſis erit, die ægritudinis ac doloris mortiferi*, quem victor Aſſyriis dabit. *Palmite conſerere*, eſt talea vel mergo plantato vineam inſtituere. Conſeri etiam dicuntur, quæ ſine ſemine plantantur. Sic & alibi loquuntur rei ruſticæ ſcriptores. *Columella*: Conſerere agrum generibus pomorum & oleis. *Cato*: Helvinum minuſculum conſerito: Lucanum ſerito. *Conſeveris ipſum* ſcilicet vinetum, ſeu vineam. Relativum verbi תִּזְרָעֶנּוּ ſine antecedente, ſed quod vel ex re ipſa, vel ex connexo verbo facile intelligatur: Conſeveris conſerendum, vel conſeri ſolitum agrum, ſeu vineam. *Nachum.* 2: 3. Ninevitas evacuarunt evacuatores, hoc eſt, depopulatores, & palmites eorum corruperunt. Palmites, quibus Aſſyria abundat, de quo *Jeſai.* 36: 17. 2 *Reg.* 18: 31.

XXIII. בדים Baddim, palmites robuſtiores, virgæ robuſtæ.

Ezech. 17: 6. Abiit *in vitem, ediditque virgas robuſtas, emiſitque nitidiſſimos ramos.* Florere Tzedekias ceperat, opibus, authoritate, liberis.

XXIV. שריגים Sarigim, complicati palmites.

Gen. 40. 10. 13. *In vite* (quam in ſomnis viderat præfectus populis) *tres erant palmites. Ea tum quaſi germinavit, erupit flos ejus, maturas botri ejus protulerunt uvas.* Tres illi palmites tres dies ſunt; quum adhuc tertius futurus eſt dies, recenſebit te Pharao, idque reſtituendo te in ſtatum tuum. Uti tres palmites florem ac maturas botri uvas protulerunt: ita tres dies proxime ſequuturi, afferent tibi priſtini ſtatus felicitatem. *Joel.* 1: 7. *Omnino nudavit* vites meas gens locuſtarum, *ac dejiciet eas, albi evaſerunt palmites earum. Albi evaſerunt*, detracto ſcilicet cortice. Arbores locuſtarum contactu perire & exareſcere, conſtat ex Abyſſinorum hiſtoriis. Illas non ſolum corticem, ſed & truncos fruticum exſcindere, cum ad alius pabuli inopiam deventum eſt, teſtis *Scaliger in Cardanum Exercitat.* 192. *Vid. Bochart. Hieroz. Par. II. p.* 469.

XXV. עבותים Rami vel palmites denſi.

Ezech. 19: 11. Alta *erat ſtatura vitis ejus ſupra intercurrentes denſos ramos ejus*: id eſt, Stirps regia ſupra cognatos Principes ma-

jeſtate & illuſtribus divinæ benevolentiæ ſignis eminebat.

XXVI. דליות DALIJOTH, PALMITES EXCELSI.

Ezech. 19: 11. VITIS *illa, mater tua, conſpicua fuit altitudine ſua cum multitudine elatorum palmitum ſuorum.* id eſt, Stirps regia dignitate, operibus ac potentia, ſupra principes ſuæ gentis ad ſummum efferebatur. דליות deductum ex דלה extulit, evexit, à quo etiam דל elatum ſive ſuperum. *Pſal.* 141: 3.

XXVII. PALMITIS SAGITTÆ קצירים.

Pſal. 80: 12. EMITTEBAT *ſagittas ſuas ad mare, & ad flumen teneros ramos ſuos.* KETZIRIM in palmite ſunt, quos ruſtici Latini ſagittam appellarunt, noviſſimam tenerrimamque partem palmitis: ſive, inquit *Columella*, quia longius receſſit à matre, & quaſi micuit atque proſiluit, ſeu quia cacumine attenuata prædicti teli ſpeciem gerit. *lib.* 3. *de re ruſtica.* Hebræa vox ramum denotat amputari vel decurtari ſolitum; deducitur enim a themate קצר *demeſſuit*, & ex nominis ſignificatione, demeſſum aut decurtatum eſſe. Nimirum ſagittæ tanquam ſteriles amputantur. Omnis enim fœcundus pampinus, ut idem autor ſcribit, intra quintam aut ſextam gemmam fructu exuberat: reliqua parte, quamvis longiſſima, vel ceſſat, vel perexiguos oſtendit racemos: quam ob cauſam ſterilitas cacuminis jure ab antiquis incuſata eſt. Sagittæ hoc eodem commate vocantur etiam יונקות, teneri rami. Eſt enim poſterius hemiſtichion cum priori παράλληλον, ut multa hujus Pſalmi; nec alius præter ſagittam tener ramus vocari poteſt. Qui enim focaneus dicitur, & inter duo brachia, qua ſe dividit vitis, enaſcitur, is brachiorum æmulus pari cum his gaudet firmitate, atque ita nonnunquam prævalet, ut alterutrum brachium affligat, ob hoc amputandus & abnodandus vel imbecilliori brachio reciſo ſubmittendus *Colum. lib.* 5. *c.* 6. Sagittas igitur ſive cacumina ſua vitis ex Ægypto transflata dicitur extendiſſe uſque ad mare, & teneros ramos uſque ad flumen, ut innuatur amplitudo ejus. Vitis eſt populus Judaicus longe lateque per Canaanitidem extenſus, altera quidem parte ad Mare Magnum ſive Mediterraneum, altera ad flumen, quo nomine per ſynecdochen Euphrates, Syriæ amnis notatur.

XXVIII. PALMITES A CHRISTO SEJUNCTI STERILESCUNT.

Joh. 15: 5. IS, *qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum: nam ſeorſum a me nihil poteſtis facere*, id eſt, nullum

nullum tuleritis fructum, ut *Pſal.* 1: 2. *Quicquid fecerit, proſperabitur.* Propter humidum, quod habent atque ſervant, non ſolum avulſæ viviradices, atque alio translatæ perpetuari poſſunt; ſed etiam rami, etiam taleæ, tum vivendi principia, tum principiorum ſervant efficaciam ad vivendum. At palmites in vite Chriſto ſine Chriſto vivere non poſſunt. Ab hac vite accipiunt, unde vivunt & fructum ferunt.

XXIX. PALMES A VITE CHRISTO SEPARABILIS.

RENATOS poſſe Dei gratia excidere docet Dominus allegoria de palmite, qui, quum fuerit in vera vite, Chriſto videlicet, *Joh.* 15: 1. nec manſerit in ipſo, ejectus ut palmes inutilis, exareſcit, & porro in ignem conjectus comburitur. ℣. 6. Hic autem probe obſervetur 1. quod palmes iſte in vera fide revera fuerit. Palmes enim non inſeritur, ſed ex ipſa vite naſcitur, & cum naſcitur, vivit; quemadmodum & homines in Chriſto regenerantur. 2. Quod fructus in ea tulerit. 3. Quod moneatur, ut maneat. 4. Quod poſſit propria culpa non manere, ejici ἔξω, puta ex corpore Chriſti myſtico, cujus erat membrum, & ex Dei paradiſo. 5. Quod exareſcat & proinde antea habuerit ſuccum. Habitum enim privatio ſupponit. Quia enim in Chriſto manemus fide, *Col.* 1: 22. 23. qui palmes ejicitur, fidem perdiderit, neceſſe eſt. *Tarnovius de perſeverantia Sanctorum pag.* 934.

XXX. FOLIUM A VITE DEMISSUM LABENTIUM SIDERUM IMAGO.

Jeſa. 34: 4. COELORUM *exercitus marceſcet, quemadmodum marceſcens defluit folium a vite, & ut marcida ficus de fico.* Senſus: In mundi interitu ſol obſcurabitur, nec luna ſplendorem emittet, & ſtellæ de cœlo cadent, cœli poteſtatibus concuſſis. *Matth.* 24: 29.

XXXI. GEMMA ET FLOS PALMITIS.

ORDO fructificationis in vitibus hic eſt 1. פרח, gemma. 2. נץ vel נצה Flos, Flos, qui apertus dicitur כמדר 3. בכר 4. ענב uva ſeu botrus. Gemmæ & floris facta mentio *Jeſai.* 18: 5. *Ante meſſem, antequam perfecta fuerit gemma & omphacium lactens extiterit flos. . . . derelinquentur* Æthiopes *pariter volucribus montium & beſtiis terræ.* Senſus eſt: Antequam flos juventæ Æthiopicæ, quæ militiam Regis Ægyptii ſequetur, virilem ætatem, aut viri vegetam ſenectutem conſequuti parentum & popularium exſpectationi

ni ſatisfecerint: relinquentur in Ægyptio, occupativo agro, *pariter* juvenum ſenumque cæſorum corpora, nemine ſepeliente; *volucribus montium* rapacibus, quarum plenus, ab aquilonia Ægypti plaga, mons Arabiæ, ab Auſtro, qui vocatur Libycus, *Herodoto* teſte *lib.* 2. *c.* 8. *Gen.* 40: 10. *Vitis illius, quam præfectus poculis in ſomnis viderat inſtar gemmantis* vel gemmas trudentis *flos emerſit.* Flos vitis etiam vocatur Semadar, quod compoſitum ex vocibus סמר & הדר, quaſi dixeris; *horridum decus*, quod petiolis ac ſtaminibus, quorum unumquodque ſuo apice inſignitur, decenter horreat. *Cant.* 7: 13. *Videamus an floreat vitis, an aperiat ſe* SEMADAR, *flos vitis. Cant.* 2: 13. *Ficus protulit groſſulos ſuos, & vitium apertus flos*, SEMADAR, *edit odorem.* Aperti floris odore fragrans vinea uberem fructum ſpondet: itaque ſymbolum eſt ſpei de lætitia in Spiritu Sancto perfruenda. Porro florentium odori palmitum nulla ſuavitas præfertur, & ab eo Libanus celebratur, *Cant.* 4: 11. *Odor veſtium tuarum ſoror mea ſponſa, eſt velut odor Libani.* Velut odor florum, qui in Libani vineis exhalatur, nam & vini generoſi feraciſſimus fuit Libanus. *Hoſe.* 14: 8. Suavis ille & jucundus veſtium Spiritus, quibus induta ſponſa Chriſti, ſponſus eſt, & virtutum ornatus, quibus ipſa condecoratur. Induit enim Chriſtum, teſte Apoſtolo. *Rom.* 13: 14. *Galat.* 3: 27. induit & novum hominem, qui ſecundum Deum conditus ad juſtitiam & ſanctimoniam veram. *Epheſ.* 4: 24. Induit ſe, ut electa Dei, ſancta & dilecta, viſceribus miſerationum, benignitate animi, ſubmiſſione, lenitate, iræ cohibitione: ſuper omnia autem charitate, quæ perfectionis vinculum eſt. *Coloſ.* 3: 12. 14.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

DE UVIS.

UVA *Hebræis* hanab, *a conjungendo dicta. Lagenæ uvarum Hoſe.* 3: 1. *Acini*: *cortex uvarum.* Holeloth, *parvi botri.* Tſimukim, *uvæ ſiccæ. Uvarum & liberorum ſimilitudo. Omphacem comederunt Patres, & filiorum dentes ſtupent. Omphax cum palmite amputatus ante meſſem, intempeſtivum indicat interitum. A palmite ablatus omphax deſerentis ſpei ſimulacrum.* Beüſchim *non ſunt labruſcæ fœtentes*: *ſunt ſymbolum tardatæ converſionis. Uvæ in deſer-*

deſerto, res ob raritatem ſuam æſtimata. Uva fellea, opera tetra. Uva, quæ non eſt uſui. Lex de uvis a Naziræo non comedendis. Lex de uvis ex aliena vinea non efferendis.

I. Uvæ nomen, lagenæ Uvarum, acini, cortex, botri, Uvæ siccæ.

ענב ע Uva, ſeu racemus a conjungendo, vel compingendo Hebræis dicitur. ענב enim Chaldæis eſt conjungere, & ענוב *Hanub*, *conjunctus*, viri nomen. 1 *Par.* 4: 8. Uva autem ſcapo & frequentibus acinis compacta eſt contexta. Hinc אשכל ענבים Uva ſeu racemus uvarum. *Num.* 13: 23. *Eſchcol* enim generale nomen eſt, & Cypero etiam tribuitur, qui *Cant.* 1: 14. dicitur אשכל הכפר Uva cyperi. ענבים metonymice vinum ſonat. *Hoſe.* 3: 1. *Reſpiciunt ad Deos alienos, & ad eos, qui delectantur lagenis uvarum*, id eſt, lagenis vinariis. Uvæ pro vino, ut in illo *Maronis*:

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Reddunt alii: *reſpiciunt ad Deos alienos, & amant lagenas vini.* Eſt cui אשישי ענבים videntur inanes folliculi uvarum in imo dolio vel lacu ſubſidentes: ἀκύρως ſane & nimis dura tranſlatione. *Coccejus* autem pedamenta & ſtatumina vertit: minus recte. Neque enim uvæ pedamentis, ſed vites indigent. Unde & illud nihil ad rem, quod pedamentis notari ait principes & civitatis columina. Rectius אשישים exponunt *lagenas*, quo ſignificatu etiam gaudet fæmininum, ab eo ductum nomen אשישה 2 *Sam.* 6: 19. *Cant.* 2: 5. Notantur etiam eo vocabulo murorum *fundamenta*. *Jeſa.* 16: 7. unde fit veriſimillimum, hujus generis vaſa nomen accepiſſe a baſi latiore, qua tanquam fundamento firmius niterentur; eaque re diſtinctam fuiſſe lagenam ab חמת *utre vinario*, *Gen.* 21: 13. *Hoſe.* 7: 5. qui baſi, cui inſiſteret, omnino deſtituitur. *Lagenæ uvarum*, ſunt lagenæ plenæ muſto, ex recentibus uvis expreſſo. Conjunguntur autem Iſraëlitæ adulteris, & iis qui delectantur muſti lagenis, uti *Hoſ.* 4: 11. *Scortatio, vinumque & muſtum.* Ex temulentia enim & luxuria naſcitur ſcortatio, ex ſcortatione idololatria, ſicut dicitur: *Cœpit populus ſcortari cum filiabus Moabitarum. Nam invitatus populus ad ſacrificia Deorum comedebat, ac incurvabat ſe Diis illarum. Num.* 25: 1, 2. ita ſcortabantur Deorum alienorum ſervitium ac cultum ſequentes, & ſacrificiorum apparatu illectis facile

cile mens intercipiebatur. Idolorum enim cultoribus amplius largiuſque rei divinæ cauſa ſeſe invitare jus & fas habitum. Unde μεθύειν inflexum *Ariſtoteles* putat, quod ebrii fierent, μετὰ τὸ θύειν, id eſt, poſt ſacrificium: aut a μεθίημι, quia curas laxarent; unde & Bacchus Methymnæus. Quin dapes & convivia dictitabant θοίνας, a θεὸς & οἶνος, velut Deorum gratia vino amplius indulgendum foret. *Vid. Judic.* 9: 27. *Amos.* 2. 8. Sacrificii hoc vinum *Paulus* 1 *Cor.* 10: 21. Dæmoniorum vocat poculum.

De Acinis lex tradita Judæis: *Deciduos acinos vineæ tuæ ne relegito: pauperi & peregrino relinquito iſta. Ego ſum Jehova Deus veſter. Levit.* 19. 10. Acini conſtant folliculo, carne, vinaceis, muſto. Folliculus, cutis vel cortex uvarum exterior, Hebrais זג adpellatus, itaque & LXX. *Num.* 6: 3. vertunt ϛέμφυλα. In *Thalmude R. Jehuda* זג expoſuit de Lapidoſo, quod eſt in acino. Sed irridens eum *R. Joſe*, Ne erres, inquit, ut jumentum. Exterius campanæ dicitur זוג, & interius ענבל, plectrum, malleus ſive clavus interior. Poteſt addi, quod vinacea non ſint eſui, nec ad potum parentur, atque adeo non accenſenda iis, quibus Naziræus frueretur, vel quibus mens ipſius perturbaretur. *Ludovicus de Dieu* זג idem eſſe ſcribit, quod Æthiopicum גג corpus, caro. Vertit igitur, *A pelliculis uſque ad carnem.* Pellicula ſeu folliculi ſunt חרצנים, unde uvarum ſucco expreſſo loram, ſeu ſecundarium vinum, *Thalmudiſtis* חמר vocatum exprimebant. *Cholin. fol.* 25: 2. Prohibitos uvarum folliculos putat *Abarbanel* ad ſepem & cuſtodiam rei, ut magis ab eorum potu arceretur Naziræus. עוללות, Racemi, ſunt parvi botri, qui perfecta vindemia remanent in vitibus. Ferè eim uvæ minores à vindemiatore ſub pampino latentes fallenteſque relinquuntur, unde emphyllides à Græcis vocantur. De his *Judic.* 8: 2. Nonne *meliores ſunt racemi Ephrjimitarum vindemiâ Abiezritarum*, Menaſſæa tribu? & *Jeſa.* 17: 6. Quod relictum in Jacobo vel Jacobitis, erunt racemi. Item *Mic.* 7. 1. *Hei mihi, quum ſim, ut, poſt collectiones fructus æſtivi, arbor, ut racemi vindemiæ. Jerem.* 49: 9. *Si vindemiatores advenirent tibi*, Eſave, *nonne relinquerent racemos.* non auferrent omnia. צמוקים vocantur uvæ ſiccæ, quas paſſas alii, *Theophraſtus* ἀγιγάρτας, vulgo Corinthiacas dicunt, quarum in Judæa frequens uſus fuit. Centum paſſarum uvarum maſſas accepit Abigajil muneri ferendas Davidi. 1 *Sam.* 25: 18. Tziba, ſervus Saulis, & Mephiboſethi, centum uvarum paſſarum maſſas attulit Davidi, Abſalomum filium fugienti.

gienti. 2 *Sam.* 16: 1. Virum Ægyptium in agro captum ſervi Davidis ut reficerent, dederunt ei fragmentum palathæ ficuum & duas uvarum paſſarum maſſas. 1 *Sam.* 30: 12. Uſque ab Iſſacare, & Sebulone & Naphthali, advehebant aſinis palathas ficuum & uvas paſſas. 1 *Chron.* 12: 40.

II. Uvæ Liberi.

Pſalm. 128: 3. Uxor *tua ut Vitis fructifera, ad latera domus tuæ.* Fructus vitis uva: fructus ventris ſunt liberi. Si probi fuerint multum decoris & Ornamenti afferunt parentibus.

Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uva: Corona ſenum ſunt nepotes, & ornamentum filiorum ſunt Patres. Prov. 17: 6. Ut ex miti & integra uva provenit muſtum, quod Deum atque homines lætificat. *Jud.* 9: 13. *ita Filius ſapiens lætitia afficit Patrem. Prov.* 15: 20. *Valde exultat pater juſti, genitor ſapientis lætatur de eo Prov.* 2. 24. Ut uvæ non niſi à palmite ſuo remotæ, calcatæque & torculo preſſæ muſtum fundunt: ita Filii ad virtutem & ad ſumma quæque progreſſuri, domi ſuæ non conſeneſcunt, in diſciplinam ſapientiæ & artium magiſtris dantur & ad fortuitas patientiæ vices parantur, memores illius quod à Salomone bis dictum: *Faciem gloriæ præcedit depreſſio. Prov.* 15: 33. & 18. 12. & quod à Servatore Chriſto inculcatum: *Quiſque ſe ipſum depreſſerit, extolletur. Math.* 23: 12. *Luc.* 14: 11. Porrò, ut acinum vicinia putridi corrumpit: ita probos adoleſcentium mores conſortia prava. Denique ut acris agricolarum, volucrum, ferarumque injuriis fructus palmitis exponitur, ita juvenum animos multæ lacerant injuriæ. Venit ignavia. Ea tempeſtas eſt, quæ adventu ſuo, ut Comicus loquitur, grandinem imbremque affert. Ea verecundiam ipſis & virtutis modum deturbat. Nocet eis & agricolæ, id eſt, præceptoris ruditas, negligentia & rigidior diſciplina, quibus ceu ligone quodam fructum ad maturitatem ſuam tendentem lædit ac perimit. Si præterea amor eis intempeſtivus in cor venit, rapaciſſimarum avium, lenonum & meretricum, ſceleſtiſſimarum vulpium præda fiunt.

III. Omphax.

Uva acerba vel immatura. Hinc proverbium Judæorum: *Patres comederunt uvam acerbam, & filiorum dentes ſtupent. Ezech.* 18: 2. Judæi cum viderent denunciantibus prophetis propter majorum delicta, horrendas ac ſævas ingruere tempeſtates, cum judicarent ſe innocentes eſſe, nec ullius affines culpæ, graviter de Deo conque-

ſti ſunt, quaſi ille contra jus faſque ageret, pœnas irrogando filiis ob peccata a parentibus commiſſa. Itaque, cum id iniquum eſſe judicarent, crebris ſermonibus proverbium jactitabant: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum ſtupeſcunt. Inique profecto & immerito, ſi non aliter ſe rem habere conſtaret. Quippe Deus, qui verus eſt, vel ipſa veritas, aſſerit eos non parentum, ſed propriam culpam luere. Niſi enim ipſi quoque peccaſſent, ſeſeque eodem, quo parentes, crimine obſtrinxiſſent, nunquam in tot pœnas tantaſque calamitates incidiſſent. Etenim ut apud Prophetam eundem idem ait: quæ anima peccaverit, ea morietur. Non filius patris, non pater filii culpam pendet: & ſuam juſtitiam juſtus, & ſuam impietatem feret impius. Similiter *Jerem.* 31: 29. *Tempore illo*, ait, *non dicent amplius, patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum ſtupent. Sed quiſque propter iniquitatem ſuam morietur: omnis homo, qui comederit uvam acerbam, ejus dentes obſtupeſcent. Druſius Prov. ſacr. centur.* I.

IV. OMPHAX CUM PALMITE AMPUTATUS ANTE MESSEM, INTEMPESTIVUM INDICAT INTERITUM.

Jeſa. 18: 5, 6. ANTE *meſſem, quum perfecta gemma, & omphacio educato exſtitit flos, ut exſcindit flagella ſuis falcibus, & ſarmenta amovet amputatque vinitor*: ita exciſi amotique & amputati *derelinquentur pariter volucribus montium & beſtiis terræ.* Id eſt, ut qui ante meſſem, quum vel florere cœperint vites, vel poſtquam defloruere & omphacium oſtenderint flagella falcibus ſuis exſcindit & palmites amovet amputatque vinitor: ita, priuſquam exſpectationem de ſe excitatam expleverint Æthiopes, cæſorum & interemtorum cadavera in occupatitio agro devoranda alitibus ac beſtiis relinquentur.

A PALMITE ABLATUS OMPHAX, DESERENTIS SPEI ARGUMENTUM EST.

Job. 15: 33. VIOLENTER *auferet Deus omphacem ejus, ut vitis, & projiciet ſicut oleæ florem ejus*: decutiet imbre, *Plin. lib.* 17. *cap.* 25. Peſſimum eſt inter omnia, quum deflorentem vitem & oleam imber percuſſerit, quoniam ſimul defluit fructus, id eſt, improbi ſerum ut maturum iniquitatis ſuæ fructum non ferunt. Felicitatis affecta ſpes omnis abſcinditur.

V. בֹּאשִׁים OMPHACES.

No-

Nomen hoc ad radicem באש reductum Lexicographi vertunt uvas, ſive labruſcas fœtentes. Sed non invenies in Scriptoribus, qui plantarum hiſtoriam tradiderunt, qui viniferæ vel labruſcæ vitis uvæ fœtorem tribuat, neque vitem generoſam, quæ in labruſcæ feritatem degeneret. Nobis autem penitus perſpectum nomen באשים derivari a בשש tardando vel commorando. Dicitur enim loco בששים litera ש repetenda in א mutata, cujus permutationis exempla plurima in Inſtitutionibus Hebraicæ linguæ attulimus. Sunt igitur באשים Uvæ tardantes, vel tardæ ad maturitatem, quæ in vindemia neglectæ cum maturis haut colliguntur. Symbolum eorum, qui tardant & procraſtinant converſionem ſuam, ut Judæi, de quibus *Jeſ.* 5: 2. *Quum exſpectaſſet dilectus meus, ut vinea ipſius ederet uvas, edidit uvas tardantes* (vel *omphaces.*) & ℣. 4. *Quid faciendum amplius fuit vineæ meæ, quod non fecerim in ea. Quamobrem quum exſpectaſſem, ut ederet tempeſtive uvas, edidit omphaces?*

VI. Vinacei acini torculis expressi significant Christi excandescentia devictos et suppressos hostes.

Jeſa. 63: 3. Torcular *calcavi ſolus; nam ex populis non fuit quiſquam mecum*, qui calcantem juvaret, *ſed calcavi eos ira mea, & conculcavi eos excandeſcentia mea: ita inſperſus eſt ſanguis cujuſque robuſtiſſimi illorum veſtimentis meis, & omnes veſtes meas contaminavi.* Prelum ſeu Torcular Hebræis גת, vel עת dicitur; quod liquet ex permutatione nominum, quæ urbi Judaicæ uni eidemque tribuuntur *Joſu.* 19: 13. ubi גת חפר principis familiæ Menaſſææ. *Num.* 26. 32. vocata etiam עת קצין *Hath-principis.* Excuſum vero עת ex ענת & hoc ab ענה compreſſit, ut בת filia ex בנת Ipſum vero גת originem traxit a verbo יגן quod Arabibus uſitatum effertur وجن *wagana*, id eſt compreſſit vel ſubegit. Ita Latini etiam prelum dicunt, quaſi premulum a premendis uvis vel olivis. *Vitruvius lib.* 6. *c.* 9. Ipſum torcular, ſi non cochleis torquetur, ſed vectibus & prelo premitur, nec minus longum pedes quadraginta conſtituatur. Cæterum irati Numinis ultionem Torcular ſignificat etiam Joelis tertio, ℣. 13. Dicam potentibus illis meis Angelis ut rogaſti ℣. 11. *Immittite falcem*, *Apoc.* 14: 15. *Matth.* 13: 39. *nam maturuit meſſis: Venite, deſcendite* in convallem hanc, quæ calcandis gentibus referta, *quia plenum eſt torcular*, (exſpectat Deus do-

nec impleatur menſura peccatorum ab ipſo definita. *Gen.* 15: 16.) adeo ut *plateas perfundant torcularium lacus*, ultio divina ſeveriſſime exercetur. *Conf. Apoc.* 14: 19. *Vid. Tarnovius ad Joelem.*

VII. UVÆ IN DESERTO.

RARA in deſerto Uva, quo carior ibidem reperta, ut rara omnia cara ſunt. *Hoſe.* 9: 10. *Ut uvas in deſerto, ita reperi Iſraëlem.* Hoc ait, repertum Iſraëlem unice dilexi, & in pretio habui, eoque ſupra modum delectatus ſum. Eodem pertinet ſimilitudo, quæ ſequitur: ut primitias in ficu, in ejus principio: nam primæ ficus gratiores. *Druſius Prov. Sacr. p.* 567.

VIII. UVÆ FELLEÆ.

Deut. 32: 32. ISRAELITIS *uvæ ſunt felleæ; racemi amariſſimi.* Id eſt, opera eorum tetra ſunt, a quibus abhorreat animus.

IX. UVA, QUÆ NON EST ESUI.

Mich. 7: 1. NULLUS *eſt botrus ad comedendum; præcocem fructum deſiderat anima mea.* Id eſt, non eſt in Judæis, cujus operibus delectari poſſim. *Confer Deut.* 42: 32, 33. *Jerem.* 5: 1, 2. *Ezech.* 22: 30. *Eſai.* 24: 13.

X. LEX DE UVIS A NAZIRÆO NON COMEDENDIS.

Num. 6: 3. NULLUM *potum Naziræus e maceratis uvis bibito, nec ullas uvas recentes aut ſiccas comedito*, ne ſcilicet illarum ſuavitate & dulcedine illectus vini caperet deſiderium. Uvæ compactæ & exſiccatæ vocantur צמוקים 1 *Sam.* 25: 18. ficus compactæ & arefactæ *Gerugeroth*, vel דבלים *ibid.* Mala punica in partes ſciſſa & exſiccata פרדים *Maſeroth. cap.* 1.

XI. LEX DE UVIS EX ALIENA VINEA NON EFFERENDIS.

Deut. 27: 24. SI *ingrediaris vineam proximi tui, comedes quidem uvas, pro deſiderio tuo ad ſaturitatem tuam: at inſtrumento tuo ne indito.* Apud *Feſtum* vetus lex *Laurentinum*:

Ne pomum ex alieno legatur in armum.

CAPUT TRIGESIMUM.

De iis quæ vitibus amica vel infesta.

Vitis incrementum *aqua.* Vitibus inimica *: Agricolæ ignavia ; Grando , Eurus & ignis , Ἀβροχία : Vulpes doloſis operariis ſimiles , Porcus.* Chazir mijnhar, *Pſal.* 80: 14. *non erat vertendum* Porcus ſilveſtris. *Vitis vacua , ſterilis bonorum operum Iſraël, Vinearum ſterilitas.*

I. VITIS INCREMENTUM AQUA.

EZECH. 17: 7, 8. Vitis *iſta , quæ radices ſuas applicuit ad Aquilam magnam , in agro bono ad aquas multas plantata fuit.* Mirum videri poſſit, vitem dici plantatam ad aquas , ſi quis reputet Italiam, calidiſſimam regionem vinetorum in Maſſico , agri Falerni monte, conſitorum ubertatem , aquarum rivis haut debere , & Wirtembergiam noſtram Neccarici vini fæcundiſſimam matrem, vinum in aridis montibus , & anno etiam ſitiente gignere nobiliſſimum : niſi vinum Cæcubum , cui ante Neronis tempora generoſitas erat celeberrima , natum conſtaret ad paluſtria ſinus Amyclani populeta ; & Cornelius Celſus , rerum naturæ peritiſſimus, exiſtimaret , voto vineis eligendum eſſe ſolum , quod e fontibus in vicinum radicibus humorem ſubminiſtret. Hinc colligere eſt , vites ſi odorem aquæ ſenſerint , id eſt, ſi modice a fontium aut rivorum vicinia radices irrigentur , celerius atque felicius provenire.

II. VITIBUS INFESTA.

I. Coloni ignavia.

Gravibus innumeriſque damnis nobiliſſima ſtirpium vitis afficitur. Noxam quippe trahit a lacryma , a convolvulo, a volvoce , quod animal prærodit pubeſcentes uvas ; læditur a ſideratione & articulatione peſtiferis morbis , interit algore , infeſtatur intempeſtivis imbribus. Peſſimum eſt inter omnia , cum defloreſcentem vitem & oleam percuſſit imber , quoniam ſimul defluit fructus. Porro ut luxuria, ita viciſſim agricolæ ignavia ſterileſcit vitis ac ſilveſcit. *Prov.* 24: 30. *Juxta agrum viri pigri tranſieram , & juxta vi-*

vineam hominis corde deſtituti, *& ecce aſſurrexerant in eis undique cardui*, *operuerunt ſuperficiem ejus urticæ*, *& maceries ejus lapidea deſtructa erat.* Sic in omnibus vitæ generibus videas collapſas dirutaſque macerias, & omnia repleta carduis urticis & ſentibus, ut cum Miniſtri Eccleſiæ negligenter officium faciunt, Eccleſia redundat pravis opinionibus, & pernicioſis ſectis, & creſcit Epicuriſmus. Negligente officium Magiſtratu inundant in Rempublicam mali mores, & multum conflatur æris alieni, Patribusfamilias non facientibus officium collabitur diſciplina domeſtica & ingruit paupertas. *Luc. Oſiander.*

II. VITIS GRANDINE OCCISA.

Pſal. 78: 47. OCCIDIT *grandine vites eorum*, *& ſycaminos eorum grandine ſæva & horrida.* Ad quæ verba *Kimchius.* גם יתכן בצומח מיתה אחר אשר בו נפש הצומחת· Etiam plantæ mors convenit, quia in ea eſt anima vegetativa. Hinc *Horatius lib.* I. *epiſt.* 12.

Verum ſeu piſces, *ſeu porrum & cæpe trucidas.*

Et *Seneca Epiſt.* 58. *Placet enim ſatis & arbuſtis animam ineſſe*: *itaque & vivere illa & mori dicimus.* Eodem faciunt hæc Jobi de arbore *cap.* 14: 8. *Si ſenuerit in terra radix ejus*, *& in pulvere mortuus fuerit truncus ejus. Bochartus initio Hierozoici.* חנמל grandinem ſonare horridam, alibi docuimus.

Pſal. 105: 32, 33. *Reddiderat pluvias Ægyptiorum grandinem*, id eſt, loco pluviæ in terram eorum immiſit grandinem, *ignem maxime flammantem*, id eſt, fulmina & globos igneos, *in regione illorum.* Quibus percuſſit vites illorum & ficus illorum, confregitque arbores termini illorum.

III. VITI PERNICIEM EURUS ET IGNIS INFERT; LIBERIS HOSTIUM SÆVITIA.

Ezech. 19: 12. AVULSA ex patrio ſolo *vitis*, mater tua, *per excandeſcentiam* Dei & Regis Chaldæorum *in terram dejecta eſt* mater tua, proterenda & conculcanda in ſummam contemtionem venit, *& Eurus arefecit fructum ejus*, extremo frigore, hoc eſt, morte liberos ejus afflixerunt hoſtes: Vid. *Jerem.* 52: 10. *Avellendos ſe præbuerunt* palmites ejus *& aruerunt* cum *ſcipione robuſto ejus*, cum rege cujus viribus nitebantur, denique *ignis conſumſit eos*, penitus perierunt.

℣. 13. *Nunc autem plantata eſt in deſerto*, vitis illa fructifera olim & frondoſa, Mater tua; nunc gens tua in Chaldæorum terram ab-

abducta eſt, tanquam in deſertum inops omnium rerum, *in terra ſicca & ſiticuloſa*, in qua nihil eſt, quod eam in calamitate ſua reficiat.

℣. 14. *Et qui exierat ignis e ſcipione ramorum ejus*, defectio Regis ex ea nati tanquam ignis *conſumſit fructum ejus*, id eſt, ipſius liberis interitum & perniciem attulit; adeo ut non remanſerit in ea ſcipio robuſtus, virga dominatura: ut non relictus fuerit in hac gente, qui regno potiatur: *Hæc eſt lamentatio* Prophetæ, *quæ ſit* etiam poſteris *pro lamentatione*, pro materia calamitatem ſuam lugendi.

Ezech. 17: 10. *Ut, ecce, plantata ſit* vitis illa luxurians, Tzedekiæ Regis imago, quæ applicuit radices & palmites ſuos ad Aquilam aliam, qui deſcivit a Rege Chaldæorum ad Ægyptium, ℣. 7. *proſperabitur ne?* an fortunate beateque vivet? *an non attingente ipſam Euro exareſcat?* an non ob acceptam a Babylonio cladem perpetuo mœrore conficiatur? an non *ad areolas germinationis ſuæ*, quo loco germinavit, quo incrementum cepit, commeruit, qui defectus viribus dolore & miſeria tabeſcat?

IV. Vitis Ἀβροχίαι infeſtatur.

Factum hoc diebus Eliæ, *quibus clauſum fuit cœlum tribus annis & menſibus ſex. Luc.* 4: 23. *& Jac.* 5: 17. At triennium duraſſe ἀβροχίαν patet 1 *Reg.* 18: 1. Unde ergo ſex menſes a Chriſto & Jacobo adjecti? Reſpondet Clariſſimus *Ligtfootus*: Menſe Niſan pluit ſex menſes, ſequentes uſque ad Marhesvan erant impluvii, more anni & climatis. Menſe Marhesvan exſpectatæ erant pluviæ, ſecundum communem anni temperiem: ſed Elias tunc clauſit cœlum per triennium inſequens, poſt quod reſerat cœlum, & deſcendunt pluviæ. Ita, quamvis ille cœlum non clauſit niſi per tres annos, non erant tamen pluviæ per tres annos & ſex menſes. *Horis Hebraicis*, *p.* 511.

V. Vitem lædunt vulpes.

Cant. 2: 15. Prehendite *nobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas, dum vineæ noſtræ efferunt florem.* Vulpes in Palæſtina mire abundabant *Judic.* 15: 4. Vulpes vineis inſidiari docet & *Theocritus Idyll.* α.

Ἀμφὶ δὲ μιν δύ' ἀλώπεκες, ἃ μὲν ἀν' ὄρχως
Φοιτῇ σινομένα τὰν τρώξιμον, &c.
Hunc circum vulpecula bina, racemos

Altera decurrens depaſcitur.

Et *Idyll.* ε.

Μισέω τὰς δασυκέρκος ἀλώπεκας αἳ τὰ Μίκωνος
Ἀεὶ φοιτῶσαι τὰ ποθέσπερα ῥαγίζοντι.

Odi denſarum caudarum vulpes, quæ vites Miconis
Semper venientes ad veſperas decerpunt.

Et *Varro Ruſticorum lib.* 1. *c.* 8. Unum *vineæ genus*, in quo terra cubilia præbet uvis, ut in Aſia multis locis, quæ ſæpe vulpibus & hominibus fit communis. *Galenus* item *de alimentorum facultatibus lib.* 1. *cap.* 2. Vulpium carnibus autumno utuntur venatores, qui apud nos ſunt, quia tum uvarum eſu pingueſcunt. Eodem refer fabellam de vulpe & uva, quam nemo neſcit, & ita expreſſit *Phædrus.*

Fame coacta vulpis alta in vinea
Uvam adpetebat, ſummis ſaliens viribus, quam
Tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.

Bochartus Hieroz. lib. 3. *p.* 851. 852. Corrumpunt vulpes vineas: 1. Quia foveas fodientes denudant radices & exareſcere faciunt. 2. Quia palmites rodunt & folia diripiunt. 3. Quia corticem morſu ſcindunt atque noxio dente & halitu viroſo inficiunt & quaſi amburunt, & omni virtute privant. 4. Botros jam maturos avide abliguriunt. *Menochius.* Poſtulat & omnibus injungit Eccleſiæ Sponſus, ut prehendant vulpes, hoc eſt, operarios doloſos, ſive pſeudoprophetas, ita vocatos, quia periti ſunt ſimulandi & pleni malarum artium. *Parvas vulpes* dicit prodromos majorum & ſæviorum, quæ erant in vineam Domini intraturæ, quibus hæ parvæ viam muniebant: *corrumpentes vineam*, non veniunt ut ædificent. *Vid. Act.* 20: 29. *Joh.* 10: 1. 2 *Petr.* 2: 1. *Jud.* ℣. 4. *Coccejus.* Capiuntur falſi Doctores, cum revincuntur erroris, & ſtrophæ eorum in apertam Verbi Divini lucem proferuntur. Et adhuc parvulos vult capi Chriſtus, id eſt, in ipſo ortu, & priuſquam ipſorum ſermo ut cancer late ſerpſerit. 2 *Tim.* 2: 17.

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Pſ. 137: 8, 9. *O! filia Babylonis, beatus, qui capiet parvulos tuos, & ad petram allidet.* De hoc eodem vulpium genere dicitur *Ezech.* 13:4. *Similes vulpibus in deſertis prophetæ tui ſunt ô Iſraël.* Qui per cuniculos ſubjectam

jectam terram excavant & ſuffodiunt. Quod faciebant illi prophetæ, cum Hieruſolymorum ruinas reparare, & ſepem obducere debuiſſent, ut imminenti malo occurrerent. Eo enim reſpectu conferri cum vulpibus perſuadent ſtatim ſequentia. Non aſcenditis in ruinas, nec obduxiſtis ſepem pro domo Iſraëlis. *Bochart. Hieroz. Part. I. p.* 860. Delirat *Grotius*, qui *vulpes parvulas* exponit pulicellos.

VI. Vineam porcus devastat.

Pſal. 80: 13, 14. Quare *perrupiſti macerias ejus*, *adeo ut carpant eam omnes viatores : Suffodiat eam porcus pluſquam ſilvam*, *&* *animal agreſte*, vulpes & cervus *depaſcat eam.* Diſcedimus in hac verſione ab omnibus, qui חזיר מיער expoſuere *Porcum e ſilva.* Diſcedimus etiam ab expoſitione eorum, quotquot hactenus *ע* literæ in voce מיער ſuſpenſæ cauſſam reddiderunt, imprimis ab Hebræorum conjecturis, de quibus *Bochart. Hieroz. part.* 1. *l.* 3. *p.* 978. Hebræi anxie quærunt, quorſum in manuſcriptis & multis Pſalmorum editionibus inſcribitur מיער ita ut litera *Ajin*, ſit תלויה ſuſpenſa. Unde eſt, quod ad illam vocem Mazorethæ hanc notam apponunt, חד מן ד׳מלין בקריאה דתלי בהון אות Una eſt, e quatuor vocibus, quæ literam ſuſpenſam habent. Nonnulli ſic notari volunt literam *Ajin* in voce מיער eſſe præciſe mediam Pſalterii. Ita aſſerunt Thalmudici in *Tractatu Kidduſin*, *cap.* 1. *fol.* 30. Ex aliorum ſententia litera *Ajin* ſuſpenditur, ut pro *Ajin* legatur *Aleph*, id eſt, חזיר מיאר porcus e fluvio, pro חזיר מיער porcus e ſilva. Illi enim hoſtes, qui in Iſraëlitas, irato Deo, ſæviunt inſtar ſilveſtris porci, eodem pacato ſimiles fiunt porco fluminis, qui in terra nec quicquam poteſt. Ita habet *Midras in Pſalmos*, & e recentioribus *R. Selomo* : In voce מיער litera *Ajin* eſt ſuſpenſa, quia cum Iſraëlitæ digni ſunt, Eſau (id eſt Chriſtiani) hoſtis eorum, eſt ut animal fluviatile, quod non poteſt in terram aſcendere, ſed cum Deus ab illis pœnam repoſcere decrevit, invaleſcit ut fera ſilvæ, quæ perdit & interimit. *R. Bechai* in libro *Cad hakkemach cap.* 1. literam illam ſuſpenſam ſtatuit eſſe Chriſti ſymbolum, qui in cruce ſuſpenſus eſt. Judæos veteres, inquit *Bochartus*, putaverim, ut per porcum e ſilva, Nebucadnetsarem intellexerunt, ita per *Ajin* ſuſpenſum annos ſeptuaginta deſignari voluiſſe, quibus duravit illa captivitas. Nam in numeris litera *Ajin* valet ſeptuaginta. Fruſtra autem hæc omnia dicuntur, ſi ratum habebitur, quod *lib.* 1. *de*

Arcano Keri & Chethib probavimus, literam in textu ſacro ſuſpenſam prævia vocis in altero ſacrarum Scripturarum Codice transpoſitionem notare, ſenſu minime variato; & nullo ſenſus diſcrimine legatur, ſuffodiet, vel *ſuffodiendo conculcabit* eam חזיר מיער porcus præ ſilva, vel, *ordine vocum inverſo*, ſuffodiet eam præ ſilva, (vel pluſquam ſilvam) porcus. יכרסמנה compoſitum verbum eſt ex duobus futuris יכרה־ירמס id eſt, ſuffodiet, conculcabit.

VII. VITIBUS LOCUSTA PERNICIALIS.

Amos. 4: 9. HORTOS *veſtros & vineas veſtras & ficeta veſtra, & oliveta veſtra* יאכל הגזם *comedet Gazam*, *ſeu locuſta.* Gazam a tondendo vel abſcindendo dicitur locuſta, quæ præacutis dentibus non ſolum gramen & ſegetes, ſed & cortices, ipſosque arborum teneriores ramuſculos ita erodit, ac ſi amputaret. Proinde *Piſidas* locuſtarum agminibus tribuit μυριόςομον ξίφος enſem decies mille acierum. *Joel.* 1: 6. locuſtarum genti (cujus quatuor recenſet genera *Gazam*, *Arbe*, *Jelek* & *Chaſil.* ℣. 4.) tribuit dentes leonis, cui molares immanis leonis ſunt, eamque ſeu peſtem vitium deſcribit: ℣. 7. *Diſponit vites meas in vaſtitatem.* ℣. 11: 12. *ejulant vinitores, quia vitis exaruit, quia exaruit gaudium e filiis hominum. Hieronymus in Joelem c.* 1. Judæi putant, in diebus Joël tam innumerabilem locuſtarum ſuper Judæam veniſſe multitudinem, ut cuncta complerent, & non dicam fruges, ſed ne vinearum quidem & arborum cortices ramoſque dimitterent. *Vid. Bochart. Hieroz. Part. II. pag.* 441. *& ſeqq.*

VIII. VITIS VACUA.

Hoſe. 10: 1. VITEM *vacuam præbuit Iſraël: fructus vanos præbiturus ſibi.* Vacuum præbuit, Eſt enim בוקק præteritum *Pihel* referendum ad nomen Iſraël, non ad גפן, quod fœmininum eſt. פרי ישוה לו Varie exponunt. *Kimchius*: Quomodo faceret fructum? quum ſit tanquam vitis vacua, ut quam hoſtes diripuerint, & ſtatuerint eam vas inane, quomodo ultra fortunabitur, & liberis aut opibus augeſcet? *Mercerus*: *Fructum æquat ſibi*: q. d. ut vitis eſt vacua, ſic fructum ſimilem fert, hoc eſt, evanidum, aut nullum. Direptum intelligit ab hoſtibus, & a Deo gignendi facultate privatum, *Coccejus*: *Fructum ponit ſibi. Ludovicus de Dieu*: Vitis evacuat Iſraëlem: *Fructum ponebat ei* Deus. *Vitis evacuat*, id eſt, vacuum & amentem reddit, ut *Hoſ.* 4: 11. *Vinum aufert cor. Fructum ponebat ei*, q. d. Deus quidem ex ea vite fructus ipſis dedit, id.

id eſt, reipublicæ eorum abunde benedixit. Nos exiſtimamus ישוה, derivatum eſſe verbum ex nomine שו, id eſt, vanitas, quod legitur *Job.* 15: 31. igitur exponimus: *Vitem vacuam præbuit Iſraël*, id eſt, ſterilem bonorum operum, *fructum vanum præbiturus ſibi*, infructuoſa ſcilicet tenebrarum opera. *Epheſ.* 5: 11.

IX. Vinearum sterilitas.

Jeſa. 5: 10. Decem *jugera vineæ reddent bathum unicum.* Scimus Bathum habere novem menſuras ducales, Nein Wirtemberger eichmas / vel decem uſuales, zehen ſchenkmas / quam proxime. Unde patet ſingula jugera vineæ non ſingulas menſuras redditura, Zehen Morgen Weinbergs werden nicht zehen mas Wein ertragen / quod horrendum auditu eſt. Ein morg nicht ein mas.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Racematio. עוללות בציר

Thalmudistis *quid* holeleth. *Racemare poſt vindemiatores, eſt relicta colligere. Melior vindemia racematio. Racematio lege interdicta, legis ratio. Racematio non relicta illatæ vaſtitatis ſymbolum.*

I. Thalmudistis quid holeleth?

IN Thalmudico codice *Peah*, *cap.* 7. §. 4. declaratur quid ſit עוללת nempe, כל שאין לה לא כתף ולא נטף: quicquid nec humerum habet, nec cuſpidem, id eſt, ubi ſunt baccarum ſibi invicem incumbentium ramuli, & globus acinorum in ſummo uvæ ſcapo. Eſſe enim, ajunt, tanquam puerum coram majore, & inde quaſi *holel* puerum appellari. Interim & aliorum fructuum reliquias deſignant עוללות ut *Jeſai.* 17: 6. *Tantum relinquetur in eo racematio*, id eſt, perexiguus incolarum numerus, *ut quum ſtringitur olea.*

II. Racemare post vindemiatores, est relicta colligere.

Ita poſt vindemiatores racemarunt, qui poſt Salomonem ſapientiæ præcepta tradiderunt, in queis *Siracides*, qui propterea ſic ſcribit *Eccleſ.* 33: 17. Κἀγὼ ἔσχατος ἠγρύπνησα ὡς καλαμώμενος ὀπίσω

ὀπίσω τρυγητῶν; id eſt, interprete *Camerario: & ego ultimus evigilavi, ut ſtipulam legens poſt vindemiatores.* Eſt cur malim *ut racemos legens:* nam καλαμᾶσθαι non ſolum ſtipulas aut ſpicas legere ſignificat, ſed etiam racemos, quod uno verbo dicunt ὑπιφυλλίζειν. Porro ita vertendum eſſe perſpicuum ex illo, ὀπίσω τρυγητῶν. Nam τρυγηταὶ vindemiatores: alioqui dixiſſet ὀπίσω θεριζόντων poſt meſſores. *Druſius Centuriarum Claſſe prima p.* 466.

III. RACEMATIO MELIOR VINDEMIA NOTAT SUPER ALIOS EXIMIUM.

Judic. 8: 2. NONNE *meliores ſunt racemationes Ephrajimitarum vindemia Abiezritarum?* Racemationem vocat interfectionem Horeb & Zeeb, Principum Midianitarum, poſt perfectum prælium quaſi dicat: Nos non tantum pugnando quantum vos Ephrajimitæ fugatos a nobis perſequendo, conſequuti ſumus. Per eandem metaphoram racemare dicuntur, qui milites cædunt a fugientibus relictos. *Judic.* 20: 44. *Deinde eorum Binjaminitarum, qui averſi fugiebant, verſus deſertum ad Petram Rimmonis, racemarunt quemque per tritas vias, quinquies mille viros.*

IV. RACEMARE VINEAM JUDÆIS INTERDICTUM.

Levit. 19: 10. SIMILITER *vineam tuam ne racemato, & deciduos acinos vineæ tuæ ne relegito*, & *Deut.* 24: 21. *Quum vindemiabis vineam tuam, ne racemato, poſtquam vindemiaveris.* Ratio legis; ut Iſraëlitæ benevola cura pauperes dignarentur, & reliquiis ſuis tenuitatem eorum ſuſtentarent. Additur enim, *ipſi pauperi & peregrino relinquito ea. Ego ſum Dominus, Deus veſter*, & in *Deuteronomio: Peregrini, pupilli, & viduæ eſto.*

V. RACEMATIO NON RELICTA PRÆDATIONIS ET ILLATÆ VASTITATIS SYMBOLUM.

Jerem. 49. 9. SI *vinitores veniſſent tibi, non reliquam feciſſent racemationem? Si fures noctu, perderent, quod ſatis eſſet ipſis?* Interrogative hæc legenda eſſe, evidens eſt. Significant autem calamitatem Eſavi majorem eſſe, quam ſi vindemiatores vineam legiſſent, aut fures nocturni damnum feciſſent. Venturos, qui non tam quærant prædam, quam perdant, non tam cupiditati propriæ obſecundantes, quam iræ divinæ inſervientes. *Coccejus. Conf. Obad.* ℣. 9. *Jerem.* 6: 9 *Sic ait* DOMINUS, Deus *exercituum, aſſidue racemabunt, tanquam vitis, reliquias Iſraëlis, dicentes: redire fac manum tuam in qualos*, id eſt, indeſinenter racemos in qualos injice. Chaldæorum

rum vox eſt mutuo ſeſe ad Judæorum direptionem & perniciem exhortantium.

Mich. 7: 1. *Væ mihi! quia extiti, ut in collectionibus autumnitatis, ut in racemationibus vindemiæ! Non eſt racemus ad comedendum, non præcoqua, quam concupivit anima mea.* Chriſtus viſitans populum ſuum, comparat eum cum horto, cujus fructus collecti ſunt, & cum vinea, in qua vindemia peracta, nec poſt vindemiam reliqua racematio eſt. Debebat eſſe ut hortus fructibus juſtitiæ abundans & inventus eſt populus habens inſtar horti abIecti.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Similitudines a vinea et vitibus ductæ.

Vinea *incuſtodita, Judæorum Eccleſia derelicta. Chriſto vinea ſua non eſt lucrativa. Dei vinea ſterilis, Judæi. Vinea Dei elocata. Vinea meri. Vineæ a deſerto. Vinearum feracitas. Bonorum in Eccleſia ubertas. Silva vindemiæ. Vitis degener, populus, qui deſcivit a fide majorum. Vitis Chriſtus. Vitis Eccleſia. Vitis regnum recuſantis emblema. Vitis Tzedekiæ Regis mater. Refloreſcens vitis reſtaurationis ſymbolum. Subditi depauperati, vinea depaſta. Vitis incrementorum gentis Judaicæ ſymbolum. Uxor vitis fructifera. Filius Rami Joſephus. Aſinus ad vitem.*

I. Incustodita Sponsæ vinea Ecclesia Judæorum derelicta.

Cant. 1: 6. *Filii matris meæ accenſi ira contra me, cuſtodem me poſuerunt unius de vineis: Vineam meam mihi ad cuſtodiendum datam non cuſtodivi.* Filii matris meæ, homines Eccleſiæ, quæ per doctores ſemen verbi divini cum paleis jacientes genuit me, (*vide* 1 *Cor.* 3: 13. *Matth.* 21: 2.) exarſerunt contra me iracundia injuriisque & convitiis vexarunt me, quod, poſtquam defenſionem Eccleſiæ doctrinis hominum ac traditionibus corruptæ mihi commiſerunt, officium intermiſi.

II. Christo vinea sua non est lucrativa.

Cant. VIII. 12. Vinea, inquit ſponſus, *fuit Salomoni juxta Bahalhamon*

hamon: vineam cuſtodibus elocavit, ut ſinguli pro ejus fructu mille penſitent argenteos. ℣, 12. *Vinea mea eſt, quod meum eſt, & ad faciem meam: Mille argentei* cedant *tibi Salomo, ducenti ejus fructus cuſtodibus.*

שלי quod meum eſt, quod mihi præ reditibus vindico. לפני ad faciem meam, ſcilicet gratioſam, gratiſſima dotium mihi viſa. Sententia dicti: Vinea fuit Salomoni lucrativa. Ego autem præter vineam, quæ ſola mihi dos placuit, nihil facio meum, nec uſum ejus mihi vendico, neque ex ejus locatione lucrum capio. Tibi, Salomo, qui vineam plantaſti juxta Bahalhamon, locum, qui floret, hominum celebritate, cedant pro reditu mille argentei, ducenti autem cuſtodibus ejus fructus: vobis, terrarum Dominis, qui præſidio veſtro Eccleſiam juvatis ac defenditis, tributa pendantur, vos ab ea cenſus requiratis; & illis etiam qui vineam meam colunt, Eccleſiæ miniſtris, licet ducentos argenteos annua ſcilicet laborum capeſſere præmia: vel ſingulis in diem denarium ſuum. *Matth.* 20: 2. *Ego vero de vinea mea non locupletabor.*

III. CHRISTI VINEA ECCLESIA JUDÆORUM INFOECUNDA.

Jeſa. 5: 1. ACCINAM *Dilecto meo, canticum Amici mei de vinea ſua: Vinea obtigit Dilecto meo in cornu, filio olei.* אשירה נא *decantabo*, Ich will herſingen. נא particulam vulgo explicant quæſo vel nunc. Nos autem animadvertimus per univerſum codicem ſacrum ſonare loci adverbia hic, huc, hinc, quod uſitatius efferunt Germani per voces her / hin / hier. *Canticum amici mei*, id eſt, canticum quale diebus carnis caneret vel cantaturus eſt amicus meus *de vinea ſua. Matth.* 21: 33. *& ſeqq. In cornu, filio olei*, in clivo ſive dorſo pinguiſſimo, in terra rerum omnium abundante copia.

2. *Et circummunivit eam, & elapidavit, conſevitque eam generoſis vitibus, & exſtruxit turrim in ea, ac etiam torcular excidit in ea: ſed quum exſpectaret, ut ederet uvas, edidit omphaces. Circummunivit eam* quantum potuit, ſepto & maceria, ut patet ex ℣. 5. *& elapidavit*, lapidibus repurgavit, quod Latine etiam dicitur exoſſare, id eſt, ea quæ populi incrementis & progreſſibus præpedimentum objicerent, amolitus eſt, *conſevit generoſis vitibus*, initium plantandi populum fecit a ſanctiſſimis viris Abrahamo, Iſaaco, Jacobo. *Et exſtruxit turrim in ea*: Speculatores ei dedit ſacerdotes & prophetas. *Ezech.* 3: 17. *& cap.* 33: 7. *Ac etiam torcular excidit*

dit in ea, Templum exſtruxit, in quo hortatibus ac minis prophetarum ex bonorum operum fructu manaret lætitiæ & refocillationis vinum: *ſed quum exſpectaret*, ut ederet uvas, ut fructus ferret juſtitiæ, *edidit omphaces*, imperfectæ tempeſtivitatis fructum, divinæ beneficentiæ imparem, ſcelera & improbitatem. 3. *Nunc autem quiſquis habitas Hieruſolyma, & viri Jehudæ ſinguli, judicium hic ferte* inter me & vineam meam: id eſt, vos reos judices hic conſtituo cauſſæ meæ: Vos, inquam, judicate. 4. *Quid faciendum amplius fuit in vinea mea, quod non fecerim in ea? Quamobrem, quum exſpectaſſem, ut ederet uvas, edidit omphaces. Quod non fecerim in ea:* an non diligentis agricolæ munus impleverim? *Exſpectaſſem*, ut ederet fructum juſtitiæ, edidit injuſtitiæ & improbitatis acerbum & inutilem fructum. 5. *Jam itaque notum hic faciam vobis, quæ propediem facturus ſim in vinea mea; Prorſus amovebo ſepem ejus, ut ſit depaſtationi, disrumpam maceriem ejus, ut ſit conculcationi. Amovebo ſepem:* Deſtituam populum viris, qui vel precibus ad Deum fuſis, vel conſilio vim hoſtium ſuſtinuerunt, hoc quaſi ſepimento rempublicam vallantes. *Ut ſit depaſtioni*, beſtiis agri. *Pſal.* 80: 13: 14. ut occupata eorum terra extranei homines vim eorum comedant. *Hoſ.* 7: 9. *Disrumpam maceriam*, munimenta regni dejiciam, Regibus ſpoliabo, qui potentia & opibus ſuis ſalvos ab inſultibus hoſtium præſtabant. *Ut ſit conculcationi*, ut ſit locus, quo emittatur bos, & quem conculcet parva pecus. *Jeſa.* 7: 25. quo ſcilicet armenta & pecudes impaſcantur, id eſt, omni cultu vacabit.

IV. Vinea Patrisfamilias Dei elocata.

Matth. 21: 33. *& ſeqq.* Fuit *quidam Paterfamilias, qui vineam conſevit*, Deus, qui plantavit Eccleſiam ſuam Judæos, quos in peculium elegerat, *& ſepem circumpoſuit ei*, ſepem vocat præſides gentis & reges tempore Servatoris Chriſti precario regnantes, quorum præſidio & ab hoſtibus defendebantur, & ſuis vivere legibus potuerunt, *foditque in ea torcular* ληνὸν, lacum vinarium, *ferruminatis plumbatiſque lapidibus in fundo, & lateribus inſtructum, quo finita vindemia ex maturis uvis torculo expreſſum muſtum colligeretur.* Senſus myſticus. *Nihil prætermiſit, ut converſionis opus per verbi miniſtros, inſtando, opportune, importune, arguendo, increpando, cohortandoque ceptum, ad ſalutem omnium abſolveretur.* Et ædificavit turrim, *dedit, qui pro animabus vigilarent*; & elocavit eam agricolis,

 com-

commiſit eam rectoribus gentis , Scribis & Sacerdotibus. Ipſe autem peregre profectus eſt , *non loci mutatione : Nam Deus unde abeſſe poteſt , quo complentur omnia , & qui dicit per Jeremiam , an Deus e propinquo ſum ego ,* dictum DOMINI , *ac non Deus e longinquo cap.* 23: 23. *Sed abire videtur a vinea , ut vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat. Hieronymus ad l. c.* Cum autem opportunum tempus fructuum appropinquaſſet , *quum vindemia appeteret ,* miſit ſervos ſuos *prophetas* ad agricolas , *ad Sacerdotes ,* ut fructus acciperent. Verum hi eo perfidiæ & ingratitudinis progreſſi ſunt , ut adprehenſis ſervis ejus , *prophetis* , alium cæderent , ut Jeremiam & Micham , alium occiderent . ut Jeſaiam, Amoſum & Uriam. *Jerem.* 26: 23. alium vero lapidarent , ut Zachariam Jojadæ filium. 2 *Chr.* 28: 21. Rurſum patientiam oſtenſurus , ut malos colonos ad pœnitentiam provocaret , *miſit alios ſervos* , prophetas alios , & in his Johannem Baptiſtam , ſed non dubitarunt & his nefarias manus injicere *: fecerunt ergo illis ut prioribus. Poſtremo autem miſit ad eos filium ſuum* , Chriſtum , *dicens : Reverebuntur filium meum , occaſionem dabo venerandi & a cædibus & injuria deſiſtendi.* At illi , viſo filio , majore furore & amentia perciti , dixerunt intra ſe , *cogitarunt : Hic eſt hæres* , regni ſcilicet Iſraëlitici ; venite ? *occidamus eum , & occupemus ejus hæreditatem* , libere, pro arbitratu noſtro, dominabimur populo , *& apprehenſum eum ejecerunt ex vinea* extra Hieruſolymæ portas. *Hebr.* 13. *& occiderunt.*

V. VINEA MERI, ID EST VINI PURI ET DEFÆCATI, VEL VINEAM MUSTI , QUOD FERBUIT.

Jeſ. 27: 2. DIE *illa vineam meri cantate ei. Cantate* , cantando promittite , *ei* , terræ Iſraëliticæ , mero gaudio ſinceraque lætitia perfundendæ , quam terram & ℣. 3. propheta dicit irrigandam.

VI. VINEÆ A PERAGRATO DESERTO INCIPIENTES.

Hoſe. 2: 16, 17. QUUM *deduxero gentem Iſraël in deſertum , & eloquuturus ſum , quæ ſunt ei cordi : dabo ei vineas ſuas inde ab eo loco , & vallem Achoris* , quæ eſt *pro foribus ſpei.*

Dabo ei vineas ſuas inde , hoc eſt , ab ipſo deſerto incipient vineta ejus. Quemadmodum Iſraëli egreſſo ex Ægypto , & deducto per deſertum , ſtatim occurrerunt loca vitibus & arboribus conſita , in quibus vallis Achor prope Hierichuntem , *Joſ.* 7: 7: 24. eaque amœniſſima. *Eſai* 65: 10. (*quæ dicitur pro foribus ſpei* , id eſt , ſub

ſub ingreſſum terræ ſperatæ Canaanitidos) Uno verbo promittitur eis verbis figuratis, cita reductio ad patrias poſſeſſiones. *Noldius Annot. ad Conc. p.* 1083.

VII. Vinearum colliumque feracitas, symbolum ubertatis bonorum in regno Christi.

Joel. 3: 18. Erit *autem die illo, ſtillabunt montes muſtum, & colles* herbiferi *diffluent lacte.* Id eſt, tanta erit vini lactiſque copia ut colles vino & lacte fluere videri queat. Typus: In Chriſti Redemtoris regno bonorum omnium ubertas erit: imprimis ubertas verbi Domini, quod vini more animum confirmat, & inſtar lactis ſuavitate delectat. *Mercerus.*

VIII. Silva vindemiæ.

Zach. 11: 2. *Ejula quercus Baſan*, fructum edens ferum & immitem & ſuibus obnoxium; *quia deſcendit ſilva vindemiæ*, id eſt, quia cæduntur vineta vitium ſuarum denſitate ſilvæ ſimilia, a quibus nobiliſſimus fructus & uberrima exſpectata eſt vindemia. Caſus Judæorum ſit gentilium metus. A qua ſententia non diſcrepat illud *Petri* 1. *Epiſtola cap.* 4: 17, 18. *Ejusmodi tempus eſt, ut pœna* (κρῖμα Dei conſtitutio de immittendis adverſis) *a Dei domo*, domeſticis Dei *incipiat. Quod ſi capitur a nobis initium, quis futurus eſt exitus eorum, qui divino non parent Evangelio? Et ſi juſtus ægre ſervatur, impius & improbus ubi comparebit?*

IX. Vitis degener.

Jerem. 2: 21. Ego *te plantaveram vitem generoſam, totum ſemen fidele: quomodo ergo mutata es mihi in degeneres* palmites vitis terræ alienæ? quomodo converſa es in vitem ei, quam ſeveram diſſimilem, cujus fructus a generoſitate & ſapore nobilium uvarum prorſus deflectit, ut videatur alterius terræ, quam illius, quæ a me tantopere colitur? Senſus: Degeneraſti a fide & probitate progenitorum.

X. Vitis Christus.

Joh. 15: 1. Ego *ſum vitis vera, & Pater meus eſt agricola. Ego ſum vitis.* Ego ſum, qui fideles gignit, portat, vivificat, alit ſucco ſuo, frugiferoſque facit tanquam palmites. *Coccejus. Ego ſum vitis illa*, de qua paſſim in Scripturis, præſertim *Jeſa.* 2: 21. ne miremini itaque, quod myſterium bibendi ſanguinis mei vini ſimilitudine declaravi. *Uſſerius. Vitis vera*, genuina, eximia, ratione ef-

effectus : ſcilicet, quia longe nobilius & perfectius influit, *immittit* in palmites ſuos ſuccum, vigorem, alimentum & vitam, quam vitis naturalis in ſarmenta ſua. *Corn. Janſenius.*

Pater meus eſt agricola, qui vineam ſibi in mundo elegit, palmites curat, & omnibus ad exquiſitam culturam neceſſariis inſtruxit. *Coccejus.* Quum igitur videbitis me ad palum crucis exaltatum, memineritis hoc a meo Patre vero agricola profectum, qui probe novit quid faciendum viti, & quid vobis palmitibus, ut fructum capiat. *Uſſerius in Harmonia.*

℣. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus adferat. Omnem palmitem*, omne corporis mei, hoc eſt, Eccleſiæ membrum vel omnem, qui ſe ſectatorem meum profitetur, *qui non tulerit in me fructum*, qui in pietatis operibus non exercetur, etiamſi per me ſucco ſpiritus copioſo potiri poſſet, *eum tollit*, a mea communione ſejungit, & indurari indurationis judicio ſinit; *& omnem qui fructum tulerit* licet exiguum, modo ex Spiritus Sancti ſucco, adinſtar meorum fructuum naſcatur, *purgabit* putando & pampinando, hoc eſt, pravas cupiditates ſupprimendo, quibus caro adverſus ſpiritum concupiſcit. Quod imprimis fieri ſolet *verbo*, cruce, gravibuſque afflictionibus externis, ac tentationibus internis. *Ut plus fructus adferat*, ut fructum edere pergat uſque ad perfectionis ſtatum. *Uſſerius.* Eſt & alia Patris circa palmites cura. Infrugiferos *tollit*, ſeparat a fidelibus. Ita ſeparavit Deus ab omnibus tribubus Iſraëlis illos, qui ſuis conſiliis utentes ſibi benedicebant, & ſaturitate Novi Teſtamenti donatos perſequebantur, juxta verba *Moſis*, *Deut.* 29: 19, 20, 21. Conſequenter regnum cœlorum ablatum eſt a Judæis. Quemadmodum vanno palea a frumento, ita illi ab Eccleſia Dei vivi ſunt amoti. Alii ſcandaliſantur cruce & recedunt. *Matth.* 13: 21. Alii ad errores noxios declinant & veritatis defenſores relinquunt. Porro circa frugiferum palmitem ita verſatur Deus, ut eum repurget; Habet enim quivis palmes, qui in Chriſto eſt, etiam aliquid vetuſti hominis: deinde ſocietas & conjunctio, cum non veris palmitibus ipſis incommoda eſt. Deus minuit ipſorum errores, & ignorantiam corrigit, & cupiditates reſecat, etiam liberat eos a conſortio ſcandalorum, *ut ampliorem fructum ferat*, fœcundior fiat, tum in doctrina ſapientiæ & prudentiæ, tum in vitæ probitate & charitate, tum in patientia. *Coccejus.*

℣. 3.

℣. 3. *Jam vos puri eſtis, propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis. Puri eſtis*, inſtar palmitum novellorum, qui ſurculis pampiniſque nondum luxuriant, ſucco autem tument. *Propter ſermonem quem loquutus ſum.* Verbum meum & ſpiritus meus ſuccus eſt, qui ex me vite in vos palmites ſcilicet meos tranſiens mihi conjunctos naturæ meæ facit participes. *Uſſerius.*

℣. 4. *Manete in me, & ego in vobis, ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemet ipſo, id eſt, niſi manſerit in vite; ita nec vos, niſi in me manſeritis. Manete in me.* Perſeverate in fide, *& ego in vobis:* non deſeram vos cum omnibus beneficiis meis ſanctiſſima conjunctione veſter futurus. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemet ipſo, niſi manſerit in vite, ita nec vos niſi in me manſeritis. *Niſi manſerit in vite*, niſi ſuccum ex vite, & vim ferendi fructum acceperit: *niſi in me manſeritis*, niſi per fidem prius mihi uniti inſitique fueritis fructus bonorum operum ferre non poteſtis.

℣. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites; is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum, nam ſine me nihil poteſtis facere.* Id eſt, niſi in me manſeritis, non poteſtis quicquam boni operari, ergo id operam date, ut in me maneatis. Cavendum igitur ne vita ſcelerata fidem & Spiritum Sanctum excutiamus. Non enim ſimul ſtare poſſunt fides in Chriſtum & ſcelus contra conſcientiam admiſſum, niſi agatur pœnitentia & ad fidem redeatur.

℣. 6. *Niſi quis in me manſerit abjectus extra vineam, ſtatim ut palmes areſcet; deinde congregantur iſti palmites, & in ignem conjecti ardent.* Quemadmodum vites palmitesque inutiles a vinitore exciſæ areſcunt, & collecti in faſciculos exuruntur, ita qui in Chriſto non manent, a Chriſto avulſi, ſemper in deterius ruunt, donec in æternum ignem conjiciantur. Avelluntur autem homines a Chriſto tribus modis. *Primo*, cum totam religionem Chriſtianam abjiciunt, ut ſi quis ex Chriſtiano fiat Turca. *Secundo*, ſi quis in hypocriſin illam inciderit, ut ſentiat, ſe meritis operum ſuorum coram Deo juſtificari. Gratia enim Dei excidunt, & a Chriſto alieni fiunt, qui operibus juſtificari præſumunt. *Gal.* 5. *Tertio*, quum quis belluinam vitam agit, atque in Epicuriſmum ſeſe demergit. His omnibus (niſi reſipuerint) ſatius fuiſſet non cognoviſſe viam juſtitiæ, ut *Petrus* loquitur, 2 *ep.* 2: 21. *Luc. Oſiander.*

XI. Vitis Ecclesia.

Jerem. 2: 21. Ego *te plantaveram vitem generoſam, totum ſemen*

fidele : quomodo ergo mutata es mihi in degeneres palmites vitis aliena. Fidele ; id eſt, bonum, non vitiatum ſemen fuit, quo initium te plantandi feceram in Abrahamo omnium credentium in præputio Patre *Rom.* 4: 11. & in Sara matre multarum gentium, Judæorum imprimis, quos peperiſſe dicit, *Jeſa.* 51: 2. *mutata es in degeneres palmites vitis aliena*, degeneraſti a majorum fide & probitate, tanquam nata ex aliena vite, ex vite ſcilicet Sodomæa & Gomorrhæa *Deut.* 32: 32. Eccleſia Dei comparatur viti; nec facile reperias ſimilitudinem, quæ aptius illius naturam exprimat. Vitis infirmior quam ut a ſe ipſa ſuſtineatur, ridicis paliſque alligatur: Etiam Eecleſia, ſi mundana reſpicias imperia, infirma eſt fulcroque & pedamenta protectionis divinæ nunquam non indiget. Præ aliis lignum vitis aſpectum habet deformem: fructus autem aliis omnibus præſtat: Ita Eccleſia mundi quidem judicio, dedecoris plena, & in oculis hominum contemta, fructu laudatiſſimo, aliis quotquot uſquam naſcuntur fructibus, ad laudem & nobilitatem antecellit. Fructus enim ejus eſt cultus atque laus Dei. Ea eſt natura viti, ut antequam germinet floreatque, lacrymetur: Sic Deus lacrymas movet Eccleſiæ, & afflictionibus eam premit antequam reficiati pſam, rebuſque ſecundis & proſperis frui patiatur. Notum eſt, quo calidior vineæ æſtus incumbit, eo generoſius vinum naſci: ita Eccleſia, durante afflictionum æſtu, opera profert meliora. Quod de Eccleſia dicimus, id intelligendum quoque de ſingulis. Preces in lectulo doloris fuſæ fere ſunt ardentiores iis, qui peraguntur in templo. Intentius mari quam terra invocatur Deus. Fides atque zelus adverſariorum contradictionibus accenditur. Et quemadmodum *Judic.* 9. dictum, quod Rubus imperium ſibi ſuper vitem, ficum & oleam, arrogarit, ita ſæpius contingit malos dominari in bonos, & Eccleſiam Dei duriſſima premere ſervitute, ſecundum id quod *Pſal.* 12: 9. dictum, ubi obſervantur impii, quum extolluntur apud homines hominum viliſſimi. Vitis eſt Eccleſia, quam ipſe Deus plantavit, quam manu ſua colit, ſuper quam oriri facit ſolem veritatis, & pluviam gratiæ demittit, & quum degenerans malos ediderit fructus, ſepimentum ejus dirui patitur, ut vel porci eam depaſcant, vel viatores carpant atque conculcent. *Pſalm.* 80: 13, 14.

XII. Vitis regiam dignitatem recusantis emblema.

Jud.

Jud. 9: 8. Aliquando iverunt arbores, ut crearent ſibi regem, id eſt, deſiderio habendi regis vehementi agebantur, regnumque primum oleæ, eximiæ inter frugiferas arbores ſpeciei, & firmitatis, & ad victum liquoris utiliſſimi, hinc fico, poſtea viti, animis illud deſtinarunt. Regem ſcilicet optantes qui & opibus eos juvaret, & neceſſaria ad degendum vitam lautiorem præberet. Oleæ enim ad luxus quoque materiam utilis liquor, in theſauris olim repoſitus; Ficus dulcedine fructus præſtans cibum præbuit, vitis ſuaviſſimum potum. Quum autem ſecum ipſæ reputarent, quemadmodum ii, quos imperio dignos judicarunt, dotes ſuas pro neceſſitatibus ſubditorum in commune collaturi non eſſent; nec enim oleam ſua pinguedine, qua Deus & homines honorantur arborum cauſſa carituram, nec adeo vitem commiſſuram, ut dulcedinem reditumque ſuum ad ſe transferant arbores; nec vitem denique adducendam, ut relicto arboribus muſto, exhilarare Deum & homines deſinat, pertinax habendi regis deſiderium ad Rhamnum ire compulit, cujus fructus cum in alimoniam verti non poſſet, neque vitæ neceſſitatibus conveniret, umbra ſaltem ejus conſolari ſe ſatis habuerunt. Quod diximus e verbis liquet, quibus olea, ficus & vitis ab ambitione regni alienas ſe teſtantur. Dixit arboribus oliva, vel dictura ad regnum vocantibus videbatur, החדלתי, id eſt, compoſita voce in ſimplices reſoluta, ההחדלתי והחדלתי an ceſſare facta ſum, aut ceſſare feci, præterita loco futurorum poſita, an ceſſans ego reddar aut ceſſare faciam? id eſt, an cogar abdicare, vel nemine cogente abdicarem pinguedinem meam, oleum per quod Deus hominesque honorantur, ut arboribus eam impertiam & vagatum eam propter arbores, id eſt, ut iterata curſitatione laſſata, arborum negotia geram. Ficus dixit, vel dictura videbatur: An nemine cogente, me abdicarem dulcedine mea, & reditu meo optimo, ut ad arbores ea deferrem, eorumque negotia ultro citroque curſitando curarem. Vitis denique repulſa hanc excuſationem habuit: An nemine cogente meo me muſto abdicarem, ut eo in arbores diſtributo, res earum agendo, huc illuc fatigata transcurrerem. Hæc ita factum iri audientes arbores, vel, ut dictum eſt, animo percipientes ad Rhamnum ſe contulerunt. Rhamnus iſte Abimelechus intelligitur, humilis ſtirpe, ex ſerva natus. Umbra, qua obtegi Sichemitæ voluerunt, ſignificat ſpem inanem, quam in Abimelechi fortitudine, conſiliis atque vafritie poſuerunt. Fuiſſe enim manu ſtrenuum,

nuum, conſilio promtum, ac decipiendis hoſtibus paratiſſimum, ex iis liquet, quæ de eo a ſcriptore ſacro memorantur. Is igitur regni adminiſtrationem haut deprecatus, in fidem Sichemitas recepit, exitium minatus, ſi datam fidem fallerent. Si vere, inquit, ſi integre (*conf. comma* 16. *&* 19.) vos creatis me in regem ſuper vos, venite, obtegite vos umbra mea; utimini opera, conſiliis, ductu, & auſpiciis meis: Sin minus; exeat ignis, exitium & interitus paretur, qui abſumat non humiles modo ſtirpes, vulgus veſtrum, ſed & cedros Libani, Principes urbis veſtræ.

XIII. VITIS TZEDEKIÆ MATER.

Ezech. 19: 11, 12, 13, 14. IN *quiete tua, Mater tua, ſimilis erat viti plantatæ ſecundum aquas, frondifera & frondoſa erat ab aquis multis: Erantque ei ſcipiones robuſti, ad virgas dominantium, & alta erat ſtatura ejus, ſupra intercurrentes ramos denſos: ita ut conſpicua eſſet altitudine ſua, cum multitudine palmitum ſuorum. Sed avulſa per excandeſcentiam in terram dejecta eſt, & eurus arefecit fructum ejus; defregerunt ſeſe, & aruerunt ſcipiones robuſti ejus, ignis conſumſit eos. Et jam nunc, plantata eſt in deſerto, in terra ſicca & ſiticuloſa: & exiens ignis e ſcipione ramorum ejus, fructum ejus conſumſit, adeo ut non ſit in ea ſcipio robuſtus, virga dominatura: Hæc lamentatio eſt, quæ futura eſt pro lamentatione.* Lamentatio hæc eſt ſuper fata Matris Tzedekiæ, Viduæ Joſiæ Regis. *In quiete tua*, antequam res Judæorum ab Ægyptio & Babylonio Rege turbarentur, *Mater tua*, Chamital quæ & Chamutal, Joſiæ Regis Conjunx, *ſimilis erat viti plantatæ ſecundum aquas, frondifera & frondoſa erat, ab aquis multis*, abundavit divina benedictione, & liberorum ſtirpe. *Erantque ei ſcipiones robuſti ad ſceptra dominantium*, filios peperit regno idoneos. *Et alta erat ſtatura ejus ſupra intercurrentes ramos denſos*, proceritate & amplitudine conſpicua, excellebat aliis matribus in dignitate, & liberorum nepotumque multitudine. *Sed avulſa per excandeſcentiam* Dei & Regis Chaldæorum, *in terram dejecta eſt*, depreſſa eſt gloria & excellentia ejus, *& eurus arefecit fructum ejus*, fatum graviſſimum ejus ſobolem afflixit, *defractos ſe præbuerunt*, avulſis a matre ſua liberis, *aruerunt ſcipiones robuſti ejus*, ad incitas redacti filii & nepotes, ſceptrum ſeu regnum gerere amplius non poſſunt, *ignis conſumſit eos. Et jam nunc plantata eſt in deſerto, in terra ſicca & ſiticuloſa.* Jam nunc ejecta ex patrio ſolo in Babylonium, non habet, unde augeatur. (Cum Jo-

jachimo

jachimo & illius uxore deportatam ante hoc vaticinium fuiſſe matrem Tzedekiæ, hinc datur intelligi; de uxore Jojachini Regis, *vid. Jerem.* 29: 2. *&* 2 *Reg.* 24: 17.) *Et exiens ignis e ſcipione ramorum ejus*, exſtitura pernicies a Tzedekia perfido & rebelli, velut incendio, *fructum ejus*, ſtirpem ejus, *conſumet*, *adeo*, *ut non ſit in ea amplius ſcipio robuſtus*, *virga dominatura*, ut nulla principatus aut regni reſtituendi ſpes relinquatur. Hæc lamentatio *lugubris* eſt, *quæ* impleto de Tzedekia vaticinio, *fuerit pro lamentatione.*

XIV. Vitis efflorescens restaurationis symbolum.

Hoſe. 14: 8. Reversi in patriam Iſaaëlitæ ab exilio, *ſedebunt in umbra ejus*, Dei protectione & præſidio tuti, *vivos-dabunt*, id eſt, parient, ut terra *frumentum* mira auctum fœcunditate, *& efflorescent tanquam vitis*, quæ poſt longam ſævamque hyemem regerminat, & putata fructum fert uberrimum. יחיו דגן vivos præbebunt *ut* frumentum, כ ante ג, organi ejusdem literam aufertur.

XV. Subditi depauperati, Vinea depasta.

Jeſa. 3: 14. Dominus *ad judicium adveniet contra ſeniores populi ſui & principes ejus. Vos enim depaviſtis vineam*, ſpoliaſtis, atque nudaviſtis omnibus bonis populum; *rapina pauperis eſt in domibus veſtris.*

XVI. Vitis incrementum, gentis Judaicæ symbolum.

Pſal. 80: 9. Vitem *ex Ægypto tranſtuleras*, Iſraëliticum populum in Canaanitidem ex Ægypto deduxeras, *expuleras gentes*, ſeptem iſtius terræ excidio devotos populos, *ut plantares eam*, ut ei poſſidendam dares terram eorum, ſtabilemque ſedem dares. ℣. 10. *Expediveras ante ipſam*, complanando facilem feciſti viam, feceraſque *ut ageret radices*, ut firmiter contra hoſtes ſtabilirentur, *& impleverat terram*, operuerat hominum frequentia terram. Ex ea enim gente Davidis tempore in aciem educta legimus tredecies centena millia virorum. 2 Sam. 24: 9. ℣. 11. *Operiebantur montes umbra ejus*, in immenſum pene aucti, Canaanitidem, montoſam regionem, hominum multitudine obtegebant, *& palmitum ejus umbra operiebantur Cedri maximæ*, altitudine ſuperabat proceriſſimas cedros; hoc eſt, evexit Deus Iſraëlitas ad ſummam potentiam, Reges quoque exteros ei ſubjiciendo. ℣. 12. *Emittebat ramos uſque ad mare*, ad mare Mediterraneum, quod & Magnum dicitur, *& ad flumen*

Euphratem, teneros ramos ejus, id eſt, verſus occidentem & aquilonem imperium ejus extendit. Dominabatur enim Salomo in omnia regna, a flumine ad terram Philiſthæorum, & uſque ad terminum auſtralem Ægyptiorum. 1 *Reg.* 4: 24. Ipſe dominabatur in tota citeriore parte Euphratis, a Thapſaco ad Gazam, in omnes Reges, qui erant citra flumen.

XVII. UXOR VITIS FRUCTIFERA.

Pſal. 128: 1. UXOR *tua ut vitis fructifera ad latera domus tuæ.* Vitis imaginem præbet uxoris. 1. In infirmitate. Imbecille enim lignum eſt, & adminiculo eget: Ita & mulier parum firmamenti, parumque roboris habet, eaque de cauſa *infirmius vaſculum Petro* dicitur, 1 *Epiſt. c.* 3. 7. Vaſculi autem adpellatione conjux comes & adjutrix viri eſſe demonſtratur, quam merito ſufferre, ſuſtentare & honorare debet. 2. In amœnitate, ut palmitum ſuorum gratiſſima viriditate domos ambiens vitis domibus decori eſt, ita gratia & amabilitate viri familiam condecorat uxor. *Mulier gratioſa continet honorem. Prov.* 11: 16. 3. Fœcunditate. Nullo fine creſcit vitis, fœcunditate laudatiſſimi fructus facile aliis arboribus antecellens: Ita uxor hominis, qui Deum reveretur, liberorum partu, factisque ingenuis, quæ memorantur *Prov.* 31. corporis & animi fœcunditatem probat.

XVIII. VITIS FRUCTIFERA. JOSEPHUS, JACOBI FILIUS.

Gen. 49: 22. FILIUS *fœcundæ* Vitis *Joſephus*; *filius fœcundæ.* Ita verterunt ex Hebræo Onkelos & author Thargum Hieruſolymitani, ac Chaldæi Interpretes; פארת enim videbatur ipſis natum ex פרה crevit, & quia פארת adjectivi loco poſitum, deſiderari putarunt nomen vitis ſubſtantivum. Sed omnino melius ad verbum interpreteris: *Filius racemi eſt Joſephus, filius rami juxta fontem: Uterque ramus ejus procedit ultra murum.* פארת deflexum eſt a פארה ramus, ה in ת mutato, ut in זמרת aliiſque plurimis. *Filius rami*, hoc eſt, ramoſus, ut: בן־שמן filius pinguedinis, id eſt, pinguis. בן חציר filius graminis, id eſt, graminoſus, graminis ferax. Ramoſus per metaphoram dictus Joſephus, quod gens illius in multas divideretur familias, quæ vocantur myriades Ephrajimi, & millia Menaſſis *Deut.* 33: 17.

XIX. ASINUS AD VITEM.

VITI pampinis fructuque onuſtæ alligatus Aſinus, laute & geniallite

liter vivit. Igitur, quod *Geneſ.* 49: 11. de Judæ filio, Meſſia dictum; *Ligat ad vitem aſellum ſuum, & ad generoſam vitem pullum aſinæ ſuæ*, id ſignificat, miſeros & laborioſos, & peccatis oneratos, efficacibus a Chriſto ſolatiis recreatum iri. Dicunt partem Tribus Jehudæ, quam in terræ hæreditate ſuſcepit, ita refertam fuiſſe vineis, ut, tanquam nulla alterius generis exiſtente ſtirpe, tanta vitis eſſe copia videretur, ut ne aſinum quidem alligandi, ad aliud genus arboris daretur facultas.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

De legibus Vinearum.

Lex *de heterogeneis in vinea non ſerendis. Lex de non efferendis uvis ex vinea aliena. De immiſſo in vineam jumento. De eo, qui ob vineam plantatam a militia vacat. De vineis Regum dono. Vitis Sodomæ. Tugurium in vinea typus vaſtitatis.*

I. Lex de heterogeneis stirpibus in vinea non serendis.

DEUT. 22: 9. *& Levit.* 19: 19. Ne *conſerito vineam tuam duobus generibus; ne ſanctus*, id eſt, pollutus, *ſeu contaminatus ſit, illius fructus maturus*, (Hebr. plenitudo ejus,) *nimirum ſemen* alterum, *quod ſeveris & proventus vineæ.* כלאים duo heterogenea, vel duo altera ſignificat. Apud Æthiopes Abeſſinos כלא notat alium, alterum, amicum, ſocium. תקדש id eſt, pollutum ſeu contaminatum ſit. Prohibitio eſt generalis. Quod hic in vinea dicitur, idem in arvo locum habet. *Agrum tuum non ſeres diverſo ſemine. Deut.* 19: 19. *Theodor. quæſt.* 23. *in Deuteron.* Præcipit neque permixta ſemina mitti, neque varias vites inſeri. Ratio 1. Deus non vult, ut ſpecies in creatione diſtinctæ temere miſceantur. 2. Vetat onerari tellurem, nimio quaſi labore proventuum. 3. Docet naturæ inimicum eſſe diſſimilium communionem. 4. Ne terra conſequenter efficiatur ſterilis, dum unum alterum impedit & ſuffocat, aut etiam ſucco terræ exhauſto interimit. 5. Ne in avaritiam proni, nimio lucro inhiarent. Typico-morale: Dicuntur diverſa ſemina

mina in unum agrum ſeminare, qui ſectantur diverſæ religionis doctrinas. Nam quemadmodum diverſa ſemina, in agro vel vinea ſibi ipſa impedimento ſunt, quo minus ſuo tempore ad maturitatem perveniant, ita hi qui diverſas doctrinas religionis ſectantur, ſemper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam veritatis perveniunt, ſed circumferuntur quovis vento doctrinæ, ut *Paulus* ait, *Eph.* 4: 14.

II. LEX DE NON EFFERENDIS UVIS EX VINEA ALIENA.

Deut. 23: 24. SI *ingrediaris vineam proximi tui, comedes quidem uvas pro deſiderio tuo ad ſaturitatem tuam; at inſtrumento tuo ne indito.* Charitas & liberalitas ſemper eſt commendabilis. Chaldæus paraphraſtes exponit: Si mercede conductus fueris in vineam fratris tui, ſive, quum locaveris operam tuam tempore vindemiæ proximo tuo. Sed non dubitandum legem eſſe generalem, quæ ad omnes pertineat.

III. LEX DE IMMISSO IN VINEAM JUMENTO.

Exod. 22: 5. SI *quis depaſcens agrum aut vineam immiſerit pecus ſuum, quod paſcat in agro alterius, optimo agri ſui, & optimo vineæ ſuæ rependito.*

Qui proximum læſit mittendo jumentum ſuum in vineam alienam, is damnum reſarcire tenetur ex eo quod præſtantiſſimum habet in vinea. Adeoque non mulctatur quadruplo vel duplo, ſed tantum reſtituere debet damnum pro rata; fortaſſe quia dubitari potuit, an imprudens id fecerit, vel malo animo. Cum autem beſtiæ damnum inferant depaſcendo, lædantque vites, oleas, & alias arbores, multaque pedibus proterant & vaſtent, quæ ad dominum jumenti non redeunt; ideo contentus fuit Legislator, ſi ex agro proprio tantundem redderet, non ſolum quantum fuerat depaſtum, ſed etiam alia ratione corruptum: Pœna enim talis ſufficiebat, ut poſtea caveret, quantum quidem ipſi curæ erat ager proprius. Quid autem, ſi, qui proximum in ea re læſit, nec agros, nec vineas, nec quid ſimile in bonis habuerit? Reſpondeo, tunc ex analogia aliarum legum, debuiſſe illum damnum reſarcire, ex pecunia vel ex ſupellectile ſua, vel ex armento. Præſupponitur enim quod ille ſaltem habuerit jumenta, quæ immiſit in agrum alienum, quæ vendi poterant, & damnum æſtimari, ut ex venditione læſo ſatisfieret, & ſi quid ſupereſſet, reo cederet. Cum autem Lex dicat, *ſi paſci fecerit quiſpiam, & dimiſerit jumentum*, videtur diſtin-

guere

guere inter eum, qui ſponte & deſtinato id fecit, & eum, cui tale quid imprudenti accidit. Quamvis enim negligentia puniri debuerit, culpa tamen gravior fuit ejus, qui ſciens & volens immiſit jumenta in alienum agrum, qua de re judices cognoſcere debuerunt. *Rivetus ad d. l.*

IV. Lex de eo, qui ob vineam plantatam a militia vacat.

Deut. 20. 6. Præco *ante prælium proclamabat: Quis eſt ille vir, qui plantavit vineam, nec dum ea ſacris jam ſoluta uſus eſt*; (nec dum anno quarto poſt plantatam, novos ex ea fructus ad domum Dei attulit) *abiens revertatur domum, ne moriatur in hoc prælio, & vir alius illa ſacris ſoluta utatur.* Humaniſſima fuit hæc remiſſio, duabus de cauſis. Una, quoniam incerti ſunt caſus bellorum, ne quis otioſus fruatur alienis laboribus. Iniquum enim viſum eſt, non permitti e propriis fructum percipere, & ex conſitis ab alio vitibus, alium vindemiam facere, atque ita ſpe ſua fruſtrari, qui aliquid commodi in vita exſpectaverit. Altera cauſa, ne præſentes corpore in exercitu, abſint animo. Neceſſe enim eſt mentem eo tendere, quo deſiderio trahitur. Nam quemadmodum eſurientes, ſitientesque ad conſpectum cibum potumque accurrunt, ut aviditatem expleant; ad eundem modum, quicunque prædium paraverunt induſtria ſua, ſperantque ſe jamjam potituros ejus commodis, ægre ferunt ſperatum fructum intercipi ſibi, ut quamvis verſentur inter ſocios, meliore tamen ſui parte abſint, animo ſcilicet, quo ſolores fortiter aut ſecus geritur.

V. Vineæ Regum dona.

Vineas Reges dederunt bene merentibus ſervis ſuis 1 *Sam.* 22: 7. *Audite Binjaminitæ, etiamne vobis omnibus daturus eſt filius Iſai agros & vineas?* Vineas autem dare potuerunt: vel 1. hereditarias, ſi donationem contribulibus facerent. Nec enim lex permittebat aliis avita bona cedere: Non avertetur poſſeſſio in Iſraëlitis a tribu in tribum; quum ipſi adhærebunt quiſque poſſeſſioni tribus paternæ ſuæ. *Num.* 36: 7. *conf. Lev.* 25: 25. vel 2. eas, quas ipſi plantaverant, ut quas David, quarum proventui præfecit Zabdium Schiphmæum, uti vinitoribus Schimhium Rhamathæum, 1 *Chr.* 27: 27. quas Salomo, qui maximis a ſe patratis operibus annumerat plantatas a ſe vineas. *Eccleſ.* 2: 5. quas denique Uzzias, Judæ Rex 2 *Chr.* 26: 16. vel 3. vineas, quæ obvenerunt ex opibus ſubditorum,

qui propter læſam majeſtatem mulctati vel judicio damnati fuerunt, ſicut Mephiboſethi prædia, Rex David, perſuaſus eum ad filium deſciviſſe, ſibi vendicavit, eoque jure Tzibæ, Saulis famulo, addixit, 2 *Sam.* 16:4. & Achabus, Nabothi Jizrehelitæ, iniquo judicio damnati vineam, ſibi aſſeruit. 1 *Reg.* 21: 16.

VI. VITIS SODOMÆ.

Deut. 32: 32. NAM *ex vite Sodomæ eſt vitis eorum; ex tumulis Gomorrhæ. Coccejo* מ *vel ex* particula eſt efficientis vel procreantis. Ex vite Sodomæ, inquit, vitis eorum, hoc eſt, caput & corpus in quo ipſi gloriantur, originem habet a Sodomitis. Tales enim ſunt quales Sodomitæ. *Junius* & *Tremellius* מ vocis מגפן vertunt Vitis eorum eſt præ vite Sodomæ, deteriores ſunt Sodomitis. Rectius hac particula locum aut materiam inſinuari opinabimur, reddentes: Vitis eorum eſt e ſolo vitium Sodomi & ex tumulis Gomorrhæ, ex peſſimo vitium genere. Significat animum gentis flagitiis ſceleribuſque Sodomæorum more obſtrictum. שרמות idem nobis, quod שדי ארמות ubera terrarum, terræ pars, e planitie uberum in modum tumens, quo ſenſu in cæteris quoque Scripturæ locis vox iſta accipitur, ut *Jerem.* 31:40. *& omnes tumuli uſque ad torrentem Kidron*: ubi ſcribitur כל־השרמות ſymbolo duarum lectionum, quarum una litteris inſinuatur, altera punctis, cum literis marginalibus ſociandis, השרמות umbilicos terrarum, שרמות ut dixi, ubera terræ. Idem ſonat 2 *Reg.* 23: 4. *Combuſſerunt vas Bahali & luco facta extra Hieruſolymam, in tumulis Kidronis*, id eſt, in tumulis, qui pertingebant ad torrentem Kidron. *Jeſa.* 37: 27. *Fuerunt habitatores ejus* ut *herba agri, ut holeracea herba tenera, ut fœnum tectorum, & ut tumuli ante ſegetem. Habac.* 3: 17. *Quamvis mentiretur opus olivæ, & tumuli non ederent cibum.*

VII. TUGURIUM IN VINEA TYPUS VASTITATIS.

Jeſa. 1: 8. RELICTA *filia Sion, ut umbraculum ſeu tugurium in vinea.* Similitudo proverbialis, quæ ſumta (videtur certe) a caſulis cuſtodum vinearum, quæ poſt vindemiam deſertæ relinquuntur, nemine eas incolente. Ergo vaſtitatem ſignificat, ut quod ibidem legitur, Tegillum ſive caſula in cucumerario. *Hieronymus in Comment. ad h. l.* In cucumerario quoque parvulæ fiunt caſulæ propter ardorem ſolis ad radios declinandos; & inde vel homines vel beſtiolas, quæ inſidiari ſolent natis frugibus abigunt; cum autem ablata fuerint iſtiusmodi genimina, remanent arentia fruticum umbraculaque

caſu-

caſulæque, recedente cuſtode, quia non habet ultra quod ſervet.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

De Vino.

ETYMOLOGIA nominis, quod Hebræis vinum ſonat. Ab eo eſt οἶνος *& Germanorum* Wein. *Colere vineas, quo tempore ceperit Germania. Vini Synonyma. Genimen vitis, ſanguis uvarum. Sicera. Sicera tumultuoſa. Sicera ebrius nihil conſulte facit. Sicera, mendacium prophetarum merces. Sicera, quæ vitæ leniat moleſtias. Thiroſch muſtum: Muſtum a Deo ereptum. Muſti copia lætabilis. Hoſtili ſanguini comparatum: Fervens Dei ſermo in animo compreſſus. Muſtum generans virgines. Vinum vetus, amici veteris figura. Vinum nigrum oculis nigris comparatum. Vini pulcritudinem & præſtantiam ſuperantia Sulamitidis ubera. Sermo Dei vinum ambulans & loquens. Vinum in manu divina. Vinum evanidum obſoleta virtus. Aqua dilutum corrupta dogmata. Vinum Draconum. Vinum in regno Patris Chriſti Jeſu bibendum. Vinum ſecuritatis parens. Cum redundantia donorum Dei vinum comparatum. Qui lætantur Dei beneficentia, ſimiles ſunt lætantibus vino. Vino jucundius, quod amatur in ſponſa. Vinum ſapientiæ. Vinum refectio ægrorum: Sanguinis Jeſu Chriſti in Sacramento vehiculum.*

I. יין Hebraici Nominis Etymon.

יין ab ינה dictum, id eſt, vi vel fraude oppreſſit, ſicut קין à קנה poſſedit. Hinc Græcorum οἶνος & Germanorum win / vel wein. Nimirum cum vitium cultura, etiam nomen vini, ad eos tranſiit. Qua autem tempeſtate vineas plantare ceperit Germania, non ſatis conſtare video. Sunt, qui factum hoc arbitrantur ſeculo poſt Chriſti nativitatem quinto, ad Rhenum amnem, locis ad Argentoratum vergentibus. Ineptiunt Græci, qui οἶνον ab Oeneo vocatum cenſent, ut *Colophonius Alexander.*

Οἰνεὺς δ᾽ ἐν κοίλοισιν ἀποθλίψας δεπάεσσιν
Οἶνον ἔκλησε - - - -
Qui vinum pateras Oeneus diffudit in amplas
Vino, quod retinet, nomen dedit. - - -

&

& *Melanippides Mileſius.*

Ἐπώνυμος ὦ δέσποτ' οἶνος Οἰνέως.

Vinum, here ab Oeneo cognominatum.

& *Plato in Cratylo*, qui vocis οἶνος originem indagans, ſic inquit, notatum fuiſſe, quod animum noſtrum impleat τῆς οἰήσεως, arroganti de nobis ipſis opinione: quanquam, *vel ipſe, vel Athenæus*, inquit, fortaſſis etiam ἀπὸ τῆς ὀνήσεως ab utilitate, quam ex eo percipimus, dictum fuiſſe, non abſurdum ſit. *Athenæus lib. 2. p. 35.*

II. Vini Synonyma.

Vinum, *dicitur*: *Fructus ſeu genimen vitis*, & *Anacreon* γόνον ἀμπέλου τὸν οἶνον, vinum *filium vitis* vocat, & *Pindarus* in ſuo Doriſmo magnifice hebraiſſans, βιατὰν ἀμπέλου παῖδα, violentum vitis filium. *Nemeor.* IX. ut viciſſim apud *Athenæum* Aſtydamas οἰνομήτορα vitem vini matrem:

Θνητοῖσι τὴν ἀκέσφορον λύπης
ἔφηνεν οἰνομήτορ' ἄμπελον.

Mortalibus moleſtiarum auxilium, vini matrem vitem oſtendit. *Dipnoſoph. lib. 2. p. 40.* Chriſti autem Redemtoris noſtri, verba ſunt, quæ leguntur, *Matth.* XXVI. 29. *Marc.* XIV. 25. *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, uſque ad diem illum, quum ipſum bibam vobiſcum novum*, id eſt, denuo, iterum, in *regno Patris mei*, ſcilicet poſt paſſionem & reſurrectionem meam: quod factum eſſe Petrus teſtatur, qui Apoſtolos cum Chriſto reſuſcitato ediſſe & bibiſſe ait, *Actor.* 10: 41. Notabis autem, materiam Sacramentalis calicis, vocari vitis genimen, cum heic, tum *Lucæ* 22: 18, 19. etiam poſt benedictionem ſeu conſecrationem. Unde concluſeris, materiam terrenam, quæ potoria, ſolum eſſe vinum, cujus proin odor ac ſapor nativus, nec aboleri, nec ſubſtantia dirimi, aut ſubmoveri, debet.

Sanguis Uvarum. Gen. XI. 11. Lavat in vino veſtimentum ſuum, et in Sanguine Uvarum Operimentum ſuum.

Uvarum ſuccum & alii Auctores ſanguinem appellant, *Caſſiodorus lib.* 12. Hyemale muſtum, uvarum frigidus ſanguis, in rigore vindemiæ, cruentus liquor, purpura potabilis, violaceum nectar. Nemeſianus, *Ecloga.* II.

Dum Pallas amet, turgentes ſanguine baccas.

Siracidis c. 39. 26. vocatur αἷμα σταφυλῆς, ut &, 1 *Macc.* 6: 34. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mororum, ut eos ad prælium exſtimularent*

larent. Senſus dicti literalis: Tanta Judæ poſteris erit vini copia, quanta veſtes lavantibus aquæ. Senſus myſticus: Cunctis, qui ante thronum & in conſpectu agni ſtabunt, ſatis eſt occiſi ſanguinis, in quo lavent atque dealbent ſtolas ſuas. *Apoc.* 7: 14.

Deut. XXXII. 14. *Sanguinem uvarum bibiſti, qui ferbuit.* id eſt, vinum bibiſti purum. Ferveſcendo enim & ebulliendo muſti flores ſordeſque ſeparantur, muſtumque repurgatum clareſcit. חמר non eſt, ut multis placuiſſe video, merum, id enim Latinis dicitur, vinum, quod alio ſucco vel liquore non miſcetur, Græcis ὔκρατον.

III. שכר Sicera.

Sicera ab inebriando nomen trahit. Omne inquit Hieronymus *lib. de Nom: Hebr.* quod inebriare poteſt apud Hebræos ſicera dicitur, & Baſilius κατὰ μεθυόντων. Σίκερα πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι τοῖς Ἑβραίοις ὀνομάζειν συνηθές. Igitur ſignificat primo, vinum vitis genimen. *Num.* XXVIII. 7. *Libamen* jugis *holocauſti*, quale præceptum in monte Sinai, ℣. 6. *quartam hinis in agnum unumquemque*, eum ſcilicet qui mane, & alterum qui veſperi immolandus, *in loco ſancto libato, libamen potus-inebriantis Domino*, id eſt, libamen puri, & veteris, & generoſi vini, *in honorem Domini.*

Secundo Vinum factitium, quale fieri olim ſolebat e ſucco malogranatorum, *Cant.* 8: 2. vel, e palmis maturis, quas chydæas vocavit Oriens, vel e pomorum ſucco, ex hordeo, ficu, & e ſiliqua Syriaca. Item e cornis, meſpilis, ſortis, moriſque. *Vid. Hieron. epiſt. ad Nepotianum. Thalm. tract. Peſach. fol.* 107. 1. De Sicera Habaſſinorum vide *Welſchium de vena Medinenſi. p.* 183: *de* Perſica, quale Ægyptiorum Zythum, *ibidem pag.* 119. *de* Bibylonica ſive Zytho lupulato. *ibid. p.* 129. Siceram tempore λειτουργίας ſumere Sacerdotem lex vetuit, *Levit.* 10. 9. *Alloquutus eſt Dominus Aharonem, dicendo: Vinum aut potum inebriantem, ne bibito tu, aut filii tui tecum, quando ingreſſuri eſtis tentorium conventus, ut non moriamini, ſtatuto perpetuo per generationes veſtras; cum ad diſcernendum inter ſacrum & profanum, atque inter mundum & immundum, tum ad docendum Iſraëlitas omnia ſtatuta, quæ edixerat Dominus eis per Moſen.* Prohibetur ergo Sacerdotibus ſicera, ut ab ea ſe abſtinentes, ſuo muneri ſufficiant. Interdicitur etiam ſicera Naziræis: *Num.* 6: 3. *A vino & alio potu inebriante abſtineto Naziræus.* Ratio legis, quod potu inebriante corpus Naziræi ad libidinem & intemperantiam incitatur, legumque divinarum inducitur oblivio, quo fit, ut inte-

Ss grum

grum ſpiritum, & animam, & corpus, inculpate Deo conſervare, & in corpore ſpirituque ſuo, Deum glorificare nequeat. 1 *Theſſ.* 5: 23. 1 *Cor.* 6. 20.

IV. SICERA TUMULTUOSA.

Prov. 20: 1. *Irriſor eſt vinum, tumultuatur ſicera. Vinum*, id eſt, ſtrenuus vini potator; *tumultuatur*, id eſt, hominem propenſum facit ad tumultuandum, vociferandum, debacchandum, jurgandum, cædendum, pulſandum, &c. *Vid. Prov.* 23: 29.

V. SICERA EBRIUS DICITUR, QUI NIHIL CONSULTE VEL CUM RECTO JUDICIO FACIT.

Jeſa. 28: 7. VERUNTAMEN *etiam iſti* quaſi *vino errant, &* quaſi *potu inebriante oberrant, præſes ac propheta errant* quaſi *potu inebriante, errant in functione videntis*, in prophetia, in doctrina, *titubant in judicatione*, id eſt peccant in judicio, diſſolute judicant.

VI. SICERA, MENDACIUM PROPHETARUM PACTA MERCES.

Mich. 2: 11. *Si vir ventoſus & falſus mentiatur*, dicens: *ſtillabo tibi pro vino, aut pro potu inebriante: is ſtillator eſt populi hujus. Ventoſus*, Hebr. הולך רוח ambulans poſt ventum. ל litera ante vocem רוח ἐλλείπει. Simillima ejuſdem literæ ellipſis eſt, ante רכיל *Jerem.* 6: 28. nam הולך רכיל verti debet, *ambulans poſt detractionem vel poſt virum detractionis ſive detractorem.* רוח ventus ſumitur pro re vana, ut *Jeſa.* 41: 29. רוח ותהו ventus & vanitas fuſilia eorum. Poſt ventum igitur qui vadit, eſt qui vana & inania ſectatur. *Stillabo tibi*, inſtillabo, placide loquar Dei verbum. Sic *Deut.* 32: 2. *Inſtilletur* animis *tanquam pluvia diſciplina mea*, hoc eſt, ſenſim & minutatim influat in animos ſermo meus. Ut enim *Cicero* ait *epiſt.* 38. *Plurimum proficit ſermo, qui minutatim irrepſerit animo.*

VII. SICERA VITÆ MOLESTIAS LENITURA.

Prov. 31: 6. DATE (*minore ſcilicet periculo quam regibus*) *ſiceram perdito*, miſero vel derelicto. *Bibat* perditus, *ut obliviſcatur paupertatis ſuæ, & moleſtiæ ſuæ non ſit memor. Quis poſt vina gravem militiam, aut pauperiem crepet? Horat. Od.* 18: *lib.* 1. אובד perditus, ſeu derelictus vocatur, ut Jacobus, Syriæ advena *Deut.* 26: 5. ut ovis a paſtoribus derelicta. *Pſal.* 119: 176. Fuſius in hunc locum commentatur *Sixt. Amama Antibarb. Bibl. lib.* 3. *p.* 595. 596.

VIII. תירוש MUSTUM.

LIQUOR eſt, qui recens ab uvis calcatis aut torculo ſubditis effluit,

fluit, a *poſſidendo* dictus, quod potus hominem poſſideat, mentemque ſede ſua expellat. Eximiæ dulcedinis muſtum, quod Sacerdotibus promiſſum, vocatur חלב תירוש adeps vel opimum muſti. *Num.* 18: 12.

IX. Mustum a Deo ereptum.

Hoſe. 2: 9. Recipiam *muſtum meum tempeſtate ſua*; id eſt, inſtante jam vindemia, & muſto tumentibus uvis, vindemiæ ſpem, indignis iſtis & injuſtis poſſeſſoribus, eripiam. *Mich.* 6. 15. *Calcabis muſtum*, id eſt, calcatis uvis elicies muſtum, *ſed non bibes.*

X. Musti copia lætabilis.

Pſal. 4: 8. Indidisti *lætitiam animo meo majorem* lætitia *temporis, quo frumentum & muſtum eorum multiplicantur.* Id eſt, affeciſti animum meum lætitia grandiore, quam lætantium in larga meſſe, vel ubere vindemia. *Vid. Jeſa.* 9: 3. *Jerem.* 48: 33.

XI. Mustum hostili sanguini comparatum.

Jeſa. 49: 26. Efficiam, *ut oppreſſores tui velut muſto ſanguine ſuo inebrientur*, id eſt, ut mutuis cladibus conſumti, alter alterius ſanguinem ſitiat, fuſoque ſatietur.

XII. Mustum fervens Dei sermo in animo pressus.

Job. 32: 18. 19. Plenus *cum ſermonibus*; *coarctat me ſpiritus ventris mei.. Ecce venter meus, ut vinum, cui non aperitur: ſicut utres novi finderetur.*

Coarctat me ſpiritus ventris mei: Spiritus divino ſermoni impendendus, quem continere amplius non poſſum. Urget me zelus pro divina gloria loquendi. Multum ab illis diſſentio, qui Sancti viri verba arrogantiæ tribuunt. Fuit enim Elihu, cujus dicta neutiquam improbavit Deus, ut liquet ex *cap.* 42: 7. *Vinum, cui non aperitur*, muſtum in dolio fervens, cui ad exſpirandum vaporem & halitum non datur exitus. *Finderetur*, ſcilicet, venter meus. Sine periculo non continerem ſermonem: quem, ut eloquar, urget ipſe Deus. Vid. *Jerem.* 5: 14: & 20: 9. *Loquar, & reſpiratio erit mihi*: divinitus inſpirata eloquar, ut laxius mihi ſit ab animæ interclufione, atque anguſtia ſpiritus: *reſpondebo*, fari incipiam.

XIII. Mustum generans virgines.

Zach. 9: 17. Quænam *erit dignitas ejus? & quænam pulcritudo ejus? frumentum, quod juvenes, & muſtum, quod virgines, profeRet.* Muſtum hoc longe diverſum a Træzenio, quod, ut autor

eſt *Theophraſtus ap. Athenæum lib.* 1. *pag.* 31. qui bibunt, generare negantur, & ab eo in Herea, Arcadiæ oppido, quod inſaniam viris, ſterilitatem mulieribus infert, & iſti, quod natum circa Caryniam Achaiæ, (ſive Cabyriam, ut vocat *Victorius cap.* 8: 7. *Variarum Lectionum,*) quod prægnantium fœminarum partum abigit, aut ſi uvam edant, gravidæ. *Quanam erit dignitas* vel amœnitas? Hebr. טוב, quod nomen amœnitatem, vel dignitatem ſonat, ut quod ſequitur יפיו pulcritudinem. Eadem vis verbi טבו *Num.* 24: 5. מה טבו *quam decora, quam amœna ſunt* tentoria tua? & cognati nominis, vidit כי־טוב הוא eum eſſe elegantem. *Exod.* 2: 2. הנה מה טוב Ecce quam pulchrum & quam amœnum eſt? *Pſal.* 133: 1. *Dignitas ejus*, populi ſcilicet, quem ſervabit Dominus, ℣. 16. Dignitas & decor ejus erit multitudo juvenum, quos frumentum, id eſt, verbum vitæ Evangelium proferet, & virginum cœtus, quas muſtum, idem ſalutis ſermo ſuaviſſimus atque dulciſſimus gignet. ינובב id eſt, *provenientes præbebit*, proventum feret juvenum atque virginum. Et frumentum & muſtum glorioſum Dei Evangelium notant, per quod juvenes virginesque in Chriſto Jeſu generantur, novi ſcilicet homines, & omnes quaſi modo geniti. Rara vero & eximia populi dignitas, qui totus ex juvenibus & virginibus conſtat.

XIV. VINUM NOVUM UTRESQUE VETERES RES INCONGRUÆ.

Matth. 9: 15-17 *&* *Luc.* 5: 34--39. DISCIPULORUM patrocinium Chriſtus ſuſcipit, tutaturque, contra Phariſæos, qui jejunia negligentes carpebant. Argumenta ducit ex incongruo. Non bene conveniunt Sponſus, & filii thalami jejunantes, gaudium, & animæ afflictio. Hoc eſt veteri veſti novæ pittacium adhibere, vel pittacium veteris novæ: hoc eſt vinum novum condere in utres veteres, atque novum vinum, quod auſterius eſt, præferre veteri leniori.

XV. VINUM VETUS AMICI VETERIS FIGURA.

VINUM vetus, : אחמרא בפ תלתא טרפי vinum trium foliorum, id eſt, trium annorum, a cujus procreatione vitis tertium exivit in folia. *Gloſſa in Beracoth fol.* 12. *col.* 9. *&* *Schabb. fol.* 51. *col.* 1. Cum veteri vino comparat amicum ſcriptor *Eccleſiaſtici* 9. 13. *Vinum novum eſt amicus novus; veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud.*

lud. *Alexis*, de vino, ubi deſpumavit, & ætatem nactum eſt; ait:

- - - - καὶ καταστῆναι πάλιν
Ἡδὺν θ' ἅπασι τ' ȣ̓ πιλοιπὸν διατελεῖν,

Perpetua lenitate placere in poſterum. Senſum igitur Eccleſiaſtici *Lucas Oſiander* ita expoſuit: Quemadmodum vinum a fecibus jam probe purgatum, ſalubrius eſt vino novo, & quaſi adhuc crudo: ita melior eſt amicus vetus & probatus, quam novus, cujus fidem nondum in rebus arduis es expertus. Filii enim hujus ſeculi officia ſua liberaliter pollicentur: cum ad rem ventum eſt, parum aut nihil præſtant. Itaque vetus amicus novo eſt præferendus.

XVI. Vinum nigrum oculorum nigredini comparatum.

Gen. 49: 12. Nigricans *oculis præ vino; & albis dentibus præ lacte:* Interpretum plurimi, rubicundus præ vino. At rubedo oculorum ex vino, mala. *Prov.* 23: 29. 30. Nec ſimpliciter ſignum eſt εὐεξίας, ut in parte felicitatis cenſeri queat. Rectius oculos amœnos ſeu lucidos vertit Syrus, cui ſuffragantur *Jonathan*, *Juvencus*, *Ambroſius*, *Cyprianus*, *Auguſtinus*, *alii*: Sed & LXX. habent χαροποιοὶ, gratioſi ſupra vinum, quos Vulgatus ſequitur reddendo: Poſteriores ſunt oculi ejus vino. Sunt autem amœniſſimi pulcherrimique oculi nigri. Et hoc, quantum judico, vult Hebraico nomini חכלילי, quod ſcriptum loco כחלילי, congenerum apud Arabes nomen كحل *cahalon*, id eſt, oculorum nigredo. Nec aliunde petenda interpretatio nominis חכלילות *Prov.* 23: 29. Cui vulnera impune, cui *a plagis vel ictibus* nigredo oculorum eſt? immorantibus apud vinum, euntibus ad inveſtigandum miſtum, *infuſum vinum.* Nigredo oculorum hic ſunt oculi verberibus lividi. Ater enim color pro livido, cœruleo, & ferrugineo venit. *Ovidius libro* 15.

Cærulus & multum ferrugine Lucifer atra.

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Et violæ nigræ ſunt, atque inſcriptæ hyacinthi.

Theocrytus Idyll. x. Sic, quæ nigræ hic vocantur hyacinthi, a Marone recenſentur ferruginei 1 *Georg.* 4.

Et pinguem tiliam & ferrugineos hyacinthos,

& a *Columella* cœrulei:

Nec non vel niveos, vel cœruleos hyacinthos.

& in *Græcorum Epigrammatis* viola dicitur κυαναυγής :

Καὶ νάρκισσος ὑγρὸς καὶ κυαναυγὲς ἴον.

In altero Proverbiorum loco nigri oculi in laude ſunt, aſſimilati vino nigro. Αἴθοπα *Homerus* vocat. Colores enim vinis quatuor: Albus, fulvus, ſanguineus, niger. Sanguineus non commendat oculos, niger condecorat, & hinc imprimis acres & vegeti æſtimantur oculi. Tales fuiſſe Julii Cæſaris narrat *Suetonius*, præ ſe ferentes τὸ δραστήριον, & illum ei propríum vigorem celeritatemque quodam igne volucrem, ut *Plinius* ait *lib.* 7. Chriſto igitur tributi oculi nigri, oculis & animo acerrime omnia videntem, ſignificant :- quemadmodum dentes albi, promtum ac politum eloquium, myſteria regni divini exponentis. Sunt enim dentes ſermonis organa. *Plinius.* " Vocis ſermoniſque regimen primores tenent, „ concentu quodam excipientes ictum linguæ, ſeriemque ſtructu- „ ræ, atque magnitudine mutilantes, molienteſve aut hebetantes „ verba, aut cum defluxere, explanationem omnem adimentes. „ *lib.* 7. c. 16.

XVII. VINI PULCRITUDINEM ET PRÆSTANTIAM SUPERANTES SULAMITIDIS MAMMÆ.

Cant. 4: 10. QUANTO *pulcriores ſunt mammæ tuæ, Soror mea, Sponſa? quanto meliores mammæ tuæ ſunt vino? Odor unguentorum tuorum præſtat omnibus unguentis.* יפה dicitur, quod eſt נאוה decorum, *Cant.* 6. 4. quod ברה electum, *Cant.* 6: 10. quod immaculatum ſeu ἄμωμον, *Cant.* 4: 7. טוב in Proverbiorum hemiſtichiis reſpondet vocibus כל־חפצים id eſt, omnia oblectamenta, *cap.* 8: 11. & נבחר id eſt, eximium, electum. *cap.* 16: 16. Mammarum pulchritudo & præſtantia in Sulamitide laudata, omne id ſignificat, quod ex probo & bono corde enatum, Chriſti Servatoris animum oblectaverit, omnis ſcilicet cogitatio bona, charitas, caſtitas, juſtitia, veritas, laudes divinæ, ſpes & fiducia, gaudium in Deo, amor verbi divini, humilitas, manſuetudo, miſericordia, patientia, integritas, & cum ſimplicitate conjuncta prudentia. Is decor, ea dignitas, mammarum eſt, quam in Sponſa repertam Jeſus Chriſtus, & in oblectationibus habet, & in laude ponit. *Quanto meliores mammæ tuæ ſunt vino?* Illæ ab animo tuo natæ virtutes, vini laudibus anteferendæ: illæ triſtitiæ curam hebetant, ſolantur miſeros, reſtinguunt ſitim, recreant afflictos, animorum vulnera mitigant, nec homines tantum, ſed & Angelos, ipſumque adeo Deum

Deum lætificant. *Odor unguentorum tuorum*, inculpatæ vitæ tuæ fama, *præſtat omnibus unguentis*, latiſſime & quaquaverſum in terris diffunditur. 2 *Cor.* 2: 15.

XVIII. Sermo Dei vinum ambulans et loquens.

Cant. 7. 10. Palatum *tuum ut vinum optimum; ambulat dilecto meo in rectitudinem; loquitur labiis dormientium. Palatum tuum*, id eſt, ſermo tuus, ut *Prov.* 5. 3. *Mollius oleo palatum ejus*, id eſt, ſermo ejus, & *Cant.* 5: 16. *Palatum ejus, dulciſſimum eſt.* Sic & *labia* pro ſermone accipiuntur, *Prov.* 16: 21. *Suavitas* labiorum addit diſciplinam, ὁ, ὀιγλυκεῖς ἐν λόγῳ: *Prov.* 22: 11. *gratia labiorum*, id eſt, ſermonis. *Prov.* 26: 24. *Labiis ſuis alium ſe ſimulat oſor. Cant.* 4: 11. *Favum ſtillant labia tua*, id eſt, dulcis eſt ſermo tuus. *Ut vinum optimum*, *Hebr.* vinum bonitatis. *Ambulat vinum dilecto meo*, per Synecdochen numeri, pro, *dilectis meis*, vel pro *uno quoque dilecto meo. In rectitudines.* Qui bibit in rectum, non titubat, non vacillat ebriorum more, *Pſal.* 107: 27. qui recto non eunt itineribus ſuis. *Prov.* 9: 15.

דבב *loquitur*, eſt conjug. *Kal*, non *Pihel*, ut quidam volunt. Vinum autem intelligitur vini potor, ut *Habac.* 2: 5. Vinum eſt prævaricator, id eſt, vini potor. *Prov.* 20: 1. Deriſor eſt vinum, id eſt, vinolentus. *Loquitur labiis dormientium*, placide & ſubmiſſe loquitur, non tumultuatur non clamoſus eſt, ut ſolent, qui ſicera inebriantur. *Prov.* 20: 1. Senſus myſticus: *Palatum tuum*, inquit ſponſam alloquens Dominus; id eſt, verbum, quod poſui in ore tuo, *eſt ſicut vinum optimum*, quod eximia ſuavitate delectat, *Pſal.* 119: 103. quod alit hominem *Matth.* 4: 4. *Amos* 8: 11. quod lætificat, *Jerem.* 15: 16. & illuſtrat oculos. *Pſal.* 19: 9. & conſolatur in afflictione *Pſal.* 119: 50, 92. prolongat dies hominis, *Deut.* 32: 47. vetatque mortem aſpicere in æternum. *Joh.* 8: 51. *Ambulat dilecto meo in rectum*, ſermo, qui penes te eſt, facit ut quoſcunque diligo ſine titubatione rectoque & inoffenſo pede progrediantur, rectaſque orbitas faciant, non declinantes a viis Domini, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, *Hebr.* 12: 13. *Loquitur labiis dormientium*, is, qui animo imbiberit Dei ſermonem, loquitur placide ſedateque. Nimirum reficit Evangelii miniſter homines ſpiritu lenitatis *Gal.* 6: 1. *Servum Domini oportet manſuetum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui diſſentiunt.*

2 *Tim.*

2 *Tim.* 2: 23, 25.

XIX. VINUM IN MANU DEI.

Pſal. 75: 9. VINUM *eſt in manu Domini*, *&* calix *vini*, *quod ferbuit*, *plenus mixtione*; *& fundit de illo Dominus* : *at feces ejus exſugent ebibentque omnes improbi terræ.* Calix *vini*, יין , id eſt vinum, accipitur cum ellipſi nominis כוס , a præcedentis commatis initio repetendi. *Vinum*, *quod ferbuit*, חמר eſt fervere, ut *Pſal.* 46: 4. יהמו יחמר מימיו fremerent, ferverent aquæ ejus. *Plenus mixtione*, impletus ad ſummum. *Fundit de illo*, diſpertit. *Feces*, quæ in fundo ſubſidunt, vini craſſamenta, ſenſus: Non deeſt Deo, quo vel reficiat, vel affligat homines. Pios defecato vino accurate & liberaliter habet, ſuavibuſque modis accipit; hoc eſt ſpiritu ſuo recreat eorum animos, & exhilarat; Improbos feces bibere cogit, & quovis malo dignos deputat.

XX. VINUM EVANIDUM, OBSOLETA VIRTUS.

Hoſ. 4: 18. VINUM *eorum evaneſcit*, id eſt, illud quo vires & robur ſpirituale conſervare & augere, & vocationem ſuam firmam efficere potuiſſent, adjectum ſcilicet virtuti fidei; probitatis ſtudium, 2 *Pet.* 1: 5, 6, 7, 8. 9. id ipſorum culpa adulteratum & corruptum eſt. *Livelejus Druſium* ſequutus, סור inquit, proprie cedere, recedere, diſcedere ſignificat, ut ἐξίσταμαι Græce interdum, unde οἶνος ἐξεστηκὼς dicitur vinum, cum ætati cedens in vappam abiit, vel ut Ciceronis verbum uſurpem, fugit, hoc eſt, deterius fit, interprete Nonio. *Junius* vertit. Refractarium eſt merum eorum; ſed סר participium eſt סור, ut סורר refractarium a סרר, itaque ab eo *Tremellius* priore ſua Hoſeæ, enarratione, divertit, ita reddens: Vappeſcit merum eorum. Conſentit *Coccejus*; Receſſit potus eorum, hoc eſt, degeneravit a priſtina ſua generoſitate, ut ex vino vappa vel acetum factum ſit.

XXI. VINUM AQUA DILUTUM CORRUPTA DOGMATA.

Jeſ. 1: 22. MERUM *tuum aqua mixtum eſt.* Figurate hoc dictum, quod propriis verbis extuleris: divini verbi dogmata humanis traditionibus corrupiſti. Vino enim Dei verbum confertur *Prov.* 9: 2, 5. *Miſcuit ſapientia vinum ſuum*, *etiam inſtruxit menſam ſuam* : *Ad illius fruitionem liberaliter invitat* : *Venite veſcimini cibo meo*, *& bibite de vino*, *quod miſcui.* *&* *Jeſai.* 55: 1. *Venite*, *comparate abſque pecunia & abſque pretio vinum & lac.* *Conf.* *Cant.* 5: 1.

Præſtat

Præſtat igitur merum aqua mixtum heic exponere de doctrina corrupta, quam cum Druſio de corruptis moribus, aut vitio virtuti admixto.

XXII. Vinum draconum veneno perniciosius.

Deut. 32: 33. Venenun *Draconum vinum eorum eſt*, id eſt, opera Iſraëlitarum, fructus ſcilicet & proventus vitis Sodomiticæ, magis peſtifera & exitialia ſunt, quam virus draconum. At habere virus draconem multi negant. *Plinius lib.* 29. *cap.* 4. Draco non habet venena. *Aëtius*: Animal hoc venenum non jacit. *Iſidorus*: innoxius eſt a venenis. Tamen in Cantico Moſes ſapientiæ autor *c.* 16: 10. venenum tribuit draconibus. Sed facile erit hæc conciliare. Nam Græciæ dracones veneno carere verum eſt, in Africa & Arabia venenum habent lethiferum. Quod his verbis à *Lucano* eſt obſervatum:

Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones,
Peſtiferos ardens facit Africa.

Proinde *Heliodorus* de ſagittariis agens ex Æthiopiæ regione cinnamomifera: Illi autem parvas quidem ſagittas, ſed veneno draconum infectas, conjicientes, citam & acerbam mortem inferebant; & *Prudentius Hamartigeniæ* ỷ. 481.

Ecce Jebuſiacæ fervent ad prælia turmæ:
Aurea tela quibus, de ſanguine tincta draconis,
Mortifero ſplendore micant.

& *Apollinaris Pſalmo* 73.

Ὤλεσας ἰοβόλων κεφαλὰς ῥοθίοισι δρακόντων,
In fluctibus draconum venenum ejaculantia capita perdidiſti.

& *Pſalmo* 90.

Ἰοβόλον δὲ δράκοντα ποσὶν καὶ θῆρα πατήσεις.
Venenatum draconem & leonem pedibus conculcabis.

Leo Africanus lib. 9. Atlantici dracones ſunt virulenti admodum; &, ſi caſu quenquam vel contingant vel mordeant, carnem emolliunt & debilitant. *Hierozoici part. II. lib.* 3. *fol.* 437.

XXIII. Vinum violentiæ bibere.

Est vinum ex bonis violenter & inique oppreſſorum bibere, *Prov.* 4: 17. Ex eadem mente dicitur vinum bibere, *præter jus* damnatorum. *Amos.* 2: 8.

XXIV. VINUM SECURITATIS PARENS.

Eccleſ. 10: 19. AD *riſum parant panem*, *& vinum*, *quod lætificet viventes*: *& argentum*, *quod reſpondere facit omnes.* *Ad riſum*, ut rideant, id eſt, ut ſecuro & tranquillo ſint animo. Securitas ridendi verbo exprimitur *Job.* 39: 7. Ridet *onager* multitudinem urbis. Et ℣. 22. Ridet *equus* pavorem, nec conſternatur. Et *Prov.* 31: 25. Ridet *fœmina ſtrenua* ad ſequentia tempora. *Reſpondere facit.* Qui *τὸ* יענה in forma & ſignificatu conjugationis Kal accipiunt, non obſervant hoc loco accuſativum : את־הכל. *Reſpondere* idem hic, quod dicere : הנני ecce me, vel הננו ecce nos, ut *Jeſa.* 58: 9. אז תקרא ויהוה יענה תשוע ויאמר הנני Tunc vocanti DOMINUS JEHOVA reſpondebit ; vociferanti dicet : Ecce me ! id eſt, habes me ad ſalvandum promtum & paratum. Senſus dicti : Ad ſecuritatem animi provident homines vitæ alimenta, panem & vinum, quo lætificentur ; & pecuniam, qua officioſos & diligentes faciant omnes.

XXV. CUM REDUNDANTIA BONORUM DEI COMPARATUM VINUM.

Zach. 9: 15. DOMINUS *protegit illos*, *ut comedant*, *& ſubigant lapides fundæ*, *& bibant*, *ſtrepentes quaſi vino*, *implebuntque tum cratera*, *tum angulos altaris.* DOMINUS *protegit*, tanquam umbone defendit in hoſtem pugnantes, *ut comedant & ſubigant lapides fundæ*, ut roborato, firmatoque ipſorum animo, vires hoſtium obtundant enerventque, *& bibant*, & alacres reddantur, *ſtrepentes quaſi vino*; animo ipſorum ita efferveſcente & geſtiente, ac ſi ferverent vino, & ex ebrietate ſpirituali, quæ eſt ob donorum Dei redundantiam lætitia & gratiarum actio. *Epheſ.* 5: 18, 19, 20. *Implebuntque tum craterem*, *tum angulos altaris.* Verba hæc ex more Veteris Teſtamenti exponenda. Solebant nempe gratias ita agere Deo, ut ſacrificiorum mactandorum ſanguinem inderent crateribus, atque ex illis ad quatuor altaris angulos profunderent, *Levit.* 2: 2. 8: 13. & 7: 4. atque ſic ipſi quoque offerentes coram Deo ſuo lætarentur. *Tarnovius p.* 1489.

XXVI. LÆTANTES DEI BENEFICENTIA SIMILES LÆTANTIBUS VINO.

Zach. 10: 11. ERUNT *ſimiles potenti Ephraimitæ*, *& lætabitur animus eorum*, *quaſi vino*; *& filii eorum videntes lætabuntur*, *exſultabit animus eorum in* DOMINO. *Tarnovius*: Erunt revera ut potens quidam Ephrajimita, qui heroicam virtutem factis exprimat.

Si-

Siquidem Ephrajimi inter reliquas tribus cenſebatur in bellis maxime ſtrenua. *Jud.* 8: 1, 2. & & 12: 6. *Pſal.* 60: 7. & 78: 9. Bene igitur ipſis fortiterque rem gerentibus omnia ſuccedent, magnamque exinde voluptatem capient, *quoniam lætabitur animus eorum, quaſi vino*, quod propterea natum & datum, ut *cor hominis lætificet. Jud.* 9: 19. *Pſal.* 104: 15. *Sir.* 40: 20. Lætificat autem læto illo ſpirituum tripudio, vel fibrarum cerebri titillatione, quæ ſequitur ex affrictu & illapſu ſubtiliorum partium. Hoc loco tamen effectus ſimilis in gaudio, non cauſa eadem intelligenda, ut ſupra *cap.* 9: 15. *& filii eorum videntes ac fruentes eodem lætabuntur, exultabitque animus eorum in Domino*, dante illa omnia benigne & clementer benedicente, non in rebus mundanis. *Pſal.* 4: 7, 8.

XXVII. Vino jucundius est, quod amatur in Sponsa Christi.

Cant. 4: 10. Quam *pulcri ſunt amores tui, Soror mea ſponſa; quam boni ſunt amores tui præ vino? Quam pulcri* &c. quam places amabilitatibus tuis? dictis factisque & moribus tuis amabilibus?

Quam boni ſunt præ vino, quanto magis delectant & reficiunt, quam vinum ea, quæ in te ſunt amabilia? Idem dicitur *Cant.* 1: 2.

Cant. 1: 4. *Exſultabimus & lætabimur in te*, celebrabimus amores tuos præſtantiores vino: ob rectitudines amant te. *Amores tuos*, amoris tui cauſſas, amabilitates tuas, ſive ea, quæ amorem tui conciliant. *Præſtantiores vino*, magis exhilarant, ſuavius afficiunt. *Propter rectitudines amant te*, ſive ב ſive מ particulas ante מישרים dixeris ſubauditum, ex utroque ſupplemento allata verſio reſultabit. Ambæ enim hæ literæ, & alibi ante congenerem diſparentes, propter, vel ob præpoſitionem ſignificant. Rectitudines Sponſi ſunt perfectiſſimæ humanitatis aſſumtæ dotes, juſtitia, ſapientia, cognitio, ſanctitas ſumma, amor ſummus & integerrimus.

XXVIII. Vinum sapientiæ.

Prov. 9: 1, 2, 3, 4, 5. Summa *Sapientia ædificavit domum ſuam, excīſis columnis ſeptem. Mactavit animalia ſua, miſcuit vinum ſuum; etiam inſtruxit menſam ſuam: & miſſis puellis ſuis, invitat ſupra ex alis arcium urbis. Quiſquis ſimplex divertito huc; quiſquis eſt demens, dicit ei, venite, veſcimini de cibo meo, & bibite de vino*, quod *miſcui. Summa Sapientia*, Hebr. *Chochmoth*, Sapientiarum Sapientia, ut, *Behemoth*, beſtia beſtiarum, *Adonim*, Dominus

dominorum, Sapientia eſt perſonalis. *Ædificavit domum*, Eccleſiam, quæ eſt domus Dei. *Exciſis columnis ſeptem.* Quid ſint hæ columnæ, ego (verba ſunt *Caſtalionis*,) neſcio. Columnæ ſunt, quibus ædificium ſuſtinetur. Sapientiæ ædificium, ut diximus, eſt Eccleſia; Eccleſiam autem ſuſtinet fulcitque 1. Structoris Dei amor, 2. ipſius gratia, 3. miſericordia, 4. patientia, 5. virtus ſive omnipotentia. 6. veracitas, 7. jusjurandum Dei. *Hebr.* 6: 17. *Mactavit animalia*, paravit ſolidum doctrinæ Evangelicæ cibum. *Hebr.* 5: 14. *Miſcuit vinum*, id eſt, crateribus infudit, ut *Iliados* γ. ✝. 270.

Κρητῆρι δὲ οἶνον Μίσγον,

Vinum in cratere miſcebant.

Sic *Odyſſ.* ω. ✝. 39.

----- ----- κέρασσε δὲ νέκταρ ἐρυθρόν

Vinum miſcet Sapientia Chriſtus, ſpiritualis gaudii materiam in verbo ſalutis & gratiæ ſuppeditans. *Et inſtruxit menſam ſuam*, id eſt, quod in Evangelio dictum, paravit omnia, liberaliter offert, quicquid ad vitam & ſalutem hominum pertinet. 2. *Pet.* 1: 3. *Et miſſis puellis*, famulis, quales reginis deſerviunt, *Cant.* 6: 8. Sexaginta reginæ & octoginta concubinæ, &, *quæ his miniſtrant*, puellæ innumeræ, quales ibant ad veſtigia Abigailæ, 1 *Sam.* 25: 42. Invitatrices Sapientiæ puellæ ſunt Verbi Miniſtri. Sapientia Dei dixit: Mittam ad eos Prophetas & Apoſtolos, ſapientes & ſcribas. *Luc.* 11: 49. *Matth.* 23: 34. Invitat ſupra ex alis arcium urbis, ἐπὶ πτερυγίων altiſſimarum urbis ædium, ut longius exaudiretur. *Quisquis ſimplex*, id eſt, nulla præditus intelligentia, prudentia nulla. Opponuntur enim פתאים & בנים ſimplices & intelligentes, *Prov.* 7: 7. פתאים וערומים ſimplices & prudentes, *Prov.* 14: 18. & 14: 15. Innuitur autem intelligentia rerum divinarum & prudentia juſtorum. *Luc.* 1: 17. *Quiſquis demens*, carens corde, cui deeſt facultas ex naturæ viribus intelligendi myſteria Dei. 1 *Cor.* 2: 14. Hos ad epulas & doctrinæ ſuæ vinum invitat Sapientia, ut cibo potuque ejus guſtato ſapiant & intelligant. Vinum & alias acuere mentem creditur. Etiam Platoni viſum eſt vinum fomitem eſſe & incitabulum ingenii virtutiſque, ſi mens hominis leniter eo incaleſcat.

XXIX. VINUM REFECTIO ÆGRORUM.

Cant. 2: 2. *Fulcite me potionibus; ſuſtentate me malis* citrinis vel cydo-

çydoneis, *nam ægra amore ſum.* אשישות & אשישם potus ſive hauſtus, qui animum firment, interpretor; voces ſcilicet cognatas verbo התאששו firmati ac fundati eſtote. Hanc enim ſignificationem in omnibus, quibus obveniunt locis, admittunt, verbi gratia, 2 *Sam.* 6: 19. *Et impertitus eſt David toti populo, toti multitudini Iſraëlitarum, tam viris quam mulieribus cuique tractam panis unam & fruſtum unum carnis & potum vini unum*, ſive quantum haurire eos decuit uno potu. 1 *Chron.* 16: 3. *Et impertitus eſt unicuique Iſraëlitæ tam viris quam mulieribus viritim tractam panis unam, & fruſtum carnis, & potum vini*, & *Hoſ.* 3: 1. *Reſpiciunt ad Deos alienos, & amant potus uvarum, ex uvis ſcilicet paratos.* Itaque אשישות *Cant.* 2: 5. non ſunt lagenæ, quæ amore languentem fœminam fulciant. Sunt etiam, qui 2 *Sam.* 6: 19: & 1 *Chr.* 16: 3. *aſchiſchim* reddunt pultem, & alii qui ſimilam frixam oleo, alii denique qui vini ſextarium. Verumenimvero, cum *aſchiſchim* & *aſchiſchoth* ſignificatibus ſuis non diſcrepent, quis credat amore languentem Sulamitidem non efficacius, vel pretioſius & acrius reſtituendis viribus deſideraſſe, quam pultem aut ſimilam oleo frixam, tardiſſimas virium refectiones? Qua de re autem אשישה in ſextarium vertatur, non reperio. א enim litera radicalis omnem tollit cognationem nominis שש, quod ſenarium ſonat. Senſus dicti: Deſideriis vivit amans, & ſæpe deliquium præ animi æſtuatione patitur. Huc tendit Eccleſia, & remedia ſibi depoſcit potus optimi vini; & mala ſuavem odorem ſpirantia, & promiſſionibus, quæ divinis Prophetarum libris continentur, fulciri diſcupit fidem, & ſenſu gratiæ & amoris divini recreari mentem.

XXX. Vinum sanguinis Jesu Christi in sacramento vehiculum.

Matth. 26: 26, 27. Bibite *ex eo omnes, hoc eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur.* Non hoc fine in ſymbolis Sacræ Cœnæ manet nutriendi vis, ut nutriant, & naturalem eſuriem ſedent; hoc enim uſu ædes indigent privatæ, contemnitur Eccleſia, pudefiunt pauperiores, non diſcernitur corpus & ſanguis Domini a vulgari cibo & potu, & comeditur bibiturque ad condemnationem. 1 *Cor.* 11: 21. 22. *ſeq.* Chriſtus ſymbola diſtribuens dixit: edite hoc eſt corpus meum, bibite hoc eſt ſanguis meus, id eſt, ideo edite panem hunc, ut mediante eo comedatis corpus, ideo bibite vinum, ut mediante eo ſimul bibatis ſanguinem meum. Non

vero dixit, edite hunc panem, bibite hoc vinum, eo fine, ut nutriat corpus veſtrum. (Vis enim illa nutritiva, & finis ſeu nutritio non pendet a Sacramento, nec inſtituta eſt in Sacramento, vel per Sacramentum, ſed in creatione.) Qua ratione ſane non opus fuiſſet panem & vinum huic Sacramento deſtinare. Ergo ſymbola terrena, non hòc fine ut nutriant, ſed tantum ut corporis & ſanguinis Chriſti vehicula exiſtant, à Chriſto ordinata ſunt. *Scherzer Breviario Hulſem. enucleato cap.* 13. *theſ.* 18.

XXXIV. VINUM LIBAMINIS נסך

NASACH proprie eſt liquorem fundere vel affundere, *Gen.* 35: 18. & נסך fuſum vel affuſum ſonat, id ſcilicet, quod ex vino affundebatur holocauſtis, ſacrificio votivo & ſpontaneæ oblationi & ipſi מנחה, hoc eſt muneri dapali: hinc נסך יין eſt fuſio vel libamentum vini, vel vinum quod rite funditur. *Num.* 15: 10. *&* 28. *Exod.* 29: 40. & נסך שכר fuſum ſeu libamen ſiceræ. *Num.* 28: 7. Vinum liquor eſt corporibus humanis gratiſſimus. Vinum igitur Deo libantes monere voluit Deus, ut, quod homini gratiſſimum, non dubitet honoribus conditoris ſui impendere. A Græcis נסך redditur σπονδὴ. *Joannes Grammaticus in Heſiodi commentario;* σπονδὴ, id eſt, libamen ſeu libatio, inquit, eſt vini affuſio in id quod immolatur. Hinc σπένδεσθαι eſt libari, in ſacrificium affundi: unde lux additur Pauli verbis. *Phil.* 2: 17. *Si pro libamento effundar ſuper ſacrificio & miniſterio fidei veſtræ, gaudeo, & vobis omnibus gratulor*, id eſt, ſi vires meæ effunduntur, dum vos Deo quaſi hoſtiam conſecro, meoque miniſterio fidem veſtram augeo & confirmo, eſt quod gaudeam & vobis omnibus gratuler.

XXXII. LIBAMINA SANGUINOLENTA.

Pſal. 16: 4. MULTIPLICANTUR *dolores eorum, qui alium dotant. Non libabo libamina eorum, quæ ſunt e ſanguine. Qui alium dotant*, alium Servatorem quærunt, cui ſe velut matrimonio jungant, & ſempiterna religione devinciant. *Non libabo libamina eorum*, vel, non effundam effuſiones, hoc eſt, preces eorum, deſideria eorum. Preces dicuntur effundi *Pſal.* 142. 3. Effundo coram eo cogitationem meam; anguſtiam meam ego indico. *Pſal.* 102. 1. Oratio pro paupere, quum ante Dominum effundit meditationem ſuam. 1 *Sam.* 1: 15. Effundo deſiderium animi mei DOMINO. *Quæ ſunt e ſanguine*, id eſt, ſanguinolenta, impura, abominabilia. Ethnicorum mos ſanguinem humanum miſcere ſacrificiis

ficiis ex Dæmonis cacozelia & ambitione manavit. Etiam Bahalitici Sacerdotes oblato juvenco incidebant ſe pro ratione ipſorum gladiis & ſpiculis, uſque adeo, ut perfunderent ſe ſanguine 1 *Reg.* 18: 28. Senſus dicti. Ille ego Sacerdos, qui preces ſanctorum omnium offerre ſoleo ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, *Apoc.* 8: 3. non offeram preces eorum, qui alios præter me colunt, & preces cædibus piorum inquinatas fundunt. Quum utimini multa oratione, non exaudio; manus veſtræ ſanguinibus plenæ ſunt. *Jeſai.* 1: 15.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

De abusu vini.

DIS fruſtra libatum vinum. Vinum immoderate ſumtum animi vigorem interimit. Principum temulentia juris legumque diſpendium. Rex Iſraëlitarum cum ſcurris ebrius. Hoſe. 7: 5. Vinum fugiens vir perfidus. Vinum ſeductor. Ebria ſed non vino.

I. Vinum Diis frustra libatum.

DEUT. 32: 38. Dicet *Dominus*, inanem & fruſtraneum Deorum cultum exprobrans, *ubi ſunt Dii eorum? Rupes, refugium*, id eſt, Dii in quibus perfugium ponebant Judæi idololatræ. *Qui victimarum eorum adipe veſcebantur, & qui bibebant libamina eorum*, id eſt, quorum ſacrifici ignes victimarum adipem & vinum victimis affuſum conſumebant. Ita cibus Domini ſacrificia vocantur, quod igne in altari ejus ſuccenſo concremarentur. *Levit.* 21: 6. *Surgant iſti Dei & opitulentur vobis; ſit vobis latebra rupes illa, protegant vos in præſidium ac tutelam invocata idola.*

II. Vinum immoderate sumtum gravibus onerat malis.

Ebrietas, ut *Auguſtini* verbis utar, flagitiorum omnium mater eſt, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, igno-

ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Tunc, inquit *Plinius*, avidi matronam oculi licentur, graves produnt marito; tunc animi ſecreta proferuntur. Alii teſtamenta ſua nuncupant: alii mortifera loquuntur, redituraſque per jugulum voces non continent, quam multis ita interemtis. Vulgoque veritas jam attributa vino eſt. Interea ut optime cedat, ſolem orientem non vident, ac minus diu vivunt. Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena vaſa, &, quæ ſit pœna præſens, furiales ſomni, & inquies nocturna. Præmiumque ſummum ebrietatis libido portentoſa ac jucundum nefas. Poſtera die ex ore halitus cadi, ac fere rerum omnium oblivio, morſque memoriæ. Rapere ſe ita vitam prædicant, cum priorem diem quotidie perdant, illi vero & venientem. Conſonant cum his illa Salomonis *Prov.* 23: 29. *& ſeqq. Cui væ? cui heu?* id eſt, in quem mala omnia inferuntur? *cui jurgia? cui querela? cui vulnera impune?* vulnera non in bello pro civibus paſſa, ſed ab ipſo ebrio per incuriam, vel ab aliis ob contumelias inflicta? *Cui rubor oculorum eſt, cui livent ſive nigreſcunt oculi a plagis? Immorantibus apud vinum, euntibus ad inveſtigandum vinum miſtum*, ſive infuſum. *Ne reſpicito vinum quum rubeſcit, quum exhibet in poculo colorem ſuum, ambulat cum rectitudinibus*, hoc eſt, recta & inoffenſa via per os & guttur in ventriculum deſcendit. *Tandem velut ſerpens mordebit, & aſpidis in morem punget*, dolores gignet ſimiles iis, qui ab aſpidis ictu oriuntur. Ictum aſpidis, ut Aëtius memorat, conſequitur ſtupor, pallor, frontis refrigeratio, aſſidui hiatus, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis gravitas, ſegnities & collapſio in ſomnum profundum, ad finem vero convulſio. *Oculi tui reſpicient alienas* ab amore licito & caſto, *& animus tuus* cogitat quæ loquatur *perverſa*, ex abundantia cordis eloqueris turpia. *Eriſque ut qui jacet in medio mari, & ut is, qui jacet in corona carcheſii*, ubi maxima eſt agitatio & vitæ periculum. *Percutientibus me aliis, inquies, non ægrotavi. Stupeo ad percutientium plagas, tundentibus me non ſenſi, quando expergiſcar, pergam, requiram iſtud amplius.* Vitæ periculum, verberumque contumelia, a temulentia me non detineant.

III. VINUM ANIMI VIGOREM IMPEDIT.

Hoſ. 4: 11. SCORTATIO *vinumque & muſtum intercipit mentem.*

Scor-

Scortatio tam corporalis quam ſpiritualis auferunt mentem, ut dicitur, omnis amans amens; &, verum cæco nemo in amore videt.

Atque ut ebrietas mentis inopem facit, ſic ſcortatio, in qua velut dementatus animus æger ſemper errat, quod in adulterio, ſcortatoribus, atque idololatris (qui ſpecialiter fornicantur) videre eſt. Ut enim ibi:

Quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.

Ita hic quiſquis ſibi ἐθελοθρησκείαν plane horrendam, vel idolum nihili, colendum elegit, magno honore dignum reputat; & a vero Deo aberrans de peccato in peccatum ruit., uti Paulus explicat *Rom.* 1: 21, 22, 26.

Prov. 20: 1. *Deriſor eſt vinum, tumultuoſus potus inebrians: ideo quisquis oberrat in eo, non ſapit. Deriſor eſt vinum*, id eſt vinolentus. Sic vinum dicitur prævaricator. *Hab.* 2: 5. Vini potor nimii Deum & homines ludibrio habet. *Tumultuoſus eſt potus inebrians*, id eſt, tumultuoſum clamoſumque & inquietum reddit. *Quisquis oberrat in eo non ſapit*, verborum hæc vis eſt, ut ſi diceret: qui vino ſe inebriat, aut nimium ei deditus eſt, deſipiet. Nam vinum niſi modice ſumatur, ſapientiam omnem, ut ita loquar, expectorat. Convenit cum adagio Latino: Sapientia vino obumbratur; item cum illo: Vinum clavo caret. *Druſius Prov Sacr.* Nihil eſt tam ineptum, neque tam alienum, ad quod non incitet ebrietas.

Οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνην ἀναβάλλει.

Id eſt.

Inſanire facit ſanos quoque copia vini.

Non diſſimilis ſententiæ Græcum eſt proverbium:

Οἶνος ἄνωγε γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.

Vina ſenem, ut nolit, cogunt ductare choreas.

Heſiodus in Eœis:

Οἷα Διώνυσος δῶκ' ἀνδράσι χάρμα καὶ ἄχθος,
Ὅστις ἄδην πίνει οἶνος δὲ οἱ ἔπλετο μάργος.
Σὺν δὲ πόδα χεῖρας τε δέει, γλῶσσαν τε νόον τε,
Δεσμοῖς ἀφράστοισι φιλεῖ δὲ ἑ μάλθακος ὕπνος.

Id eſt:

Sic Bacchus homini dat gaudia & mœrores,
Etenim iis qui affatim bibunt vinum amentia eſt:
Pedes, manus, linguam mentemque ligat
Improviſis vinculis, eum vero mollis ſomnus demulcet.

Theognis :

> Ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτ' ἐκεῖνος
> Τῆς αὐτῆς γνώμης κάρτερος, οὐδὲ νόου.

Id eſt :

> *Potionis modum quiſquis exceſſerit,*
> *Sui judicii atque mentis non eſt compos.*

Athenæus Dipnoſ. lib. 10. *p.* 428.

IV. PRINCIPUM TEMULENTIA, JURIS LEGUMQUE DISPENDIUM.

Prov. 31: 4. NON *eſt Regum, ô Lemuel, non eſt Regum, bibere vinum : nec dominatorum eſt deſiderium potus inebriantis. Ut non cum* aliquis eorum *biberit, obliviſcatur ſtatuti, & mutet jus hominum afflictorum.* Vinolentia nullis minus ignoſcenda eſt, quam qui Reipublicæ clavum moderantur, hoc eſt Regibus & Magiſtratibus. Nihil quippe minus convenit, ut ait *Plato*, quam ebrium eſſe eum, qui alios cuſtodiat. Nec vinum nec ſomnus convenit aſſidentibus clavo. Sed interdum nulli magis indulgent vino ſomnoque. *Athenæus* libro de potationibus diſſerens, eleganter vulgo dici ſolere ſcribit, τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν παιδάλια, id eſt, vinum non habere clavum, propterea, quod ebrietas nihil conſulte neque moderate vel dicit, vel facit. Obruitur enim ratio, quæ clavi vice ſobrios moderatur ac gubernat. Huc pertinet Ovidianum illud :

> *Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent :*
> *Illa pudore vacat, Liber, amorque, metu.*

Eraſm. Chiliad. II. Cent. 3. *Proverbiorum.*

V. REX ISRAELITARUM EBRIUS CUM SCURRIS.

Hoſ. 7: 5. DIES *eſt Regis noſtri*, a Rege noſtro celebrari ſolitus, quem, (ut exhilarent malitia ſua ℣. 3.) *ægrum fecerunt* Samaritani *Principes æſtu a vino, extendit manum ſuam cum ſcurris.* Non videtur hac manus extenſione notari ſignum gratiæ, quia Hebraice diceretur, extendit manum ſuam אל הלוצצים Signum ergo eſt ſocietatis cum principibus, familialiter verſantis in compotationibus, in quibus manus poſcendo, accipiendo, & porrigendo pocula, extendi ſolet, ut ex *Livelejo* etiam *Rivetus* obſervat. *Cum ſcurris*, cum irriſoribus, id eſt, cum ebriis, aut vinolentis. *Prov.* 20: 1. לץ היין vinum, id eſt, vinolentus, eſt irriſor eſt ſcurra.

VI. VINUM FUGIENS, VIR PERFIDUS.

Habac. 2: 5. QUIN *etiam, quum ut vinum ſit perfidioſus*, ut vinum

num fugiens, non firmum, quum a ſe ipſo deſciſcat; *ſit vir arrogans & qui nequit habitare*, id eſt, *ſuis ſe ſedibus continere: qui dilatat velut ſepulcrum animum ſuum; & veluti mors non ſatiatur &c. annon iſti omnes de eo parabolam prolaturi ſunt, & deriſionem & acuta ſcommata?*

VII. Vinum seductor.

Sirach. 19: 2. Vinum *& mulieres ſeducunt intelligentes.* In proverbium ceſſit, ſapientiam vino obumbrari: jamque dudum hoc fuit, quod Homerica illa Helena, ante cibum, *jejunis ſcilicet* miniſtravit.

VIII. Ebria, sed non vino.

Jeſai. 51: 21. Audi *jam hoc o afflicta, & ebria non autem ex vino. Sic ait Dominus tuus Jehova, & Deus tuus, cauſam acturus populi ſui; ecce recipio de manu tua poculum honorificentiſſimum; craſſamentum, poculum excandeſcentiæ meæ, non perges bibere amplius.*

Ebrietatis reperio quatuor genera. Primum creatum ex vino, fomes libidinis, multorumque malorum mater: de qua *Jeſ.* 5: 11. 22. & 22: 2. 13. Secundum eſt a ſpiritu ſoporis, unde animorum induratio & traditio in reprobum ſenſum; oculi, qui non cernunt, & aures, quæ non audiunt. *Jeſa.* 29: 9, 10. *Rom.* 11: 8. Tertium exiſtit ab excandeſcentia Domini, quæ horrorem & anxietatem parit, de qua *Jeſ.* 51: 10. Surge urbs Hieruſolymorum, quæ bibiſti a manu Domini, poculum excandeſcentiæ ejus; craſſamentum, poculum horrificentiſſimum bibiſti, exſuxiſti. Quarta cœleſtis & ſpiritualis eſt ebrietas, qua animus hominis contemplatione virtutis rerumque præclariſſimarum quaſi quodam nectare inebriatur, ſuavique eorundem guſtu nutritur. Hinc vera cordium lætitia, pax & tranquillitas conſcientiæ, hinc Numinis divini laus & perpetua in Deo hilaritas. De hac Apoſtolus *Epheſ.* 5: 18, 19. *Ne inebriamini vino, in quo luxus ineſt: ſed impleamini Spiritu Sancto, colloquentes inter vos carminibus & hymnis & odis ſpiritualibus, canentes ac pſallentes in corde veſtro, Domino.*

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

De locis vitibus aut vino celebratis.

VINO celebris portio tribus Judæ. Hanab urbs filiorum Judæ. Vi-

neæ Siluntinæ. Vineta Libani. Bahalhamonis. Vina Abelkeræmim. Vineæ Philiſthæorum. Vineta Sodomæ. Sodoma in lacu Aſphaltite falſo creditur ſubmerſa. Vineta Sibmæ & Hesbonis. Vites Ægyptiæ. Vini ferax Idumæa, inque ea quam maxime Botsra & Masreka. Vinum Chelbonis ſeu Chalybonium. Aſſyria vino fertilis. Vineæ in Arabia deſerta cultæ. Vina Canaanitidis a profanis autoribus celebrata, Tyrium, Sidonium, Sareptanum, Gazeticum, Aſcalonites, &c.

I. PORTIO TRIBUS JUDÆ.

GEN. 49: 11. LIGAT *ad vitem aſellum ſuum, & ad generoſam vitem pullum aſinæ ſuæ: lavat in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum.* Hæc de eo dici, ad quem ſe aggregaturæ ſunt gentes, exiſtimant Chaldæi Interpretes, Autor *Thargum*, & *Jonathan*, quos præter alios *Coccejus* etiam ſequitur. Sed ea de Juda, Jacobi filio dicuntur. Indignum quippe fuerit Chriſto lavari. Agnus hic immaculatus nulla indiget mundatione. Improbis & peccatoribus dictum: Lavate vos, purificate vos. *Jeſa.* 1: 16. Itaque lotio tribuitur Judæ vel poſteritati ejus. Lavat in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum, id eſt, tam largus in hereditaria tribus Judæ poſſeſſione vinearum proventus erit, ut qui veſtitu humili, verbi gratia, pelliceo utuntur, maculis & ſordibus ejus eluendis vinum adhibeant. Lanea veſtis vino macerata fit nitidior, nec vini rubri colorem bibit. Congruunt, quæ proxime eodem commate præmittuntur: *Ligat aſinum ad vitem, & ad generoſam vitem aſinæ ſuæ pullum.* Id eſt: Tam uberes colliget Judæ tribus vindemias, ut dum oneret vindemiator aſinos ad vitem alligatos, ab racemis & pampinis devorandis non prohibeat. Is nobis proprius verborum ſenſus eſſe videtur: Myſticus autem & allegoricus: *Ligat ad vitem aſellum ſuum, &c.* Plebem ſuam legis oneribus gravatam, Chriſto veræ & generoſæ viti, *Joh.* 15: 1. fide conjunctam unitamque, Judæ Tribus habebit. *Lavat in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum.* In ſanguine Jeſu Chriſti, non juſtitia ſua, mundabunt Judæi animas atque conſcientias ſuas.

II.

II. Hanab Urbs filiorum Judæ.

Idem ſonat *Hanab* quod *Mahanab*, locus uvarum. Φερεϛάφυλος. *Joſu.* 21: 21. & 15: 10. Ex eodem argumento dicta Bethhakkérem, locus vinearum, vicus in tribu Judæ vel Binjaminis. *Nechem.* 3: 14. *Jeſa.* 6: 11.

III. Vineæ Siluntinæ.

Judic. 21: 21. In *his inſidiati ſunt Binjaminitæ puellis Siluntis, quas rapuerunt ſibi uxores.*

IV. Vineæ Samariticæ.

Jerem. 31: 5. Adhuc *conſeres vineas in montibus Samariæ.* Virgo *Iſraëlis; plantabunt plantatores, & prophanabunt*, id eſt, fructibus veſcentur tanquam communibus. Vid. *Deut.* 20: 6. 1 *Reg.* 16: 1. Legitur de Vinea Nabothi, Jizrehelitæ, juxta palatium Achabi Regis Samariæ, ab Achabo deſiderata, per ſummum nefas legitimo poſſeſſore cum filiis occiſo, ne ſuccederent patri, nec ullus ſupereſſet, qui ablatam vineam repeteret, aut injuriam patri illatam ulciſceretur. Vid. 2 *Reg.* 9: 26.

V. Vineta Libani.

Vinum Libani omnium ſermone celebratum: *Hoſeas* 14: 8. *Germinabit Iſraël ut vitis; memoria ejus ut vini Libani*, ſuavis & jucunda, & cum eximiis laudibus conjuncta. Præſtantiam ejus vini commendat Kimchius teſtimonio cujuſdam Aſophi medici, qui ſcripſit: Vinum Libani, Hermonis, Carmeli, montium Iſraëlis & Hieruſolymæ & Caphthoris, odore & ſapore aliis omnibus antecellere. *Plinius* etiam *lib.* 14. *cap.* 7. Vinum Tripoliticum, Tyrium & Berytium laudat, quæ loca Libano vicina erant.

VI. Vinea Bahalhamonis.

Cant. 8: 11. Vinea *fuit Salomoni, prope Bahal-hamon: locavit vineam ſuam cuſtodibus; quisque affert pro fructu ejus millenos argenti* ſiclos.

Bahalhamon Hugo Grotius prope Hieruſolymam fuiſſe putat, nos ad Libanum. Significat locum qui habet vel poſſidet multitudinem, nec diſſentit a ſenſu nominis Bahalgad, locum ſonantis, qui habet turbam. Urbs autem fuit Bahalgad in convalle Libani, ſub monte Hermonis, uti traditur *Joſu.* 11. 17. & 13: 5. Non fruſtrabitur ergo, qui Bahalhamon & Bahal-gad pro unius ejusdem urbis vocabulis accipiens, Salomonis vineam prope hanc in vitifera Libani valle ſitam, conjectaverit. Senſus myſticus. *Vinea eſt Salomoni*

ni Chriſto, pacis Principi, id eſt, Eccleſia, in diſtrictu vel prope *Bahalhamon*, in mundo, vel ex propinquo mundi, *Matth.* 13: 38. *Pſal.* 47: 8. *locavit* vel conduxit *vineam cuſtodibus*, id eſt, prophetas, apoſtolos, & doctores, Eccleſiæ dedit. *Matth.* 21: 33. 1 *Cor.* 3: 9. *quiſque affert pro fructu laboris ſui millenos ſiclos argenti*, quisque pro fructu laboris ſui pretioſas animas lucratur bene multas.

VII. VINEÆ ABELKERAMIM.

ID eſt, Abel vinearum, civitas in Ammonitarum & Paneadis confinio, *Judic.* 11: 33. apud *Plinium* Ampeloeſſa dicitur in Paneadis Tetrarchia *lib.* 5. *cap.* 18. Abel vinearum cognominatur, ut diſtingueretur ab Abel Gedola ſeu Magna, 1 *Sam.* 6: 18, 19. ab ea, quæ vocatur Abel-beth-Mahacha, 1 *Reg.* 15: 20. quæ Abel-majim, id eſt, aquoſa, *Plinio* Evhydræ, *lib.* 5. *cap.* 14. 2. *Par.* 16: 4. quæ Abel Mechola, ſeu chorearum, *Judic.* 7: 22. & a loco, qui adpellatus ab Ægyptiorum luctu, Abel-Mitzrajim. *Gen.* 50: 11.

VIII. VINEÆ PHILISTHÆORUM.

IN vineas Allophylorum vulpes immiſit Simſon, cum facibus earum caudis alligatis, privatam contumeliam totius gentis ludibrio ultus. *Judic.* 15: 5. Laudantur etiam Vineæ Thimnathææ *Judic.* 14: 5. Vina commendantur in *Alexandro Tralliano*, Aſcalonite, & Gazenſe, & *Sidonii carmine* 17.

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Seraptano palmite miſſa bibis.

& *Corippus lib.* 3.

---- ---- ---- *& dulcia Bacchi*
Munera, quæ Serapta ferax, quæ Gaza crearat.

Aſcalonite, inquit, *Bochartus l.* 5. *c.* 9. *p.* 2. *Hierozoic. in ſcriptura eſt vinum Sorek: nam Sorek eſt prope Aſcalonem.* At fallitur vir doctiſſimus: Vallis enim, unde exploratores botrum illum ingentem detulerunt, non fuit in terra Philiſthæorum. Dicuntur enim aſcendiſſe exploratores per meridianam plagam (non per viam, quæ eſt ſecus mare, per Philiſthæorum urbes,) & veniſſe Hebronem, abhinc perrexiſſe uſque ad vallem Eſchkol. Unde liquet a meridie per Hebron verſus ſeptentrionem progreſſos, non veniſſe Aſcalonem, occiduo mari proximam. Deinde nomina שרק, & שרק non ſunt ἰσοδύναμα, illud enim ſibilantem, hoc vitem generoſam denotat. Nec eſt, quod objiciat literarum שׂ & שׁ affinitatem; ſemper enim, quæ his ſibilantibus inter ſe diſcrepant Hebraicæ voces, diverſam habent ſigni-

fica-

ficationem, ut שבעה ſeptem, שׂבעה ſaturitas; שבר fractura, שׂבר exſpectatio, שער porta, שׂער, horror, שום allium, שׂום ponere, שבר fregit, שׂבר ſpervit; שוב redire, שׂוב caneſcere; שוח inclinari, שׂוח meditari; שוט peragrare, שׂוט declinare; שור cantare, שׂור principatum gerere; שחה proſtravit, שׂחה natavit; שחק contudit, שׂחק riſit; שכל orbatus fuit, שׂכל proſperari: שכר inebriari, שׂכר mercede conduxit; שער æſtimavit; שׂער horruit; שקר mentitus eſt, שׂקר nutavit; שרה ſolvit, שׂרה principatum geſſit.

IX. Vineta Sodomæ.

Sodomæ urbiumque cœleſti igne cum ipſa exuſtarum regio, ſimilis fuit horto Domini, ſimilis terræ Ægypti, antequam Domiminus perdidiſſet Sodomam & Gormorcham. *Gen.* XIII. 10. Vitibus igitur ludatiſſimis abſque dubio abundavit. Sed poſt ſubverſionem urbium ac fœtuum, terræ *Gen*: 24. 25. ita corruptum ſulphureo igne ſolum fuit, ut non niſi amaros inſipidosque fœtus produxerit, vitium ſcilicet uvas felleas, & botros amaros. *Deut.* 32: 32. *Nequior eſt vite Sodomæ vitis eorum, nequior ager eorum agro Gomorrhæ.* Significat Deus, Judæorum animos vitis inſtar degeneris inertisque, contemtiſſimum & inanem ferre fructum. *Uvæ eorum felleæ, &c.* id eſt, fellis habent amaritudinem & facta eorum ſceleſta ſunt & abominanda. Sodomæ regionem, qui Stephanum de urbibus ſequuti Aſphaltite lacu ſubmerſam putant, ii nec Scripturam Sacram, nec profanos autores conſuluiſſe videntur. Moſes Cananæorum limites circumſcripturus, occiduum terræ terminum, a Sidone ad Gazam, meridionalem a Gaza ad Sodomam, a Sodoma ad Lazam, ſive Callirhoën uſque conſtituit, quod ſane ſi Pentapolitana regio in Aſphaltitem lacum abiiſſet, facturus non erat. Quis enim metator terrarum limites in lacubus definiverit? Porro Abrahamus poſt Sodomæ everſionem, quum ut idem autor eſt, Sodomam & Gomorrham verſus proſpectaret, aſcendentem vidit fumum ex fulminata iſta terra, tanquam fumum fornacis calcariæ *Gen.* 19: 28. Oportet igitur adhuc extitiſſe terram, quæ fumum calcariæ fornacis ſimilem exhalavit. Sed & eandem regionem Sapientiæ Scriptor, fumo diffluentem ſolitudinem vocat, ejuſque plantas inutili pulchritudine ferentes fructus. *Sap.* 16: 7. *Flavius* item *Joſephus* ſcribit, terram Sodomorum, Aſphaltitæ lacui vicinam, exuſtam eſſe, & fructus fallacem fœcunditatis imaginem præferre. Huic, inquit, lacui Sodomitica terra vicina eſt; olim quidem tam fructibus quam

divitiis

„ divitiis civitatum fortunata, nunc autem omnis exuſta, ut quæ
„ habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. De-
„ nique adhuc in ea divini reliquias ignis, & oppidorum quinque
„ videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres: qui
„ colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium vero manibus, in
„ fumum diſſolvuntur & cinerem. *De bello Jud. lib. 5. c. 5. vel 27.* Confirmatur noſtra ſententia etiam *Taciti verbis*, *Hiſtor. lib. 5. cap. 6.* " Haut procul inde, a lacu ſcilicet Judææ, qui bitu-
„ men egerit, campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbi-
„ bus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, ter-
„ ramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta
„ ſponte edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſo-
„ litam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem va-
„ neſcunt. Ego ſicut inclitas quondam urbes igne cœleſti flagraſ-
„ ſe conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfu-
„ ſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor,
„ ſolo cœloque juxta gravi.

Quod autem *Gen.* 14: 3. a *Moſe* traditum, *Vallem Siddimorum eſſe Mare Melach*, (quod perperam reddunt Mare ſalſum.,) id non probat Sodomæ & reliquarum urbium in Mari mortuo ſubmerſionem. Vallis enim Siddim, in qua reges cum Cedorlaomero pugnaturi convenerant, diſſita fuit a Sodoma & Gomorrha, propinqua autem urbi Melach in excidio Sodomæ, Maris Mortui ſive lacus Aſphaltitæ partem fecit. Hinc propter viciniam Melach, urbis Judæ, quæ memoratur *Joſu:* 15: 62. vocari cepit ea pars lacus Jam-hammelach, Mare Melach, quemadmodum, ubi Tiberiadem alluit, mare Galilæum, vocatur Mare Tiberiadis. *Johan.* 21: 1.

X. VINETA SIBMÆ ET HESBONIS.

SIBMA & Hesbon vinetis nobiles civitates, initio ſab Amoræis poſſeſſæ, ab Iſraëlitis devicto eorum Rege Sihon, Rubenitis in hereditariam poſſeſſionem obvenerunt. *Joſu.* 13: 17. 19. 21. Sub Judæorum autem Regum temporibus, a Moabitis fuiſſe occupatas, colligitur ex Jeſaiæ & Jeremiæ in Moabitas dicto vaticinio. Uterque vitibus, queis harum urbium ditio inclaruit, cives earum comparat. Et *Jeſaias* quidem 16: 7, 8. *Clivi Hesbonis elanguent, vitis Sibmæ; Domini gentium retundunt lectiſſimas plantas ejus, Jahzerum uſque pertingunt, errant per deſertum: Propagines ejus evelluntur; prætereunt mare. Idcirco ſecundum fletum Jahzeris defleo vitem Sibmæ,*

ma ; irrigo te lacryma mea o Hesbon & Eleale! Jeremias autem non diſpari ſenſu *cap.* 48: 32. *Secundum fletum Jahezeris defleo te ; o vitis Sibmæ ! propagines tuæ prætereunt mare : nam uſque ad mare Jahzeris pertingunt. Clivi Hesbonis*, שרמות חשבון, id eſt, שד־ארמות חשבון uber terrarum Hesbonis, quod uberis vel mammæ in morem ex terra aſſurgit. *Elanguent*, id eſt, attenuata atque imminuta bonitate ſua virorem vitibus negant. Ut hic ubera terrarum, ita etiam elanguere vel langueſcere dicitur Baſan & Carmel, *Nahum.* 1: 4. & ipſa terra, *Jeſa.* 33: 9. *Vitis Sibmæ elanguet*, deſtituta vi ſua vegetante. Senſus verborum figuratus: Hesbonis ac Sibmæ cives redditi ſunt imbecilles, obtuſique & defecti viribus, animo denique enervato. *Domini gentium:* Caldæi, quorum ſervitio ſubjecti ſunt poſtea Moabitæ. *Jerem.* 27: 3. 6. *Retundunt lectiſſimas plantas ejus*, civitatum viros electiſſimos, vel juvenes ætate florentes, & virium robore inſignes, bello captos, armis contuderunt. *Jahzerem uſque pertingunt*, hinc in Babyloniam abducendi: *errant per deſertum*, in fugam ab hoſte disjecti. *Propagines ejus evelluntur*; Juventus e patrio ſolo ejicitur. *Prætermeant mare:* Lacum Jahzeris, in quem, ut opinor, aquas Arnon amnis invexerat. Is enim in Jahzeris terra oritur. *Idcirca juxta fletum Jahzeris*, quemadmodum Jahzer Ammonitarum civitas pariter a Babyloniis capta, cladem ſuam deflevit, *defleo te, o vitis Sibmæ*, vos cives Sibmæos; *Irrigo te lacryma mea, o Hesbon & Eleale*, deploro miſerias veſtras, qui Hesbonem & Elealem habitatis. Notæ ad *Jerem.* 48: 32. *Secundum fletum Jahzeris*, quemadmodum lamentati ſunt Jahzerem & villas ejus Ammonitæ, ita ego Sibmam Moabitarum & villas ejus lamentabor. בבכי & quod legitur Jeſaiæ loco parallelo, מבכי idem ſignificant. Et ב quidem hic valet *ſecundum*, ut *Eſth.* 1: 12. בדבר המלך ſecundum verbum regis, & *Geneſ.* 1: 26. בצלמנו כדמותנו ſecundum imaginem noſtram, *ſive*, ſecundum ſimilitudinem noſtram. Idem, ut dixi, מ ſignificat, ut *Job.* 39: 6. המבינתך an ſecundum intelligentiam tuam plumeſcet accipiter, *Vid. Nold. Concord. p.* 157. & 63. *Prætereunt vel prætermeant mare*, nam *uſque ad mare Jahzeris pertingent*, non ſubſiſtent in Ammonitide, vel in Gilhaditidos confiniis Moabitæ, procul a patrio ſolo abducendi. כי *nam, vel quia*, cauſalis particula deficit, ut *Gen.* 17: 14. utique exſcindetur anima illa: (*nam*) fœdus meum irritum fecit. Impletum fuit hoc de Moabo vaticinium, quo tempore Nebucadnetzar Regem

 Moabi-

Moabitarum cum finitimis gentibus devicit, ut prædictum fuit *Jeſa.* 27: 3. 6. & *Jerem.* 25: 21.

XI. VITES ÆGYPTIÆ.

Pſal. 78: 47. OCCIDIT *grandine vites eorum.* In Ægypto natum vinum Sebennyticum, a Sebennyto, Nili oſtio Sebennytico vicina urbe, denominatum, quod ut *Plinius* refert *H. lib.* 14. *cap.* 7. tribus generibus uvarum fuit nobile: Thaſia, Æthalo, Peuce: Thaſia, quam & Virgilius dixit, a Thaſo Ægæi maris, Ætala ab Ætala, vel Ætalia, Tyrrheni maris inſula, nomen adepta. Peuce eſt, quæ *Plinio* Peucina, id eſt, πευνικὴ, non ut mendoſe ſcriptum, pucina vocatur, omnium inſtar picis nigerrima.

XII. VINI FERAX IDUMÆA.

Num. 20: 17. MISIT *Moſe nuncios a Cadeſo ad Regem Idumæorum, qui dicerent: Sic ait frater tuus Iſraël, tranſeamus quæſumus per terram tuam; Non tranſibimus per agrum aut per vineam ullius.* Vino inclaruit a vindemia nomen trahens, urbs Botzra, patria Jobabi, filii Zerach, qui mortuo Belaho regnavit in Idumæa. *Gen.* 36: 33. 34. Mentionem urbis *Jeſaias* fecit *cap.* 63: 1, 2. Quis hic eſt veniens ex Idumæa, ex Botzra fermentatus, id eſt, *madefactus*, veſtibus? Quare rubidus es veſtibus tuis, & veſtimenta tua ut calcantis in torcularis lacu? *Quis hic eſt veniens?* id eſt, quis hic eſt *tanquam* veniens a viniferæ Idumææ torcularibus, rubidus & velut uvarum ſanguine undique conſperſus? A generoſis vitibus nomen quoque obtinuit *Masreka*, ubi natus Samla, qui, mortuo Hadado Idumæis imperavit. *Gen.* 36: 36. Ex שרקה vitis ſelectiſſima, nomine in participium Hiphil mutato, excuſum, משרקה, vites ſelectiſſimas producens.

XIII. VINUM CHELBONIS.

Ezech. 27: 18. *Vino Chelbonis negotiabatur Damaſcus, in nundinis Tyriorum.* Chelbon, vel ut Græci efferunt Chalybon, Syriæ eſt civitas, quæ hodie Alepo. Vinum Chalybonis tam eximium fuit, ut Perſarum Reges e nullo alio biberint. *Strabo lib.* 15. Per opulentiam Reges in luxum prolapſi ſunt, ita, ut triticum advehi juberent ex Aſſo Æolidis, & vinum ex Syria Chalybonium. Nec eſt ut quis miretur e Damaſco Tyrum fuiſſe advectum. Nam Chalyboniæ vites Damaſci propagatæ fuerant, Perſis (id eſt, Aſſyriis, ut hi populi a Græcis promiſcue ſumuntur) ita procurantibus. Id ex *Poſidonio* docet *Athenæus lib.* 1. *cap.* 22. quod maxime notandum:

Per

Perſarum Rex non niſi Chalybonium vinum bibit, quod ait *Poſidonius* etiam Damaſci gigni, cum ibi Perſæ vites *Chalybonias* propagaverint. *Bochartus Hieroz. part.* 1. *p.* 485.

XIV. Assyria vino fertilis.

2 *Reg.* 18: 32. Usque *dum veniens aſſumam vos, deducendos in terram ſimilem terræ veſtræ, terram frumenti & muſti feracem, terram pane & vineis abundantem.*

XV. Vineæ in Arabia deserta cultæ.

Job. 24: 6. In *agro farraginem pauperis demetunt, & vineam improbi vindemiant.* Auſitidem, Arabiæ Deſertæ partem, antiquiſſimis temporibus haut incultam, incoluiſſe Jobum, validis argumentis demonſtravit vir excellentis doctrinæ *Spanhemius Hiſtor. Jobi. cap.* 3. Cæterum præter loca in Sacris Literis memorata, vini etiam proventu a profanis ſcriptoribus in Canaanitide celebrantur, Tyrus, Sidon, Sarepta, & Bezek, ubi ſeptuaginta Regum victor, Adoni-Bezek Perizzæorum Rex, imperavit. *Judic.* 1: 5, 6, 7. Tyrio vino *apud Plinium H. l.* 14: *c.* 7. gratia eſt a Lesbio & Tmolite. Campum, qui Sidoni ad Orientem adjacet, optimis vineis cannisque mellis fœcundum fuiſſe, ſcribit *Tyrius ſeptimo Belli Sacri.* Bezeki creſcere vinum optimum, quo melius tota Palæſtina non inventum, tradit *Brocardus Itin. ſexto.* In gloria apud Poëtas quoque fuit vinum Gazeticum, Aſcalonites, Sareptanum, quarum ſupra mentionem fecimus. A Thalmudiſtis vinum Saroniticum inter generoſa cenſetur. Duas ei partes aquæ immiſcebant. *Schabb. fol.* 77. *col.* 1. Optimum vinum gignunt Karchijim & Atolin; ſecundum ab iis Beth-Rimma, & Beth-Laban in montano, & Caphar Sigana in valle, *Menachath. hal.* 3.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

De Quercu, Esculo et ilice tinctoria.

QUERCUUM diſtincta genera. Quercus latifolia, Robur, Haliphloeon. EL & ELA Quercus platyphyllos. ELON platyphillos eximia. איל *non eſt planities. Ela, illuſtrium virorum nomen: non eſt Terebinthus. Alla robur, ſive Eſculus.* ן *terminatio ſervilis, intenſivæ ſignificationis, quæ eſt in primitivo. El-paran, Quercetum Pharanis. Quercus pro templis fuere. Quercus Juſtitiæ. Ela*

Quercus prope Sicyma. Quercus Hophra. Quercus Jabeſi. Ela & Eſchel, permutata nomina. Vallis quercuum. Quercus Abſalomi, Quercus Idumææ, navium materia. Elon More, quæ & Elon Mamre. Quercus Abrahami non fuit terebinthus. Elon præſtigiatorum. Elon Thaboris. Thabor, quæ & Aznoth Thabor, Joſu. 19: 34. *Alia,* 1 *Chr.* 6: 62. *quæ Ciſloth Thabor. Joſu.* 19: 12. *Alla, Robur, ſeu Eſculus pro Templo. Eſculi Bazaniticæ proceritas, potentiorum faſtui comparata. Eadem Regum deſignat potentiam. Ramis & frondibus viduata reſtitutionis ſymbolum eſt. Eſculus fletu nobilitata. Eſculus viri nomen. ILEX, quæ coccum gignit. Coccineus color chermeſinus. Veſtes coccineæ. Coccineum Sacri Tabernaculi velum. Idem color Carmil & Carmel vocatus. Coccineum pro purpureo ſumtum. Labia Sponſæ, coccineum filum. Scelera cum coccino dibapho comparata.*

I. QUERCUUM DISTINCTA GENERA.

PROGREDIMUR hinc ad arbores glandiferas, quarum quæ primæ nobis occurrunt: אל אלה אילן אלה אלון a robore nominantur, collactaneam vocem habentes איל quæ robur ſeu fortitudinem ſonat *Pſal.* 88: 5. הייתי כגבר אין איל: *Similis fui viro, cui nullum eſt robur.* Nec aliter vertunt clariſſimi Interpretes, *Chaldæus, Sebaſtianus Munſterus, Xantes Pagninus, Tigurini,* aliique. Illa autem ab eodem etymo venientium vocum cognatio, generis quoque cognationem arguit. Quercum igitur plerique expoſuerunt, differentia tamen, quæ eſt in quercubus, haut declarata. Diſtincta autem eſſe genera, quæ his vocabulis notantur, ex eo conſtat, quod אלה ab אלון ſeparatur, *Jeſa.* 6. commate ultimo, & quod aliis alia tribuuntur, quæ convenire nequeunt. Qua igitur ratione inter ſe differant, reliquum eſt, ut inquiramus. Doctiſſimi rerum naturalium expoſitores quercuum genera diviſerunt 1. In Latifoliam, quæ Hippocrati βάλανος, aliis Hemeris, vel δρῦς ἥμερος, & quercus proprie dicta, ſi *Salmaſium* audimus. 2. In Robur, cujus primum genus Cluſio habetur Æſculus, qui Græcis Ægilops & δρῦς ἀγρία. 3. In Haliphloeon, id eſt, craſſo cortice munitam quercum. Porro Quercus proprie dicta dividitur in marem & fœminam. Mas eſt arbor procera, quæ radicibus in altum demiſſis ven-

ventorum eludit impetum, caudice recto, quem ajunt, ut & in aliis obſervatum, ſi juxta terram exſcindatur, non quidem craſſiori ſerra, circularibus fibrarum ordinibus, ſuorum annorum æquare numerum, cortice inferna parte rimoſo & ſcabro, ſuperna candicante & læviore, in multos dein ramos dividitur, qui foliis ſtipantur profunde inciſis, duos pollices latis, duplo longioribus. Flores ex hornis ramulis, aut ex novellorum baſi julorum inſtar, verno tempore dependent. At ex novellorum, ineunte jam æſtate, extremo glandes prodeunt, pollicem longo affixæ pediculo binæ, raro ternæ, ſæpius unicæ & oblongæ, in quarum faſtigio eminet aculeus brevis, nec magnopere pungens, puſtulata ſcabritia calici aſperato imponitur. Putamen eſt admodum læve, continetque nucleum, qui etſi in duas partes per longitudinem poteſt dividi, nihilominus unica tenuique tunica veſtitur. Denique ſi ramuli a biennio ad octennium nati, transverſim ſcindantur, exſiccati, in ſui medio ſtellæ figuram oſtendunt, quod in fœminis poteſt conſpici. Duæ ſunt fœminæ ſpecies Sychnocharagmis, ſic dicta, quod frequentes inciſuras habet; Paurochnöis, quod exiguam haberet lanuginem hoc nomen adepta. Illius cortice rubeſcente ſuperbiunt teneli ſurculi, folioque ſunt breviore, ad baſin magis acuminato, colore nitidius vireſcente, utroque ex latere tam denſis laciniis ſinuoſo, ut criſpum judices, utraque ex parte lanuginoſo, ſed ſupina pauciorem habet lanuginem; glandem vero puſillam profert; apricis & lapidoſis cautibus amica. Paurochnöis, folio etiam quam maris breviore, at ad extremum latiori, magis obtuſo, prona quidem facie, pallido & lanuginoſo, ſed perſpicaciſſimis oculis opus eſt ei, qui lanuginem obſervare voluerit; præterea habet eadem in parte nervos ad latera lanuginoſos; glandes profert quam mas minores, ſed raro binas, frequentius plures, in ſurculorum vertice, ad extremum tanquam retuſæ digito foſſulam habentes, & apicem minimum, e calice parum ſeſe exerentes, ipſique firmiter adhærentes; hocque notandum, fœminas maribus eſſe humiliores, lignoque ſunt fragiliori, earum præterea glandes ramulorum extremis ſine pediculo adnaſci, aut, ſi quem habeant (quod rarum) is breviſſimus eſt. Haliphlocos firmis radicibus & in obliquum actis fulcitur, caudex proceritate & rectitudine elatus, cortice ſubcæruleo & craſſiſſimo veſtitus, ramis brachiatus, tam brevibus, ut decurtati videantur, exeuntque in folia cerro ſimilia, anguſtiora, longiora per latera, inciſu-

ciſuris æque profundis, ſed minus latis ſinuoſa, multo magis nigricantia, aſperiora, duriora, hyeme decidua. Glandes profert omnium glandiferarum, excepta ilice, minimas, rotundas fere & aliquantulum compreſſas, e ſuis calicibus parum ſeſe exſerentes, qui ſpinis longis, flavis, gracilibus & denſis horrent, caſtanearum inſtar, & ad ſingulos exortus bini ſæpius breviſſimo pediculo adnaſcuntur ramis & ſurculis. Hæc *Rencalmus Specim. Hiſtoriæ Plantar. p.* 1. *& ſeq.*

His glandiferarum arborum deſcriptionibus enarratis, dicimus אל & אלה quercum ſonare, platyphyllon, id eſt, latifoliam, quæ Hippocrati βάλανος, & Latinis quercus proprie dicitur; Græcis autem δρῦς ἥμερος, & *Salmaſium* ſi audimus, ἡμερίς. אילן ab אלה non ſpecie ſed nominis tantum forma differens, eximiam in ſuo genere quercum ſonat, quod ipſam nominis terminationem arguere, deinceps idoneis argumentis probabimus. Diſcrimen inter אל & אלה non aliud quam ſexus intercedit, vocibus אל & אלים quercus mares, & אלה cum plurali אילות quercus fœminas notantibus. Quod Onkelos, & Rabbini, & qui eos ſequitur *Tremellius*, איל פארן planitiem Paranis *Gen.* 14. 6. vertunt, id redarguit ab איל deflexum plurale nomen אילים, & fœmininum ejus אלה: nam ſingularis & pluralis, itemque maſculini & fœminini nominis, eadem eſt ſignificatio. Jam vero אלה & אלות & maſculinum אלים, tota interpretum natio arbores agnoſcit. Ab eadem Onkeloſii ſententia nos dimovet, quod אלה ipſius אל fœmininum, viris illuſtribus bene multis datum legitur, quod, ſi planitiem deſignavit, citra abſurditatem factum, judicii ſubtilioris nemo crediderit. Notantur autem hoc nomine I. Ela, filius Uzzi 1 *Par.* 9: 8. II. Ela, Dux Idumæus *Gen.* 36: 41. III. Ela, filius Bahaſcha, Iſraëlitarum Rex, 1 *Reg.* 16: 6. IV. Item Ela, Hoſeæ Regis Pater, 2 *Reg.* 17: 1. V. Ela, filius Calebi, filii Jephunne, 1 *Par.* 4: 15. Denique VI. Ela, Pater Schimhi, Sitarchi in Binjaminitide, 1 *Par.* 4: 18. Idem dicendum de nomine אילן, quod laudati authores pariter *planitiem* interpretati ſunt: non reputantes cum animo ſuo, ſi Elon planitiem denotaverit, non niſi inſulſe & abſurde viris planitiei nomen impoſitum fuiſſe. Sic Planitiei nomen tuliſſet Elon, filius Sebulonis *Gen.* 46. Elon Chitthæus, Eſavi ſocer: *Gen.* 36: 1. Elon Sebulonita, Judex Iſraëlitarum, *Judic.* 12: 11. E diverſo ab illorum temporum conſuetudine non abhorruit ab arboribus nomina mutuari. A pino enim

dictus

dictus Ornan, Aranja, & Arauna Jebuſæus, antiquus ille Moriæ montis Dominus. 1 *Par.* 21: 15. 20. 2 *Sam.* 24: 18. A Malo Punica Rimmon, Pater eorum, qui Isboſethum Regem trucidarunt. 2 *Sam.* 4: 5. Ab olea Zethan 1 *Sam.* 7: 10 & Zetham 1 *Par.* 13: 8. & 26: 23. A ſpina Kotz, Pater Hanab, quod uvam interpretantur. 1 *Par.* 4: 8. Sed nec Terebinthum ſonare poteſt Ela, quoniam Ela, quæ vocatur arbor, decidua habet folia, *Jeſa.* 1: 30. & perplexos ramos emittit, 2 *Sam.* 18: 9. & *Ezech.* 6: 13. Terebinthus autem, *Theophraſto* teſte, perpetuo viret & folia rariora quam quercus gerit, denſitate ramorum haut conſpicua. *Matthiol. ad Dioſc. lib.* 1. *c.* 77.

II. De Alla et Allon, id est Æsculo.

Ad primam igitur quercuum platyphyllarum claſſem pertinent אל אלה & אילן, ad quam tamen, licet nominibus valde affinem, reducere non poſſumus eam, quæ אלה & אלון dicitur. Platyphyllos cariem ſentit & torquens ſeſe hiat. Allon autem, ei vitio haut obnoxia, idolorum ſtatuis materiem præbuit. *Jeſa.* 44: 4. Itaque Allon & congenerum nomen Alla, ad Roboris genera referimus. His enim omnia congruunt quæ de robore in ſacris literis prædicantur. Et אלה, quidem ipſo nomine præferens robur, excuſum eſt ex integro אילה formæ פלגה, Joth à prævio Aleph, ut ſolet, eliſo. Ab אלה venit אלון, id eſt, eximia vel inſignis *Alla*, cui Scriptura tribuit proceritatem, robur, ad remos & idolorum ſtatuas utilem materiam, denique amplitudinem & umbram, quam adolentibus denſam ſuffecit. Et proceram quidem Scriptura Allon arborem reputat, Cedris eam annumerans, *Jeſa.* 2: 12, 13. & cum Regum majeſtate comparans, *Zach.* 11. Talis memoratur à Poëta Æſculus *Georg. lib. II.*

Æſculus imprimis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.
Ergo non hyemes illam non flagra neque imbres
Convellunt, immota manet, multosque per annos,
Multa virûm volvens durando ſecula vincit:
Tum fortes late ramos & brachia tendens
Huc illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet umbram.

Robur & fortitudinem ipſi Allon tribuit *Amos.* 2: 9. Tribuunt etiam Scriptores Eſculo robur & lignum duriſſimum & incorruptiſſimum, ex glandiferis omnibus. אלון arborem ſtatuis ac remis

præ-

præbuiſſe materiam, teſtis *Jeſaias* 40: 20. & *Ezechiel* 27: 6. Idem de Eſculo referunt, quæ ob duritiem, & quia teredines non ſentit neque torquetur, iisdem apta cenſetur operibus, eamque ob cauſam Ægilops. אגלוף vel אגלף cujus extat fœmininum אגלפורת quod ſculpturam ſonat, vel אע־גלוף id eſt, lignum, ſive arbor ſculptilis: à גלף ſculpere, Chaldaico vel Syriaco verbo, dicta videtur. Sub *Allon* umbroſiſſima arborum, congregati Iſraëlitæ, exteris Diis adoleverunt, in lætis virentibusque arboribus habitare numina perſuaſi *Hoſe*. 4: 13. Etiam Eſculus Jovi olim a gentibus dicata, latiſſime umbram & brachia extendit: de qua *Virgilius*:

Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, ut altæ
Caſtaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Eſculus. - - -

Ex his colligitur Eſculum eſſe cui omnia, quæ de Allon in ſacris paginis prædicantur, conveniunt. Reliquum eſt, ut quoniam אילן quercum eximiam, & אלון Robur eximium, vel Eſculum in roboris genere inſignem, expoſuimus, ne gratis hoc ſtatuiſſe videamur, rationibus & argumentis verum eſſe demonſtremus. Dico igitur ין finales nominum literas, ni fuerit Nun radicale, vim habere ſignificata nominum intendendi, ita, ut quibus adhærent, ea excellens quiddam in ſuo genere, vel quod aliis pulcritudine forma, fœcunditate, materia, magnitudine vel alia re præferendum, indigetent. Patet aſſerti veritas 1. ex eo, quod adjectiva omnia in ין finita, non niſi ſuperlative accipienda interpretes judicarunt ita ריאשון eſt primus, אחרון ultimus, קדמון antiquiſſimus, עליון altiſſimus, תחתון infimus, תיכון intimus, קציון extremus, עקלתון perverſiſſimus, אביון egentiſſimus, plus enim eſt quam רש pauper. 2. Sic finita nomina reſpondent nominibus in ים, id eſt Mem literam præcedente cholem puncto finitis, quæ terminatio etiam eſt intenſiva. (Nam מתום id eſt multitudo mortalium, *Jud*. 20: 48. idem ſonat quod מתים homines, *Deut*. 3: 6. & Barſillai, filius, כמהם dicitur, qui & כמהום deſideratiſſimus. *Jerem*. 41: 17. *Vid. Arcanum noſtrum Kethib. pag*. 122.) Itaque filius *Levi* גרשון *Gen*. 46: 11. vocatur & גרשום longe expulſus. 1 *Par*. 6: 1. 3. In Synonymis ין terminatio rependit vim terminationis pluralium nominum: verbi gratia, civitas, quæ vocatur חמון Chammon 1 *Chron*. 6: 16. eadem dicitur & חמות *Joſu*. 19: 35. גילן Gilon, a quo הגילוני declinatum, civitas Judæ fuit, quæ alias גילו per apocopen ה literæ dicta, pro integro

tegro plurali גילות *Joſu.* 15: 51. 2 *Sam.* 15: 12. Ita שילני Siluntinus 2 *Par.* 9: 29. 1 *Reg.* 11: 29. & 12: 15. deflectitur à שילון, pro quo uſurpatum שילו vel שלו, ſine apocope, efferendum שילות, id eſt, שאילות Petitiones, Ephrajimitarum civitas. *Judic.* 21: 12, 19, 21. *Joſu.* 22: 9. מגדו abſciſſo ת pluralitatis nota. *Joſu.* 17: 11. 1 *Reg.* 9: 15, 16. eadem quæ מגדון *Zach.* 12: 11. *Apoc.* 16: 16. שעלבון unde patronymicum השעלבני Schahallebonita, 2 *Sam.* 23: 32. Synonyma habet pluralia, שעלבים *Joſu.* 19: 42. & שעלבין id eſt vulpes. *Judic.* 1: 35. 4. Obſervavimus Scripturæ textum, illa in ין deſinentia nomina omnia, cum ea, quam diximus, intenſione & emphaſi admiſſa, ſenſum gignere Scriptorum Divinorum menti imprimis congruum. Non pigrabor adpellativa ſingula recenſere: In propriis, ut lectorum ſatietati occurram, paucitatem ſequar. In adpellativis primo loco obvenit שבתון ceſſatio magna, שבת שבתון יהיה Ceſſationis, magnæ, inquam, ceſſationis dies, ſive ſabbatum magnum erit. Sic vocatur dies univerſalis jejunii *Levit.* 23: 24. Primus feſti tabernaculorum & octavus ab eo dies. *Lev.* 23: 39. Paſchatis feſtum. *Exod.* 17: 23. Sabbatum, in quod Paſcha incidit *Joh.* 19: 31. ut non manerent in cruce corpora Sabbato, quoniam erat paraſce; Erat enim magnus dies illius ſabbati. *Johan.* 19: 41. Denique ipſum Sabbatum, ſeptimo quoque die feriandum, vocatur שבת שבתון ליהוה Ceſſatio, magnæ ceſſationis: vel ſabbatum magnæ quietis Domini, vel in honorem Domini. *Exod.* 31: 15. & 35: 3. 2. אברון extrema pernicies. *Prov.* 27: 20. 3. ארון cauſſa maxima, à quo omnia, & ad quem omnia, ab ארה unde etiam ארות Cauſſæ. 4. צמאון ſitis vehemens. *Deut.* 8: 15. 5. דראון contemtus magnus *Dan.* 12: 2. 6. גאון excellentia. *Jeſ.* 2: 10. 7. שאון vaſtitas magna. 8. חרבון ſiccitas magna. *Pſal.* 32: 4. Convertebatur præſtantiſſimus humor meus in ſiccitates æſtivas maximas. 9. יגון triſtitia magna. 10. דאבון mœror gravis, vel tabes. *Deut.* 28: 65. 11. רעבן fames dira. *Pſal.* 37: 19. 12. חשבון unde חשבנות ingenioſe excogitata. *Eccleſ.* 7: 30. 13. פקדון depoſitum grande. *Levit.* 6: 4. 14. תמהון ſtupor vehemens. *Zach.* 12: 4. 15. עון perverſitas. 16. אביון à quo fœmininum אביונה propenſa voluntas. *Eccleſ.* 12: 5. ותפר האביונה: irrita omnia faciet propenſa voluntas, id eſt, fruſtrabitur appetitus. 17. בטחון fiducia minime falſa. *Eccleſ.* 9: 4. 18. פתחון apertio, patefactio lata. Dabo aperturam oris latiſſimam ad vota, ad laudes. *Ezech.* 29: 21. conf. *Pſ.* 81: 11. 19. שלטון dominatio lata: *Eccl.* 8: 4. 20. חבין omni-

moda occultatio. *Hab.* 3: 4. 21. הגיון meditatio attenta. *Pſal.* 19: 15. 22. שגיון Erratio, cura animi & perpetua meditatio, juxta *Coccejum Pſal.* 7: 1. 23. פריון redemtio ſufficiens. *Pſal.* 49: 9. Eſt enim caro, ſufficiens redemtio animæ illorum. 24. בזיון contemtus maximus. *Eſt.* 1: 18. 25. חזיון viſio excellens. *Jeſa.* 22: 1. 26. חזון viſio eximia. 27. חזיונה viſio illuſtris. *Joel.* 2: 28. 28. גליון volumen magnum *Jeſa.* 8: 1. 29. כליון conſummatio magna. *Jeſa.* 10: 22. 30. רעיון depaſtio, conſumtio. *Eccl.* 1: 17. 31. דמיון ſimilitudo exacta. *Pſal.* 17: 12. 32. רפיון remiſſio præter modum. *Jerem.* 47: 3. 33. ציון valde aridus. *Jeſa.* 32: 2. 34. נקיון innocentia ſumma. *Gen.* 20: 5. 35. קיקיון Kiki major, vel Ricinus altior. *Jon.* 4: 6. 36. הריון conceptus gignendæ proli ſufficiens. *Ruth.* 4: 13. 37. סריון lorica, quaſi dicas ampliorem corporis commenſum; ſic & מדה veſtis a menſura dicitur. Congenera ipſius סריון vox eſt משורה menſura. 38. אפריון locus fœtationis fructus eximii, id eſt, torus, ſive lectus conjugalis. Componitur ex אפר, à quo אפרים Ephrajim, & fœmininum אפרת, & ex פריון formæ גליון *Cant.* 3: 9. 39. חרון æſtus iræ vehementis. *Tzephan.* 3: 8. 40. שריון ingens lorica, qualis Goliathum armavit. 1 *Sam.* 17: 38. 41. חלון foramen ædificii majus, per quod lumen immittitur. *Gen.* 8: 6. 42. צקלון gluma, undique fiſſa. 2 *Reg.* 4: 42. 43. קיקלון vomitus ignominioſiſſimus. *Jerem.* 48: 26. 44. אגמון Ahenum majus. *Job.* 41: 11. 45. כשלון lapſus miſerandus, *Prov.* 16: 18. 46. המון multitudo, multorum fremitus. *Ezec.* 31: 2. 18. 46. אלמון viduitas, pro אמלון id eſt, languor à gravi luctu. *Thr.* 2: 8. Fecit Dominus lugere antemurale & murum, pariter אמללו. *elanguerunt. Hoſe.* 4: 3. *Lugebit hæc terra, & languebit, quicquid habitat in ea. Jeſa.* 24: 4. *Lugebit, concidet, terra languebit, concidet orbis habitabilis, &* ℣. 7. *Lugebit muſtum, languebit vitis. Jeſ.* 33: 9. *Lugebat, languebat terra, pudebat Libanum, languebat. Jerem.* 14: 2. *Lugebit Jehuda, & portæ ejus elangueſcent. Jeſa.* 19: 8. *Mœrebunt piſcatores, lugebuntque omnes, qui projiciunt in rivos hamum, & qui exponunt retejaculum in ſuperficie aquarum, languebunt.* 48. אלמונה à luctu valde languens, id eſt, vidua. 2 *Sam.* 14: 5. 49. ארמון arx excelſa. 1 *Reg.* 16: 18. 50. עשתון cogitatio, conſilium prudens; unde fœmininum עשתנות *Pſal.* 146: 4. *Reverſo in terram ſuam homine, eodem die pereunt explorata & prudentia conſilia ejus.* 51. מסדרון à מסדרונה locus ante januam vacuus, per quem proximus ad ædem aditus. *Nonio* primi in-

ingreſſus domorum veſtibulum nominantur. 52. צלמון ſpiſſa umbra, ſpiſſa caligo, hinc Chaldæo טולא דמותא umbra mortis. *Pſal.* 68: 15. 53. שממון ſtupor ingens. *Ezech.* 4: 16. 54. פעמון crebræ concuſſionis organum, tintinnabulum. *Exod.* 39: 25. 55. רמון deceptio multa, in granis ſcilicet nequam mali punici. *Joel.* 1: 12. 56. ערמון platanus dicta a multitudine coacervatorum in fructu ſuo pilulorum. *Gen.* 30: 37. 57. ישימון magna ſolitudo. *Pſal.* 68: 8. 58. זרעון unde זרעונים ſativa bona ſive ſalubria. *Dan.* 1: 12. 16. 59. שפיפון perpetuo claudicans ceraſtes. *Vid. Boch. in Hieroz.* potius cæcilia, quæ in ſemitis frequenter conteritur, a themate Hebraico שפה contrivit. *Gen.* 49: 17. 60. ירקון rubigo aſpera vel morbus ſegetis in herba palleſcentis, nam ירקון *Jerem.* 30: 6. pallorem ſonat. 1. *Reg.* 8: 37. 61. שרפון uredo ſegetum valde damnoſa. 1 *Reg.* 8: 37. 62. לצון illuſio acerba. *Prov.* 1: 22. 63. זכרון memoria ſempiterna. *Exod.* 39: 7. 64. זכרון memoria firma. *Eccleſ.* 1: 11. 65. רצון voluntas propenſiſſima, beneplacitum, benevolentia. *Jeſa.* 60: 7. *Pſal.* 30: 6. *Deut.* 33: 23. 66. שהרון eximia lunula, ſeu pretioſa. *Judic.* 8: 21. 67. בצרון munitio firma. *Zach.* 9: 12. 68. הרון conceptus generando infanti ſufficiens. *Gen.* 3: 16. 69. גרון guttur, a frequenti ciborum attractione. Radix enim eſt גרר attraxit. *Jeſa.* 3: 16. 70. פתרון rectiſſima interpretatio. *Gen.* 41. 11. אישון nigerrimum oculi. *Pſal.* 17: 8. ut אשון *Prov.* 20: 20. 71. קלשון furca, collectionis fœni & ſtraminis uſitatiſſimum inſtrumentum. Venit per literarum trajectionem à לקש collegit. 1 *Sam.* 13: 21. 72. קמשונים Cardui aſperrimi. *Prov.* 24: 31. 73. ששון lætitia magna, quam geſtientem vocat *Cicero. Jeſa.* 25. 10. 74. המון ingens multitudo, אבי רב המון Pater eſt ingentis multitudinis. *Gen.* 17: 4. 75. סלון *Silon* vel כלון *Salon* ſpina acutiſſima. *Ezech.* 2: 6. & 28: 24. 76. צפון, nautis continuo ſpectatus & obſervatus ſeptentrio, a צפה ſpeculando, non a צפן *Ezech.* 27: 1. 77. צאן pro צאון, qui ſæpe egreditur, grex ovium, à יצא egreſſus eſt. 78. ידעני Ariolus, ex primitivo ידעון magnam ſcientiam profeſſus. *Levit.* 19: 31. 79. חכמוני Sapientia inclytus. 1 *Par.* 11: 11. תחכמוני 2 *Sam.* 23: 8. 80. פלוני loco vel nomine ſeparatus, à פלה ſeparavit. 81. אלמוני viduatus loco vel nomine. *Ruth.* 4: 1. שבה פה פלוני אלמוני per ellipſin dictum pro שבה־פה במקום פלוני אלמוני cede huc *in locum* ſeparati & viduati nomine, uti hæc ellipſis ſuppletur 2 *Reg.* 6: 8. & 1 *Sam.* 21: 2. 82. Ex פלוני & אלמוני compoſitum פלמוני *Dan.* 8: 13. Dixit quidam Sanctus לפלמוני illi, qui viduatus

duatus erat nomine, & a notitia mea ſeparatus. Non eſt huc referendum גאיונים *Pſal.* 123: 4. Keri enim arguit compoſitum eſſe ex גאי יונים ſuperbi opprimentium, id eſt, ſuperbiſſimi opprimentium. In propriis etiam multa hujus generis leguntur, quæ, ut occurram lectoris ſatietati, ſingula non recenſeo. Suffecerint ea, quæ ſequuntur. I. VIRILIA NOMINA. 1. *Sidon*, primogenitus Canaanis, a venationis ſtudio dictus. 2. *Habdon*, ſervus humillimus. 3. *Dagon*, piſcis magnus, idolum Palæſtinorum. 4. *Ardon* pro *Adron*, magnificus. 5. בני עמון filii ingentis populi, Ammonitæ. 6. *Tziphjon*, ſolicita ſpeculatio. 7. נכון gravis percuſſio. 8. *Chelon*, virium magnarum. 9. *Aharon*, conceptus lætabilis. 10. *Tzibhon*, coloris ſplendidi. 11. *Schimſchon*, ſol eximius. 12. Aminon, conſtantiſſimus, ex אמין & intenſiva litera ון 13. טלמון gravis oppreſſio. II. URBIUM MONTIUMQUE NOMINA. 1. גבעון *Gibhon*, editus & excelſus collis, quo loco Salomon Deo ſacrificavit, eo, quod eſſet הבמה הגדולה excelſum magnum. 1 *Reg.* 3: 4. 2. שמרון מרון urbs cuſtoditiſſima. 3. שיאון à נשא extulit, celſiſſimus mons, qui & חרמון adpellatus a magno rete, quod procul intuentibus nives referunt, quæ dorſum montis ambiunt. 4. *Cheſchbon*, ingenioſa excogitatio. 5. *Hijon*, acervus ingens. 6. *Tzijon*, valde aridus. 7. *Heglon* vitula pinguis, urbs Judæ, *Joſu.* 15: 3. 9. quo nomine dictus etiam Moabitarum Rex, vir pinguis valde. *Judic.* 3: 17. 8. *Ajjalon*, inſtar cervæ gratioſa. 9. *Ceſalon*, exſpectatio ſumma. 10. *Dimon*, altum dolentis ſilentium, urbs Moabitica. *Joſ.* 15: 9. quæ & דיבון id eſt דאיבון dolor magnus. *Num.* 21: 30. 11. *Kamon*, urbs a feraci & læta ſegete appellata. 12. *Beth-choron*, multorum foraminum locus. 13. *Chebron*, ſociorum multitudo. 14. *Accaron*, exſtirpatio e patrio ſolo, urbs Philiſthæorum, qui bis e ſedibus ſuis expulſi, primum ex Ægypto, deinceps ex Cappadocia. 15. *Gibbethon*, eminentia. Non eſt huc referendum מעון urbis nomen *Joſu.* 15: 54. nec בעון compoſitum ex Beth-mehon domus temporalis habitationis: *Num.* 32. 38. Eadem quidem civitas vocata Behon, Beth-mehon, Bahal-mehon & Beth-bahal-mehon. *Num.* 32: 3. *Joſu.* 13: 17. *Jerem.* 48: 23. His argumentis, ni fallor, demonſtratum eſt, ון finales literas ἔντασιν quandam nominum ſignificatibus inferre, & hac terminatione gaudentia: Quercuum vocabula אילן & אלון eximiam ſui generis quercum denotare, אילן ſcilicet inſignem platyphyllon, & אלון inter

inter robora præcipuam Eſculum.

III. SCRIPTURÆ LOCA, IN QUIBUS QUERCUUM ET ROBORIS NOMINA OBVENIUNT.

I. El Paran.

Primum ſe nobis offert אל conſtructum cum nomine פארן El-Paran, id eſt, Quercetum Paranis, Arabicæ urbis. Ad hanc uſque, ut autor eſt Moſes, *Gen.* 14: 6. Cedorlaomerus, Rex Sinear, (ſive Babyloniæ, ut deinceps vocata, qui antiquitus Sehiris montana ante Idumæos incoluerant, Choræos, id eſt, Troglodytas expulit.

II. אלים.

Hinc אלים Quercus, pro templis fuere Idololatris, *Jeſa.* 57: 5. *Qui incaluerunt*, libidine & ſpirituali ſcortatione Deaſtros ſequuti, *penes quercus ſub arbore virenti. Jeſa.* 1: 29. *Pudefient propter quercus, quas deſideraſtis* (ut ſub his idolorum cultum exerceretis) *& erubeſcetis, propter hortos, quos* ceu lupanaria *ſelegiſtis, ut me relicto & contemto dæmones veneraremini.*

III. Quercus Justitiæ.

Jeſa. 61: 3. Spiritus *Domini Dei miſit me ad evangelizandum, manſuetis. . . . . ut vocentur quercus juſtitiæ*, ut repleantur fructibus Juſtitiæ. *Philip.* 1: 2. amantes rectum. Sæpius enim צדק in hemiſtichiis parallelis reſpondet nomini מישרים rectitudines. Vid. *Pſal.* 58: 2. *Prov.* 2: 9. *Jeſa.* 45: 19. *Pſal.* 9: 9. *Pſal.* 98: ℣. *ult.* Ut in juſtitia & fide roborati, firmiterque radicati, quercuum inſtar maneant inconcuſſi, nullis adverſitatum procellis dejiciendi, *Ut planta Domini glorientur*, ut ab ipſo Deo plantati *Dei cura nunquam excidant, inque eo*, cui ſoli juſtitiam & vitam debent, glorientur. Secundum illud *Jeſa.* 45: 24, 25. *Tantummodo in Domino juſtitia & robur noſtrum. In Domino juſtificabuntur & gloriabuntur totum ſemen Iſraëlis.*

IV. אלה

Quercus fœmina, & quoniam maris vocabulum in hac notione obſolevit, etiam quercus maſcula. Celebratur in ſacris 1. *Ea, quæ ſtetit prope Sicyma*, ſub qua Jacobus Deos alienos & inaures familiæ ſuæ abſcondit. *Gen.* 35: 4. 2. *Quercus Hophræ*, pertinens ad Joaſum Abiezritam, ſub qua conſedit Angelus Domini, Gideonem ad liberandum populum vocans. *Judic.* 6: 11. 3. *Quercus parum diſſi-*

diſſita a Bethele, Ephrajimitarum urbe, ſub qua conſedit vir Dei, qui divinum judicium in altare Betheliticum denunciavit 1 *Reg.* 13: 15. 4. *Quercus Jabeſi*, urbis Gilead, ſub qua Gilhaditæ corpus Saulis & corpora filiorum ejus ſepeliverunt. 1 *Par.* 10: 12. loco parallelo 1 *Sam. cap. & comm. ult.* traditur, hæc corpora ſepulta fuiſſe תחת האשל ſub nemore, puta querneo. Nemus enim vel ſilveſtribus conſtat arboribus, verbi gratia, quercubus, ut illud juxta Dodona, Chaoniæ urbem; vel mitibus, ut Abrahami nemus, quod plantavit ad Beerſabam. *Gen.* 21: 33. 5. *Vallis quercuum*, ad quam contra Philiſthæos pugnabant Iſraëlitæ, prope ab Socunte & Azeka urbe diſtans. 1 *Sam.* 17: 2. 19. in qua & Goliathus à Davide cæſus. Etiam Aquila & Theodotion reddiderunt κοιλάδα τῆς δρυὸς, vallem quercus, ut *Euſebius* notat in *Onomaſtico* ad vocem Ἠλά. 6. Quercus a qua Abſalom pependit in Silon Ephrajimitarum 2 *Sam.* 18: 6. 9. Venit mulus Abſalomi ſubter perplexam quercum magnam, cui quercui ita adhæſit caput ejus, ut penderet inter cœlum & terram, & mulus, qui ſub eo erat, prætergrederetur. . . . . & aſſumſit Joabus tria tela, & infixit ea in cor Abſalomi adhuc viventis, per cor quercus, id eſt, tribus lanceis, per cor ſpirantis adhuc Abſalomi, in querni caudicis medium adactis. Quercuum hoc genere abundabat Idumæa. Itaque ab earum copia nomen inditum Elathæ, urbi ad mare Erythræum ſitæ, *Deut.* 2: 8. quam ædificiis auxit Azarias, Judæorum Rex. 2 *Reg.* 14: 12. De Elatha *Hieronymus de locis Hebraicis*: Ailath in extremis finibus Palæſtinæ, juncta meridianæ ſolitudini & Mari Rubro, unde ex Ægypto in Indiam, & inde ad Ægyptum navigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento decima, & olim quidem Ailath à veteribus dicebatur, nunc vero adpellatur Aila. Ad eam Salomonis claſſis fabricata 1 *Reg.* 9: 20. Prope aberat Berenice portus, ubi claſſem laudati Regis ædificatam tradidit Joſephus *lib.* 8: Antiquitatum. Videatur *Voſſius in Melam. pag.* 289.

V. אילון.

QUERCUS *eximia*, vel Quercetum eximium. Fere commemoratur in ſermone eorum, qui aliis locorum ſitus commonſtrant: ut *Geneſ.* 12: 6. *Tranſivit Abram ad locum uſque Schechem* (quo nomine poſtea vocabatur) *ad quercum*, ſive ad Quercetum, *uſque ipſius More.* Et *Deut.* 11: 30. *Sunt Gerizim & Hebal montes e regione Gilgalis, juxta egregium Quercetum ipſius More.* Is More vocatur

tur etiam Mamre ἰσοδυνάμῳ vocabulo. Nam מורה in *Kal* & ממרא *Mamre* in Hiphil rebellantem ſonat ; א pro ה poſito , ut in מרפא, remiſſas reddit *Jer.* 38: 4. & *Tzere* cum *Chirek* permutato , ut in מוצא educens. Igitur Quercetum More adpellatum quoque Elon Mamre , Quercetum Mamre. *Gen.* 18: 1. *Adparuit Abrahamo Dominus penes eximium quercetum Mamre*, *quum ſederet ipſe ad oſtium tentorii ſui æſtuante die* : quando viatores langueſcunt & eſuriunt , & ad hoſpitia divertere ſolent. Illum duobus Angelis comitatum hoſpitio accepit ſub arbore ℣. 4. quam Terebinthum fuiſſe *Hieronymus* credidit , & gentes , qui vel ante ipſius ætatem , vel poſteris ſeculis ſuperſtitioſe eam coluerunt. Diſtat , inquit , diligentiſſimus Scriptor , ad meridianam *Chebronis* plagam ab Ælia , id eſt , *ab Hieroſolyma* , miliaribus circiter vigint duobus Quercus Abrahami , quæ & Mamre , uſque ad Conſtantii Regis imperium monſtrabatur ; & Mauſolæum ejus impræſentiarum cernitur. Cumque a noſtris jam ibidem Eccleſia ædificata ſit , à cunctis in circuitu gentibus Terebynthus ſuperſtitioſe colitur : eo quod ſub ea Angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperat. Eadem Quercus , ſive Quercetum idem pluraliter vocatum eſt : אלני ממרא Quercus Mamre, ne unam duntaxat quercum fuiſſe crederemus. Habitavit Abram ad quercus , id eſt , ad quercetum , quod eſt ad Hebronem & exſtruxit ibi altare. *Gen.* 13: 19. Venit quidam , qui evaſerat , ut nunciaret *cladem Sodomorum* Abramo Ebræo habitanti באלני ממרא ad quercus vel eximium quercetum Mamre Emoræi , fratris Eſcolis & fratris Haneri , qui erant fœderati Abrami. *Gen.* 14: 13.

Elon Sichymorum.

Judic. 9: 6. Constituerunt *Abimelechum in Regem* , *juxta Quercum eximiam aggeris* , *qui eſt ad Sichem*. Vertimus מצב in aggerem, id quod etiam ſonat *Jeſa.* 29: 3.

Elon Præstigiatorum.

Judic. 9: 37. Agmen *unum Abimelechi verſus Sicyma veniebat* , *à via Querceti eximii Mehonenæorum* , vel querceti , ubi harioli divinabant.

Elon Thaboris.

1 *Sam.* 10: 3. Quum veneris à Tzeltzacho , termino Binjaminitarum , uſque ad quercum eximiam Thaboris , invenient te illic tres viri , aſcendentes in domum Dei , ſive Siluntem. Thabor hic non eſt nomen montis in confiniis ultimis Iſſacaritarum , ver-

ſus Aquilonem, inter campum magnum & Scythopolin ſitus. *Joſu.* 19: 22. *Joſeph. Antiq. lib.* 5. *c.* 1. *& lib.* 4. *c.* 6. ſed loci vel oppidi in confiniis Ephrajimitarum. Thaboris quoque vocabulo apellitata *Aznoth Thabor*, civitas, Naphthalitarum terminus, quæ Junio, extremitas Thaboris. *Joſ.* 19: 34. Item *Cisloth Thabor* civitas, Sebulonitarum terminus, *Joſu.* 19: 12. quæ & Karthan *Joſu.* 21: 34. & Thabor 1 *Chron.* 6: 6.

VI. אלה ROBUR.

SEMEL omnino legitur *Joſu.* 24: 26. Stabat hæc arbor ad Sanctuarium Domini Silunte, a Joſua Hebræorum Duce electa, ſub qua lapidem magnum, teſtem & monumentum fœderis Iſraëlitarum cum Deo pacti, erigeret. במקדש יהוה *Ad ſanctuarium* vel haut ita procul a Sanctuario. ב ſæpius notat viciniam. Minus recte Vulgatus: *Quæ erat in Sanctuario.* Pugnat iſta verſio cum lege: plantabis lucum, nec ullam arborem juxta Altare, id eſt, proxime ad altare, vel ſanctuarium. *Deut.* 16: 21.

VII. אלון ESCULUS PRO TEMPLO.

SUB Eſculis montanis Diis ſuis adoleverant Idololatræ. *Hoſe.* 4: 13. *In verticibus montium ſacrificant, & in collibus ſuffitum faciunt; ſub Eſculo, fagoque, & quercu, eo quod bona ſit umbra ejus.* Montes & valles diligit Eſculus, primum roboris genus. De umbra *Silius lib.* 10.

> *Annoſa excelſos tendebat ad æthera ramos*
> *Eſculus, umbroſum magnas ſuper ardua ſilvas*
> *Nubibus inſertans altis caput - - -*

VIII. ESCULI BASANITICÆ PROCERITAS POTENTIORUM FASTUI COMPARATA.

Jeſa. 2: 12, 13. DIES *Domini Dei exercituum in omne ſuperbum & elatum, ut demittatur: & in omnes cedros Libani excelſiſſimas & altiſſimas & in omnes Eſculos Baſanis, & in omnes montes celſiſſimos, & in omnes colles elatiſſimos.* Senſus: Omnem faſtum ac ſuperbiam Principum deprimet & contundet Deus. Eſculos Baſanis intelligit in Baſanis montibus natas. Baſanitis enim montoſa regio fuit. *Pſal.* 68: 16. *Mons Dei*, id eſt, mons Sionis, Eccleſia Chriſtiana, mons, quem Deus deſiderat ad ſedem ſuam. ℣. 17. *eſt mons Baſan*, ob altitudinem celebrandus, *mons frequentium gibborum*, cum Sione monte collatus, *eſt mons Bazan.* *Zach.* 11. 2. *Ejula abies, quia corruit Cedrus, quia magnifici vaſtantur: ejulate Eſculi Baſanis, quia*

conci

concidit ſilva munita. בציר ſubſtantive acceptum vindemiam notat; unde reddiderunt quidam: Concidit ſilva vindemiæ; adjective autem vel participialiter idem ſonat בציר quod בצור munitus, uti פקיד idem eſt, quod פקוד præfectus, & אסיר idem quod אסור vinctus. Silva munita vocatur Libanus difficilis acceſſu, ne mireris ei in præcedentibus portarum clauſtra tribui. Per Libanon autem Hieruſolymam intelligit Propheta, urbe, populo & mœnibus munitam.

IX. Esculi robur fastum et potentiam Regum repræsentat.

Amos. 2: 9. Profligavi *Amoræum a facie ipſorum, quorum proceritas erat, ut proceritas cedrorum, & robuſtus erat, Eſculorum inſtar, & profligavi fructum ejus ſuperne, & radices ejus inferne.* Summa quæque periculis expoſita:

Οὐ θρύον οὐ μαλάχην ἄνεμος ποτὲ, τὰς δὲ μεγίςας
Ἡ δρυὰς ἢ οἶδε χαμαὶ, κατ' ἄγειν.

Pallad. I. Epigr. Vid. Tarnovium in h. l. p. 582. *Coccejus* חסון vertit pollens. Sed non eſt cur robuſti ſignificatum improbemus nam & Chaldæo חסן eſt roborari, confortari & robuſtum fieri, *Jeſ.* 63: 15. 35: 3. *Amos.* 2. 14. & eodem ſenſu Hebræis uſurpatur. *Jeſa.* 1. 31. Erit robuſtiſſimus quisque velut ſtupa.

X. Esculus restitutionis symbolum est.

Jeſa. 6: 13. Ut *Quercus & Eſculus, quarum in dejectu ſtatumen eſt, ſemen ſanctum erit in reſtitutione ſua.* Dejectus arborum vel de proſtratis vento intelligi poteſt: Proſtratas enim reſtitui plerumque, & quadam terræ cicatrice reviviſcere vulgare eſt, & familiariſſimum juglandi, oleæ & platanis, quæ plurimum ventorum concipiunt propter denſitatem ramorum, quibus levatæ onere in ſua ſcrobe reponuntur. *Plin. lib.* 16. *cap.* 31. Vel dejectus ſignificat de arboribus dejectos ramos & folia, quo dejectu non emoriuntur, ſed onere levatæ, majori vi procellarum violentiæ reſiſtunt, cum tempore ramos ac frondium ſuarum decus recepturæ.

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Horat. Carm. lib. IV. Senſus igitur dicti, ut dejectu frondium & ramorum non interit arbor, ſed tanto fortius coortis ventis ac tempeſtatibus obnititur: ita ſemen ſanctum, Iſraëlitæ ornamentis ac for-

tunis omnibus privati non pereunt, ſed patientia & fide contra adverſitates firmati, in ipſis afflictionibus ac malis, vires atque ſpem reſtitutionis acquirunt. Sua facere poſſunt Pauli Apoſtoli verba: *In omnibus premimur, ſed non opprimimur; æſtuamus, ſed non exæſtuamus; veſcamur, ſed non deſerimur; dejicimur, ſed non perimus.* 2 *Cor.* 5: 8, 9. *Virgilius* de Eſculo:

---- ---- ---- Quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Hinc & eorum fuerit imago, qui excelſis meritis conſpicui, profundiſſimam humilitatem in animo fovent. S. Paulus, Vas electionis, Princeps Apoſtolorum, & ad tertium coelum raptus, de ſe ipſo prænunciavit: Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Chriſtus quoque Dei filius in ſtabulo naſci, pedes incedere, & Romanis tributum pendere voluit; quin imo Magiſter ac Dominus Diſcipulorum, pedes ipſorum lavit. Rem totam explicans S. Pater Auguſtinus: Bonum eſt, ait, ſurſum habere cor; non tamen ad ſe ipſum, quod eſt ſuperbiæ, ſed ad Dominum, quod eſt obedientiæ, quæ niſi humilium non poteſt eſſe. Eſt igitur humilitatis, miro modo quod faciat ſurſum cor, & eſt aliquid elationis, quod deorſum faciat cor. *Picinell. tom. I. lib.* 9. *p.* 593.

XI. ESCULUS IDOLORUM MATERIA.

Jeſa. 44. 14. FABER *lignarius, ad ſtructuram viri idolum fabricaturus, ſumit tiliam & eſculum, aut quæ fortificat ſe inter arbores ſylvæ.* Eſculo enim, ut diximus, duriſſimum & incorruptiſſimum lignum.

XII. ESCULUS FLETU NOBILITATA.

Gen. 35: 8. MORTUA *eſt Debora, nutrix Rebeccæ, ac ſepulta infra Bethelem ſub quadam Eſculo, & vocatum eſt nomen ejus Allon Bachuth*, id eſt, Eſculus fletu conſecrata.

XIII. ESCULUS JUXTA TZAHANANNIM.

Judic. 4: 11. HEBEN *Kenæus, de filiis Hobabi, Soceri Moſis, tetenderat tentorium ſuum uſque ad Eſculetum penes Tzahanannim, quod eſt prope Kadeſchum* penes Tzahanannim, id eſt, ut *Maſius* interpretatur, juxta peregrinatores, Hobabi poſteros.

XIV. ESCULUS, VIRI NOMEN.

1 *Chr.* 4: 37. Ziza filius Schiphi, filii *Allonis*, filii Jedajæ, filii Schimri Simeonitæ.

XV. Ilex tinctoria vel coccifera.

Arboris illius, quæ proprie Ilex dicitur, duo ſunt genera, unum folio ſpinoſo, alterum aculeis carente. Ilex, frutex, quæ coccum gignit tinctoribus, ex genere eſt acuifoliorum ilicum. Imo & nonnulli Græcorum fruticem ſui generis malunt, cui folia ilici acuifoliæ ſimilia. *Salmaſ. Symon. Hyl. Iatr.* 1. 70. Is non ſolum in Italia, Hiſpania, Galatia, ſed etiam apud Polonos atque Bohemos, & in Galliæ locis pluribus provenit.. Coccus, qui dicitur, non eſt fructus, ſed veluti ſcabies fruticis, ut *Plinius* loquitur, nempe agnatum quiddam, ut arboribus viſcum, lanugo, muſcus, & quercubus gallæ. Baccæ enim, veſicularum inſtar ſunt ramis innaſcentium & cortici affixarum, quæ innumeros intus pariunt vermiculos, ex quorum ſanguine eximius ille color, quem nos miramur, & adorarunt veteres, & Chermeſinum vulgus vocat. In Vulgari Bibliorum Verſione adpellatur vermiculus cocci, à Græcis ſcriptoribus σκωλήκιον, in authentico textu תולע vermis, vel תולעת שני Vermiculus dibaphi, vel inverſis vocibus, שני תולעת Coccus vermiculus. *Lev.* 14: 6. 51. 52. vel ſeparatis, שני dibaphum, 2 *Sam.* 1: 24. *Vid. Salm. Exerc. Plin. p.* 192. *& Boch. Part.* 2. *Hieroz. p.* 624. Coccino tinctorum uſus frequens apud Hebræos fuit, ad veſtes ſacras, ſcilicet ad amiculum Sacerdotis Summi, *Exod.* 28: 6. ad Pectorale ſacrum, *Exod.* 28: 5. ad tunicas Aaronis & filiorum ejus, *Exod.* 39: 27. ad aulæa tabernaculi, *Exod.* 36: 7. ad velum Tabernaculi, *Exod.* 36: 34. ad tegumentum portæ ipſius atrii, *Exod.* 38: 18. ad tegumentum menſæ panum propoſitionis, *Num.* 4. 8. ad purgationem lepræ, *Levit.* 14: 4. 6. ad purgandum domum, *Lev.* 14: 49. Chaldæorum, qui Aſſyriorum imperium everterunt bellatores, deſcribuntur מתלעים coccinati, vel coccinis induti. *Nahum.* 2: 4. *Coccinum ornabat virgines & matronas.* 2 *Sam.* 1: 24. *Filiæ Iſraëlis de Saule flete, qui veſtiebat vos dibapho in deliciis. Jerem.* 4: 30. *Tu autem* filia populi vaſtandi, *quid facis, quod induis te dibapho? quod ornas te ornatu aureo?* Ornabat viros. *Thren.* 4: 5. *Quomodo, qui nutriebantur in coccino, amplexantur ſtercora.*

Coccineus color 2 *Par.* 2: 6, 7. etiam כרמיל dicitur. *Mitte mihi virum peritum operandi ex purpureo, & ex Carmil*, id eſt, coccineo, *& ex hyacinthino. Carmil* noſtra interpretatione eſt nobiliſſimus & laudatiſſimus color, a purpura proximus. Habet enim vocabulum cognationem cum Arabico verbo كرم *caremon*, id eſt,

honorabilis, laude inſignis, cujus radix كرم *carama*, generoſitate, honore, & nobilitate, ſuperavit alium. כרמיל autem pro כרמיר pronunciatum. *Reſch* enim poſt interjectam heterogeneam literam repetendum, mutatur in ל, ut factum in ברזל quod loco ברזר effertur, & formatum eſt ex themate בזר diſperſit. Plura ejus generis reperies obſervata in *Inſtitut. noſtr. Hebr. cap.* 14. *p.* 549. & 550. Ejuſdem originis & ſignificationis nomen legitur *Cantic.* 7: 6. ראשך עליך ככרמל. *Quod in capite tuo impoſitum eſt tibi, ſimile eſt coccineo.* Porro coccinum & purpureum pro eodem ſumuntur. Chlamys iſta quam Chriſto patienti Romani milites injecerunt, à Matthæo Evangeliſta dicitur *coccina*, *cap.* 27: 28. eadem *Joh.* 19: 2. *veſtis purpurea* adpellatur. Nimirum coccineus chlamydis color is fuit, qui purpureum referebat. Tribuit *Salmaſius* cocco meracum & ſuffuſum colorem rubri acutiſſimi, ad quem accedat purpuræ rubræ lumen. Cocci color puniceus, hoc eſt, coloris rubri acutiſſimi. Purpuræ quoque rubræ tale lumen ad cocci nitorem accedens. Eam purpuram dicit Pollux φοινίσσεσθαι ἐκ τοῦ ἄνω πυρός, id eſt, ſplendorem cocci recipere ex alto, dum radiis ſolis accenditur. Interim non in omnibus locis, quibus naſcebatur, unius generis colorem habuiſſe, idem docet. Sic cocco tincta rurſus Tyrii tingebant, ſi *Pauſaniæ* credimus, ut fieret hyſginum: quomodo videtur proprius Galatici grani (quod primum repertum) color fuiſſe, quem ὕσγην Galatæ vocabant, cum coccum aliis in locis proveniens, magis puberet. *Vid. Exercit. Plin, p.* 1330.

XVI. LABIA SPONSÆ DIBAPHO COMPARATA.

Cant. 3: 4. VELUT *ficum dibaphum labia tua, & ſermo tuus decens.* Explicatur per illud *Pſal.* 45: 3. *Infuſa eſt gratia labiis tuis. Vid. Part. II. cap. h.* 5.

XVII. ATROCIA PECCATA COCCINEO DIBAPHO COMPARANTUR.

Jeſa. 1: 18. SI *fuerint peccata veſtra velut dibapha, tanquam nix albeſcent: ſi rubra fuerint velut coccineum, ſimilia lanæ erunt.*

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

Fagus, Pinus et Picea.

Libne *non eſt populus, nec ſtyrax.* Lobni *Arabum non a* laban *Hebraico nomine, ſed à* Libna *thure adpellatur.* Libne *eſt Fagus.* Oren *non eſt Ornus, ſed Pinus. Pinorum genera. Pini in Palæſtina. Idolorum ſimulacra ex pinis. Navium materia Pini.* Thidhar *picea, a perpetuitate Hebræis dicta. Piceæ fructus reſina, pix. A* ziph pice *virorum vocabula.* Copher, *pix liquida. Quæ ſit liquida, quæ ſpiſſa? Spiſſa vel arida Noachus Arcam picavit.*

I. לבנה Fagus.

Duobus Scripturæ locis obvenit לבנה Libne, arbor. Alter eſt *Gen.* 30: 37, 38. *Accepit ſibi Jacobus, in Meſopotamia greges ſoceri paſcens, baculos ex Libne virentes, amygdaloque & platano, & decorticavit in eis ſpatia decorticationis alba &c.* Alter locus eſt *Hoſe.* 4. 13. *In verticibus montium ſacrificant, & in collibus ſuffitum faciunt, ſub quercu, ſub libne, & eſculo, quod bona* (quod denſa & jucunda ſit) *umbra ejus.* Ut nominis etymon eruamus notandum eſt 1. לבנה colorem album aut candidum non innuere. Is enim ſignificatur vocibus לבן & לבנה, ſed albo candidove hebetiorem, id eſt, ſubalbicantem, albi æmulum. Sic בטנה, unde pluralis בטנים non ventrem, ſed ventris æmulam nucem ſonat, & אפעה eſt æmulus viperæ ceraſtes vel hæmorrhous, *Jeſa.* 41: 24. & תפתה id, quod repræſentat quodammodo ipſius תפת in valle Hinnom crudele incendium ſeu coctionem. תפת enim contractum eſt ex תאופת 2. Notandum virgas Libne, quibus Patriarcha ovium vellera variegavit, in Paddan-Aram, ſive in Syria interamnana, & Libne arborem, cujus meminit Hoſeas in terra Iſraëlitica proveniſſe. 3. Libne arbor fuit excelſa & umbroſa, & in collibus nata, ut conſtat ex allatis Hoſeæ verbis. His igitur obſervatis, ni fallor, recte concluditur. I. Libneh non eſſe populum albam, nam, ut dictum, 1. לבנה non album, non candidum, ſed ſubalbicantem deſignat. 2. Populi umbra foliorum luxuria non exuberat. *Plinius*:

Umbra nulla populo, ludentibus foliis, ob eamque rem vitibus gratiſſima. *lib.* 17. *cap.* 12. At Libneh arbor denſam jucundamque facit umbram. 3. Eandem non in collibus vel verticibus montium, ſed in aquoſis tantum provenire, teſtis *Plinius lib.* 16. *cap.* 18. & Poëta:

Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Certum autem, idololatras in aquoſis locis, ceremonias & religionem non coluiſſe. At ſub Libneh & quercu, in verticibus montium & in collibus, ſacra peregiſſe Iſraëlitas Propheta narrat. 4. Populea virga alba, cortice detracto, & alburno aliquatenus nudata, nullam coloris varietatem inter corticem & alburnum relinquit: relinquit eam Libne. Nec II. Libneh accipere poſſumus pro ſtyrace. 1. Quia ſtyrax accenſeri proceris arboribus quercui & eſculo nequit, proceritate enim & forma, ut *Dioſcorides* author, non ſuperat malum cotoneum, humilior, quam ut ſub ea in aris ſuffiatur. 2. Quia ſtorax largam adolentibus umbram, ob foliorum raritatem, atque parvitatem ſuam, ſufficere non potuit, qualem quidem quercus & eſculus præbuere denſiſſimam. 3. Quod ſtyracem nec Judæa, nec Interamnis Syria, ſed Syria ſupra Phœnicem, circa Gabala & Marathunta & Caſium Seleuciæ montem genuit; & quod ſtyrax laudatur poſt ſupradictam ex Piſidia, Sidone, Cypro & Cilicia.

Objiciunt quidem, qui pro ſtyrace pugnant, Arabes cognata voce ſtyracem nominaſſe لبني *lebni*, unde quis jure ſuſpicetur, lebni idem ſonare, quod לבנה Sed falluntur. Non enim Storacis arborem, ſed ipſius reſinam *Lebni* vocarunt Arabes, arborem vero alio diſtinguentes nomine, سجر مريم *arborem Mariæ* adpellarunt. *Alphagus in Lexico: Et Schegar Marjem*, id eſt, *arbor Mariæ; cujus folia ſimulantur foliis arboris cidoniorum, & ex ea colliguntur grana algul; in Ægypto & Græcia colligitur ſtorax ſicca, gummoſa, aromatica, & odorifera, quæ ab Aviſena dicitur Aſtarac, & apud vulgares Arabes, arborem alio nomine diſtinguentes Bachur Marjem, hoc eſt, ſuffimigium Mariæ.* Porro apud *Aviſenam capite de Lebni*, ſtyrax, quæ liquida eſt, appellatur عسل اللبني *haſel allebni.* Neque لبني *Lobni* Arabum, denominationem habet à לבנה Hebraica voce, ſed à لبان *Lobanon*, id eſt, thure, tum, quod gummi ſtyracinum, ex

ex arbore ſua lacteo colore manans, thuris candorem referat, quod ea propter ἀργυρολίβανος Græcis dicitur, tum quod thuris uſum præſtet. Arabes enim thuris ſui faſtidio pro thure ſtyracem urunt, Adoletur etiam alibi & igni torretur, ut fiat ex eo veluti ex thure fuligo, ad eadem conveniens ad quæ thuris fuligo. *Dioſcor. lib.* 1. 68. Lobni igitur quum ſit reſina arboris Schegar Marjem pro לבנה vel arbore, cujus virgis decorticatis in aqualiculis poſitis gregem nigro colore diſtinxit Patriarcha, vel ea, quæ ſuffumigantibus idololatris umbram miniſtravit, ſumi nequit. Itaque noſtro quidem judicio, לבנה in Moſe & Hoſea memorata planta *Fagus* fuerit. Illi enim præ aliis congruunt & conveniunt, quæ de Libne dictis locis traduntur. Nam 1. caudex fagi ſubalbidus eſt, non ut betulæ vel populi albus. 2. Proceritas ei eximia, umbra denſa, ramis in amplitudinem dilatatis. De proceritate *Statius* canit.

---- ---- Cadit ardua fagus,
Chaoniumque nemus - - -

De umbra *Virgilius in Culice :*

Umbroſæque manent fagus hederæque ligantes.

Idemque *Ecloga* 2.

Tantum inter denſas umbroſa cacumina fagos,
Aſſidue veniebat - - - -

Amplitudinem inſinuat initio Bucolicorum, ubi ſub patulæ fagi tegmine Tityrum ſuum recubare facit. 3. Virgæ faginæ per ambitum aliqua parte ad alburnum uſque nudatæ, varietatem coloris albi in alburno & ſpadice, quem & caſtaneum dicunt, & ſubviridis in relicto cortice, notabiliter repræſentant. Virgarum cortices, pro ætatis modo, colorem mutant. Ex viridi tranſeuntes in caſtaneum, vel ſpadiceum, ex caſtaneo in ſubviridem, ex hoc in cinereum, vel ſubalbeſcentem, qualis in alio arboris caudice non repertus. Denique montes amat fagus ſilveſtris, eademque in valles deſcendit. *Plin. lib.* 16: *cap.* 18. His igitur notis inſignem Libneh arborem, ſi Fagum eſſe arbitrabimur, ab eo, quod veritati eſt conſentaneum, non diſcedemus.

II. ארן Pinus.

ארן in Ornum ob ſoni affinitatem plerique verterunt. Orni, ut *Lucius Columella* ſcribit, ſilveſtres fraxini ſunt, paulo latioribus tamen foliis, quam cæteræ fraxini, nec deteriorem frondem quam ulmi præſtant. Nos Ornum reddentibus non aſſentimur, quia ſoni

ni paritas, niſi cætera conveniant, ἰσοδύναμα nomina haut facit. Atque verbis *Jeſaiæ cap.* 44: 13, 14. adverſatur, quod ſimulacrorum gratia fabricandorum plantari dicitur *Oren.* Ornus autem iis, ex quibus ſimulacra facta ſunt arboribus nuſquam annumeratur. Itaque potiori jure *Hieronymum*, qui *Oren* in pinum, & LXX. Græcos qui in πίτυν vertunt, ſequimur. Πίτυν dico, quam pinum, vel ſaltem pini ſpeciem eſſe multis demonſtravit *Salmaſius*, *libro de Synonymis Hyles Iatricæ*, *cap.* 66. Sed & *Kimchius* monet eſſe in popularibus ſuis, qui Oren accipiant pro Arabum الصنوبر *Altzavnabar*, quod Clariſſimus *Golius*, & *Angelus a S. Joſeph in Gazophylacio Perſico*, pinum interpretantur. Pinorum duo genera, alterum domeſticum alterum ſilveſtre; domeſtica, quæ & hortenſis pinus, numeroſos fundit ramos, in proceri caudicis ſummitate circumvagantes, comoſis ac firmis foliis, in cacumine aculeatis, & in longitudinem protenſis anguſtis. Nuces, *quas ſtrobilos vocant*, edit magnas, ponderoſas, compactas, ſolidas, in quibus nuclei oblongis & duris putaminibus concluſi. Interior nucleus tenui tunica circumtegitur, flavo colore, ſapore dulci ac jucundo. Silveſtrium varia ſunt genera, quæ in Alpina & maritima partiuntur, à *Matthiolo* & *C. Bauhino* deſcripta, *Com. ad Dioſcor. lib.* 1. *c.* 70. Pinos ferre Palæſtinam conſtat ex *Adamnani libr. II. de locis ſanctis*: *Egredientibus de Hebron, in campi latitudine ſita, ad aquilonarem plagam haut, procul à margine viæ, ad ſiniſtram occurrit, pinoſus non grandis mons, tribus millibus ab Chebron diſtans, a cujus pineto Pinea ad Hieruſolymam uſque in camelis vehuntur ligna ad focos nutriendos.* Dexterrimus etiam ſacri codicis Interpres *Pagninus*, inter Cantica terræ Canaan a Jacobo Patre Joſepho muneri miſſa, pineas nuces ſive ſtrobilos fuiſſe credidit, quia בטנים ut ante ipſum Rabbini, vertit in pineas nuces. De Pino igitur accipiam ארן, quæ arbor *Jeſ.* 14: 14. cum cedro tilia & eſculo recenſetur: *Cadit faber lignarius Deaſtri ſimulacrum facturus, cedrum tiliamque & eſculum, aut eam quæ fortificat ſe inter arbores ſilvæ: cadit Oren, quam plantaverit*, id eſt, ſativam arborem, *& quam pluvia educaverit.* A pluviis enim aquis potius, quam affluentibus arbores & ſemina nutriuntur, cujus rei cauſam inquirit *Plutarch. Quæſt. natural.* 2. Pino conveniunt, quæ de ארן *Jeſaias* enunciat: 1. Patrium ſolum, Iſraëlitarum terra, in qua deaſtros ex pino fabricatos cultu & veneratione dignabantur. 2. Materia ſimulacris apta. Eſt enim pini lignum ἄσηπτον, ad ædium navium-

viumque ſtructuram utiliſſimum, unde *Nautica Virgilio in Bucolicis* adpellatur. 3. Diſtinctio pini in hortenſem ſive ſativam & in ſilveſtrem: quæ luculenter declarata verbis נטע ארן *plantavit ornum*. Silveſtris enim ſponte provenit. De eo diſcrimine *Virgilius Eclog.* 7.

Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis;
Sæpius at ſi me Lycida formoſe reviſas,
Fraxinus in ſilvis cedet tibi, pinus in hortis.

4. Sexum arboris Jebuſæi Regis diſtinguunt nomina ארנן *Ornan* marem ab ארן, & ab eodem nomine deductum הארנה & ארניה, ex ארן 2 *Sam.* 24: 16. 18. *&* 1 *Par.* 3: 21. ארן autem pro ארן dixiſſe Hebræos docuimus *Arcano Kethib & Keri pag.* 184.

III. תדהר

5. Piceam arborem *Jeſaias* 41: 19. *&* 60: 13. תדהר nominat, id eſt, *perpetuam*, cujus nominis collactanea ſunt apud Arabes دهر *dahron* perpetuitas, item دهار *deharon* & مداهرة *modaharathon* in ſingulos menſes facere vel perpetuare. Ita vocari picea meruit, tum propter materiam arboris incorruptam, tum propter foliorum perpetuum virorem, tum ob fructus aſſiduitatem, de quo jure dixeris, quod de Pinu, pro qua piceam vertere debuerat, *Plinius*: Habet fructum matureſcentem, habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio. Nec ulla arborum avidius ſe promittit. Quo menſe ex ea nux decerpitur, eodem matureſcit alia, & ſic diſpenſatur ut nullo non menſe matureſcant. Ex reſina piceæ picem conficiunt, cujus conficiendæ varium modum deſcripſit celeberrimus *Zwingerus lib.* 1. von Baumgewächſen. *p.* 159. *&* 161. 162. Pix autem Hebraice vocatur זפת *Exod.* 2: 3. Chaldaico Syriacoque ſermone זפתא vel זִפְתָא. In Palæſtina proveniſſe vel ex eo concluditur, quod picis nomine, quam præſtantiſſimam gignit picea *Ziph*, urbs Judæ primaria, inſignitur, *Joſ.* 15: 24. 55. & deſertum *Ziphæ*. 1 *Sam.* 23: 15. *Ziph* idem ſonat quod *Zephet* pix; quemadmodum ἰσοδύναμα ſunt רים & רמת altitudo, קיר & קרת civitas. Fuiſſe & זיפה uſitatum, patet ex virorum ſynonymis. Idem quippe Jehalalelis filius Ziph, vocatur etiam Ziphah, 1 *Chr.* 4: 16. זיפה autem eandem vim habet quam זיף maſculinum, ut ἰσοδύναμα in Hebræorum lingua ſunt, שיר & שירה canticum, ריב &

ריבה contentio, שיח & שיחה meditatio. Porro זיף & זפת derivantur a themate זיף, quod idem ſonat ac ציף fluere, permutatis ejusdem organi literis, ut in זהר & צהר ſplendor, זעק & צעק clamavit, עלז & עלץ exſultavit. Itaque זיף & זפת proprie ſignificant picem fluidam ſive liquidam, quæ Græcis audit *πίσσα ὑγρά*. Eſt autem pix liquida liquor e pinguiſſimis pini piceæque lignis congregatus. *Dioſcorid. lib. I. cap.* 78. כפר eſt pix liquida, quæ decocta in ſpiſſam coit, palimpiſſa ab aliquibus vocatur, ut idem ſcribit *Dioſc. lib.* 23. *cap.* 10. Quæ prima ex piceæ vel pini combuſtæ lignis in canaliculos pix fluit, ea ſimplex & liquida tantum eſt; quæ poſtrema, ſiccior paulo, nomen tamen liquidæ adhuc retinet. Sicca pix fit alterutra earum iterum decocta. Liquidæ mentionem fecit *Jeſaias* 34: 9. *Mutabuntur torrentes Idumææ, in picem, & pulvis ejus in ſulphur, eritque terra ejus in picem ardentem.* Spiſſa vel arida cenſetur, quæ navalibus doliisque muniendis, multosque ad alios uſus expetitur. Illa fuit, qua, monſtrante Deo, Arcam picavit Noachus, de quo *Geneſ.* 6: 14. legitur. *Fac tibi arcam e lignis dedolatis, manſionum multarum facito arcam, & picato eam intrinſecus & extrinſecus* בכפר *pice arida.*

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

ABIESCH BEROSCH.

HALUCINATI ſunt, qui Beroſch reddunt buxum, qui fraxinum & laricem; Arabes item, qui noctuam, Septuaginta qui cypariſſon, pityn, peucen, myrtum & juniperum, mira inconſtantia. Vulgatus præfertur, qui quatuordecim locis interpretatus eſt Abietem, & Chaldæus, qui ubique Birevan, id eſt, abietes. Abies a Dioſcoride deſcripta. Naſcitur in Libano. In Syria ſuperiore non gignitur. Abietum lætitia, clades, proceritas, pulcritudo cum Regum ſplendore comparata. Abies Seniritica. Abietis uſus ad Templi ſtructuram, ad ejus tectum, ad portas: ad navium tabulata: ad haſtas & lanceas.

I. Beroſch abietem ſignificare probatur, ejuſque ſolum natale indicatur.

IN vertenda voce ברוש, nec inter ſe, nec ſecum ipſi conſentiunt Interpretes. Sunt qui buxum intelligunt, alii fraxinum, laricem alii; Arabs ante alios coecutiens *noctuam*, *Pſal.* 104. LXX. Seniores frequentiſſime à ſe ipſis diſſentientes, nunc κυπάρισσον reddunt, ut *Jeſa.* 37: 24. & 55: 13. & 60: 13. nunc πίτυν, ut *Ezech.* 31: 8. *Zach.* 11: 2. nunc πεύκην, ut 1 *Reg.* 5: 8. 10. 1 *Reg.* 9: 11. 1 *Reg.* 6: 15. ſemel tantum ἐλάτην, id eſt, abietem, *Jeſa.* 41: 19. ſemel myrtum, ut *Jeſa.* 41: 19. bis ἄρκευθον, id eſt, juniperum, ut *Hoſ.* 12: 9. & 2 *Chr.* 2: 18. Eſt etiam ubi nullam ejus vocis vertendæ rationem habent, ut *Pſal.* 104: 9. Vulgatus quatuordecim locis reddit *abietem*; 2 *Sam.* 6: 5. *fabrefactis*, 2 *Chr.* 2: 7. *arceuthina*; *Nachum.* 2: 4. *agitatores.* Solum Chaldæum in translatione ſua conſtare ſibi video. Ubique enim ברשים exponit per בירון *abietes*, niſi quod *Zach.* 11: 2. & *Jeſa.* 37: 24. in paraphraſi textus, pro abiete accipit שלטנים dominatores ſeu principes. Hos igitur ſequuti interpretum exercitatiſſimi *Junius* & *Tremellius*, nec eſt, quamobrem ab eorum translatione abeamus. Nihil enim in ſacris paginis de *beroſch* dictum, quod non pariter in abietem quadret. Comparantur heic *beraſchim* cum cedris. Tribuitur illis proceritas, ramulorum pulchritudo, & perpetuus viror, Libanus natale ſolum, cujus gloriæ dicuntur. Laudatur denique materies ad fabrilia opera quævis aptiſſima. Jungitur & abies ſæpenumero cum cedris, imo cedri generibus eam annumerat *R. Jehuda*, *libro Roſch haſſchana fol.* 23. Cedri arbores, (ut mihi, ait *Matthiolus*, retulerunt amici, qui univerſam fere Syriam peragrunt,) in Libano monte provenientes, tota facie abietem referunt. *Comment. ad Dioſc. I.* 89. Arbor eſt abies ſpecioſa, firmiſſimis nixa radicibus, procera & caudicem erigit procerum, enodem, inferiore ſui parte craſſum, at ſenſim in tenuius progredientem, pleriſque centum pedes longitudine ſuperantibus. Rami foliis undique cincti, hoc eſt, non ex latere tantum naſcentibus, ſed etiam e ſuperna infernaque earum parte, perpetuæ viriditatis, nec hyeme quamvis aſperrima demiſſi. Natale ſolum eſt & Libanus. *Hieronymus ad Ezech.* 27. Libanum ſcribit proceris & laudatiſſimis abundare abietibus, & *Jeſ.*

6. idem tradit, rectas in Libano & electas abietes naſci. In vicinia Palæſtinæ eas non proveniſſe ex *Strabone* liquet, qui *libr.* 11. *Geographiæ* nec in Ægypto, nec in Syria ſuperiori & ortiva naſci abietem teſtatur. Materia ejus validiſſima & in rectum firmiſſima, levis admodum navium malis & antennis præfertur. Ad tectum eadem valvarumque repagula, & ad quæcunque libeat opera aptiſſima, quovis fere fabricæ artis genere ſpectabilis, glutino maxime ſociari poteſt, & in tantum ut findatur ante, quæ ſolida eſt: quid? & pondus ſuſtinere valida, etiam in transverſum poſita. Ex eadem in aſſulas tenuiter ſecta, varii generis muſica inſtrumenta, panduræ, citharæ, teſtudines, lyræ & tympana fiunt. Certum igitur ſit ברוש notare abietem, firmaturque hujus aſſerti veritas locorum inductione, ubi in abietem vocabulum hoc vertitur. In his deſcribitur

II. ABIETUM CEDRORUMQUE LÆTITIA.

Jeſa. 14: 8. ETIAM *abietes lætantur de te, cedri Libani* dicentes *: ex quo occubuiſti, non aſcendit ullus cæſor contra nos.* Senſus dicti: Lætari quaſi abietes & cedri videntur, quod te interemto, nemo eas amplius vel ad urbium expugnationem vel ad ædificandas naves, vel ad alios belli apparatus exſtirpat.

III. CEDRORUM LECTISSIMARUMQUE ABIETUM DENUNCIATA CLADES.

Jeſa. 37: 24. MULTITUDINE *curruum meorum ego aſcendi ſummitatem montium, latera Libani; & ſuccidam proceras cedros ejus, lectiſſimas abietes ejus:* id eſt, numeroſo exercitu montes occupavi, imprimis Libani juga, cujus cedros & abietes ſpecioſiſſimas, ad uſum belli ſuccidam.

IV. ABIETIS PROCERITAS.

Pſal. 104: 17. UBI *aviculæ nidificant : abietes domicilia ciconiæ.* Non niſi in celſis locis nidulantur ciconiæ, in turribus, in editioribus ædium faſtigiis, in celſis denique arboribus. Hinc *Olympiodorus in Jobum :* Non enim humi ciconia, ſed in celſis arboribus ova ponit, & *Alkazuinius*: Neque nidum ſibi ſtruit, niſi in loco celſo, puta in pharo aut in arbore. *Jeſa.* 55: 13. *Loco virgulti*, humilis plantæ *aſſurget abies* arborum excelſiſſima.

V. ABIETIS PERPETUUS VIROR : VIVAX DEI GRATIA.

Hoſe. 14: 8. EGO *ſum tanquam abies virens : ex me fructus tuus præſto eſt.* Ego idem Deus ſum Iſraëli, tanquam abies virens, quæ,

quæ, ut perpetuo floret, præſtatque viatori in æſtu gratiſſimam umbram: ſic ego Iſraëlem ad me ſe recipientem fovebo, nec unquam ei providentiam meam ſubtraham: ſed & ſub æſtu calamitatum, quibus ab Aſſyriæ Regibus premebatur, protegam & reficiam; nec, ut abies, fructum negabo ex me, hoc eſt, me procurante fructus tuus præſto eſt. *Tarnovius d. l.*

VI. Abietis pulcritudo: Regum splendor.

Ezech. 31: 8. Cedri *in horto Dei non abſcondebant eam; abietes non erant ſimiles ramis ejus:* nulla arbor in horto Dei, ſimilis erat ei pulchritudine ſua.

VII. ABIETIS USUS AD OPERA FABRILIA.

Et 1. quidem ad structuram Templi.

1 *Reg.* 5: 10. Dabat *Chiram, Tyriorum Rex Salomoni ligna cedrina & ligna abiegna, prorſus ut volebat.*

2. Ad tegendum Templi Sanctum.

2 *Chr.* 3: 5. *Domum quoque magnam* (id eſt, Sanctum quod triplo majus erat Sancto Sanctorum.) *obtexit Salomo lignis abiegnis, obtexit* ſcilicet *Sancti trabes, portas, parieteſque & valvas ejus, quas deinceps & auro obduxit*, ut conſtat ex 2 *Chron.* 3: 7.

3. Ad templi portas.

1 *Reg.* 6: 34. Fecit *etiam Salomo portæ Templi binas fores e lignis abiegnis, duæ valvæ foribus unis verſatiles, ac duæ valvæ inciſæ, foribus alteris, verſatiles erant*: id eſt, ut in porta templi fecit duo oſtia ex lignis abiegnis, 1 *Reg.* 6: 33. 34. *Ita in porta oraculi ſeu Sancti Sanctorum fecit duas valvas ex lignis oleaginis. Noldius Annot. ad Concord. ar.* 607.

4. Ad navium tabulata.

Ezech. 27: 5. Abiegna *e Senire ædificabant tibi*, Tyre, *omnia tabulata* naupegi. Fuit Senir pars Libani ad Emoræos pertinens, *Deut.* 3: 9. qui etiam ab altitudine Sion adpellatus, *Deut.* 4: 48.

5. Ad hastas et lanceas.

Nachum. 2: 3. Bellatorum *currus cum igne tædarum erunt, quo die inſtruit prælium.* : והברושים הרעלו *& abietes agitabuntur horride.* Abietes, hoc eſt, lanceæ oblongæ ex abietibus confectæ in acie ab haſtatis agitabuntur horride, dum modo attolluntur, modo demittuntur, ex qua concuſſione & vibratione lancearum oritur tremor in illis, qui impetum ſuſtinere nequeunt. *Tarnovius.* Sic pro

haſta abies accipitur apud *Virgilium Æneid. XI.* qua Camilla Volſcorum Regina Eumerium dejecit :

Eumerium Clytio primum patre , cujus apertum
Adverſi longa transverberat abiete pectus.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

DE CUPRESSIS.

BEROTHIM à perpetuo nitore adpellata Cupreſſi ligna. Cupreſſus annoſa. Brathys à Cupreſſi ſimilitudine nomen obtinuit. Bruta Plinii, Salmaſio Sabina minime apta ambulacris. Cupreſſus in Hermone. Ejus proceritas ex minimo ſemine exiſtit. Ejusdem pix & reſina. Lignum odoratum , cœlaturis aptum. Cupreſſum dici lignum Gopher fruſtra contendit Bochartus. Hetz gopher eſt runcina lævigatum lignum.

I. VOCIS ברותים ETYMON.

SUFFRAGAMUR verſioni LXX. Seniorum , Vulgatique & vernaculi Interpretis, qui ברותים in Cypariſſos vel Cupreſſos verterunt. Congruit hæc translatio cum origine & ſenſu vocis. Proxima enim derivatione venit à ברות , quod contractum & deminutum eſt ex בהרות. Accedente ad ברות maſculina pluralis numeri terminatione, (uti factum in במותים vel במותי *Deut.* 32:13. *Jeſa.* 58:14. *Mic.* 1: 3.) excuſum fuit ברותים nitoris perpetui arbores , id eſt, Cupreſſi. בהרות enim collactaneum vocis בהיר ſolis epitheton , clarum & ſplendentem ſignificat. Merito autem à nitore adpellationem habet Cupreſſus , quæ perpetuum ligni nitorem ſervat. *Mutianus* apud *Plinium* refert , valvas ad Epheſiæ Dianæ templum fuiſſe e Cupreſſo , & quadringentis prope annis duraſſe materiem *novæ* ſimilem : addit *Plinius* ; Cupreſſum in eas electum , quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æternus. Poterat quoque deduci ברות à ברה , id eſt, ſelecta , quod ante alias arbores Cupreſſus ad fabrilia opera ſeligeretur , ob immortalitatem materiæ , contra vitia omnia incorruptæ. Itaque ex ipſius materia ſimulacra veteres ſculpebant, *Plinius lib.* 17. *cap.* 40. Nonne ſimulacrum Vejovis in

arce e cupreſſo durat à condita urbe *quingenteſimo primo* anno dicatum.

II. Brathys a Cupressi similitudine nomen obtinuit.

Propter ſimilitudinem cum Cupreſſis inſignitur cognato vocabulo Βράθυς, Sabinæ ſpecies, de qua *Dioſcorides*: Sabina duorum generum eſt. Una foliis cupreſſo ſimilis, ſpinis horridior, acris & fervens: arbor eſt coactæ brevitatis, quæ ſeſe magis in latitudinem fundit. Altera tamaricis folio ſimilis eſt. *lib.* 1. *cap.* 88. De eadem *Plinius:* Petunt in Elymæos arborem brathyn (ſic legendum eſſe docet *Salmaſ. Exercit. Plinian. p.* 260.) Cupreſſo fuſæ ſimilem, ex albidis ramis jucundi odoris accenſam, *lib.* 12. *c.* 17. Cætera plurimum à Cupreſſo differt, materia maxime, corruptioni obnoxia, caduca & fungoſa, & hinc ædificiis nunquam expetita. Fruſtra igitur eam *Tremellius* Regum ambulacris aptam cenſuit verba Cantici *cap.* 1. *℣. ult.* רחיטנו ברותים vertendo: *Ambulacra noſtra ſunt e brutis.*

III. Locus natalis et proceritas.

Nascitur Cupreſſus in Hermone, Libani parte. *Sirac.* 24. 13. *Tanquam Cedrus in Libano exaltata ſunt, & tanquam Cupreſſus in montibus Hermonis.* Eandem in Libano provenire & *Hieronymus* tradit, *comment. in Eſa.* 60. *& Ezech.* 27.

Proceritas arboris eſt in admiratione. Itaque Simon filius Oniæ, Pontifex maximus, comparatur ad nubes exaltatæ Cupreſſo, à *Siracide cap.* 50: 11. In Arcadia apud Pſophidem tantæ proceritatis cupreſſi fuere, ut proximus mons inumbraretur. Auget proceritatis admirationem, perparvulum arboris, ex quo gignitur, ſemen. Minimis id granis conſtat, ut vix perſpici quædam poſſint, non omittendo naturæ miraculo, ex tam parvo gigni arbores, tanto majore tritici & hordei grano, ne quis fabam reputet. Quid ſimile originis ſuæ habent malorum pirorumque ſemina: his principiis reſpuentem ſecures, materiem naſci, indomita ponderibus immenſis præla, arbores velis, turribus muriſque impellendis arietes. *Plin.* 17: 11.

IV. Cupressi pix et resina.

Picem & reſinam Cupreſſi in præſtantiſſimis numerant naturalium rerum æſtimatores. In his *Plinius*: Arborum, inquit, ſucco manantium picem reſinamque aliæ in Oriente, aliæ in Europa ferunt.

runt. Quæ intereſt Aſia, utrimque quasdam habet. In Oriente optimam tenuiſſimamque terebinthi fundunt, deinde lentiſci, quam & maſtichem vocant; poſtea Cupreſſi acerrimam ſapore. Hinc arborem credo a Syris adpellatam כופרא רישא *Pix caput*, id eſt, præcipua, quemadmodum, interprete Chaldæo, בוסמין רישא vocatur, quod in Hebræo בשמים ראש aromata caput, id eſt præcipua. *Exod.* 30: 23.

V. LIGNUM ODORATUM COELATURIS APTUM.

CÆTERUM Cupreſſi odoratum æternumque, lignum ad parietes Regiæ Salomonis contabulandos, poſtiumque & valvarum firmitatem eligebatur, inſignibus ſtrigum atque canaliculorum cælaturis condecoratum, id quod liquet ex *Cant.* 1: ℣. *ult.* quem verſum in hunc modum vertere non dubitem. *Tigna domorum noſtrarum ſunt e cedris, & cœlaturæ noſtræ in Cypreſſis.* Notandum quod in textu ſacro duplex lectio per Maſoretarum *Chetib* inſinuatur, רחיטנו cum ח, & רהיטנו cum ה litera: Et רחיטנו quidem ſine ſuffixo pronominali רחיטים trajectis ſcribitur literis pro חריטים, quod cælaturas vel laqueata opera ſonat, formato nomine ex חרט cælum, ſeu ſcalprum. רהיטים ſunt canaliculi, ſeu cavum columnarum & poſtium. *Vitruvius lib.* 3. *c. ult.* dicit ſtriges excavatas & cavum ſtrigis.

VI. CUPRESSUS NON EST LIGNUM GOPHER.

A ſententia Græcorum & Vulgati ſine cauſa idonea diſceſſit *Sam. Bochartus*, qui Cupreſſum vocari putat גפר, & materiem ejus עצי גפר *Gen.* 6: 14. Duobus autem hoc argumentis probare ſatagit. Uno, quod in Aſſyria vel Babylonia fabricaretur Noachi Arca, ubi nulla fuit materia, quam Cupreſſorum, unde fierent naves. Igitur & ingentem claſſem, quam Babylone conſtruxit Alexander, conſtitiſſe ait ex ſola Cupreſſo. Altera, quoniam vox *Gopher*, ſono proxima ſit vocibus *coper*, *cupar*, *cuper*. Verumenimvero, licet doctiſſimo Viro conceſſerim, e cupreſſis ædificatas aliquas arcæ partes, tamen vocabulo Gopher eam ſignificari, nunquam mihi perſuaſerit, neque iſta fictarum vocum *coper* & *cupar* qualiscunque cum Cypariſſi voce movet me affinitas. Unum vero lignorum genus tam diverſis machinæ partibus fuiſſe commodum, non eſt probabile. Longe verior videtur nobis Septuaginta Seniorum, & Vulgati Interpretis verſio, quorum iſti ligna gopher, ξύλα τετράγωνα, id eſt aſciis in quadrum figurata expoſuerunt: hic autem *ligna lævigata*, runcinis videlicet ac dolabris. גפר enim per ſolitam

ſolitam in Hebraismo literarum ר & פ labialis metatheſin idem ſonat, quod גרף dedolatum ſeu runcina lævigatum. Sic enim dolabram vocat *Plinius lib.* 16. *cap.* 24. de abiete: Eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat inteſtina fabrorum opera aptiſſima; ſive Græco, ſive Campano, ſive Siculo fabricæ genere ſpectabilis, ramentorum crinibus, pampinato ſemper orbe ſe volvens ad incitatos runcinarum raptus. Vetuit nimirum Deus ex infabricata materia conſtrui navem, ad quam ſpes alterius mundi fugiens, reliquum faceret ſemen naturæ noſtræ. *Sapient.* 14: 6. Sed quo firmius inter ſe cohærerent partes, nec immiſſa ſinubus & receſſibus pluvia Noachum cum familia ſua gravaret, omnes in quadrum exaſciatas trabes etiam runcinis lævigare Noachum juſſit. Vera igitur interpretatio: *Fac tibi arcam e lignis dedolatis.*

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

ארז: Cedrus.

CEDRI deſcriptio. Cedrus a firmitate nomen apud Hebræos obtinuit. Ejus diſtinctio, homonymia. Species, ſpectata forma Chriſti. Proceritas, faſtus imago. Proceræ exciſio, internecio Regis Aſſyriorum. Proceritas Cedri comparata cum Emorrhæo. In Cedrum excreſcens turio, Chriſti Servatoris Hieroglyphicum. In Juſto Cedri incrementum. Turio Cedri in Chaldæorum terra poſitus, Regis in captivitatem abducti typus. Cedrorum noxa, vox Domini, ignis, ferrum. Cedros an protulerit Judæa? Cedrorum uſus. Domus Regum Cedrinæ. Tabulata Templi cedrina. Cedrinum Altare. Salomonis cedrina lectica. Cedrinæ mali. Lignum cedrinum in leproſi purgatione. Idem in rogum juncis combuſtæ injectum.

I. Cedri descriptio.

CEdrus, quam a Phœnicia Lyciaque diſtinctam, majorem nominant, crebro in ſacris literis ob magnitudinem atque eximiam ſpeciem celebrata, caudice ſuo reliquas arbores ſupereminet, tantaque eſt craſſitudine, ut imam ejus partem vix hominum quatuor ulnæ complecti queant, & ne quid ad commendationem deſit, omnes alias rectitudine provocat. Cortex qui a ter-

 ra

ra ad primos uſque ramos porrigitur, magna deformis eſt ſcabritie, & rimoſus. Inde vero, ut & in juniori arbore, ab imo ad ſummum uſque, lævis, tenuis, & quum ſuperficie tenus ſcalpitur, virens, quum vero profundius, rubeſcens obſervatur. Rami ab ima fere parte ad faſtigium tam frequentes ſunt, ut ſi primos aſcenderis ad verticem non minus facile quam ſcala poſſis evadere; præterea ſub recta diviſura in cœlum tendunt, & veluti brachia transverſim caudicis lateribus inhærent, ita tamen diſpoſiti, ut illius conſpiciendi copiam faciant, eamque inter ſe proportionem ſervant, ut quo altiores, eo breviores ſint. His tamen tantam natura tribuit rigiditatem, ut ſi quis in anguſtius flectere voluerit, valido crepitu fragiles diſſiliant; minores denique pectinatim filicis modo in majoribus digeruntur. Folia ſunt laricis ſimillima, non decidua, brevia, anguſta, ſummo mucrone rigidiuſcula, non tamen aculeato: illa ex ſingulis ſurculorum tabernaculis quadragena aut quinquagena prorumpunt, pictorum penicillo ſimilia. Odorata ſunt ſubacida, & cum amaroris tantillo adſtringentia. Conos profert cœlum ſpectantes, pineis graciliores, abiegnis majores, craſſiores, binûm digitorum longitudinem prætergredientes, ſubfulvos, obtuſo mucrone, compactili ſquamarum ſtrue coagmentatos, brevi, craſſo, & utrinque pertinaciter affixo inhærent pediculo, ut non niſi abſtracto rami fruſtulo avellantur. *Renalmus Specimine Hiſt. Plant.* Hebraicum Cedri nomèn ארז à firmitate inditum, quam Arabes ſignificant verbo أرز *araza*, vel trajectis literis ſcripto أزر *azara.* Nam & materia cedri, & fructus firmitatem habet, & arbor firmiſſima nititur radice, maxima ſcilicet ſpatio & amplitudine. Indidem derivatum Arabicum nomen أرز *Arzon*, quod, quum ejuſdem ſit originis, formisque Hebraicis duplici ſegol animatis reſpondeat, latioris tamen, in Arabum ſermone, ſignificationis eſt, & quamlibet شجر الصنوبر *Schagro-ſſanaubari*, arborem conferam denotat, cedrum videlicet, pinum & piceam. Itaque cedrum, ut ex Giggejo conſtat, vocitant marem, cujus conus pityibus ſeu ſtrobulis caret, Pinum dicunt fœminam majorem, Piceam vero minorem; idemque ex Malajeſa, qui eſt de materia ſeu ſimplicibus

liber

liber, colligi poſſe ait *Golius*. Rabbini etiam, ſeptem, quæ fingunt Cedri generibus, pinum, piceam, abietem, & cupreſſum anumerant, laricem quoque cedro ſimillimam adjecturi, ſi notuiſſet. Nos aliud diſcrimen cedri non admittimus, quam quod antiquiſſimi Autores *Theophraſtus* & *Dioſcorides* tradiderunt, Majoris, id eſt Libanicæ, & minoris Lyciæ, *ſeu Sabinæ baccifera*, & Phœniciæ, Juniperi magnitudine. Scriptura S. Pinum & Piceam, quod deinceps probabitur, diſtinctis à Cedro vocabulis inſignivit: Cedrum vero majorem, quæ reſinam fundit, ab alia non reſinifera diſtinxit, quod verum eſſe ex iis, quæ ſtatim docebimus, adparebit.

II. Speciosa cedrus cum Christo comparata.

Cant. 5: 15. Aspectus *ejus ut Libani: electus ut Cedrorum.* Aſpectus Servatoris ut arborum Libanicarum eſt jucundus, cedrorum inſtar, quæ vertice conſurgunt in auras ſempiterna virentes coma. Pulcherrimus eſt hominum, *Pſal.* 45. altior cœlis, *Hebr.* 8: 26. æternum vivens, *Ebr.* 7: 25. Fidei oculo ipſum intuentes delectantur, lætanturque illius innocentia, ſanctitate, infinita potentia, majeſtate, gloria, amore & gratia. Imprimis vero Chriſtus cum cedro comparatur *Ezech.* 17: 22. *Sic ait Dominus Jehova Deus: Accipiens ego e ſummo calamo illius cedri proceræ*, ex proſapia Davidis, *reponam* in locum ejus: *e ſummitate tenerorum ramorum ejus tenellum decerpens plantabo ego ſuper montem altum & degeſtum. In monte celſitudinis Iſraëlis plantabo eum, & proferens ramum faciet fructum, & abibit in cedrum magnificam: habitabuntque ſub ea omnes aves cujuſcunque alæ; in umbra palmitum ejus habitabunt.* I. Cedrus eſt arbor procera & excelſa. Hinc de Salomone dicitur, quod Philoſophorum more diſſeruerit, tam de cedris Libani, quam de hyſſopo, qui creſcit ex pariete; ubi ponitur cedrus tanquam arbor altiſſima, & hyſſopus ut frutex humillimus, & indigitatur à maxima arbore ad minimum uſque fruticem, ipſum diſcurſus phyſicos inſtituiſſe. Sicut ergo Cedrus pulcherrima & altiſſima eſt arborum, ita Chriſtus eſt pulcherrimus & altiſſimus inter omnes filios hominum, inter omnes reges terræ, nec inter homines tantum, ſed & inter Angelos. *Caſſiodorus in Cant.* 5. Sicut cedrus pulcrior eſt & procerior cæteris arboribus: ſic Chriſtus excellit omnes Sanctos gratia divinitatis, intentionis puritate, & converſationis ſanctitate, & *Aponianus in hunc loc.* Cedrus radicem ſuam terris, comam nubibus inſerit; ſic Chriſtus per patientiam & humilitatem in-

inſtar Cedri exaltatus eſt. II. CEDRUS eſt arbor robuſta, cujus lignum tam firmum & durabile eſt, ut apud nos quernum haberi ſolet. Accommodat hoc ad Meſſiam, Chaldaica paraphraſis, quando ait: Paratus eſt Meſſias, ut faciat victorias in bello, contra populos, qui transgrediuntur verbum ejus, ſicut juvenis fortis, qui robuſtus eſt, velut Cedrus. Inde nominatur *El-gibbor*, *Jeſ.* 9: 6. Gigas geminæ ſubſtantiæ, *Pſal.* 19. qui poteſt confringere cedros Libani *Pſal.* 29. hoc eſt, omnes excelſos & potentes in mundo, qui ſe regno ipſius opponunt. III. CEDRUS eſt arbor incorruptibilis & lignum ejus imputreſcibile, qua de cauſa præ aliis omnibus electum fuit ad ædificium templi Salomonæi, ut ſcilicet eo fieret durabilius: ita Chriſtus liber eſt & immunis, ab omni corruptione & putredine peccati; inde & impoſſibile erat ipſum a morte retineri *Act.* 2. & carnem ejus videre corruptionem, *Pſal.* 16. & cum jam a mortuis reſurrexit, non amplius moritur, *Rom.* 6. qui & noſtra corpora olim in reſurrectione reddet incorruptibilia, 1 *Cor.* 15. IV. CEDRUS eſt arbor jucundi odoris: Ita Chriſtus edidit de ſe fragrantiam & ſuaviſſimum odorem, cum doctrinæ, tum vitæ, tum etiam paſſionis amariſſimæ, in qua ſe obtulit Deo patri in odorem ſuavem, *Epheſ.* 5: 2. V. CEDRUS perpetuo viret, in media etiam hyeme, ut apud nos abietes: Ita Chriſtus eſt lignum ſemper viride, *Luc.* 23. Eſt hæc arbor, ut ita dicam, per ſecurim mortis exciſa e terra viventium, & tamen permanſit viridis in media morte, demonſtrans in reſurrectione, quod virentem divinitatis ſuæ virtutem etiam in morte non amiſerit. Nec ſolum viridis eſt per ſe, ſed & nobis ſua paſſione & reſurrectione promeruit, ut velut Cedri Libani perpetuo vireamus & floreamus. *Pſal.* 92: 13. 14.

III. PROCERITAS CEDRORUM SUPERBIÆ ET FASTUS IMAGO.

Jeſa. 2: 12, 13. DIES *Domini Dei exercituum*, id eſt, judicium deprimentis Dei, *contra omnem ſuperbum & excelſum*, *& contra omnem elatum*; *ut demittatur*; *& contra omnes cedros Libani celſiſſimas & elatiſſimas*, *& contra omnia robora Baſanis*, id eſt, faſtuoſos Reges & Principes, viribus ac divitiis ſuis confidentes.

IV. CEDRUS EXCISA, PEREUNTIS AD INTERNECIONEM ASSYRIÆ REGIS EMBLEMA.

Ezech. 31: 3. ECCE *Aſſur*, *Cedrus in Libano pulcher ramis &*

fronde

fronde umbroſa, & procera ſtatura, cujuſque lanugo exſtitit inter craſſos ramos. Aſſyrii magnitudinem parabolice deſcribit, vocans eum Cedrum Libani pulchram, frondoſam, ita *ut umbram faceret*, hoc eſt, multos protegeret; *proceram ſtaturam*, hoc eſt, potentiorem & eminentiorem omnibus Regibus & Principibus. *Quodque ejus tenerrimi rami, & quaſi lanugo exſtiterit inter craſſos ramos*, hoc eſt, quod infirmiſſima ipſius fuerint, ut firmiſſima aliorum Principum & Regum.

℣. 4. *Quem aquæ amplificarunt, abyſſus extulit, quæ fluvios ſuos circumiens plantationem ſuam & elices ſuos mittebat ad omnes arbores agri.* Perſeverat in allegoria, qua docet ſingulari Numinis favore, ſingulari felicitate fuiſſe Regem auctum, non aliter, ac ſi abyſſus aquas ſuas, & aquæductus ſuos, ſive elices ſuos propter ipſum, ut cedrum altam ad omnes alias arbores effudiſſet; hoc eſt, quaſi divina benedictio & abundantia divinarum opum ad amplificandum Aſſyrium redundaſſet in totum mundum, in omnes gentes & regna. Hoc igitur eſt, quod Propheta hic adumbrat eleganti emblemate. Ut rivi aquarum arborem aut hortum faciunt germinare, virere, creſcere, florere, invaleſcere arbores, ita Abyſſus tota, id eſt, totus mundus alit homines, populos, regna, & cujus eſt inter homines ſumma poteſtas, ei videtur cœlum & terra alere reliquos omnes homines, ut illi ſint ornamento & decori.

℣. 5. *Propterea exaltata eſt proceritas ejus præ omnibus arboribus agri, & creverunt rami ejus & prolongati ſunt termites ejus ab aquis multis, cum emitteret.* Enarratur Aſſyrii celſitudo præ omnibus arboribus agri, hoc eſt, eminentia ſupra omnes reges: multitudo ramorum ejus, hoc eſt, multitudo principum ac dynaſtarum ab ipſo dependentium; prolixitas termitum, hoc eſt, lata dominatio Satraparum. Quæ omnia dicuntur extitiſſe de aquis multis, hoc eſt, a continua ſuppeditatione beneficiorum divinorum ad perpetuam felicitatem. Addit, *quum emitteret*, ſignificans nullos ramos ab illo ſtipite protruſos eſſe, qui non convaluerint & in longum extenſi fuerint. Innuens quotquot ab Aſſyrio Rege mitterentur ad ſubjiciendum populos, id ſumma felicitate peregiſſe, & illorum imperium fuiſſe validum, firmum, late patens & diuturnum.

℣. 6. *In ramis ejus nidulatæ ſunt omnes volucres cœli, & ſub termitibus ejus pepererunt omnia animalia agri, & in umbra ejus conſidebant omnes gentes amplæ.* Notatur hic magnorum & parvorum

conſenſus in id imperium, quod ſcilicet ſibi gratulati ſint propter pacem, protectionem, bonum ordinem, felicitatem procuratam per illud imperium.

℣. 7. *Et pulcher factus eſt magnitudine ſua, longitudine ramorum ſuorum; quia erat radix ejus apud aquas multas.* Pergit in explicanda Aſſyrii tum altitudine, tum longitudine ramorum; tum quod in ea magnitudine & latitudine fuerit amabilis vel ζηλωτὸς & invidendus. Atque ejus rei cauſa dicitur, quod radix ejus ad aquas multas fuerit, hoc eſt, quod multorum populorum opibus ſuſtineretur, volentium hoc imperium firmum eſſe & permanere. Cogitandum eſt hic regibus & principibus de vera ſua pulchritudine. Emblema ipſum, quo utitur prophetia, hoc docet. Pulcrum eſt regibus, ſpectari in ipſis amabiles virtutes, tanquam virorem aliquem, imprimis clementiam & juſtitiam. Vitioſus rex eſt ut arbor frondens, cujus folia exederint erucæ, araneis & vermibus obſita. Pulcrum eſt regibus præbere umbram & ἀνάψυξιν confugientibus ad ſe. Pulcrum eſt patere & eſſe obvium miſeris, & illis quaſi brachia expandere & manus tendere ad eos recipiendum. Pulcrum eſt omnes miniſtros habere iiſdem virtutibus præditos & ſplendentes, atque, ut in quovis ramo indoles arboris cernitur, ita in quovis miniſtro cerni indolem Regis. Pulcrum eſt regem & miniſtros non eſſe terribiles bonis, non graves ſubjectis. Hæc eſt ratio creſcendi & invaleſcendi. Nam qui accedunt, fiunt ut rami arboris. Hæc pulchritudo a radicibus provenit. Tutiſſimum regibus eſt radices agere in populi benevolentia; atque, ut ea ſit ſincera & perpetua, facere cives bonos. Nam a malis civibus, nulla fides, nulla benevolentia, nulla opitulatio, in neceſſitate poteſt exſpectari. Quod cum ita ſit, apparet, ut ſocietatis hominum finis eſt pietas ac charitas, omnium virtutum fons & compendium, ita munimentum & firmamentum principatus unicum, eſſe virtutem & charitatem civitatis, quæ abſque pietate conſiſtere non poteſt.

℣. 8. *Cedri non operuerunt eum in horto Dei, abietes non fuerunt ſimiles ramis ejus, & platani non fuerunt ut termites ejus: nulla arbor in horto Dei ſimilis fuit ipſi in pulchritudine ſua.* Comparatur Aſſyrius cum aliis principibus & proceribus mundi, quorum nullus ejus altitudinem ſuperaverit, vel etiam adæquaverit majeſtatem regum ab ipſo dependentium. Principes vocantur *arbores in horto Dei.* Mundus hic eſt quaſi hortus abundans divina plantatione ad om-

omnem utilitatem, & ad omne decus. Quanquam principes omnes non ſint plantatio ad ferendum fructum Deo, tanquam præditi vita Dei, tamen ſunt divina plantatio ratione officii & poteſtatis, quam quiſque accepit. Sunt arbores plantatæ in horto Dei, ut protegant homines tanquam umbra ſua, & bonis ſuis illos cibent, ſive præſtent illis omnium rerum bonarum & utilium copiam; maxime vero ſapientiæ & cognitionis, ut vivere poſſit quiſque vitam homine digniſſimam. Confer *Dan.* 18: 19.

℣. 9. *Pulcrum ipſum feci in multitudine ramorum ſuorum, & inviderunt ipſi omnes arbores Eden, quæ erant in horto Dei.* Tandem claudit deſcriptionem pulchritudinis Aſſyrii, oſtendens primo eam opus Dei fuiſſe; ſecundo eam tantam fuiſſe, ut omnes arbores Eden, hoc eſt, principes in horto Dei (quem παράδεισον vocamus) ei inviderint, hoc eſt, ſibi viles viſi fuerint in oculis ſuis, præ ipſius majeſtate, & ea re doluerint. Significatur obiter animus regum hujus mundi. Invidi ſunt, qui res humanas amant, dolent aliis adeſſe, quod ipſi non habent; vel etiam ſoli volunt eminere, ſoli eſſe aliquid, ut dicitur de Babylone, quod dixerit, Ego, & præter me nihil. Quæ res mirifice turbat genus humanum. Quum tamen longe melius ſit plures habere, & in commune conferre multa bona, quam unum poſſidere omnia, qualiacunque ea ſint bona. Quum impoſſibile ſit, unum ſi habeat omnia bona, illa poſſe exercere. Quum, ubi exerceri non poſſunt, inutilia ſint, atque adeo tanquam non bona habeantur.

℣. 10. *Quapropter (ſic dicit Dominus, Jehova Deus: quandoquidem exaltatus es proceritate) & dedit lanuginem ſuam uſque inter craſſos ramos, & elatum eſt cor ejus in altitudine ſua,* ℣. 11. *& dabam ipſum in manum dynaſtæ gentium, qui faciendo faciebat ipſi; in improbitate ipſius expellebam ipſum.* Hic exponitur peccatum Aſſyrii, præmittitur autem ratio indicandi Ægyptio, tum peccatum, tum judicium Aſſyrii, *quia exaltatus es ſtatura*, quaſi dicat neceſſe eſt admoneri te de caſu Aſſyrii, quandoquidem etiam tu ad faſtigium & culmen honoris & dignitatis evectus es. Oratio dirigitur ad Ægyptium: confer ℣. 2. Omnes, qui in ſublimi collocati ſunt, habent opus, ut admoneantur, ne efferant ſe & evaneſcant. Facile eſt hyperbaton in verbis Prophetæ, quod per ſigna parentheſeos notavimus. Ordo verborum eſt: *Quapropter*, quia ſcilicet tam pulcher extitit, *& dedit lanuginem ſuam inter ramos, & exal-*

tatum

tatum eſt cor ejus. Πολυσύνδετον. Caſus Aſſyrii eſt in peccato & in judicio. Peccatum eſt elatio & ſuperbia. *Dare lanuginem ſive infirmos ramos inter ramos craſſos*, eſt ſecurum eſſe, non timere propter infirmitatem ſuam, ſed infirma ſua firmiſſimis æquiparare. Judicium: dabam ipſum in manum potentis gentium, nempe Babylonii, *qui fecit cum ipſo*, omnia ſcilicet pro lubitu. Sic *facere* pro omnia facere in Scripturis aliquoties: ut *Eſa.* 44: 23. *Pſal.* 22: 32. 52: 11. *Dan.* 11: 30. *Apoc.* 13: 5.

℣. 12. *Et exciderunt eum peregrini, violenti gentium, & omiſerunt eum: in montes & in omnibus declivitatibus ceciderunt rami ejus, & frangebantur termites ejus in omnibus cavis terræ, & omiſerunt eum.* ℣. 13. *Super prolapſo* (ſuper ruina) *habitabant omnes volucres cœli, & ſuper termitibus ejus exſtiterunt omnia animalia agri.* Everſio imperii ejus ſignificatur ſimilitudine exſciſſionis arboris. Alieni, violenti gentium, exciderunt & omiſerunt eum, hoc eſt, proſtratum reliquerunt, cum omnibus ramis, hoc eſt, principibus & ab ipſo dependentibus. Unde oſtendit conſequutam eſſe fugam populorum terræ, & invaſionem rerum ipſius, & poſſeſſionem per alios, qui comparantur volucribus cœli & animalibus terræ, ita, ut ii, qui, ipſo regnante, fuerant potentes, aliorumque domini, fierent omnium viliſſimi & omnium ſervi. Solent enim reges victores, duces victis dare ex ſuis.

℣. 14. *Ne exaltentur proceritate ſua arbores aquarum, & dent lanuginem ſuam uſque inter craſſos ramos, & non conſiſtant dynaſtæ* (aut robuſti) *ipſarum in altitudine ſua, omnes bibentes aquam; quia omnes datæ ſunt in mortem, in terram inferiorum, in medio filiorum hominis, ad deſcendentes in foveam.*

Finem hujus judicii declarat, ut alii Reges & Principes metuant, *& non exaltentur in proceritate ſua*, hoc eſt, cum alti ſint, etiam ſe altos & celſos, aut omnino aliquid eſſe putent; *& non dent lanuginem ſuam inter ramos, & non ſtent illorum potentes altitudine ſua.* Vocantur autem tales Principes *Arbores aquarum*, bibentes aquam. Hic eſt ἐξευτελισμὸς, quo oſtendit illos minime eſſe αὐτάρκεις, neque ſubſiſtere per ſe, ſed aliunde habere ſuppeditationem; nempe qui alantur pane, quem pluvia educat. Additur communis regula, illo exemplo ſtabilita, *omnes dari in mortem*, in terram inferiorem, in medio filiorum hominis, hoc eſt, viliſſimorum quorumque ad deſcendentes in foveam, quæ phraſis excidium & interitum,

ritum, ignominiam, vilitatem, & dira exempla ſignificat. Et hæc quidem evidentia ſunt in cunctis regnantibus. Homines ſunt. Anima in naribus ipſorum. Moriuntur; tum pereunt ſplendidæ ipſorum cogitationes. *Pſal.* 146: 3, 4. Quid igitur eſt quod quærunt? cum periculo vitæ, cum pernicie multorum? Qui poterant pie & pacate vivere, nunc in morte æquantur viliſſimis; & gaudent homines quum cadunt, & nemo de ipſis cogitat, niſi ut de malis beſtiis. Quæ cum faciat Deus coram hominibus, quid non facturus eſt illo die?

℣. 15. *Sic dixit Dominus Jehova Deus: quo die deſcendit in infernum luctum feci, texi propter ipſum abyſſum, & coercui fluvios ejus, & cohibitæ ſunt aquæ multæ, & atrore indui propter ipſum Libanum, & omnes arbores propter ipſum obnuptæ.* Redit ad plagam Aſſyrii, ut amplificet ipſius enormitatem: nempe caſum ejus conjunctum fuiſſe cum luctu, cum conturbatione ſtatus omnium populorum, non aliter ac ſi omnes arbores exareſcerent, ſubductis aquis & fluviis abyſſi. Quando ita ſtulti ſunt populi, ut benedictionibus Dei abutantur, & brachio humano confidant, ad laſciviam, ad injuſtitiam, & pravitatem ut aquam bibant, Deum non invocent, & ab ipſo non exſpectent vera bona: tum & Reges & regna pereunt, & luctu cooperiuntur, & benedictiones Dei auferuntur & transferuntur in alios.

℣. 16. *A voce ruinæ ejus feci commoveri gentes, cum eum deſcendere facerem in infernum, cum deſcendentibus in foveam, & conſolationem perceperunt in terra inferiori omnes arbores Eden, electiſſimum & optimum Libani, omnes bibentes aquam.* Caſum ejus dixit fuiſſe conjunctum cum luctu, item gentes ex ſono ruinæ ejus, cum detruderetur in infernum, cum deſcendentibus in foveam, ſcilicet ad eum modum, quo homines vivi & ſtantes proſternuntur & tolluntur: Item id conſolationi fuiſſe omnibus arboribus Eden, hoc eſt, omnibus hominibus viſum eſſe, melius actum cum aliis principibus, qui ad iſtam altitudinem non proceſſerint, & tam terribili exemplo non fuerint extincti.

℣. 17. *Etiam illi cum ipſo deſcenderunt in infernum ad confoſſos gladio, & brachium ejus, qui ſederunt in umbra ejus, in medio gentium.* Quibus ſcilicet nhil acciderit, quod non & Aſſyrio acciderit. Tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant. Talis proſopopœia eſt. *Eſai.* 14: 9. Nota obiter, qui ſederunt ſub umbra e-

jus in medio gentium, brachium ejus vocari, quia populi ſunt potentia Regum: vel per brachium ejus intelliguntur homines ipſius, per quos imperium exercuit, qui ſub nomine & autoritate ipſius tuti inter gentes egerint.

℣. 18. *Cui aſſimilatus es ita, gloria & magnitudine in arboribus Eden? & detruderis cum arboribus Eden in terram inferiorem; in medio præputiatorum cubabis, cum confoſſis gladio. Hic Pharao & omnis turba ejus dictum Domini Jehovæ Dei.* Pronunciat Pharaonem, ſive huic ſive alii extiterit ſimilis aut par, detruſum iri cum arboribus Eden in terram inferiorem, & in medio præputiatorum, ſive exſortium regni Dei & communionis populi ejus, cuibturum cum confoſſis gladio. Denique tanquam tumulo ipſius inſcribit nomen ejus ut ſepulti: Hic eſt Pharao & omnis turba ejus. *Ita hoc vaticinium expoſuit Coccejus Commentario in Ezechielem.*

V. CEDRORUM PROCERITAS COMPARATA CUM EMORÆO.

Amos. 2: 9. QUAMVIS *ego perdiderim Emoræum a facie ipſorum, cujus altitudo ſimilis erat altitudini cedrorum, & robuſtus erat ut robora, perdiderimque fructum ejus ſuperne & radices ejus inferne. Perdiderim a facie eorum*, à conſpectu Iſraëlitarum *Amoræum* Ogum, Baſanitidis Regem, ſtupendæ proceritatis, *cujus altitudo ſimilis erat altitudini Cedrorum*, non diſſimilis gigantibus Cananæorum, cum quibus collati in Cananæam miſſi exploratores, ipſi ſibi locuſtæ eſſe videbantur. *Num.* 13: 32: 33. Ferreus Ogi lectus longitudine novem cubitorum, latitudine quatuor, & quidem virilium, Rabbæ Ammonitarum metropoli monſtrabatur. *Deut.* 3: 11. *Perdiderim fructum ejus ſuperne*, liberos & populum: *& radicem ejus inferne*, hoc eſt, reliquias gentis, quæ denuo propagare gentem poterant, funditus exſtirpatas eſſe. E radice enim ſtolonibus ſurculiſque natis, ſuccisa etiam arbor repullulat. *Job.* 14: 7.

VI. IN CEDRUM EXCRESCENS TURIO, CHRISTI SERVATORIS HIEROGLYPHICUM.

Ezech. 17: 22. *Sic ait Dominus Jehova Deus; Accipiens ego e ſummo calamo Cedri proceræ*, nepotem ex regia Jeconiæ familia, *dabo*, hoc eſt, , fundabo ſeu ſtabiliam, (Hanc eſſe vim verbi נתן patet e collatione locorum parallelorum, 2 *Chron.* 33: 8. & 2 *Reg.* 21: 8. in quibus נתתי poſitum eſt loco העמדתי) *e ſummitate tenerorum ramorum*, ex ultima Jeconiæ Regis poſteritate *tenellum decer-*

pen-

pens Chriſtum e Virgine recens natum, aſſumens plantabo ego ſuper *montem altum & egeſtum*, ſuper omnes dominatus & principatus extollam, primogenitum & excelſum ſupra reges terræ conſtituens. *Pſal.* 89: 28. *In monte celſitudinis Iſraëlis*, in monte domus Domini, hoc eſt, in Templo Hieruſolymitano, in Moria monte, in quo Domino fuit oblatus, in quo denique Spiritus Sanctus in Apoſtolos effuſus de ipſo teſtabatur, *plantabo eum*, cognitionem ejus in animos inſeram, *& proferens ramum faciet fructum*, futurus hominum ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemtio, *& abibit in Cedrum ingentem*, Rex Regum erit & Dominus dominantium; amplitudini principatus & pacis ejus nullus erit finis. *Jeſa.* 9: 6. *Ut habitare queant ſub ea omnes alites cujuſcunque alæ*, magnæ & parvæ; Judæi & gentes ad ipſum acceſſuri præſidium ac ſalutem invenient. *Ita experientur omnes arbores agri*, omnes gentium reges, me eſſe Jehovam, me, ſemper exiſtentem Deum, exaltare arborem dejectam, exaltare humilem Davidis ſtirpem: *exſiccare arborem virentem*, profligare eos, qui animi faſtu inſoleſcunt, ac deturbare potentes de ſoliis, *& facere, ut floreat arbor ſicca*, ut refloreſcat familia Davidis pene exſtincta: *Ego Jehova dixi, & faciam*, ſtabile, fixum & ratum erit decretum meum.

VII. Justus Cedri incremento auctus.

Pſal. 92: 13. Justus *ut Cedrus in Libano creſcet*, hoc eſt, nunquam non in recte factis, in fide & cognitione Dei incrementa capiet.

VIII. Cedri turio in Chaldæorum terra positus, Regis Judæ similitudinem habet.

Ezech. 17: 3. Aquila *quædam maxima, magna alis, alatiſſima, plena plumis, cui eſt ſpecies artificioſiſſima*, hoc eſt, majeſtate, viribus, potentia, & opibus cunctis regibus ſuperior, Rex Chaldæorum, *veniens ad Libanum, deſumſit calamum ſummum Cedri*: hoc eſt, veniens in Judæam regno privavit ejus Regem. Libanus eſt Judæa, Cedrus Judææ regnum, poſt hanc decacuminationem, ut detracto cacumine cedrus, brevi interiturum: Calamus ſummus ſive turio, teneræ ætatis, duodeviginti annorum Regem Jeconiam denotat. ℣. 4. *Summitatem ramorum ejus decerpſit, & deferens illam in terram negotiatoriam, in civitate aromatariorum poſuit eam*, hoc eſt, principes & eximios viros ab adminiſtratione rerum

Babylonius removit, & deportatos in Chaldæorum terram, qui mercaturam ſtrenue cum Arabibus, Perſis & Indis exercent, Babylone poſuit, urbe, cujus cives laudatiſſimorum aromatum uſu luxuriam ſuam fovebant.

IX. CEDRORUM NOXÆ.

α. VOX DOMINI, tonitru, fulmine conjunctum. *Pſal.* 29: 5, 6. *Vox Domini confringit cedros, perfringit etiam Dominus cedros Libani; & facit ut exiliant ſicut vitulus, Libanus & Syrion ut pullus rhinocerotum. Facit, ut exſiliant*, hoc eſt, fragor fulminum tonitruumque, concuſſa terra, faciunt, ut efferantur, & exſultent cedri, ut Libanus & Sirjon, pars Libani, qua ſpectat Amoræos, id eſt, per metonymiam continentis, ut arbores horum montium à radicibus ſuis fulminum ictu convulſæ per præcipitia volutæ inſtar vituli aut pulli rhinocerotum exſultant. β. IGNIS. *Jerem.* 22: 7. *Præparabo contra te perditores, quemque cum inſtrumentis ſuis, qui cædent lectiſſimas cedros tuas, ac dejicient in ignem. Zach.* 11: 1. *Aperi Libane januas tuas, ut comedat ignis cedros tuas.* O Hieruſolyma, quæ propter ædium magnificentiam & multitudinem, Libani cedris conferri potes, *aperi januas tuas, ut abſumat ignis cedros tuas*, aditum hoſtibus præbe, qui ædes tuas incendio conſumant. Impletum fuit vaticinium in ultimo urbis excidio. γ. FERRUM. *Jeſa.* 33: 9. *Puduit Libanum*, vel *erubuit Libanus, nudatus cedrorum ornatu, quas in uſum belli Aſſyrius exciderat.* Fuit, quum Cedrorum copia redundaret Libanus, earumque materia non ſaltem privatorum ædibus, ſed & Regum Tyriorum, Deorumque delubris, imo Dei Ter Opt. Max. condendo templo magnifico ſufficeret. Quo fine Salomo, Hebræorum Rex putatores in Libanum miſit octuageſies mille viros, ſeptuageſies mille bajulos, & qui præeſſent illis ter mille ſexcentos 2 *Chr.* 2: 2. & 18. His Hiramus Rex Tyri addidit innumeros, quibus alendis miſit Salomo tritici excuſſi coros vicies mille, id eſt, medimnos octies mille achtzehn tauſend Scheffel, totidem hordei coros, & bathos vini vicies mille, hoc eſt, plauſtra centum octoginta ſeptem, urnas tres, hundert und ſieben und achzig fuder und drey eimer. Cæſis in Libano per tot ſecula cedris, deficiente priſtina ſoli ubertate, aliæ ſuffectæ non ſunt, ac ætate noſtra exhauſtus Libanus, ut Propheta loquitur, erubeſcit. Teſtantur enim qui in Terra Sancta peregrinati ſunt vix decem in Libano reperiri cedros, *Teſenotius Itiner. Orien-*

Orientis lib. 2. *cap.* 60. tres & viginti, *Laurentius Rauwolfius* viginti quatuor numeravit. *Itinerar. pag.* 280.

XI. Cedros an Judæa protulerit?

Videtur hoc tradidiſſe Scriptor *lib.* 1 *Reg.* 10: 27. & 1 *Chr.* 1: 15. *&* 9. 27. qui Salomonem ait, *reddidiſſe cedros ut Sycaminos, quæ creſcunt in loco depreſſo, multitudine.* Sed mens Scriptoris Sacri non eſt tanta ubertate proveniſſe in Judæa cedros, ut multitudinem ſycomororum in vallibus provenientium æquarint: intimat ſolum materiam cedri, Davidis & Salomonis Regum cura, ex Libano advectam, tam vulgaris & promiſcui uſus fuiſſe, quam ſycomororum. Non tamen negaverim in Judæa ſatas fuiſſe cedros. Niſi enim fallit nos Thalmudis Hieruſolymitani compilator, duæ cedri eximiæ erant ad montem Oliveti (quem inter & labitur torrens Kidron) ſub una quarum erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes neceſſaria; ex altera produxerunt unoquoque menſe quadraginta ſeas columbarum, unde ſuppetebat fœminis omnibus purificandis. Ab his aut aliis forte ad Kidronis margines plantatis, veriſimile eſt D. Joannem Torrentem hunc appellaſſe χείμαῤῥον τῶν κέδρων, & apud Joſephum vallem dici τὴν κεδρῶνα φάραγγα, quomodo montem Oliveti oleis conſitum, ἐλαιῶνα & δαφνῶνα palmetum, & πλατανῶνα platanetum, vocant. Cedrus alioquin montes amat, & in his ſponte proveniſſe creditur; ad aquas autem humana opera plantatum incrementum cepiſſe liquet ex *Num.* 24: 6. Ut valles extenduntur *Iſraëlitæ*, ut horti juxta flumen; ut cedros majores plantavit eos Dominus, ut cedros juxta aquas. De Cedro in Libano nata *Ezechiel* ſcribit: *Aquæ educaverant eam, abyſſus extulerat eam, fluentis ſuis* abyſſus *obibat circumquaque plantarium ejus, & aquæductus ſuos mittebat ad omnes arbores agri cap.* 31: 11.

XI. Cedrorum usus, Regum domibus dant utile lignum.

2 *Sam.* 7: 3. *&* 1 *Chr.* 17: 1. Dixit *Rex Nathani Prophetæ; vide quæſo, ego habito in domo cedrina; dum arca Dei habitat inter aulæa.* Miſerat enim Rex Tyri legatos ad Davidem; lignaque cedrina & fabros lignarios & latomos, qui exſtruxerunt domum Davidi. 2 *Sam.* 5: 15.

Domus saltus Libani.

1 *Reg.* 7: 2. Ædificavit Salomo domum ſaltus Libani centum

cubi-

cubitorum longitudine, & quinquaginta cubitorum latitudine, & triginta cubitorum altitudine: ſuper quatuor ordines columnarum cedrinarum, & trabes cedrinas impoſitas columnis. Salomo bauete ein hauß vom walde Libanon / 100. ellen lang / 50. ellen breit / und 30. ellen hoch / auf 4. riegen von cedern / und von balcken auf die cedern gelegt. Und ein dach von Cedern / oben über den gezimmern / und über den ſaülen / welcher waren 45. je 15. in einer Riege. Domus ſaltus Libani adpellata eſt, quod reliquas domus omnes materiæ cedrinæ e Libano petitæ copia ſuperaret, armorum ornamentorumque plena, & Templi tantum magnificentia & laxitate inferior. In ipſa enim ducentos clypeos, ex aureo malleato, ingentis ponderis, & vaſa aurea à Salomone aſſervata legimus 1 *Reg.* 10: 16. 17. 21. Condita fuit in monte Sion, non, ut quidam opinati ſunt in ſaltu Libani. In eadem quippe Roboamus clypeos repoſuit æreos, quos aureis à Siſako Rege ablatis ſubſtituit, 1 *Reg.* 24: 26. Nec veriſimile eſt quicquam in Libano tenuiſſe Roboamum, à tempore, quo decem Tribus ad Jeroboamum defecerant. Itaque Aſſyriorum Rege Judæam vaſtante, & Thartane ipſius Duce cum ingentibus copiis Hieruſolyma obſidente, 1 *Reg.* 18: 17. reprehenduntur Judæi, quod, neglecto Deo, requirerent arma domus ſaltus. *Jeſa.* 22: 8.

XII. TABULATA TEMPLI CEDRINA.

1 *Reg.* 6: 9, 10. ÆDIFICATA *domo & abſoluta, obtexit Salomo domum, lacunas*, ſcilicet, *& plana cedris. Ædificavit pavimentum circa totam domum, quinis cubitis altitudine ſua, quam adjecit domui lignis cedrinis. Pavimentum*, Hebr. יציע ſubſtratum. Ita adpellatur ſolum & tabulatum adjectum undique templi parietibus, quod in imo erat quinque cubitorum, in media regione ſex, & in tertia ſeptem. Vid. *Ezech.* 41: 6. *Coccejus.* 1 *Reg.* 6: 15, 16. *Contabulavit muros domus intrinſecus tabulis cedrinis à ſolo domus, uſque ad muros tegminis*, id eſt, ad muri ſummam partem, cui incumbit tegmen, *obduxit ligno intrinſecus: obduxit etiam ſolum ipſum tabulis abiegnis. Contabulavit vero viginti cubitos ad latera domus, tabulis cedrinis, à ſolo uſque ad ipſos muros; contabulavit*, inquam, *ipſi intra adytum in Sancto Sanctorum.* ℣. 18. *Et ad cedros domus* adyti *intrinſecus erant inciſi fungi & aperti flores; omnia erant cedrina; nullus lapis conſpiciebatur.*

XIII. CEDRINUM ALTARE.

1 *Reg.*

1 *Reg.* 6: 35. Obduxit *etiam auro aſſervato altare cedrinum*, & ℣. 22. *Similiter totum altare illud, quod erat ad adytum obduxit auro.* Altare ſuffitus intelligitur, quod in Tabernaculo factum e lignis Sittim, hoc eſt, Acaciæ materia.

XIV. Tabulæ cedrinæ in muro atrii.

1 *Reg.* 6: 35. Postea *ædificavit atrium interius tribus ordinibus cæſorum lapidum, & ordine ſectarum cedrorum.* Humilis, nimirum, erat murus ex triplici quadratorum lapidum ordine conſtitutus, & ſuperpoſiti aſſeres cedrini, nec latiores, nec anguſtiores muro. Is enim tres tantum cubitos altus, proſpectum populo liberum permiſit, ut quæ intus in atrio agerent, Sacerdotes ſpectarent.

XV. Dicasterium Salomonis cedro tectum.

1 *Reg.* 7: 7. Porticum *Tribunalis, ubi judicabat, porticum judicii fecit: Tribunal obtectum erat Cedro, a ſoli una parte ad alteram.*

XVI. Murus atrii circa Regiam Salomonis cedrinis tectus trabibus.

1 *Reg.* 7: 12. Atrio *magno*, ubi Porticus Tribunalis, *circumquaque tres erant ordines lapidis cæſi, & ordo trabium cedrinarum, ſimiliter Atrio domus Domini, interiori, & porticui ejusdem domus.*

XVII. Salomonis cedrina lectica.

Cant. 3: 9. 10. Lecticam *paravit ſibi Rex Salomo, ex lignis Libani, cujus columnas fecit argenteas, cujus ſtratum aureum, cujus ſtragula purpurea; cujus interiora pavimentata amore a puellis Hieruſolymitanis.* אפריון, φορεῖον, vel Arca gloriæ, lectica. Excuſum eſt nomen hoc ex ארין פארין Arca gloriæ. Lectica Salomonis e lignis Libani facta, hieroglyphicum eſt amoris & gratiæ Jeſu Chriſti perpetuæ. Columnas ejus fecit argenteas, verbum dedit argenti inſtar puriſſimum, *Pſal.* 12: 7. ſpei firmiſſimum fulcrum. Stratum aureum ſunt promiſſiones divinæ, quibus fides nititur. Stragulæ purpureæ ſanguineum notant Sponſi meritum, quo peccata teguntur. Interiora pavimentantur amore a puellis Hieruſolymitanis, hoc eſt, intimam Dei gratiam & amorem, celebrant fidelium animæ, ſuperioris Hieruſolymæ filiæ. *Gal.* 4: 26.

XVIII. Cedrini navium mali.

Ezech. 27: 5. Cedrum *e Libano accipiebant (Tyrii, cives tui) ad parandum malum navis in te.* Nec ad malos tantum, ſed ad integrarum navium ſtructuram cedro uſos fuiſſe reges, memoriæ proditum. Autor eſt Suetonius Cajum Caligulam de Cedris fabricaſſe libur-

liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magna thermarum & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus diſcumbens de die inter choros & ſymphonias, litora Campaniæ peragraret. *Plinius* quoque refert, Reges in Ægypto ac Syria, ad naves conficiendas uſos eſſe cedro, inopia abietis; & *Diodorus* teſtis eſt, *in lib. II. Biblioth.* ex cedris naves ingentes fabrefactas fuiſſe a Regibus Ægyptiacis.

XIX. CAPSÆ CEDRINÆ.

Ezech. 27: 8, 9, 10. GAZÆ *gentium barbararum in ſuperioribus* Aſiæ *habitantium, funibus circumligata, includuntur cedrinis capſis, in mercatu Tyrio.*

XX. CEDRINI TABULATI JANUA.

Cant. 8: 8, 9, 10. SOROR *nobis eſt parva*: Sunt verba Chriſti Redemtoris ad Eccleſiam Judaicam, de Eccleſia nova gentilium. Parvulam dicit, ut Apoſtolus infantem ſive νήπιον, in doctrinæ Chriſtianæ elementis non plene inſtitutum, Hebr. 5: 13: 14. qui non occurrit in unitatem fidei & agnitionem Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. *Epheſ.* 4: 13. *Cui nondum ſunt ubera*, ineuntis ac teneræ ætatis eſt, qua virginum ubera non tument. Nondum Evangelii lacte nutrire alios poteſt, ipſa etiamnum lacte, non ſolido cibo nutrienda. *Hebr.* 5: 12. *Quid faciemus ſorori noſtræ, die, quo ſermo fiet de ea?* quo adulta & egreſſa fuerit pubertatis annos, id eſt, quo ad fidei maturitatem contenderit. *Quum murus fuerit*, quum ut murus à Deo exaltata ſtabilis atque conſtans in fide & charitate permanſerit, *ædificabimus in ea ſtructuram (vel faſtigium) argenteum*, hoc eſt, conſtantiam ejus ſempiterna gratia coronabimus: *Quum autem janua fuerit*, quum ingreſſum virtuti patefecerit, vitiisque præcluſerit, *communiemus eam tabulato cedrino*, hoc eſt, vires animique novum robur adjiciemus. *Equidem ut murus ero* ſtabilis, quam nulla vis hoſtium evertat, *& ubera mea ut turres*, hoc eſt, animus erit inexpugnabilis & invictus, *tunc ero in oculis illius tanquam inveniens pacem*, hoc eſt, apparebo in conſpectu ejus tanquam pacem & tranquillitatem animi conſequuta.

XXI. LIGNUM CEDRINUM IN LEPROSI PURGATIONE SANGUINE TINCTUM.

Lev. 14: 4, 5, 6. PRÆCIPIET *Sacerdos, ut accipiat quiſpiam pro eo, qui purgandus erit, duas aviculas, vivas, mundas, & lignum cedrinum,*

drinum , & dibaphum coccineum , & hyſſopum: Deinde præcipiet Sacerdos , ut jugulet aviculam unam , ſanguinem fundens in vas teſtaceum ſuper aquam vivam. Aviculam vero vivam accipiet , lignumque cedrinum , & dibaphum coccineum , & hyſſopum , & intinget illa ſimul cum avicula viva in aviculæ ſanguinem jugulatæ , ſuper aquam vivam. Ita aſperget eum , qui purgandus erit a lepra ſeptem vicibus , & pronuncians eum mundum dimittet aviculam vivam in ſuperficiem agri. Expositio mystica. Purgatur ab immunditie ſua peccator ſanguine & aqua Chriſti Redemtoris. 1. Sanguinis ejus figuram exprimit ſanguis aviculæ mundæ, jugulatæ, color item coccineus in panno dibapho , qui eſt ſanguis in paſſione ſemel atque iterum fundendus , & carnem patientis conſperſurus. Vid. *Jeſa.* 63: 2. Avicula viva munda , quæ jugulatur , Chriſti humanitatem : viva , munda , quæ jugulatæ ſanguine tincta , & in agri ſuperficiem dimiſſa , Deitatem ſignificat. Aqua autem viva , ſuper quam avicula jugulatur ℣. 8. & illa, qua purgatus à lepra lavabatur, notant ex latere Servatoris transfixo manaturam aquam. Sanguine tinctum lignum cedrinum , eſt corpus Domini , quod corruptionem non vidit. *Pſalm.* 16: 10. Denique tincta aviculæ ſanguine hyſſopus , humilis ad cedrum collata planta , Chriſti hominis humilitatem ſignificat. Etiam Sacerdos , qui ſanguine illo leproſum purgavit , reſpicit Sacerdotem Chriſtum , ſuo ſanguine ab omni peccato nos expurgantem 1 *Joh.* 1: 7. Neque hoc in typis inſolitum, ut tam res quam perſona ſacrificans eundem Chriſtum indigetet. Ita holocauſtum & Sacerdos præfigurarunt Chriſtum, qui Sacerdote non indigens, ſe ipſum Deo pro hominum peccatis obtulit. *Hebr.* 9: 14.

XXII. Lignum cedrinum in Rogum junicis combustæ injectum.

Num. 19: 6. Assumens *Sacerdos lignum cedrinum & hyſſopum & dibaphum coccineum, projiciet ea in medium combuſtionis* hoc eſt , intra rogum *junicis.* Cedrinum hoc lignum , ut ſupra docuimus, deſignat nulli corruptioni obnoxium Chriſti Domini corpus. Sed adverſari videtur huic interpretationi , quod cedrinum lignum in rogum junicis rufæ conjectum comburitur & aboletur , quod incorrupti æternique corporis typum haut gerit. Notandum igitur, ignem, qui ſacrificia depavit , typum fuiſſe, non conſumentis aut perimentis, ſed benevoli & ſacrificium acceptum habentis Dei. Sic

acceptiſſimi ſacrificii fuit indicium, quum ſacrificante Salomone ignis e cœlo deſcendens abſumeret holocauſtum & *cætera* ſacrificia. 2 *Chr.* 7: 1.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

DE AHALIM, SEU AHALOTH, ET ALOE.

AHALIM & Ahaloth ἰσοδύναμα. Arboribus earumque fœtui eadem data nomina. Ahalim & Ahaloth a ſplendore dicta. Significant Cedrum majorem & Cedrium. Cedrelate & cedrium, quid ſit exponitur. Kidron torrens Cedrorum. Cedros magnas plantare dicitur Dominus. Cedrium odoratis aromatis annumeratum. ALOE vulgaris & aromatica. Vulgaris a Dioſcoride, aromatica a Jonſtono deſcripta. Agallochum, lignum raſum. Ubi aromaticæ copia. Præſtantia & pretium ejus. Eandem ad pollingendum Domini corpus attulit Nicodemus.

I. AHALIM, ET AHALOTH.

IN qua ſtirpe hæc nomina ſint ponenda, id ex ipſorum forma & origine, & ex iis Scripturæ locis quibus recenſentur petendum eſt. *Primum* igitur moneo, formas eorum nominum ſignificatibus ſuis non differre, quemadmodum & formatæ voces אהבים & אהבות id eſt, amores. Generis enim permutatio grammatici, genus rei non mutat. Itaque imprimis ſtirpium nomina cum maſculina & fœminea terminatione leguntur, ut שקמים & שקמות ſycomoris, רותם & רתמה juniperus, *Num.* 33: 18. רמונים & רמנו pro רמנות 1 *Par.* 6: 62. vel 77. *Joſu.* 19: 13. שרקים & שרקה vites ſelectæ, שכה & שכים ſpina arabica ſeu acacia, אלה & אלים quercus, ארן & ipſius Chetib indicio הארנה 2 *Sam.* 28: 18. צנים & צנות ſpinæ. Titubatum ergo *primo* ab iis ſcriptoribus, qui אהלים & אהלות diverſis locis obvenientia, quanquam idem valerent, diverſæ poteſtatis vocibus expoſuerunt, ut *Caſtalio* Græcos imitatus, *Num.* 24: 6. *Ahalim* vertit in *tabernacula* & *Ahaloth* *Pſal.* 45. in *ſtacten*. *Secundo* certum eſt *Num.* 24: 6. *Ahalim* arbores & alibi arboris fœtum denotare; quemadmodum תאנה, Hebræis ficum ſonat fructum & arbo-

rem,

rem , תפוח malus dicitur & malum , שקד amygdala & amygdalum. Excidiſſe hoc videtur illis, qui *Ahalim* vel *Ahaloth* accipiunt pro herbarum vocabulis, redduntque curcuma cum Rabbinis, vel cum Caſtello , Coſtum , Angelicæ , Matthioli judicio non diſſimile. *Tertio*, *Ahalim* non ſunt arbores peregrinæ vel ignotæ iis , ad quos ſermo divinus per Bileamnum factus eſt , Moabitis. Itaque in Numeris & Proverbiis non dabitur locus Agallocho vel Aloæ aromaticæ , nec etiam Santalis , ut *Junius* voluit, quas & Arabibus ſero cognitas, ea tempeſtate in Syriam aut Moabitidem tranſiviſſe, probare nemo poterit. *Quarto*, *Ahalim* eſt , quod ſtactes vel myrrhæ liquidæ inſtar ſtillari per cubilia vel cœnacula poteſt. *Prov.* 7: 17. Id enim vult verbum נפתי quod Chaldæus etiam & Syrus extulit per verbum רסית *ſtillavi* , *tanquam imbre quodam rigavi.* Non enim deflexum eſt ab Hiphilico הניפ *agitare* , ſed excuſum ex nomine נפת , quod deſtillationem ſonat , cognatum nomini נטפ, quod ſtacten ſive myrrham ſtillatitiam ſignificans, deſcendit à radice נטפ ſtillavit. Perperam igitur cum *Salmaſio* *Ahalim* habebimus pro Aloë aromatica , vel pro Agallocho , quod , ut ipſe agnoſcit *Salmaſius* , ad diapasmata referendum , nec in liquidæ myrrhæ modum irrorari & perſtillari poteſt. *Quinto* , ſi vocum originem expendamus, patebit iſtis arborum adpellationibus inſinuari quiddam ſplendidum , quod vel in earum materia , vel in fœtu, vel in foliis appareat. אהל enim & אהלה eſt *ſplendor* , & ab hoc derivatum verbum Hiphilicum יאהיל *ſplendebit*, *Job.* 25: 5. *En uſque ad lunam* , ab homine vertamur, *non ſplenderet* , *etiam ſidera non pura eſſent in oculis ejus.* Recte *ſplenderet* , quæ enim verba in Hiphil tranſitivam notionem habent, ea ex nominibus ducunt originem , ut in *Inſtitut. Hebr. ling.* docuimus. Hæc obſervatio excludit à poſſeſſione nominis *Ahalim* Santalos & Curcumam , Coſtumque & Aloën aromaticam & medicamentalem, in quibus omnibus nihil eſt, quod pelluceat. *Sexto* , *Ahalim* intelliguntur arbores ad aquas plantatæ, eoque perpetuo virentes. *Num.* 24: 7. Ut *Ahalim* perpetuo virentes *plantavit eos Dominus* , *ut cedros* ſempiterna coma gaudentes , juxta aquas. Fruſtra igitur eſt *Coccejus* , qui אהלים dicto loco per *tentoria* reddit ; forma etiam nominis repugnante. Textoria enim non אהלים *ahalim* , ſed אהלים *oholim*, ſive אהלים *ohalim* vocantur. *Septimo* , *Ahalim & Ahaloth* diſtinguuntur in textibus ſacris à myrrha , igitur pro ſtacte , quæ eſt liquidæ myrrhæ gutta , ut Arabs

& Caſtalio voluit accipi non poſſunt. *Octavo*, Aromatum propaginibus *Ahaloth* à Salomone *Cant.* 4: 13. annumerantur, & Onkelos Chaldæus Interpres per בוסמין id eſt, aromata reddit, & *Prov.* 7: 17. cubile ſuum ſucco *ahalim* perſtillaſſe dicitur adultera; quod indicium eſt odorem ſpiraſſe perjucundum, & Ahalim non fuiſſe Aloën medicamentalem, quæ gravis ac tetri odoris, licet optima ex Arabia afferatur, non ſpirat Arabiæ Felicis germina. *Nono*, non ſecus atque myrrha ſuccus Ahaloth à corruptione conſervat. Igitur divinus Pſaltes incorruptum corpus Meſſiæ Regis deſcripturus, *Veſtes*, inquit, *tuæ ſunt myrrha & AHALOTH*, *Pſal.* 45: 9.4. *Denique* ampliſſimæ & proceritatis eximiæ arbores fuerunt *Ahalim*; nam & cum cedris recenſentur; & à Domino plantatæ, & arbores Domini dicuntur, id eſt cultiſſimæ, & proceritate & materiæ nobilitate, cæteras longe ſuperantes. *Num.* 24: 6. Herbas igitur vel hanc ob cauſam non ſignificant *Ahalim*.

Quid igitur iſtud tandem ſtirpis eſt, quod *Ahalim* vel *Ahaloth* nomine celebratum? Si in omni arborum genere, & quæ naſci ex arbore queunt, quæſiveris, cui potiſſimum ſtirpi notæ & inſignia, quæ modo e ſacris attulimus literis, præ cæteris congruant & conveniant, aliam, credo, non invenies quam *Cedrum magnam*, nobiliſſimæ reſinæ arborem. Majoris autem cedri, ut *Plinius* autor eſt, duo genera: Quæ floret fructum non fert; fructifera floret, & in ea antecedentem fructum occupat novas. Semen ejus cupreſſo ſimile. Quidam cedrelaten vocant. *Cedrelate* eſt קדר אהלתא Cedrus ahalæ vel ahaloth, Syriaca adpellatione, non Græca, ut creditum hactenus à multis. Reſina ejus vel liquor, quem e caudice ſuaviter fragrantem exſudat, Græcis κεδρία, cedria, vocatur. Quod concreſcit in arbore, id cedri gummi. Illa nativa eſt, ut omnes reſinæ. Nonnulli eam & cedrinum oleum, & κέδρινον ἄλειφαρ, cedrinum unguentum dixerunt. Noſtra ætate manna maſtichina vocatur. Colligebatur cedria ex majore cedro, qualis in Phænice Syria naſcitur, Libano monte. Nominis vero Hebraici à ſplendore dicti menſuram implet, ex flavo eleganter albicans & pellucens, quod de cedrio teſtatur clariſſimus *Pometus in Hiſtoria Aromatum* Gallice ſcripta *pag.* 116. Odorem ſpirat jucundiſſimum. Cœlo calido ex cedri majoris caudice reſina profluit, quæ etiam ex inciſione acquiritur. Per apud nos rara eſt, ac propterea minus uſitata. *Valentini Hiſt. ſimpl. p.* 188. Eadem reſina res à corruptione tuetur. *Pli-*

Plinius lib. 24. *cap.* 5. Cedrus magna, quam Cedrelaten vocant, dat picem, quæ cedria vocatur. Defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit. Mira differentia, cum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Idem ante Plinium *Dioſcorides* tradidit, *lib.* 1. *cap.* 89. Cedrus magna arbor eſt, ex qua colligitur, (reſina) quæ cedria vocatur. Cui ea vis ineſt, ut defuncta corpora conſervet, & viva corrumpat, qua ex cauſſa mortuorum vitam aliqui eam adpellavere. His accedat *Dionyſii Siculi* authoritas, qui, ſi quod illorum, inquit, animalium, quæ divinis honoribus colunt Ægyptii, interiit ἐπείτα θεραπευθέντων αὐτῶν κεδρίᾳ καὶ τοῖς δυναμένοις εὐωδίαν παρέχεσθαι καὶ πολυχρόνων τοῦ σώματος τήρησιν θάπτουσιν ἐν ἱεραῖς θήκαις, tum cedria *reſina*, & aliis, quæ & fragrantiam, & diutinam cadaveris integritatem præſtant, conditum, ſacris in cryptis ſepeliunt. *Biblioth. Hiſtor. lib.* 1. *p.* 74. *vel* 52. Lotum hominis cadaver per plures quam 30. dies cedria *reſina* delibutum, myrrhaque & cinnamomo, aliisque, non longiori tantum conſervationi, ſed etiam fragrantiæ aptis, conditum, ii qui cadavera condiunt propinquis reddunt. *Idem Diod. lib.* 1. *c.* 82. Irrigua etiam loca cedros amare, & Bileamus teſtis eſt, loco laudato, & D. Johannes, qui ad Kidronis torrentis margines ſtetiſſe cedros innuit eo, quod eum nominat χείμαῤῥον τῶν κέδρων, torrentem cedrorum. *cap.* 18: 1. Ita hic in *Commentario* ſcribit *Grotius*, Græci omnes codices, nec aliter in Græca verſione 2 *Sam.* 15: 13. 1 *Reg.* 11: 13. Alibi, ut 2 *Reg.* 23: 4. ſine articulo κέδρων, ſed ita, ut adpellativum eſſe appareat, cum alioqui Hebræa nomina ſcribuntur cum accentu in ultima. Accedit, quod *Joſephus*, *Bel. Jud. lib.* 6. & alibi vallem adſitam κεδρῶνα vocat, quomodo montem Oliveti ἐλαιῶνα, & ſicut Græci dicunt δαφνῶνα, πλατανῶνα, & alia ad eam formam, ita ut dubitari non debeat, quin cedris conſiti fuerint margines hujus torrentis. Nec movere quemquam debet, quod nonnulli monuerunt cedros Hebræis dici ארזים. Atqui Judæos hoc non prohibuit eandem arborem Græco nomine adpellare, vocemque peregrinam uſu ſuam facere. Itaque etiam in Onkeloſio legitur: תבותא דאעין דקדרוס arca lignorum Kedros, & in *Bereſchith Rabba*, *ſect.* 31. eadem vocatur arca דאעין דקדרינון facta ex lignis cedrinis. Ex iis, quæ hactenus de *Ahalim* & *Ahaloth* ratiocinati ſumus, in aperto eſt his vocibus Cedrum, quam majorem vocant, & reſinam ejus, quæ cedria vel cedrium dicitur, inſinua-

ri, &, (quod ipſum quoque veræ interpretationis non leve argumentum eſt,) omnibus Scripturæ locis expoſitionem noſtram congruere. Ea ſunt quatuor omnino hic ſequentia :

Num. 24: 6.

Ut torrentes extenduntur Iſraëlitæ ; *ut horti ſunt plantati juxta flumen ; ut Cedri magnæ , quas plantavit* in Libano *Dominus , ut cedri juxta aquas.*

Prov. 7: 17.

Perſtillavi cubile meum myrrha , cedrio , & cinnamomo ; ſucco e cinnamomi ſurculis expreſſo.

Cant. 4: 14.

Propagines tuæ ſunt. . . . calamus odoratus , & cinnamomum cum omnigenis arboribus ; myrrha & cedrio , cum omnibus probatiſſimis aromatis.

Pſal. 45: 9.

Myrrha & cedrium , caſiaque omnia veſtimenta tua. Per veſtes Meſſiæ intellige humanam ejus naturam, vel carnem nulli corruptioni obnoxiam. *Philip.* 2: 7. *Pſal.* 16: 9. 10.

II. ALOE.

Joh. 19: 39. VENIT *autem* , ad ſepulturam Domini, *Nicodemus, is qui venerat ad Jeſum noctе primum , ferens miſturam myrrhæ , & aloes libras centum.* Aloe duplex erat veteribus. Una καθαρτική, vulgaris, medicamentaria herba , ex qua ſuccus amariſſimus elicitur : Altera aromatica ex arborum genere , cujus lignum vocatur Xylaloe , vel , quod à nobis obſervatum , Syriaco nomine אע גלח *lignum raſum.* Nec enim aliter adhuc , quam cortice nudatum ad Europæos defertur, teſtibus *Garzia ab Orto & Bontio Medicam: Indorum.* De medicamentaria *Dioſcorides lib. III. cap.* 22. Aloes folium , ſcillæ ſimilitudinem habet, craſſum, pingue, modice latum, rotundum , retrorſus pandum : folia gerit curta, quæ utrimque ex obliquo longioribus intervallis ſtriantur, & in ſpinulas deſinunt. Caulis emittitur non diſſimilis antherico : flos albus, fructus haſtulæ regiæ cognatus ; gravi tota eſt odore , & guſtu amariſſima : Radice una ſeu palo in terram depacta. Plurima præpinguisque in India gignitur , ex qua coactus ſuccus adfertur. Hodie vel in pellibus ovillis , vel in magnis cucurbitis ex eadem India Orientali , vel ex Arabia & America venit. De aromatica aloe *Jonſtonus libr.* 9. *p.* 459. Naſcitur Agallochum in Sumatra , Cambaja , Siana & alibi.

alibi. Optimum in Chambas, vicina regno Chinæ regione, & in Cochin China. In Arabia (fruſtra hoc aſſerente *Iſiodoro cap. de arboribus aromat.*) non provenit. Cortice nudatum affertur, quod uno ſæpe trunco diverſæ ſtirpium ſpecies coaleſcant, ut ſeparentur trunci, in ripis fluviorum deponuntur in cœno. Carie, diverſi generis lignum cum ligni aloës cortice ſecedit; materia, quæ quia denſa minus, putredini obnoxia eſt, relicta. Sethi in diverſis Orientis tractibus meridionalibus imprimis naſci reliquit *Jonſton. lib. 9. p.* 459. Magna ejus copia in regno Tanquinenſi colligitur, cujus quidem, ut & ſerici commercio, maxima divitiarum pars conſiſtit. Sed duplex illud, alterum ſucciplenum, quod pretioſiſſimum, cujus ſcilicet libra mille imperialibus conſtat: alterum exſuccum & humore carens, quod vix tres valeat imperiales. Ingens ejus æſtimatio ac uſus eſt, apud Muhamedanos omnes, illos imprimis, qui barbam promittunt, Turcas videlicet Arabesque, qui cum ſe mutuo inviſunt, nihil antiquius habent, quam ut fruſtulo ligni aliquantulum madefacto, & in acerram conjecto odorem excitent fragrantiſſimum, quo barbas illi ſuffumigant, id beneficium Dei ſublatis in cœlum manibus celebrantes. Quanquam, quod agallochum præſtantiſſimum habetur, non neceſſe eſt ad ſuffitus adoleri flammis. Sola præſentia cubile aut cænaculum quantum ſit, odore completur. Iſtud vero vilius ad ſcrinia fere ciſtulasque, vel etiam ad grana, quæ de collo ſuſpendunt, adhibetur. Quam in rem videantur plura apud *Joh. Bapt. Tavernier Relat. nouv. du Royaume du Tunquin., chap.* 4. ubi inter alia poſtquam Joannes IV. ad regnum Portugalliæ evectus eſſet Anno Chriſti 1641. Vice-Regem Goæ, inter alia munera, quibus animum Japonenſium Monarchæ ſuæ genti propitiare conatus eſt, fruſtum Xylaloes laudatiſſimæ 6. pedes longum, & 2. craſſum, ei obtuliſſe memorat. Jam in diſquiſitionem venit, quam Aloen Nicodemus ad curandum Domini noſtri corpus attulerit? medicamentariam iſtam vel aromaticam? Stat pro aromatica *Salmaſius in Exercitat. Plin. p.* 745. ubi Poſteriores, inquit, Ægyptii etiam Aloen adhibuerunt cum myrrha in condiendis cadaveribus, ut diſerte teſtatur Aëtius; qui eam conditurам σμύρνισιν vocat, & ſpecies, quibus conſtaret, has recenſet *libr.* 16. *ſub. fin.* Νεκρȣ̃ σμύρνισις. Ἀλόης, σμύρνης, κόμμεως ἀνὰ λίτραν α, σαρκοκόλλης λίτρας β, ἀκακίας ὀποβαλσάμȣ. Hæc aloe aromatica eſt, nec de alia capiendum. Σμύρνισιν illam ſtatim ſubjecit poſt tra-

ctatum

ctatum thymiamatum, muſcatorum & unguentorum. Non alia igitur ibi aloe intelligenda, quam quæ in confectionem olei ſalca, & muſcati & thymiamatis regii ingreditur, cum aliis aromaticis ſpeciebus. Agallochi ligno, quod eſt aloë, veteres pro diapasmate uſos eſſe, tradit *Dioſcorides*: ὅλου δὲ τοῦ σώματος διάπασμα ἐστίν. Tundebatur igitur & in pulverem redigebatur. Sic enim diapasmata fiebant. Pulvere ejus cum myrrha mixto, ut apparet, corpora etiam mortuorum perungebant. Hoc enim proprie μυρεψοὶ faciebant, ξηροῖς ὑγρὰ miſcebant. παντὸς γὰρ μύρου καὶ χρίσματος ἡ σύνθεσις αὕτη, ut tradit *Theophraſtus in Comment. de odoribus.* Tale fuit μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης, quod attuliſſe Nicodemus dicitur ad perungendum corpus Domini. Atque ita quidem fuerit, ſi σμύρνην de myrrhæ liquore ac ſtacte accipiamus; ſic enim Latini loquuntur, myrrha madentes crines, de liquida apud Poëtam, & crines perfundere myrrha, apud *Propertium*; item apud *Philodemum* de ea myrrha, qua caput perfundebant:

------ καὶ παλι δὴ σμύρναν ἰδεῖν Συρίην.

Syrium rorem vocat idem Propertius, Græci tamen inter σμύρνην & στακτὴν σμύρνης diſtinguunt. Præterea notandum, non dici Nicodemum illis aromatis unxiſſe corpus Domini, ſed pollinxiſſe, hoc eſt, faſciis involviſſe cum aromatis. At mulieres dicuntur emiſſe τὰ ἀρώματα καὶ μύρα ὅπως ἀλείψωσιν. Poſtremo pondus aromatum, quæ Nicodemus attuliſſe fertur, nimis magnum eſt, quam ut unctioni paratum exiſtimari queat, ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν. Centum libræ non paucis cadaveribus ungendis ſufficiunt. Certe tres aut quatuor ad ſummum libras aromatum condiendo uni funeri impenſas legimus apud *Aëtium*, ubi alvus exenterata odoribus ſarcienda erat. Quodcunque ſit, ἀλόη, aroma eſt, non medicamen. Quum enim σμύρνην & ἀλόην tantum nominavit, aromata ea vocitat: atqui aloë vulgaris non poteſt aroma dici. Ex his omnibus conſtat *Nonium* recte ἀλόην apud Evangeliſtam pro aromate accepiſſe, non æque recte de calamo odorato eam interpretatum eſſe. Verum enimvero in hanc *Salmaſii* ſententiam non diſcedo, rationem diſſenſus mei allaturus, Partis Secundæ capite XXXIV.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

Buxus, Acer, et Platanus.

BUXUS & acer a criſpantis materie nitore dicta. Uſus buxi, Acer gloria Libani: arbor umbroſa. Harmon non eſt caſtanea, ſed Platanus a nuditate adpellata: aquis & mero proficit. Proceritas Platani. Platanorum urbs Iſpahanum.

I. Buxus et acer.

אשור & תאשור ejuſdem originis vocabula, ſignificant idem quod apud Arabes collactaneum nomen اثر *Atſaron*, cujus plurale اثور *Otſouron*, criſpantis materiæ nitorem. Talis apparet in duabus tantum arboribus, buxo & acere. Buxus igitur אשור & plurali forma אשורים vocatur. *Ezech.* 27: 6. *Aſſeres tuos fecerunt dentem, & filiam buxorum*, id eſt, fecerunt ex materia buxi, *quam attulerunt ex inſulis Chitthæorum*, hoc eſt, ex aliqua inſularum Græcarum, nempe ex Corſica, quæ Græcis Κύρνος, Liguſtici maris Inſula, quam, relicta Phocide, Grajos condidiſſe teſtatur *Herodotus lib.* 1. *cap.* 165. *Diodorus Siculus lib.* 5. *& Seneca cap.* 8. *ad Helvidiam.* In hac enim craſſiſſima, & ad aſſeres navales utiliſſima buxus fuit. In Olympo Macedoniæ gracilior, ſed brevis, *Plin. lib.* 16: *cap.* 16. Chitthæis autem annumerantur etiam Macedones, & Alexander Macedonum Rex, e terra Chitthim proceſſiſſe legitur. *Maccab.* 1. 1. *Bathaſchurim* Chaldæus quoque Interpres vertit *tabulas buxinas*, quem, ut alias, Rabbi Salomo ſequitur.

תאשור etiam adpellatur, meo judicio, Acer, menſuramque nominis ſui vel maxime implet. Criſpo enim macularum diſcurſu, operumque elegantia & ſubtilitate cedro ſecundum eſt. Fiunt etiam e bruſco ejus menſæ nigreſcentes. *Plin. lib.* 16: *cap.* 16, 17. cum *Pagninio*, *Caſtalione*, *& Jonathane*, *Chaldæo Interprete*, qui buxum reddunt, ideo diſſentio, quia, quæ תאשור dicitur arbor cedris annumerata, vocatur *Gloria Libani*, eo quod celebrem faceret Libanum

banum, elogio Libanicæ buxo non congruente, quæ nec cedri proceritatem aſſequitur, nec tabularum ſeu aſſerum magnitudinem capit, nec fructu aut flore, & ne umbra quidem commendatur. Si navium tabulis apta fuiſſet Libani buxus, eam ſane in inſulas Chitthæorum non petiviſſent Tyrii, vicino Libano copiam ejus ſuffecturo. Duobus autem locis Acerem Scriptura memorat. Alter eſt *Jeſaiæ* 41: 19. *Ponam in ſolitudine abietem, piceam & acerem*, id eſt, ſenſu grammatico, efficiam, ut vaſtæ ſolitudines, & quæ ſiccitatibus aruerunt terræ, arbores proferant umbriferas, ſub quibus æſtum levare homines & requieſcere queant. Condenſa enim abietibus & piceis nemora umbram feſſis præbebunt, &, quod earum folia imbrem non transmittunt, ſicce recubabunt, pluvialibus aquis non madefacti. Acer etiam platano non diſſimilis, & tantum non congener foliorum latitudine ſolem arcebit. Senſus literalis: Principes dabo, quorum præſidio & tutela reſpiret à moleſtiis, atque recreetur Eccleſia. Alter locus occurrit *Jeſaiæ* 60: 13. *Gloria Libani ad te perveniet, Abies ſimul & picea atque acer, ad ornandum locum ſanctuarii mei, ut locum pedum meorum cohoneſtem.* Senſus. Quicquid vel munire, vel augere, vel condecorare poterit Eccleſiam, Templum meum, id omne ei conferetur.

II. PLATANUS.

ערמון Chaldæi, Syrus & Arabs דלוב *delab* reddunt, quam vocem *Salomon* & *Kimchius* intellexiſſe haut videntur, in *Caſtaneam* vertentes. Sequuti ſunt eos *Fagius* & vernacularum verſionum autores Lutherus, Belga, Anglus, Hiſpanus, & noſtrorum temporum Judei. Atqui דלוב platanum ſonat, idemque apud Arabes دلب *dolbon* ſignificare teſtantur Pandectæ Medicæ, *Stephanus* Arabicarum vocum collector, & in *Lexico ſuo Golius*. Recte igitur ערמון in platanum vertiſſe videntur *Septuaginta*, *Hieronymus*, *Druſius*, *Ainswortus*, *Junius & Tremellius*. Jam ערמון trajectis literis pro מערון à nudatione dicitur, quam & Arabes inſinuant verbo عرم *harama*, quod eſt *cortice nudare arborem*. Nudantur autem corticibus arbores vel vi adhibita, ut ſuber, ceraſus, tilia, quo etiam modo virgas fagi, amygdalæ & platani, cortice nudavit Jacobus *Gen.* 30: 37. vel ſponte naturæ, ut platanus, quam cortex ſuus nudat *rimas undique agendo*. Quarundam arborum, inquit *Plinius*, natura rimoſus cortex, ut platanis. *lib.* 17. *cap.* 24. In monte Atho, ubi altitudine Cedris montis Libani comparari poſſunt Platani, & in

Tauro

Tauro monte cortices ſuos exuunt. Vid. *Jonſton. Hiſt. Nat. fol.* 215. *Siracides* eas aquis proficere animadvertit; idcirco ſapientiam cum platano comparans ita loquentem facit. *Tanquam olea decora in ſpecioſo campo, & tanquam platanus ex aquis exaltata ſum. cap.* 24. 15. Nec aquis ſolum, ſed & mero platanos enutriri conſtat. Tantum honoris, inquit *Plinius*, increvit platanis, ut mero infuſo enutriantur. Compertum id maxime prodeſſe radicibus, docuimusque etiam arbores vina potare. In quantam vero amplitudinem aquarum vicinia excedant, idem autor illuſtribus exemplis probat. *Hiſt. Nat.* 12. 1. nec *Homerus* tacuit *Iliad.* β.

Ἡμεῖς δ᾽ ἀμφὶ περὶ κρήνην ἱεροὺς κατὰ βωμοὺς
Ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας
Καλῇ ὑπὸ πλατανίστῳ, ὅθεν ῥέεν ἀγλαὸν ὕδωρ.

Nos autem circumcirca fontem ſacra per altaria
Faciebamus immortalibus perfectas hecatombas
Pulchra ſub Platano umbrifera, fons unde emanat aqua.

Imprimis autem illius arboris rami celebrantur *Ezech.* 31: 8. ubi Propheta eos cum Regis Aſſyriorum latiſſime imperantibus Satrapis comparat. *Cedri in horto Dei, non abſcondebant illam* Cedrum Libanicam, Aſſyriæ Regem, *abietes non erant ſimiles ramis ejus, & platani non erant pares* פראתיו ſpecioſis ramis ejus. Ad pulcherrimam ſane ramorum amplitudinem ac proceritatem aſſurgunt Platani. Licinius Mutianus civis Romanus, *Plinio* teſte, hoc prodendum etiam poſteris putavit, qui Provinciæ Lyciæ legatus affirmabat, in ea fuiſſe Platanum ſociam gelidi fontis amœnitate, itineri appoſitam octoginta atque unius pedum ſpecu, nemoroſo vertice, ſe vaſtis protegentem ramis, arborum inſtar, & agros longis obtinentem umbris. Aliud exemplum Caji Principis, in Veliterno rure mirati unius tabulata, laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula, & in ea epulati, cum ipſe pars eſſet umbræ, xv. convivarum ac miniſterii capace triclinio, quam cœnam adpellavit ille nidum. Idem fere de platano ad Iſpahanum, Perſiæ metropolim conſitam in *Gazophylacio ſuo* recenſuit *Angelus à S. Joſeph.* Viſitur inquit, juxta Iſpahanum, platanus, intra ramos ſuos domunculam ſeu theatrum ſuſtentans, ubi quinquaginta homines facile conſideant. Proceritatem arboris Poëtæ celebrant. *Ovid. III. Metamorph.*

Nobilior pomis, platano conſpectior alta.

 Hora-

Horatius:

Cur non ſub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos
Potamus uncti?

Orpheus:

Δάφναι τ᾽ ἠδὲ κράνειαι, ἴδ᾽ εὐμήκεις πλατάνιστοι.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

LAUDATISSIMÆ RESINÆ ARBORES.

I. THUS. לבנה

THUS Hebræis à candore denominatum. Thuris arbor hodieque incognita. In Sabæis & Indis gignitur: Thus in ſuffitu ſacro. Item ſtacte & onyx, galbanumque & nardi folia quid ſignificent. Thus in voluntaria oblatione adolendum myſtice expoſitum. Thus in munere primitiarum, quid denotet. Thuris grana panibus facierum impoſita. Peccatoris oblationi thus non additum. Epha menſura. Zelotypiarum oblationi adjicere thus interdictum: Ratio hujus legis. Thuris ſuffitum non exegit Deus. Thus expiatorium. Thus Deo inviſum. Sanctorum preces cum ſuffitu ſacro comparantur. Collis thuris. Thus puero Jeſu muneri datum.

I. THURIS, ARBORIS HODIE INCOGNITÆ, DENOMINATIO HEBRAICA, ET NATALE SOLUM INDICATUR.

THus Hebræis à candore dictum, quia, quod maxime candidum eſt, primatum tenet. Arboris ipſius quæ ſit facies, uſque in hoc tempus ignoratur. Aliter eam veteres, aliter recentiores deſcribunt. Pars veterum folio piri, minore duntaxat & herbidi coloris prodidere. Alii lentiſco ſimilem ſubrutilo folio. Quidam terebinthum eſſe, & hoc viſum Antigono Regi allato frutice. Juba Rex Mauritaniæ tradidit contorti eſſe caudicis, ramis aceris maxime Pontici. Thuris arborem etiam humiliorem

myrrha Ἀιγυπτιακῆς ἀκάνθης τῆς λευκῆς inſtar habuiſſe ſcribit *Diodorus Siculus. Garzias ab Orto* humilem facit, folio lentiſci, alteram montanam, à qua laudatiſſimum thus, alteram in planis naſcentem, quæ nigrum & improbum thus fundat. Alii folia ejus lauri vel ſalicis compararunt. *Scaliger* Pino & Piceæ ſimilem eſſe dixit. *Exercit. contra Cardanum p.* 475. Ob hanc ſcriptorum diſcordiam clariſſimi Botanicorum *Rajus* & *Samuel Daleus* incognitis eam arboribus annumerarunt.

De natalibus ejus certiora traduntur. In ſacris paginis Saba memoratur, regio ad mare Erythræum uſque pertinens, Mindos inter & Catabanes, qui Arabici ſinus fauces occupaverant. *Jerem.* 6: 20. *Quorſum mihi*, inquit Deus Judæorum ſacra peroſus, *thus è Saba advenit, & calamus odoratus præſtantiſſimus è terra longinqua? Jeſa.* 60. 6. dicuntur omnes ad Chriſti regnum e Saba venturi, auroque & thure allato laudes Domini prædicaturi. *Jerem.* 17: 26. *Ex auſtrali plaga afferent ſacrificium munusque cum thure*, id eſt, ex Arabia, unde etiam ad Salomonem cum aromatum ingenti copia venerat Sabæ regina 1 *Reg.* 10: 10. quæ apud *Lucan. c.* 11: 31. Βασιλίσσα νότȣ, regina auſtri vocatur. Ibidem thus naſci etiam conſtat ex *Theophraſti Hiſtoria plantarum* 9: 4. *Agatharchide cap.* 50. *Strabone lib.* 16. *Plinio* 6: 28. & 12. 17. & *Virgilio Georg. I.*

---- *molles ſua thura Sabæi.*

& *Æneid.* 4.

---- *centumque Sabæo thure calent aræ.*

Ad Sabam quoque referas Adramautham & Schohræ montana. Ferebat etiam illud Sephar mons, de quibus vide *Golii notas in Alferganum pag.* 82. 83. 87. Tulit & Faitarum regnum, ut Cardanum *Scaliger* monuit, *Exercit.* 149. Hoc hic tibi, quoniam non docuiſti, diſcendum eſt: Faitas eſſe regnum in Arabia Felici. In eo regni oppidum Pecher, cujus ager thuriferas habet ſilvas, tanta copia, ut & vili veneat thus, & eo naves pro pice liquefacto inducantur. Thura præter Arabiam & Indis hodie debemus, ex quibus ad Europæos transfertur. Quin & olim proventu thuris innotuit Panchaja Indici maris inſula. *Virgilius Georg.* 2.

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Ovidius Metam. X.

Cinnamque coſtumque ſuum ſudataque ligno
Thura ferat, floreſque alios Panchaia tellus.

 Clau-

Claudianus II. Raptu.

Quicquid thuriferis ſpirat Panchaia ſilvis.

Arnobius lib. 7. *Panchaicas ardere reſinulas.* Tantum de natalium hiſtoria de arboris thuriferæ diſtinctis generibus nihil reperio. Igitur quod *Cant.* 4: 14. legitur : *Propagines tuæ. . . . ſunt calamus odoratus , & cinnamomum cum omnigenis arboribus thuriferis :* id non de variis arborum generibus , ſed de arboribus thuris , quæ Salomonis Regis tempore in diverſis Arabiæ vel Indiæ regionibus naſcebantur , accipiam.

II. THUS IN SUFFITU SACRO.

Exod: 30: 34. ACCIPE *tibi aromata , ſtacten & onychem & Galbanum , nardi folia cum ſpicis , & thus purum æqualis ponderis.* Formula noſtratium Medicorum hæc fuerit :

℞. *Stactes , onychis , galbani odorati , nardi fol.*
Thuris lucidiſſimi ana v. g. ℔. ß. *vel quo v.*
Miſc. Fiat lege artis pulvis tenuiſſimus.

Stacte , vel myrrhæ recentis lacryma , notat lacrymas pœnitentis. *Onyx* , ſi lacryma eſt arboris Saracenicæ , bdellium , deſignat amoris lacrymas , quales fudit mulier peccatrix *Luc.* 7: 44. *Galbanum* : eſt aroma naſcentis in Syria ferulæ , grumis flavis aut albicantibus compactum , ſubſtantia molli , inſtar ceræ ductili , gravi odore ; cum accenditur flammam nutriens. Mollis & humida Galbani ſubſtantia ſignificat animum precantis legalibus minis emollitum , atque ad obſequium divinum flexibilem. 2 *Par.* 34: 27, *Ezech.* 36. 29. *Pſal.* 119: 4, 5, 10, 11, 34, 102, 106, 166, 167. Flammam nutriens liquor animum declarat ardore amoris dei flagrantem. *Jerem.* 31: 3. *Tzephan.* 3: 17. *Rom.* 5: 1. *Epheſ.* 2: 3. *Johan.* 3: 16. 1 *Joh.* 4: 8. *Graveolentia* galbani eſt metus & horror judicii divini , qui pœnitentem corripit. *Pſal.* 142: 2. *Ne congrediaris judicio cum ſervo tuo ; nam non eſſet coram te juſtus ullus vivens. Pſal.* 130. *Si iniquitates obſervaris Domine , Domine , quis poſſit conſiſtere. Nardi folia* , quæ ſunt infra florem ſuum , ejuſdemque *ſpicæ* , quæ infra folia ſub terra naſcuntur , & radicem conſtituunt , orantis innuunt humilitatem , Deo qui habitat altum gratiſſimam. *Petr.* 5: 5. *Luc.* 18: 13. *Thus purum* , non adulteratum pini reſina vel gummi , in ſuffitu ſtatim urens , denotat preces e puro corde profectas , id eſt , credente , ſancto & quod charitatem præſtat. 2 *Tim.* 2: 22. His à Moſe memoratis adhuc alias addunt ſacro ſuffimento ſpecies Rabbini , verbi gratia Opobalſamum, Myr-

Myrrham, Caſium, Crocum, Coſtum, Killapham, quam canclam vocant, & Cinnamomnm. *Vid. Leo lib.* 3. *Templi Hieruſol.*

III. Thus in Minchæ voluntaria oblatione adolendum.

Levit. 11: 1, 15. Oblatio *muneris Jehovæ e ſimila eſto oblatio, cui ſuperfundet ſacerdos oleum, & imponet thus. Lev.* 6: 8. *vel* 15. *Sacerdos tollens de ſimila illius muneris, & de oleo ejus, totumque thus illud, quod erit in eo munere, adolebit in altari: Odor gratus eſt, ſuffimentum memoriale ejus Domino.* Expoſitio myſtica. Exiſtimo *ſimilam* Deo oblatam in Mincha, ſive munere ex terra in cibum natis, ſignificare cor contritum. Simila enim ex tritici granis minutiſſime contritis, parari ſolet. *Oleum* beneficus & ſalutaris liquor deſignat animam benignitatis & amoris affectu abundantem. Thus autem ab incenſu odorem ſpirans, precum ardorem, Deo imprimis gratum. Conjungenda igitur in cultu divino I. *Cor contritum.* Qui in ſublimi & ſancto habitat Deus, cum eo habitat, qui attritus eſt demiſſuſque ſpiritu. *Jeſa.* 57: 15. Non delectaris ſacrificio, ut dem, holocauſtum non vis. Sacrificia Dei (id eſt, *vera ſacrificia, quia Deo unice placeant*) ſunt ſpiritus fractus, animum fractum & contritum o Deus, non ſpernis. *Pſal.* 51: 18, 19. *Jeſa.* 57: 15: II. *Amor & benignitas.* Pietatem (vel beneficentiam) malo quàm ſacrificium *Matth.* 9: 13. & *cap.* 12: 7. & *Hoſe.* 6: 6. Benignitate delector, non autem ſacrificio, & cognitione Dei magis holocauſtis. III. *Precum ardor.* Statuitur oratio Juſtorum ut ſuffitus coram Deo: elatio manuum, ut munus veſpertinum. *Pſal.* 141: 7. Oratio rectorum accepta eſt Domino *Prov.* 15. 8: Aſcendit enim fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum e manu Angeli *Redemtoris* ad conſpetum Dei *Apoc.* 8: 4.

IV. Thus in Munere Primitiarum.

Levit. 2: 14, 15. Muneri *primitiarum tuarum addes oleum, & impones thus.* Primitiæ frugum atque Oleum Deo oblata in uſum vitæ Sacerdotibus ac Levitis cedebant. Quia oleum addi primitiis jubet Deus, teſtari voluit, quo animo Miniſtris Eccleſiæ benefaciendum. Oleum hilaritatis ſymbolum eſt, unde & Spiritus Sanctus hilaritatis oleum vocatur, quia hilaritatem efficit, *Pſal.* 45: 8. Dandum igitur animo hilari. *Hilarem datorem diligit Deus.* 2 *Cor.* 9: 7. *In donatione qualibet hilarem præbe vultum tuum, & cum lætitia decimas ſanctas confer. Sir,* 35: 10. *Qui miſeretur, cum hilaritate id faciat:*

ciat: non ſit moroſus, non tetricus, ubi vel de ſuo, vel alieno quoque egenis ſubveniendum eſt *Rom.* 12: 8. Thus autem primitiis impoſitum ſignificat, hoc beneficentiæ donum, ſive eleemoſynam hanc, fore odorem bonæ fragrantiæ, hoſtiam Deo acceptam & placentem. *Phil.* 4: 18. quæ aſcendat in memoriam, in conſpectu Dei. *Act.* 10: 4.

V. PANIBUS FACIERUM IMPOSITUM THUS.

Levit. 24: 7. IMPONES *cuique ordini panum (qui proponuntur Domino) thus purum, ut unicuique pani in memoriale ſuffimentum igne abſumendum Domino.* Collyræ ſeu panes duodecim, pro numero Tribuum Iſraëliticarum duobus ordinibus coram Domino, id eſt, coram Sancto Sanctorum, diſponebantur, ſeni in ordinem quemque ſuper menſam, puram pro alenda ſcilicet Dei familia, id eſt, pro Levitis, & imponebatur cuique ordini thus purum, & pellucidum (quale *Theophraſtus* deſcripſit *Hiſt. plant. lib.* 9. *cap.* 4. non aliarum arborum reſinis adulteratum) quod incenſum in Dei honorem & igne conſumtum, ſingulos tribuum panes teſtabatur, gratos acceptoſque habuiſſe Deum.

VI. OBLATIONI EJUS, QUI PECCAVIT NULLUM THUS IMPOSITUM.

Levit. 5: 11. SI *peccantis manus non aſſequatur duos turtures aut duos pullos columbæ, tunc adferet oblationem ſuam, qui peccavit decimam Ephæ ſimilæ in peccatum: ne addito ei oleum, neque imponito ei thus; quia peccatum eſt.*

Peccantis, id eſt, illius, qui blaſphemiam proximi diſſimulavit, vel immundorum contactu ſe polluit, vel, qui temere juravit. *Si peccantis manus non aſſequatur duos turtures*, id eſt, ſi facultas ejus non proveniat ad duos turtures. *Adferet decimam Ephæ ſimiliæ*: *Aben Ezra* dicit tantum eſſe, quantum viro ſufficiat in cibum per unum diem. Epha modio minor eſt tribus ac dimidia menſura. Medius, autem, ein Simri/ continet menſuras duodecim, quartam partem unam, & ſesqui octavam, zwölf wirtembergiſche maaß/ ein quart und andrethalb octal. Non *addat oleum neque thus adhibeat*, ut ii qui voluntarium offerunt munus, *quia peccatum eſt*, hoc eſt peccatoris oblatio, qui expiari cupiens Deo nihil donat. Cur autem piacularibus victimis, nefas fuerit thus & oleum addere, de eo inſignis eſt *Coccei* obſervatio *ad Cantici cap.* 3: §. 180. ubi, thus, inquit, addebatur muneribus, *Levit.* 2: 1, 15. & panibus propoſitio-

nis

nis. *Lev.* 4: 7. piacularibus, victimis non addebatur. *Lev.* 5: 11. Ratio quia ſacrificium pro peccato erat accuſatio peccati, & notabat mortem Chriſti, ut effectum exſecrationis, ac vim Satanæ ac peccati. Obedientia, quæ eſt à ſpiritu Dei, tanquam oleo, eſt proprie εὐδοκία & εὐωδία apud Deum. Hæc in Chriſti paſſione manifeſtata eſt, atque adeo ipſius θυσια eſt εὐωδια. *Epheſ.* 5: 2. Sed quæ à Sacerdotibus Aaronicis offerebantur pro peccato, quia illa obedientia & charitate deſtituta erant, merito oleo & thure carebant, ut intelligeretur, Deum in illis non habere beneplacitum.

VII. Oblationi zelotypiarum thus non impositum.

Num. 5: 15. Adducet zelotypus *uxorem ſuam ad Sacerdotem, & offeret oblationem ejus pro ea, decimam ephæ farinæ hordeaceæ; ne ſuperfunditor ei oleum, neque imponito ei thus, quia oblatio zelotypiarum eſt, munus monimenti revocans in memoriam iniquitatem. Offeret oblationem ejus*, offeret maritus fertum uxoris pro ea. Mulier enim, ſi puerperam excipias, nuſquam legitur expiatorium attuliſſe ſacrificium, *Levit.* 12: 6. *decimam Ephæ*, paululum ultra pondo farinæ decem, dimidium & quadrantem. *Farinæ hordeaceæ*, ut diſtingueretur à munere peccatoris, quod ſimila conſtabat. *Lev.* 5: 11. *Ne ſuperfunditor ei oleum*: Oleum miſericordiæ typus eſt, quam uxori zelotypus noluit impartiri. Eſt & melioris famæ ſymbolum *Eccl.* 7: 2. quam ſuſpectæ mulieri zelotypus auferebat. Sotæ oblatio non fuit lætifica. Oleum oſſa lætificat, zelus conſumit רקב עצמות קנאה Putredo oſſium eſt zelus vel invidentia. *Prov.* 14: 30. Lætitiam omnem ex pectore uxoris maritus expulit. *Chryſoſtomus Orat.* 5. *adverſus Judæos*: Quoniam id quod gerebatur luctus erat, & incuſatio ſuſpicioque prava, forma ſacrificii, domeſticam calamitatem imitabatur, eoque dicit: non effundes ſuper illam oleum, neque impones illi thus. De non impoſito thure ita ſentio: Thus precum typus eſt. Atqui non ad orandum adducebatur cum munere ſuo Sota, ſed ad probandam innocentiam & conjugalem caſtitatem. *Munus monimenti*, quod mulieris nomine à viro allatum, ut mulierem moneret de ſua culpa vel de innocentia, itaque ℣. 22., id quod de munere ejus in Altari Sacerdos adolevit, dicitur memoriale mulieris ſuffimentum.

VIII. Thuris suffitum non exegit Deus.

Jeſa. 43: 23. Non *premo te, ut ſervias munere, neque fatigo te*

 thu-

thure, id eſt, ut muneribus me coleres ab invito & ingratiis non efflagito; neque ad faciendas thure ſuffitiones impellendo laſſum te reddo.

IX. Thus Deo invisum.

Jeſa. 66: 3. Qui *offert munus mihi non ſecus habebitur, ac ſi offerret ſanguinem porci, qui adolet thus, ac ſi muneraretur idolum*: Si ſcilicet fides abſit, ſi humilis peccatorum agnitio, & contritio cordis, quas præcedente commate ſecundo, in Judæis requirit Deus.

X. Thus expiatorium.

Num. 17: 46. Indito *thuribulo igne ex altari, & impoſito thure expiationem fecit Aharon pro Iſraëlitis ex clade Korachi, atque ſeditioſorum in Deum murmurantibus.* Expositio mystica. Chriſtus Jeſus, quem unum Sacerdotem Pater ſanctificatum ad ſe admovit, *Num.* 16: 5. *Johan.* 10: 36. ut filios mortis expiaret, ignem amoris, de altari crucis & paſſionis ſumtum, thuribulo, id eſt, animo credentis indit, imponitque thus precum, quas Spiritus Sanctus ſuſcitat, ipſeque adeo ſuis coram cœleſti patre fuſis precibus auget. Hinc expiatio.

XI. Thus in urendis defunctis usurpatum.

In funere Regis Aſa multum thuris concremaſſe Judæos ex verbis 2 *Par.* 16: 14. colligitur. *Deponentes eum in cubili, quod impleverant aromaticis ſpeciebus, paratis unguentario opere, combuſſerunt ei uſtionem* odorum *perquam maximam.* Thus & Myrrham in funeribus Romanorum arſiſſe innuit *Martialis Epigr. XI.* 54.

Unguentant caſias & olentem funera myrrham
Thuraque de medio ſemicremata rogo.
Et quæ de Stygio rapuiſti cinnama lecto
Improbe, de turpi, Zoile, redde ſinu.

Et *Statius lib. II. Sylvar.*

Ignis odoriferos exhauſit flamma Sabæos
Et Cilicum meſſes, Phariæque exemta volucri
Cinnama, & Aſſyrio manantes gramine ſuccos.

XII. Suffitus Precum.

Apoc. 5: 8. Quatuor *animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt in conſpectu Agni, tenentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas ſuffituum, quæ ſunt preces ſanctorum.* Expoſitio. *Quatuor animalia*, Doctores Eccleſiæ militantis, quorum alii ſunt leonina, fortitudine, zelo & audacia, alii humilitate, diligentia & laboris patientia,

tia, boves imitantur, alii prudentia, & ſapientia, homines ſe probant, alii ob perſpicaciam in ſcrutandis Dei myſteriis, aquilæ comparantur. *Apoc.* 4: 7. itaque verſu ſexto dicuntur plena oculis retro & ante. *Et viginti quatuor ſeniores*, ſedentes, id eſt, Principes & Magiſtratus Chriſtianos, quorum eſt doctrinas pravas depellere, cultum Dei verum & ſalvificum introducere, dirigere, conſtituere, pietatem ſubditis commendare & conſervare, tranquillitatem denique & honeſtatem vitæ omnibus modis promovere; [*in circuitu throni Apoc.* 4: 4. circa ſedem agni, Eccleſiam, *amicti veſtibus albis*, quæ ſunt regum geſtamina, *& habentes impoſitas capiti coronas aureas*, regum inſignia] *tenentes ſinguli citharas*, parati ad concinendum Dei laudes, *& phialas aureas, plenas ſuffituum*, promti ad ferendas precationes, *ſuffitus enim*, ut heic Spiritus Sanctus expoſuit, *ſunt* preces Sanctorum; Idem docuit Pſaltes, Deum precatus ut ſtatuatur oratio ejus tanquam ſuffitus coram eo. *Pſal.* 142. Plurimas cauſſas video, propter quas Sanctorum preces cum ſuffitu ſacro comparentur. Utrumque Deus Ter Opt. Max. præcepit. Suffitum *Exod.* 30: ℣. *ſeqq.* Preces vero, *Jerem.* 3: 14. *Invocato me, Pater mi, & à me ſequendo ne avertas te. Pſal.* 50: 15. *Invoca me tempore anguſtiæ, eripiam te, ut honore afficias me.* II. Aromata, quorum ſuffitiones Deo probantur, non erant fructus indigena & vernaculus Palæſtini ſoli. Stacte enim & thus ex Arabia, galbanum e Syria, Nardus ex India, & ex ejuſdem nardiferis lacubus Onyx afferebatur. *Diſc. lib.* 2. *c.* 10. Ita Deo acceptas preces non fert humani cordis incultus atque ſterilis ager: orandi donum ſuperne eſt à Patre luminum, qui ſpiritum gratiæ & precum mittit in corda noſtra, clamantem *Abba*, id eſt, Pater. *Rom.* 8: Abſque hoc ſpiritu neſcimus quid orandum ſit, ipſe ſpiritus divinus orare non docet, piaſque cogitationes, vota & ſuſpiria, ſuggerit ac inſpirat, langueſcentibus languorem excutit, ſegniores excitat, preceſque vivifica fidei & patientia aura animat, ut Deo placeant. III. Suffitui ſacro miſcetur ſtacte, id eſt, myrrhæ lacryma, ut moneamur, gratas pœnitentium haberi preces quæ à lacrimantibus funduntur. *Pſal.* 6: 9, 10. *Audit Dominus vocem fletus mei, audit Dominus de precationem meam, Dominus orationem meam acceptam habet.* Etiam Chriſtus in diebus carnis ſuæ, deprecationes ac ſupplicationes obtulit, cum clamore valido & lacrymis, apud eum, qui poterat ipſum ſervare à morte, & exauditis precibus liberatus eſt ex metu. *Hebr.* 5: 7. IV. Menſa aurea ſeu thymiaterium proximum

fuit arcæ ad quam invocabatur nomen, nomen Domini Dei exercituum, inſidentis Cherubinis. Ponebatur enim ante velum, quod erat ante arcam teſtimonii, e regione propitiatorii, quod erat ſupra teſtimonium *Exod.* 30: 6. *Propinquus, nimirum, eſt Dominus ipſum invocantibus, omnibus, qui invocant ipſum fide. Pſal.* 145: 18. V. Suffitum Sacerdos aureo inditum thuribulo, offerebat in aureo altari: quo monemur, ut preces puro corde conceptas, imponamus Chriſto Jeſu, Altari, quod fidelium preces ſanctificat, ut per eum ſint ſuffitus accepti Deo. 1 *Pet* 2: 5. VI. Thus purum, alienis aut ſordidis granis haut inquinatum, à ſacerdote mundo adoleri Deus voluit. Eandem puritatem & munditiem à precantibus requirit, 1 *Tim.* 2: 8. *Volo viros adorare in quovis loco, puras manus attollentes abſque ira & diſceptatione.* VII. Ut ſuavior ſuffitus eſſet multa jungebantur aromatum genera: Multa etiam preces virtutum exercitia perficiunt, nec admiſerit Deus, niſi quæ charitatem, fidem, pacem & juſtitiam ſpirant. Hoc à Timotheo Paulus poſtulat & exſpectat; 2 *Tim:* 22. *Sectare juſtitiam, fidem, charitatem, pacem, cum iis qui invocant Chriſtum ex mundo corde.* VIII. Quod thymiamatis ſacri aromata, non ſine delectu & opere pigmentario miſcuit Bezaleel, id ſignificat, explorato judicio, cogitatoque, & ad voluntatem Dei, preces peragendas. Aliter qui fecerint petent & non accipient, eo quod male petunt. *Jacob.* 4: 3. Neſciunt quid petant. *Matth.* 20: 22. IX. Prunis non impoſita thura odorem ſuum continent, in ſuffitu ardent: ita preces felicium frigidiores, eorum autem qui afflictionis ignem ſuſtinent, ſunt ardentiores. *Jeſa.* 26: 16. *Domine in anguſtia quæſiverunt te, fuderunt ſubmiſſam orationem, caſtigatione tua premente eos. Pſal.* 18: 17. *In anguſtia mea invoco Dominum, & ad Deum meum vociferor; exaudit e templo ſuo vocem meam, & vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus.* X. Uti parum thuris & quantum, verbi gratia, pugillum impleverat, expiatorium in altari ſuffitum fecit; ita preces etiam breviuſculæ & conciſæ, plurimum efficacitatis & gratiæ coram Deo habent. Prolixitatem Chriſtus vetuit: *Supplicantes ne garrite, ut extranei; qui ſe putant ob loquacitatem ſuam exaudiendos. Ne eſte igitur eorum ſimiles: Scit enim Pater veſter quibus egeatis, antequam eum rogetis. Matth.* 6: 7, 8. XI. Suffitus lætificare animum dicitur, *Prov.* 27: 9. At magis lætificant in cœleſtis Patris ſinum effuſæ preces. Lætificabatur animus Davidis quia ad Dominum animum ſuſtulit. *Pſal.* 86: 3, 4. Semper in omni deprecatio-

ne

ne pro omnibus Philippenſibus, cum gaudio Paulus deprecabatur. *Phil.* 1: 4. XII. Sicuti thus incenſum non reddit ſonitum, neque ut Juniperi ligna crepitat: ita precum ardentiſſimæ ſine verborum ſtrepitu & jactatione, vel in ſilentio vel occulto peraguntur, modo ſcilicet quem Chriſtus præcipit. *Matth.* 6: 6. *Tu vero quum orabis, ingreditor conclave tuum, & clauſa janua Patrem tuum ora in occulto: & Pater tuus, qui occulta videt, tibi palam reddet.* XIII. Suffitus e thymiaterio indiviſus & continuato tractu aſcendit, in hoc, precibus fidelium ſimilis, quæ non intermiſſæ, nec alienis cogitationibus interpolatæ, in cœlum feruntur. Moſe manum attollente vincunt Iſraëlitæ, remittente Amalekus. *Exod.* 17: 1. Apoſtoli præceptum eſt: *orate centinenter*, 1 *Theſſ.* 5: 17. XIV. Uno quoque mane, quum aptarentur lucernæ, adolendus in thymiaterio fuit ſuffitus, ſimiliter, quum accenderentur lucernæ in media veſpera adolebatur: Suffitus jugis erat coram Domino. *Exod.* 30: 7. Typum geſſit precum mane & veſpere fundendarum. Unoquoque mane, quum ad munia vitæ obeunda evigilant, & in media veſpera inclinante die, precibus Deum conveniunt fideles. Veniunt ante eum in crepuſculo, ut vociferentur, in verbo ejus ſpem habent. *Pſal.* 119: 147. Rogant obſecrantque Dominum: *Mane nobiſcum; appetit enim veſpera & dies inclinavit. Luc.* 24: 29. XV. Thura & odores ingeſſit Pontifex non pro ſe ſolo, ſed & pro populo: Chriſtianus etiam non pro ſe tantum, ſed pro Eccleſia etiam Chriſtiana, Deum precatur, quin imo ſecundum Pauli monitum pro omnibus hominibus, pro regibus & quibuſvis in eminentia conſtitutis. Nam hoc bonum eſt & acceptum in conſpectum Servatoris noſtri, 1 *Tim.* 2: 1, 2, 3. In aperto igitur poſitum, factas fidelium preces, thus à ſummo Hebræorum Pontifice oblatum figuraſſe. Verum aliter Eccleſiæ Romanæ viſum, quæ, utut præcepto Dei deſtituta, thura malo fugando dæmoni, conſecrandis altaribus, vaſibuſque ſacris, & exſequis, aſſignavit. Ita enim conſecrati thuris habet formula: Dignare reſpicere, benedicere & ſanctificare, hanc creaturam incenſi, ut omnes languores, omneſque infirmitates, cunctæque inſidiæ inimici, odorem ejus ſentientes effugiant, & ſeparentur à plaſmate tuo, nunquam lædatur à morſu antiqui ſerpentis, &c. Vid. *Alb Caſtellani Pontificale.*

XII. Collis thuris.

Cant. 4: 6. Donec *ſpiraverit dies, & diffugerint umbræ: ibo ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Donec ſpiraverit dies*, donec

 ſolis

ſolis calorem temperaverit aura veſpertina. לרוח היום uſque ad ventum diei refrigerium, uſque ad veſperam, quo tempore lenior ventus ſurgit, ſpirantque ut Ariſtoteles etiam obſervavit, Zephyri. *Vid. Fulleri Miſcell. lib. cap.* 3: 8. *diffugerint umbræ*, inclinaverit dies, uſque ad extremum diei tempus *ibo*, id eſt, adero, vel amabo, quo etiam ſenſu legitur. *Prov.* 15: 12. *Non amat* eum ſcurra, à quo caſtigatur: Sapientes *non adit. Ad montem myrrhæ*, id eſt, ad montem in quo myrrhæ copia; ad collem thuris, in quo thuris. Expoſitio Myſtica. Sunt hæc verba Chriſti: Eccleſia eſt Mons Domini, *Jeſa.* 2: 2, 3. quem acquiſivit dextera ejus, *Pſal.* 78: 54. mons myrrhæ, collis thuris, quia ex eo precum ſuffitus noctesque dies que aſſiduo in cœlum aſcendit. Mens igitur dicti: Uſque ad mundi veſperam, uſque ad finem dierum, adero precanti Deum Eccleſiæ; id quod etiam promiſit. *Matth.* 28: 20. *Ego vobis adfuturus ſum diebus omnibus, uſque ad finem ſeculi.*

XIII. THUS PUERO JESU DATUM.

Matth. 2: 11. HUMI *proſtrati* ex Arabia venientes Magi *adoraverunt* recens natum Judæorum Regem *Jeſum*, *apertiſque theſaurorum thecis*, *obtulerunt ei*, more orientalium, qui ſine muneribus coram Rege non comparuerunt, *aurum*, *thus*, *&* *myrrham*. Teſtabantur autem his donis, Regi Chriſto debere ſe obſequium fidei, cultusque & venerationis ſinceræ ſtudium & ſanctitatem. Aurum enim fidei, 1 *Pet.* 1: 7. myrrha & thus, quatenus adolentur, precum ſunt & cultus divini ſymbola. *Apoc.* 5: 8. Myſteria, quæ ſecundum veterum ſententiam hæc munera denotaverint, *Prudentius in hymno Epiphaniæ* prodit:

Regem Deumque annunciant
Theſaurus & fragrans odor
Thuris Sabæi; ac myrrheus
Pulvis ſepulcrum prædocet.

Expreſſit etiam *Juvencus* à S. Hieronymo commendatus:

Aurum, thus, myrrham, Regique, hominique, Deoque
Dona ferunt - - - - - - -

aurum ſcilicet, ut Regem, thus ut Deum, myrrham ut hominem, faterentur, cujus corpus à putrefactione illæſum, incorruptumque ſervetur. *Vid. Janſenius Comment. in Evangelium Matthæi p.* 17.

CAPUT

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

Terebinthus.

TEREBINTHI reſina, fructus. Nomen in ſacris voluminibus non repertum. Nec enim fructus ejus ſunt Botnim, quod nomen Ponticis nucibus tribuendum. Arabum Perſarumque lingua Terebinthus vocatur Arbor-Ben vel Botm. Reſina dicitur צרי. *Ex Tſeriben natum videtur nomen Terebinthus. Reſinæ terebinthinæ copia in Gilhaditide Arabiaque Petræa. Terebinthus prope Quercetum Mamre. Terebinthorum longævitas. Explicatur locus Jerem.* 18: 22.

S*IRAC*. 24: 16. *vel* 18. Ego, *Sapientia*, velut Terebinthus extendi ramos meos, ſuntque glorioſi & gratioſi rami mei. *Terebinthus* folio eſt fraxini, craſſiore pinguioreque & rotundiore, cotino proximo. Ligni materies lentiſco ſimilis, quemadmodum & cortex. Radices validæ, alte deſcendentes. Flos oleæ ſimilis, ſed rufeſcens, e quo fructus rubens racematim prodit, uvarum modo, juniperi baccarum magnitudine, reſinoſus duruſque. Reſina e trunco manat, ut e reliquis plantis ipſam fundentibus, liquida & odorata, larignæ aut abiegnæ ſimilis, cæteriſque præſtantior, lentiſcina excepta. *Matthiolus ad cap.* 77. *lib.* 1. *Dioſcoridis.* Eam *Theophraſtus* ita deſcripſit. Materies Terebintho lenta, radices validæ in profundo, atque in totum incorrupta hæc arbos habetur; Flos oleæ verum colore rufo; Folia circa unum pediculum, pleraque ſpecie laurinorum, conjugatim quemadmodum ſorbo, quodque parte extrema acuminet, impar exit: verum minus angulata, quam ſorbo, ambituque laurino ſimiliora, & pinguia cum univerſo fructu. Fert & ad nucis ſimilitudinem quædam concava ut ulmus; quibus beſtiolæ tanquam culices innaſcuntur. Fit in his reſinoſum quid lentumque: ſed reſina tamen non hinc legitur, ſed à ligno. Fructus reſinæ copiam non mittit, ſed manibus tantum adhæret, & ſi non lavetur, poſtquam collectus eſt, inter ſe cohæreſcit: cum vero lavatur, candidus probeque non maturus ſupernatat, niger ſubſidit. *lib.* 3. *Hiſt. cap.* 15. Hebraicum terebinthi nomen in Scripturis Sacris non reperio. Nec enim *Salmaſio*

maſio aſſenſerim, qui Hieronymum ſequutus בטנים *Gen.* 43: 11. inter munera Joſepho miſſa, terebinthos dici putat, pro fructu terebinthi, ideo maxime quod etymo conveniat; à ventre enim vel utero adpellari, quia grana terebinthi referant utriculi effigiem intro quadantenus cava. Quam enim fructus ſimilitudinem & ventriculi fingit, ei nec peculiaris eſt, nec talem, qui eum viderint, agnoſcent. Alpinus certe, qui ipſe in Ægypto balſamum coluit, carpobalſamum fructui terebinthino, ut *Theophraſtus* Autor eſt, tam magnitudine & figura quam colore ſimillimum, longe alia, quam *Salmaſius* forma depinxit. Alii juniperorum baccas magnitudine & figura eum referre dicunt. Eundem *Dioſcorides* ſambucinis tradit ſimilem, ex nigro purpuraſcentem, racemoſum, ſuccoſum, vinoſumque. *lib.* 4. *cap.* 175. Nec quicquam probat, quod cum amygdalis terebinthi grana recenſeri, & ἐδώδυμα orientalibus ea fuiſſe memorat. Quis enim fructus in nucum genere amygdalis accenſeri non poteſt? aut quis in eo non eſt eſculentus? Potiori igitur jure, quod & *Bocharto* placuit, ventriculi effigies & ſaporis gratia, tribuetur nucibus Ponticis rotundis, majoribus. Arabes tamen & Perſæ terebinthum بن *Ben*, vel درجت بن *dergat-ben*, & شجرة بطم *ſchegrath-botm*, & reſinam ejus علك البطم *halc albotm* & صمغ البطم *ſamag albotm* vocitant, quæ Hebræis eſt צרי *Tzeri*, vel צרי *Tzori*, deducto nomine à verbo צרה, quod Arabibus صري *tsara* ſcriptum ſignificat fluxit, manavit, unde & صرو *Tsirwon*, vel *dsaru*, lacryma arboris ſive reſina. In Chaldaico ſermone צרה eſt reſcindere. Utrumque etymon convenit reſinæ. Ex cortice enim manans lenta materia, ab iis qui legunt eam, reſcinditur. Ex צרי igitur & Arabico بن *ben*, vel adſcita fœminea terminatione *binthon* natum videri queat nomen צרי־בן, vel טרי בנתא, & cum barbara terminatione Terebinthos. צ enim literam Græci aliquando in T, vertunt, ut ex צור fecerunt Tyrus, ex צוען Tunis, vel Tanis, eundemque ſibilum Syri mutant in ט, ut in Tabitha, caprea, vel Dorcas,

Dorcas, & in קיט æſtas. Ipſum vero צרי generalius reſinæ nomen in terebinthi lacrymam tranſiit, quia inter cæteras reſinas omnes ſibi primas vendicat. *Dioſcorides cap.* 91. *lib.* 1. Reſinas omnes antecedit terebinthina, proxima huic lentiſcina, deinde pinea & abiegna. *Plinius lib.* 20. *cap.* 20. In Oriente optimam tenuiſſimamque terebinthi fundunt. Ibn Sina capite de grano viridi, qui fructus eſt terebinthi, hanc reſinam cæteris præſtare dicit, & poſt eam primas tenere maſtichen, quæ eſt lentiſci reſina. Reſolvitur reſina ad vulnerum uſus & malagmata, oleo, in potiones amygdalis amaris. Natura ejus eſt, in medendo contrahere vulnera, purgare, diſcutere collectiones. *Plin. lib.* 14. *cap.* 20. Afferebatur in Judæam & Ægyptum nobiliſſima omnium ex Gilhaditide, *Jerem.* 8: 22. *An reſina nihil eſt in Gilhade? an medicus nullus eſt ibi? Jerem.* 46: 11. *Aſcende Gilhadem & accipe reſinam virgo, filia Ægypti: in vanum adhibes multas curationes, emplaſtrum nullum prodeſt tibi*, id eſt, vulnera accipies incurabilia: fruſtra cladem recuperaveris. *Gen.* 37: 25. *Etiam cœtus commeantium Iſmaëlitarum ferentes reſinam veniebant ex Gilhade. Ezech.* 27: 17. *Tritico Minnithæ* (urbis ad confinia Ammonitidis, qua ſeptentrionem ſpectat, *Judic.* 11: 31.) *panace, melleque & oleo, ac reſina, negotiabantur* Judæi & Iſraëlitæ cis Jordanem, in nundinis Tyriorum. Licet igitur Gilhaditis reſinæ terebinthinæ proventu abundarit, non tamen omnem gloriam abſtulit Judaicæ. Ex Judæa enim Joſepho in donis miſit Jacobus reſinam, quæ canticis terræ, id eſt, laudatiſſimis Judææ plantis annumerata *Gen.* 43: 11. Reſina terebinthi, ut ſcribit *Dioſcorides*, ex Arabia Petræa (Gileaditidi vicina) defertur. Provenit etiam in Judæa *lib.* 1. *cap.* 76. Prope Quercetum Mamre ſtabat, Hieronymi ævo, Terebinthus antiquiſſima. Diſtat, inquit, libro de locis Hebraicis, ab Ælia, millibus circiter viginti duobus, Quercus Abraham, quæ & Mamræ *quercetum*, uſque ad Conſtantii Regis imperium monſtrabatur, & Mauſoleum impræſentiarum cernitur. Cumque à noſtris jam ibidem Eccleſia ædificata ſit, à cunctis in circuitu gentibus Terebinthus ſuperſtitioſe colitur; eo quod ſub eo Angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperat. *Euſebius lib.* 5. *Demonſtr. Evang. cap.* 9. Uſque in hunc diem, ab iis, qui vicini ſunt, hic locus tanquam ſacer colitur, in honorem eorum, qui Abrahamo apparuerunt, & conſpicitur huc uſque permanens Terebinthus. *Sozomenus lib.* 2. *cap.* 4. *Hiſtoriar.* Mercatum, ait, ſub illa Terebintho

Ggg

bintho quotannis inſtitui ſolitum. Exponit etiam non ſubleſtæ fidei ſcriptor apud authorem Bibliothecæ univerſalis hanc de antiquiſſima prope Hieruſolymam terebintho narrationem: Conſpecta prope Hieruſolyma fuit Terebinthus, quæ inde à Chriſto nato ad noſtra uſque ſtetit tempora. Ante aliquot abhinc annos ab Æthiope quodam combuſta fuit, incertum an incuria vel odio Chriſtianorum. Quicquid horum ſit, inquit author, paucos poſt dies Æthiops cum univerſa familia miſerrime periit. *Joſephus de Bello Jud. lib.* 5. *p.* 295. Cernitur ſexto ab Hebrone ſtadio arbor maxima Terebinthus, eamque memorant ab initio mundi creati nunc uſque durare. Antiquior ergo fuerit ipſa Hebrone oppido, à cujus conditu *Joſephus* laudato loco duo millia & trecentos annos commemorat, quam ætatem nulla arborum æquaſſe legitur, licet prodigioſa vitæ ſpatia quædam compleverint, quarum in numero apud *Plinium* memorata Oliva in Litermino, Africani prioris manu ſata, & Lotus in Lucinæ area, & altera in Vulcanali, æquæva urbi, & cum ea æqualis Cupreſſus, circa ſuprema Neronis tempora prolapſa, & vetuſtior Urbe in Vaticano Ilex, & Platanus Agamemnonis manu, & quercus duæ circa Heracleam ab Hercule ſatæ, & Olympiæ Oleaſter, ex quo primus Hercules coronatus eſt. *lib.* 18. *cap.* 43. Sed redeo ad locum *Jeremiæ* 8: 22. *An reſina nihil eſt in Gilead? an medicus nullus eſt ibi?* Secundum interpretes verba ſunt Dei, deplorantis vel populum ſalutis ſuæ curam temere negligentem, vel acerrimi morbi, quo urgetur hic populus gravitatem. *Theodoretus* enim ita commentatur; Medicos appellat Sacerdotes, & doctrinam ſpiritualem reſinam figurate. Conqueritur ergo quod civitas perſeveraverit in delicto, nec pœnitentiam receperit, cum tamen non deeſſent Sacerdotes, & præcepta legis. Sic etiam *Hieronymus*; & à neutro diſſentiens *Coccejus*: Senſus eſt allegoricus: Annon in populo Iſraëlitico verbum Dei, verbum fœderis, verbum conſilii, verbum renovationis, conſilium Dei, quod qui ſequitur effugit omne malum? An medicus non eſt in eo? hoc eſt, Propheta & Doctor, qui eam animæ medicinam diſpenſet, qui moneat, qui vigilet, qui inſtet, nec ſinat homines perire in ſua ignorantia? Quare igitur, ſi & opobalſamum eſt, & medicus eſt, non convaluit filia populi mei? Significat eam eſſe duritiem & cœcitatem populi ſui, ut nec medicos agnoverint, nec medicina uti voluerint, hoc eſt, & conſilium bonum, & quidem

ex verbo Dei petitum repudiaverint. At *Lucas Oſiander* hoc vult Deum dicere: Annon deplorandum eſt, nullum inveniri poſſe conſilium aut auxilium, quo ſervaretur populus Iſraeliticus? cum antehac in illa gente fuerint viri excellentes, qui conſilio & virtute res collapſas reſtituerunt.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

Balsamum.

DESCRIBITUR Balſamum à Dioſcoride, Pauſania, Plinio, Strabone, Juſtino. Qua menſura fuerit collectum. Locus natalis vallis Hiericuntina. Balſami plantam, prima in Judæam Saba Regina intulit. Balſami Arabia olim ferax. Hodie juxta Cairum Ægypti metropolin provenit. Ejus colligendi modus. An in ſacro codice memoretur, dubium eſt. Maimonides vocatum exiſtimat Neteph, Kimchius Tzeri, Jarchius Pannag, & Schemen hattob, Coccejus Baſam, Cant. 5: 1. Refutantur laudati authores. Balſami arbuſcula Imago Chriſti recens nati, & circumciſi.

I. Balsami descriptio.

BALSAMUM arbor, ut *Dioſcorides* tradit, Lycii ſeu Pyxacanthæ magnitudine conſpicitur, foliaque habet rutæ proxima, ſed candidiora multò & perpetuo magis virentia. In unius Judææ certa quadam convalle & Ægypto naſcitur. Differens ipſum à ſe ipſo ſcabritia, proceritate, & gracilitate. Quod igitur in frutice tenue & capillaceum eſt, θεριςὸν, quaſi demeſſile dicitur, quoniam fortaſſis ob gracilitatem facile demetatur. Quod vero Opobalſamum dicitur, æſtivis ſub ortu canis temporibus excipitur, inciſa ferreis unguibus arbore. Sed tam paucum exſtillat, ut quotannis vix plures quam ſeni ſeptenive congii colligantur, inibique pondus argento duplo rependitur. Eſt autem bonus ſuccus, qui recens eſt, validi odoris, ſincerus, non ſubacidus, dilui facilis, lævis, adſtringens, & linguam modice mordens *lib.* 1. *cap.* 18. Arboris magnitudinem & formam alii aliter delineare conati ſunt. Pauſanias quidem in Bœoticis, naſci prodidit in Arabia, magnitu-

dine fruticis myrti, foliis ſampſuchi herbæ. At *Plinius lib.* 12. *c.* 25. balſami arbuſculam viti quam myrto ſimiliorem eſſe ſcribit: huic folium eſſe rutæ proximum, proceritatem intra bina cubita ſubſiſtere. *Theophraſtus* vero *lib.* 9. *de plantis cap.* 6. magnæ punicæ malo ſimilem eſſe dixit, folio rutæ proximo, fructu terebinthi. *Strabo lib.* 6. *Geograph.* autor eſt cytiſo & terebintho perſimilem eſſe. *Juſtinus Hiſtor. lib.* 36. pineis arboribus formam ſimilem habere, niſi quod ſit humilis, & in vinearum morem excolatur.

II. QUA MENSURA FUERIT COLLECTUM BALSAMUM.

DE ſucco *Plinius*: Succus e plaga manat, quem opobalſamum vocant, ſuavitatis eximiæ, ſed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Ætate Alexandri, qua vixit Theophraſtus, totidem, quot Dioſcorides memorat, congii omnibus annis colligebantur. Contra *Plinius* narrat ſuo ævo vel ſingularum arborum venam largiorem fluxiſſe, ex ſingulis nempe arboribus plus tum balſami collectum fuiſſe, quam Alexandri temporibus & Theophraſti, ex omni totius anni fœcunditate. Ita enim is: Alexandro Magno ibi, *id eſt*, *in Judæa*, res gerente, toto die æſtivo unam concham impleri juſtum erat homini. Anni vero fœcunditate e majore horto congios ſenos, e minore ſingulos, cum duplo rependebatur argento. Qui ſunt ſeptem congii, quos ſingulis annis colligi refert Dioſcorides. Addit Plinius: Ante victoriam Romanorum, in Judæa arborum balſamum ſudantium duo tantum erant horti, iique regii, & paucorum jugerum. Sub Romanis ſpatium amplificatum eſt, & arbores propagatæ & plures factæ, nec propagatione tantum numeroſiores, ſed etiam cultura & cura proceriores ſingulæ effectæ; unde duplici modo uberius balſamum colligi cepit. Vid. *Salmaſ. ad Solin. p.* 591.

III. LOCUS NATALIS.

VALLIS, in qua natum refert balſamum Dioſcorides, intelligitur ea, quæ ab Hierichunte inter montes juxta mare mortuum extenditur, in qua vineæ Engedi, id eſt, balſameta vinearum in morem exculta, *Cant.* 1: 14. De eadem valle *Juſtinus lib,* 36. Eſt namque vallis, quæ continuis montibus velut muro quodam cincta ad inſtar caſtrorum clauditur, ſpatium loci ducentûm millia jugerum. Nomine Jericho dicitur. In ea valle ſilva eſt & ubertate & amœnitate arborum inſignis, ſiquidem palmeto & opobalſamo

mo diſtinguitur. A Strabone eadem vallis adpellatur Hierichus. Ἱερικοῦς ἐστι πεδίον περιεχόμενον ὀρεινῇ τινὶ Hierichus eſt campus montibus circumdatus. Quin & Zoarem genuiſſe balſamum, author eſt Hieronymus, qui libro de locis Hebraicis voce Segor vel Zoara: Imminet, inquit, mari mortuo, & præſidium in ea poſitum eſt militum Romanorum. Habitatoribus quoque propriis frequentatur, & apud eam gignitur balſamum, & poma palmarum, antiquæ ubertatis indicia.

IV. Balsami plantam prima in Judæam Sabæ Regina intulit.

Si verum eſt, Sabæ reginam balſami ſurculos in Judæam Salomonis temporibus intuliſſe, natales ſuos, non, ut Joſephus voluit, Æthiopiæ, ſed Arabiæ debet. Saba enim urbs eſt & regio in Arabia Felici, quæ & Aljeman, id eſt, Auſtri cognomine apud Arabes notatur, & hinc illa, quæ 1 *Reg.* 10. Regina Sabæ dicitur, *Luc.* 11: 31. βασίλισσα Νότου, *Regina Auſtri* appellatur. Balſamum autem in Arabia proveniſſe, & Strabo memorat *Geograph. lib.* 16. &, ut ſupra docuimus, Pauſanias in Bœoticis teſtatur. Noſtra tempeſtate juxta Cairum, Ægypti metropolin eſt ad Materea hortus balſami, arbuſculis undique conſitus, nec ulli hominum vel unius iſtarum potiundi datur facultas, ex quo poſt occupatam Palæſtinam, juſſu Turcarum Imperatoris, omnes ex ea frutices translati ſunt in hortum Matereæ, qui duobus à Cairo millibus diſtans, à Janitſaris ſolicitiſſime cuſtoditur. *Malletus Coſmogr. part.* 3. *p.* 32.

V. Modus colligendi balsamum.

Jam & modum colligendi varium tradunt Autores. Theophraſtus enim & Dioſcorides ferreis unguibus ſcalpi ſolitum hunc fruticem. Plinius contra incidi vitro, lapide, oſſeisve cultellis. Ferro enim, inquit, lædi vitalia, odit: emoritur protinus, eadem amputari ſupervacanea patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid corticem violet. Sic etiam Cornelius Tacitus prodidit, ſi ferri vim adhibeas pavere hanc arborem, ideoque venas fragmine lapidis aut teſta aperiri. Hos cum Theophraſto & Dioſcoride, ita conciliari poſſe exiſtimat Joannes Antonius Saracenus, Scholiis ad Dioſcoridem: ſi dixeris id unum omnes voluiſſe in vulneranda balſami arbuſcula, cavendum unice, ne quid ultra corticem violetur, adeoque à cultellorum ferreorum acie abſtinen-

ſtinendum. At ferreis ungibus, hoc eſt, inſtrumentorum ferreorum eo genere, quod ad unguis humani figuram convexum ſit, quidni corticem inviolato intactoque caudicis ligno ſculpere liceat, haut ſecus, atque vitro, teſta, fragmine lapidis, oſſeisve cultellis. Ejusmodi ferreorum unguium mentionem quoque facit Columella, *lib.* 12. *c.* 18. quibus vindemiatores unguium vice ad colligendas uvas uti voluit, ut nec manibus uvas diſtringerent, ſicque non minima fructus portio diſperſis acinis in terram dilaberetur.

VI. AN IN SACRO CODICE MEMORETUR DUBIUM EST.

HACTENUS ergo ſpeciem arboris, natalemque locum, & artem colligendi ſuccum, ex veterum ſcriptis exponere licuit. Nomen vero nobiliſſimi fruticis atque ſucci vernaculum, in ſacris quæſitum, non invenimus, nec quisquam alius in tanto Interpretum numero, declaravit. Vocabula enim, quæ à Sacris Scriptoribus balſamo impoſita putant, ea, ſi rem penitius examines, liquebit, ad alios ſuccos, aliaque ſpectare aromata: *Jarchius in Comment. ad Exod.* & *Moſes Majemonides in Jodhazaka* balſamum Hebræis dici autumant נטף & per nomen קטף explicant, quo ipſorum opinione balſamum adpellatur. Kimchius vero contendit vocari balſamum צרי vel צרי & hanc, ait, veterum eſſe ſententiam. R. Salomo etiam פנג, quod *Ezech.* 27: 17. mercibus annumeratur ab Iſraëlitis ad Tyrias nundinas allatis, balſamum interpretatur. Idem Salomo balſamum ſignificari ait per שמן הטוב oleum optimum, 2 *Reg.* 20: 13. In Gemara ad illud *Jeſaiæ* 41: 19. והדס ועץ שמן annotatur: Hadas eſſe myrtum, & *hetz ſchemen*, arborem oleoſam, balſamum. *Tana: fol.* 21: 1. בשמי quod, inquit *Coccejus Cant.* 5: 1. diſtinctum ab aliis aromatibus, forte notat balſamum, quod Chaldæi dicunt Apharſamon. Ab his omnibus diſſentio. Quod ne gratis facere videar, diſſenſus mei cauſas afferam. Primo igitur balſami nomen tuliſſe negamus vocem נטף, quoniam Nataph unguento ſacro additum legitur, à quo omnes indigenarum plantarum fructus excludebantur. Peregrini autem eſſe debuerunt, ut ſignificaretur myſterium, id quod in nobis vel ex nobis naſceretur, Deo nos reconciliare, gratosque & acceptos reddere non poſſe; ſed per alienam gratiam placere Deo. Potiori igitur jure, in iſtius nominis poſſeſſionem venit ſtacte, vel pretioſa illa ex myrrha ſtillans lacryma, quæ non vi, ut balſami ſuccus vitro aut teſta elicitur, ſed ſua ſponte fluit longeſ uaviſſima. Quare Nataph

taph in ſtacten verterunt LXX. Pagninus, Junius & Tremellius: nec abit ab eorum mente Chaldæus, qui נטופא id eſt, ſtillam, & Vulgatus, qui guttam, ſudantis ſcilicet myrrhæ, reddidit. *Tzeri* autem vel *Tzori*, cum Piſcatore balſamum interpretari, eſt prorſus ἀνιστόρητον. *Geneſ.* 43: 11. legitur Iſmaëlitas Tzeri ex Gileaditide exportaſſe: balſamum vero non trans Jordanem, ſed in campis & vallibus Hierichuntinis, in vineis Engedi cis Jordanem amnem proveniſſe, teſtes dedimus *Joſephum Antiquitat. lib.* 4. *cap.* 3. *Strabonem lib.* 16. & *Trogum lib.* 35. quibus & *Diodorum Siculum* adjungimus *p.* 224. Quid, quod tempore quo Jacobus *Tzeri* inter munera miſit Joſepho, ſi Flavio Joſepho credimus, balſamum in Judæa nullum naſcebatur? *Antiq.* 8: *c.* 2. Ipſe igitur Tzeri terebinthum reddit, cum melle eam referendo: τερέβινθον καὶ μέλι δωρεὰς. *Antiq. lib.* 2. *c.* 5. & Septuaginta, quos fere ſequitur: δῶρα τῆς ῥητίνης καὶ τοῦ μέλιτος, dona reſinæ, ſcilicet terebinthinæ, & mellis. Nec obſtat, quod in Græca verſione ſequitur, καὶ τερέβινθον καὶ στάκτην. Videtur enim intelligere nuces terebinthinas, uti etiam *Botnim* accipiunt Belgæ & Tremellius; vel in animo habuiſſe piſtacia, terebinthi fructibus, ut in Hiſtoria Plantarum Dalechampius, & ad Dioſcoridem Matthiolus docet, ſimillima. Sed & Onkelos Hebræa מעט צרי exponit æquivalentibus verbis, זער קטף paululum reſinæ, *Gen.* 43: 11. & צרי, quod ex Gileaditide ab Iſmaëlitis exportatum ſimpliciter קטף, id eſt, reſinam dicit. *Exod.* 37: 25., &, quia myrrhæ lacrymam pro reſina habuit, idem etiam נטף per קטף reddidit. *Exod.* 30: 34. Nec etiam in פנג poni balſami nomen poteſt, quoniam & Pannag indigena Iſraëlitarum merx fuit, ut & R. Salomo fatetur ad 2 *Reg.* 20: 13. idemque ex ipſius Ezechielis textu conſtare poteſt. Nec veriſimile eſt tam pretioſum ſuccum in hortis tantum regiis & in regios natum uſus, per mercatores ad Tyrias nundinas fuiſſe exportatum: uti, nimirum, nec hodie Turcarum Imperator balſamum in Ægypto natum divendit, ſed vel in theſauris ſuis ſervatum oſtendit peregrinis, vel ad luxuriam ipſe eo abutitur, vel hoc munere Principes & Reges honorat. Porro nec שמן הטוב Oleum illud præſtantiſſimum, quod Legatis Babyloniis præmonſtravit Judæorum Rex Hiskias, pro balſamo habendum eſt, eo, quod balſami liquor ex oleorum genere non eſt, nec per ſe oleum facit, ut in Syriæ maritimis, quod & æomeli vocant. Nec denique בשם *Cant.* 5: 1. memoratum, balſami

ſuccum

ſuccum notaverit; decerptus enim cum myrrhæ lacryma dicitur. Ingreſſus hortum meum ſoror mea, ſponſa, decerpſi myrrham meam עם בשמי cum aromate meo. Succus autem balſami à frutice ſuo non avellitur, non decerpitur, ut in myrrha, quum nec lentus ſit, nec dureſcat, & ut *Strabo* memorat, in vaſis ſuſceptus, tenaci lacti perſimilis, demum in conchis coaguletur. *Geogr. lib.* 16. *Videatur & Pometus Hiſtoire de drogues p.* 275. Qua de cauſa etiam Chaldæorum קטף, quod & ipſum abſcindendi & decerpendi verbo originem debet, perperam de balſamo exponitur, Onkeleſio monente, accipiendum de tenacius hærente myrrhæ lacryma, vel de terebinthi reſina, quæ cum lenta ſit à cortice abſcindi & decerpi ſolet.

VII. BALSAMI ARBUSCULA, IMAGO CHRISTI RECENS NATI ET CIRCUMCISI.

I. NON alias quam in Judæa naſcebatur balſamum: nec alibi naſci, Chriſtus debuit quam Bethleemi Judææ oppido. 2. Balſami arbuſcula inciditur vitro, lapide, oſſeiſve cultellis. Chriſtus octavo poſt nativitatem die ſecundum legem circumciſus fuit. 3. Succus ex plaga arbuſculæ manans, eximiæ ſuavitatis eſt, virtutis maximæ: Sanguis Jeſu Chriſti in circumciſione & in cruce effuſus, efficaciter adverſus animæ morbos auxiliatur, & illius ſuavitate in ſpirituali animæ deliquio reficimur. 4. Properabat naſci balſami arbuſcula, intra tertium annum fructifera: Similiter à prima pueritia Jeſus proficiebat ſapientia, & ſtatura, & gratia, apud Deum & homines. 5. Sævicre in balſamum Judæi, ſicut in vitam quoque ſuam, teſte *Plinio Hiſt. Nat. lib.* 13. *cap.* 25. Sævierunt & iſti in Jeſum Nazarenum, nec veriti ſunt vitæ Principem interimere.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

LENTISCUS.

RESINA lentiſci propria & impropria. Chia & Cretenſis. Alia ex humili ſpina nata. Ejus, quæ ad nos ex Chio vel Scio deportatur hiſtoria. Maſtices nomen eſt Chi vel Kic, & ab eo Chios Inſula eſt adpellata, non, ut Bocharto viſum ab Chivjan, id eſt, a ſerpentibus.

Len-

LEntiſcus arbor, Græcis σχῖνος, Hiſt. Suſannæ verſu quarto & quinquageſimo, reſinam fundit, quam Maſtichen vulgo dicunt, quam & ex herba veteres natam memorant. Hinc proprie & improprie dictæ diſcrimen. Proprie dicta eſt ea, quæ ex lentiſco effluit alba vel viridis apud Dioſcoridem, vel ut Galenus, alia alba, quæ eſt Chia, omnium laudatiſſima, alia nigra, quæ Ægyptia. Habetur & Cretenſis, quæ flava eſt & amara. Improprie dicta eſt ea, quæ ex ſpinoſa planta emanat, ut habet Theophraſtus ſexto Hiſt. cap. 4. vel ut Plinius ex humili ſpina, quæ planta Chamæleon albus Dioſcoridi libro tertio dicitur, qui ſcribit Ixion aliquibus, ideo vocari quod quibuſdam in locis viſcum circa radices ejus reperiatur, quo pro maſtiche utantur mulieres, & Theopraſtus acanthicen maſtichen vocat, Gaza ſpinalem vertit. Plinii deſcriptionem ipſius verbis ſubſignavimus: Sed maſtice quoque gemina eſt, quoniam & in Aſia Græciaque reperitur, herba radice folia emittens & carduum ſimilem malo, ſeminis plenum: lacrymaque erumpit, inciſa parte ſumma, vix ut dignoſci poſſit à maſtice vera. Nec non eſt tertia in Ponto, bitumini ſimilior. Laudatiſſima autem Chia Candida, cujus pretium in libras xx, nigra vero xii. Hiſtor. Natur. lib. duodecimo, c. 17. Quæ ad nos comportatur, & in univerſam fere Europam, in Chio tantum, Ægei maris inſula, provenit, ex domeſticis ſolum lentiſci plantis, vulnerato quotannis arboris trunco. Fluit enim inde maſtiche, & in terra circumpavita concreſcit. Maſtiches id omne, quod in tota Inſula provenit, Reipublicæ debetur, quo fit, ut qui vindemiæ tempore propriis in agris maſtichen colligunt, id totum abſque dolo in commune ferant. Mulctantur ſecta manu, qui lentiſcum maſtichen fundentem in proprio vel alieno agro exciderint: tanta eſt maſtiches cura & reverentia apud Chios. Nec abs re quidem, cum illis tantum Mundus fere univerſus tam neceſſarium ac ſalubre medicamentum acceptum referat. Ita quidem ſentit Matthiolus. Negabunt autem hoc cum Batavis Luſitani, qui magnam ejus reſinæ copiam ex India etiam Orientali afferunt. In ſacris voluminibus maſtiche nullo nomine cenſetur. Syris tamen *Chi* vel *Kie* vocatam fuiſſe teſtis Hironymus, vel quisquis fuerit eruditus ille nominum de Actis Apoſtolorum interpres, ita ſcribens: Chios inſula ante Bithyniam, cujus

nomen Syra lingua maſticen deſignat, eo quod ibi maſtix gignitur. Arabes quoque eodem eam vocabulo notaſſe conſtat ex Indice Abn-Sinæ, ubi legitur: ἡ χίη, Chiæ, id eſt, maſticis: Item *Kie* Maſtix. *Chi* vel *Ki* Phœnicibus & Hebræis uſtionem ſonat. *Jeſa.* 3: 24. contracto nomine integro כוי unde & כויה, Synonymon. *Exod.* 21: 25. quemadmodum רי pro רוי uſurpatum ex themate *rava*, irrigavit. Uſtionem igitur notat reſinæ vocabulum lentiſcinæ, ideo, quod ad uſum adolendi & ſuffiendi creberrime transfertur: præcipue autem ad dentium dolores, & vacillantium firmitatem, ad catarrhos & alia ſymptomata ex ea præparari ſuffumigia Strobelbergerus in Maſtichologia docuit. A *Ki* vel *Chi* maſtiche inſulæ factum nomen. χίον quippe quaſi χίου νῆσον maſtices inſulam Phænices dixerunt; quod, opinor, veriſimilius, quam ſi cum Bocharto Chii nomen ab חויה, hoc eſt, à ſerpentibus derivetur.

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

ACACIA.

שטה עצי שטים Arabice [illegible] SANTON.

ACACIA ſpina eſt. Ejus genera & Uſus: Copia in agro Thebano: in Deſerto Arabiæ, & campeſtribus Moabitarum; Dioſcoridi eſt Ζήλινον δένδρον. *Diſtinguitur à Cedro, Jeſa.* 49: 19. *Vallis Acaciarum. Abel Sittim, hoc eſt Abela acaciarum. Ex iſto ligno factæ naves onerariæ, Scrinaria ſacri tabernaculi opera, Fœderis Arca, Altare ad ſacrificia, Thymiaterium, Aſſeres tabernaculi &c. Cedrus & acacia in deſerto rem notat florentiorem. Sittim & Gilgal monimenta Vindicis Dei.*

I. ACACIA.

ACacia, ut *Theophraſtus* author, Spinæ nomen accepit, eo quod tota arbos aculeis horret, excepto caudice, nam & ſuper germina foliaque aculeos gerit. Magnitudine excellit; materies quippe duodenum cubitum lectis idonea cæditur. Ejus duo genera ſunt, quædam enim candida, quædam nigra: & altera imbecillis

becillis facileque putreſcens: nigra autem robuſtior atque incorrupta, ob id in navium fabrica, ad coſtas ventriſque compagines ea utuntur. Erecta non valde aſſurgit. Fructum fert in Siliqua, leguminum modo, quo incolæ coria perficiunt, vice gallæ. Fit & gummi ex ea: manat hoc tum arbore percuſſa, tum ſponte ſine ulla plaga: Cum autem cæſa fuerit, anno tertio protinus reſurgit. Copia hujus arboris large habetur, & ſilva ingens circa agrum Thebanum eſt, ubi & robur, & Perſea, & olea quoque, eo loco emigrat, non aquis fluvii riguo (diſtat enim plus quam trecentis ſtadiis) ſed ſuis fontibus, qui circa eum tractum per multi exiliunt. Materies arboris dura & cæſa, colorem celtis utique repræſentat. *lib.* 4. *c.* 3. *Hiſt. Plant.* Hieronymus de eadem Acacia: Schitta eſt genus arboris in cremo ſpinæ albæ ſimile, colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores ſunt, ut latiſſima ex illis tabulata cædantur; lignum fortiſſimum eſt, & incredibilis levitatis ac pulchritudinis, ita ut ex his, etiam vaſa torcularium, quæ ἀρσένας & θήλυας vocant, ditiſſimi quique & ſtudoſiſſimi faciant. Idem ad Joël. 3. notat, *hæc ligna in locis cultis & in Romano ſolo, abſque Arabiæ ſolitudine non inveniri.* Quum ſimilem ſpinæ albæ tradit, per ſpinam albam intelligit ὀξυάκανθον Græcorum, quem & nos hodie Spinam albam vocamus, & Columella eodem nomine adpellavit. Nullum mihi dubium eſt inquit, *Salmaſius*, *Hyles Jatrices p.* 166. quin Schitta Hebræorum idem ſit cum *Senton* Arabum, quæ ſpina eſt Ægyptia in deſerto naſcens; & recte ἄκανθαν vertit Theodotion. Dioſcoridi Ζήτινον δένδρον, id eſt, עץ השטים. Nec, quod Judæis placuit, eſt Cedrus. Etenim in loco *Jeſaiæ*, *cap.* 41: 19. *Schitta* manifeſto diſtinguitur à Cedro, quæ Hebræis vocatur *Erez*, ut etiam Arabibus. Præter nomen omnes notæ conveniunt, quas Hieronymus ſchittæ tribuit. Frequens illa non in Ægypto ſaltem & Arabia, (*confer. Golius Alferganum p.* 85.) ſed etiam in Campeſtribus Moabitarum ubi נחל השטים Vallis erat acaciarum, de qua *Joël. c.* 4. 10. *Et fons e domo Domini prodibit, qui irrigabit vallem Schittim.* ad quæ verba *Mercerus.* Refero ad fontem verbi Domini, qui prodit ex æde Domini, Eccleſia, cujus initia tenuia & exigua, ſed late tandem ſpargitur, ut etiam pertingat ad vallem Sittim, & eam riget. Locus eſt in Campeſtribus Moab, ubi Iſraëlitæ ſcortati ſunt cum Moabiticis mulieribus, *Num.* 25. Itaque eo videtur reſpicere, (ut attigit Sal. Jarchi) quod locum illum ab Iſraëlitis quondam contamina-

mina-

minatum, fons ille ſalutaris verbi Domini ſit illuſtraturus: hoc eſt, immundiſſima quæque. Non eſt procul à Jordane hic locus. Unde & per Sittim putant nonnulli hic ſignificatum Jordanem, ac deinceps totam terram Jiſraël, quæ Jordane diſterminatur, cis & trans Jordanem, quod non ſine myſterio dicatur. נחל non ſolum torrentem, ſed & vallem, in qua non eſt aqua ſignificat. Lyranus poſt Hieronymum: Sittim vaſa imputribilia exponit, quibus comparandos dicit beatos poſt hoc ſeculum, rigandos fonte divinitatis Domini. Non longe à mari mortuo & Moabitrum deſertis Campeſtribus ſita etiam in ſolo palmarum ferace fuit Abel Sittim, id eſt, Abela acaciorum, cujus meminit *Joſephus lib.* 4. *c.* 7. & quinto cap. primo ſcribens: Ad Jordanem Moſes congregavit populum, ὅπȣ νῦν πόλις ἐςὶν Ἀβίλη, ad locum, ubi nunc eſt urbs Abila. Eamque ab initio lib. 5. Antiquitatum ſexaginta Stadiis à Jordane removet. Arboris materia, (de gummi enim, quod optimum fundit, non eſt dicendi locus,) inſignem præbuit uſum. Nam & ex ea, ut Herodotus author, libro ſecundo, cap. 96. naves Ægyptiorum onerariæ factæ, e ſpina inquit, cujus figura ſimilima eſt loto Cyrenæo, & cujus lacryma gummi eſt. Quid quod Tabernaculi, divino juſſu in deſerto conditi, pleraque ſcriniaria opera acaciæ ligno, ut poſtea templi cedrino, conſtabant. Ex lignis enim Schittim confecta *teſtimonii vel fœderis Area*, Iſraëlitarum præſentis inter ipſos Dei certiſſimum pignus, in adyto ſeu interiori Sanctuarii thalamo collocata: *Exod.* 25: 11. *Ex hoc aſſeres Arcæ, arrectarii & vectes ejus, auro obducti. Exod.* 26: 15. & 25: 13. Ex eodem *Altare tabernaculi* ad ſacrificia, & vectes ejus obducti ære. *Exod.* 27: 1. 6. Sitta fuit materia menſæ, & vectium ejus obductorum auro. *Exod.* 26: 23, 26. *Thymiaterion ſuffitus & vectes ejus. Exod.* 30: 1, 5. *Aſſeres Tabernaculi arrectarii, Exod.* 26: 15. Item *tranſtilla aſſerum ejus. Exod.* 26: 26. Spondebat autem arboris illius incorrupta materia, æternam adorantibus coram Arca, & in altari Sacrificantibus, & in thymiaterio adolentibus Dei Servatoris Gratiam.

II. IN DESERTO POSITA ACACIA, RERUM STATUM FLORENTIOREM LÆTIOREMQUE DENOTAT.

Jeſa. 41: 19. PONAM *in deſerto*, id eſt, ſtirpibus nudato ſolo, *cedrum & Acacium, myrtumque & arborem oleoſam.*

III. SITTIM ET GILGAL MONIMENTUM

FLA-

flagitia vindicantis Dei.

Mich. 6: 5. Populi *mi*, *recordare jam*, *quid conſilii iniverit Balak*, Rex Moabitarum, quomodo ad execrandum majores tuos vocaverit Bileamum, *& quid reſponderit ei Bilhamus*, *filius Behoris*, quum ſuaderet, ut Moabitæ Iſraëlitarum mulieres ſectarentur, eoſque ad ſacrificia Bahalis Phegorii invitarent, *Num.* 31: 16. & 25: 2. *Recordare*, *inquam*, *ut* factas *à Sittimis uſque ad Gilgala agnoſcas juſtitias Domini*, ut mente percurras ſpatium illud temporis à majoribus tuis in Sittim, vel Moabitarum Campeſtribus, vel in Gilgal, Campeſtribus Jerichuntis tranſacti: Ut agnoſcas Juſtitias Domini, hoc eſt, exempla juſtitiæ divinæ, apoſtatas ac ſceleratos ſeveriſſime punientis, apoſtatas, inquam, patres tuos, qui Bahalem Phegorium ſacrificiis colentes interemti ſunt, *Num.* 25: 3, 4, 5. Sceleratos item Amorrhæos, quorum reges potentiſſimi cum omnibus ſuis internecione deleti, *Num.* 21: 24. *Pſal.* 135: 11. & 136: 18, 19, 20, 21. & infenſiſſimos Moabitas, quorum copiæ profligatæ, & mulieres, quæ cauſam dederant prævaricationi contra Deum in negotio Pehoris interemtæ, mares quoque omnes ex parvulis trucidati: Auxiliares deinde Moabitarum copiæ, Midianitæ, cum quinque regibus & Bilhamo conſultore peſſimo, gladio conſumti ſunt, *Num.* 31: 8. Galgala denique in campeſtribus Hiericuntinis, in memoriam tibi revocabunt Jerichuntinos, quos cum urbe ſua funditus evertit Deus.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

Siliqua arbor seu Ceratonia.

CERATIA quæ ſint. Syris, & Arabibus Charub. Siliquarum uſus. Species. Pecorum pabula ſunt ſilveſtres. Siliquis peccatum aſſimilatur. Siliquæ peccatoris inedia ſpiritualis.

I. Siliquarum, nomen, Species, et usus.

LUC. 16: 16. *Qui patria ſua bona nequiter vivens conſumſerat, in fame repleri diſcupit* ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοιροι, *ſiliquis, quas porci comedebant.* Κεράτια ſunt fructus arboris ceratoniæ; ſiliquis digitalibus incluſi, aut etiam ipſæ ſiliquæ. Κεράτια proprie ſunt cornicula, quomodo dici potuit vel ipſe fructus a

 cor-

corniculis, quæ in eo eminent, vel etiam ſiliquæ, quæ in modum cornuum curvatæ ſunt, unde falcatas vocat Plinius lib. 5. c. 15. Digitorum, inquit, hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari longitudine. Arbor Theophraſto Cerontia, Galeno & Paulo Ceratonia, Syris & Hebrais *charub*, Arabibus quoque خروب *charub* & خرنوب *charnub*, quomodo etiam ſiliquam & fructum vocant. *Boch. lib.* 1. *cap.* 5. *Hieroz.* Arbor, ut *Matthiolus* docet, in ſpectatam ſatis proceritatem attollitur, ramis in latitudinem potius, quam in longitudinem protenſis: Cortice cineritio ad cæruleum inclinante, loti arboris inſtar: Folio virent fraxineo, latiore tamen, duriore, rariore, ac magis circinato. Florent diſcedente hyeme, aut vere jam adpetente; fructificant vero æſtate, & autumno, dependentibus ſiliquis primo viridibus, & deinde, cum ſiccantur, ex rufo nigricantibus, manu lignoſis, ſed dulci pulpa ſuccoque præditis, ſemine Ægyptiæ ſiliquæ haut diſſimili. Siliquæ recenter ab arbore decerptæ ingrato diſplicent ſapore, ſed tractu temporis in cratibus expanſæ & ſiccatæ, adeo miteſcunt, ut & dulces evadant admodum, & guſtui ſuaves fiant. Melleo ſucco refertæ ſunt, eæ præſertim, quæ in orientalibus naſcuntur regionibus: ideoque Indi & Arabes non exiguam mellei ſucci copiam ab eis exprimunt, quo zingiber, Myrobalanos, myriſticas nuces, & alia aromata condiunt. *Hactenus Matthiolus.* In Abenbitare Abuchanipha ſiliquam diſtinguit in duas ſpecies, quarum una ſpinis brevibus vocetur Nabathæa. Fructus eſt tanquam veſicula, in qua granum eſt rubrum ventrem aſtringens. Altera eſt arbor, ut magna malus, ſed flaviore folio, fructu minore meſpili, inſignis nigredinis & dulcedinis, cujus grana in trubinis ponuntur. Avicenna etiam libro ſecundo Canonis, duo fecit genera ſiliquæ, quorum unum idque optimum eſt الشامي *Alſchami*, Syrum vel Damaſcenum, alteram النبطي *Alnabath*, *Nabathæum.* Syrum alius Arabs Alternatheni dictus ſubdiſtinguit in tres ſpecies, quarum الصيدلاز *Alſeidelaz* nomine reliquis mollior & dulcior. Proinde, ut addit idem, hæc ſola ſiliquæ ſpecies apud nos, id eſt, in Syria edulis eſt. Bochart. Hieroz. lib. 2. c. 56. Porcorum igitur pabulo gignuntur, non Damaſcenæ, non initiores, prædulceſque, nec Palaſtinæ ſiliquæ, quæ ut Velſchius etiam de Vena Medinenſi obſervat, Syriacis etiam meliores; ſed iſtæ

quas memorant, ſunt deteriores, aut quas græcas nominant. Hæc enim diverſis temporibus miteſcunt, ac pene toto anno gregem ſaturant Vid. Columella libro octavo capite ſexto: Hoc proinde ſiliquæ genus, Bocharti judicio, à Luca ſignificari, non eſt quod quiſquam dubitet. Et vero vetuſtiores Interpretes ſic accipiunt; Ita Syrus hic habet ܚܪܘܒܐ *Charubo*, Arabs الخرنوب *Akharnub*,

Æthiops *Chamar tſoro*, id eſt, ſiliquam Græcam, quomodo & Plinius illam vocat. Neque aliud voluit Theophylactus, cum ſcripſit ad hunc locum, Κερατίοις παραβάλλεται ἡ ἁμαρτία γλυκύτητα ἔχουσα, καὶ τραχύτητα, id eſt, Siliquis comparatur peccatum, dulcedinem habens & aſperitatem.

II. Siliquæ Peccatoris, inedia Spiritualis.

Luc. 15: 16. Eo *devenit filius diſſolutus, ut cuperet ventrem ſuum replere Siliquis, quos porci comedebant, nec ei quiſquam dabat.* Quo ſignificatur, peccantes voluptatibus peccatorum, velut dæmonum immundorum cibo ſatiari velle, nec poſſe, ut *Hieronymus epiſt.* 146. *ad* Damaſum: Solet enim ſpiritus malignus cultoribus ſuis opes oſtendere ac promittere, & nihil dare. Quanquam idem *Hieronymus* & *Auguſtinus*, per ſiliquas dicant intelligi poſſe Carmina Poëtarum, ſeculorum ſapientiam, verborum pompam, quæ multum ſtrepitus habent, cum ſint veritatis inania, nec animam eorum, qui dereliquerunt Deum ſatiant. *Vid. Janſen. comment. h: l.* Accomodare etiam hæc poſſumus ad Peccatorem, qui à Deo, Patre ſuo, & verbi divini veritate deciſcens, quaſi per emancipationem ſui juris fieri, ſuaque ſuo adminiſtrare arbitratu cupiens, tandem ſolatiorum divinorum inopia cruciatur, ſiliquas eſurire coactus, id eſt, humana requirere ſolatia, cibum vanum & pereuntem. Sed nemine hunc dante, & tantilla quoque ſolatia invidente mundi perfidia, in egeſtate & inedia ſua relinquitur.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

תרזה Tilia.

THIRZA non eſt Cupreſſus, non Pinus, nec abies, nec fagus, nec eſculus, nec etiam Ilex. Nomen eſt arboris infrugiferæ, cujus materia

teria ſimulacris apta, ſcilicet Tiliæ maris, a Theophraſto deſcriptæ. Maris & fœminæ diſcrimen. Tilia in Muteto, Helvetiæ monte, Bauhino videtur eſſe Theophraſti mas tilia. Tilia pulchra ſed ſterilis, imago divitum, qui nullos miſericordiæ fructus ferunt.

I. THIRZA EST TILIA, QUÆ DESCRIBITUR.

JUNIUS & *Belgæ* Cupreſſum reddunt, quibus pollicem premit *Caſtellus*, derivato nomine à רזה, id eſt, ipſius interpretatione, *exterminavit*, perdidit, quæ ſignificatio D. Maji judicio, quadrat ad cupreſſum, arborem feralem, perditionis & mortis ſignum. Clariſſimus Bochartus Pinum interpretatur: Thyrſus, inquit, manifeſte eſt *Thirza*, quæ vox pinum denotat; quam, pampinis ac ferro induebant. Unde Heſychius, θύρσοι, κλάδοι, λαμπάδες, λύχνοι. Nam e pinu optimæ fiebant lampades ac tædæ. Quare & Baccho pinum, hoc eſt, πεύκην in ſacris chorisque, ex ea tædam aſſignarunt, *Euripides Bacchabus*:

Ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων
Πυρσώδη φλόγα πεύκης

Geog. S. p. 484. Non aſſentior doctiſſimo viro: Si enim תרזה ſignificaret *thyrſum*, non θύρσον per ſigma, ſed θύρζον ſcriberent Græci. Zajin quippe Hebræorum, nunquam reſpondet Græcorum literæ Σ, quod multis exemplis in Hebraicis Inſtitutionibus & alibi planum feci. *Kimchius* dicit ex quorundam ſententia *Thirzam* adpellari. סנאבר. *Sanbar* autem *abietem* Arabes & Perſæ vocant. Sunt qui fagum, alii eſculum, ilicem alii, intelligunt. Ab omnibus diverſum ſtatuo. *Thirza* eſt arbor infrugifera, cujus materies ad fabricanda ſimulacra utilis, à cedro & quercuum genere diſtincta. Infrugiferam eſſe nomen arguit, quod à fame obtinet, quam ترز *Therſon* Arabes vocant. Simulacris aptam eſſe, & à cedro, eſculo, & pinu diſtingui, adparet ex *Jeſ.* 44: 14. *Faber lignarius, ut Deum formet, cædit ſibi cedros, adhibet Thirzam, & eſculum, aut eam, quæ fortificat ſe inter arbores, pinum, quam plantaverit & pluvia educaverit.* Secundum hæc nulli glandiferarum ſeu coniferarum arborum accenſeri poteſt *Thirza*. Ipſa enim, ut ſupra dictum, fructum non fert. Imprimis autem robur vel eſculus à ſimulacrorum fabris repudia-

pudiatur, quoniam obnoxiæ, ut torqueant ſe findantque. Ita in omni ſterilium arborum genere, quæ formandis ſimulacris petuntur; unam & ſolum reperio *Tiliam* marem dictam. Illa enim nec ſemen, aut florem, nec fructum fert, propter inſignem duritiem ſignis atque ſtatuis faciendis utiliſſima. Fœmina licet fructum ferat, mirum tamen à nullo eam animalium attingi, ut adeo *Tilia* vel propter ſterilitatem, vel ob fructum inutilem, merito a fame adpelletur; quoniam eſurire ad eam animalia omnia coguntur. Deſcriptionem arboris dedit *Theophraſtus lib.* 3. *cap.* 10. *Hiſtor. Plant.* Tilia quædam mas eſt, quædam fœmina. Diſtant inter ſe tum materie, tum totius corporis forma, & quod altera ſit fructifera, altera vero ſterilis. Nam mas arbor eſt magna, patentibus ramis: materies mari aura, flava, nodoſior, ſpiſſiorque, fœminæ candidior, flexibilior, tenaxque, ex quo ciſtas faciunt, item fœminæ odoratior: & mas ſterilis nulloque flore eſt. Fœmina & florem & fructum gignit. Flos calycula intectus, præter folii pediculum, amentumque futurum, pediculo alteri annexus, viridis dum in calycula eſt, detectus autem leviter flavus, floret cum urbanis. Fructus oblongus, orbiculatus, magnitudine fabæ, ſimilis hederæ acino, quinis angulis, veluti nervis eminentibus, inque acutum, cum ſeſe contrahentibus partitus: Folium & cortex dulcia ſuaviaque. Folium fœminæ forma hederaceum, niſi quod in angulum acutiorem rotundatur. Medullam exiguam matieries continet, nec multo reliquo molliorem corpore: nam & reliquum ligni molle eſt. Cætero marem tiliam à *Theophraſto* indicatam *Caſpar Bauhinus* eam eſſe exiſtimat, quam in Muteto Helvetiæ quodam monte viſam deſcripſit. Arbor eſt, inquit, craſſo caudice, ramoſa, materia uti Tiliarum robuſta, cortice lanuginoſo, ſubruffo, foliis magnis, quæ vix rotundantur, ut in fœmina fit, monente *Theophraſto*, *Hiſtor.* 3. ſed in acutum angulum deſinunt. Mori ſativæ foliis quoad formam ſimillima, eo excepto, quod profunde ſint ſerrata; ex virore nigricantia, prona vero parte ſplendentia, tiliæ fœminæ vulgaris foliis triplo aut quadruplo majora. In qua hactenus nec florem, nec fructum videre licuit. Quum tamen ab annis ſeptendecim nunc obſervavi, cum in monte noſtro Muteto, (quo ſtudioſos ſingulis annis deducere ſolemus,) vere Apollineo, ob plantarum copiam, plures ſint arbores. Tilia fœmina non eſt, nec etiam tilia ſilveſtris Tragi, cui folia multo minora: forte Tilia mas

Theophraſti Hiſtor. lib. 3. *cap.* 11., quam ſterilem & nullo flore eſſe ſcribit. *Notis ad Dioſcor. lib.* 1. *cap.* 108.

II. TILIA PULCRA SED STERILIS: IMAGO DIVITUM, QUI NULLOS MISERICORDIÆ FRUCTUS FERUNT.

TILIA ramos quidem & brachia explicat latiſſime, gratam diffundit umbram, infeſtas arcet pluvias, odoriferis ſpirat floribus: ſed pomum aut pirum ne quidem unicum edit, à fructibus ſteriliſſima. Quicquid enim alimenti e terra trahit, in truncum, in ramos, in folia prodige conſumit. Ita plurimos reperias homines opulentos, ſucciplenos, auro validos, qui latas agunt radices, brachia deducunt, comas jactant, ſumtuoſe vivunt, ſed miſericordiæ fructus in illis, ſi quæſiveris, nullos invenies. Nabal copioſus & locuples, ſibi ipſi benignus & liberalis, immitis fuit aliis. Regum faſti de eo ſic loquuntur: Erat ei convivium quaſi convivium Regis, & cor Nabal jucundum. Cum autem David inſidias Saulis fugiens à Nabale ſibi ſuisque copiolis, non aliquot plauſtra vino & panibus onuſta peteret, ſed modeſtiſſime, quodcunque invenerit manus tua, da ſervis tuis, & filio tuo David: Hic Nabal elato ſupercilio, tollam ergo panes meos, inquit, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio unde ſint. Ita nec unicum panem, nec vel ſextarium vini dedit. Et res Deo ſupra modum diſplicuit. Cumque pertranſiſſent decem dies percuſſit Dominus Nabalem & mortuus eſt. Hoc opulentæ tenacitatis præmium fuit. Animo fidentiſſimo dixit Hieronymus: Non memini me legere mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. *Picinell. Tom. I. lib.* 9. *c.* 24.

CAPUT QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

SALIX ET HEBENUS.

SALIX: Salices Hebræi a trama vel ſubtegmine dixerunt. Chalaphon *quare eas vocaverint Arabes. Salicum uſus. Salices omnium Elephantorum latibula. Salices torrentum ad feſtum tabernaculorum petita. Ad eas ſuſpenſæ exulum Iſraëlitarum cithara.* EBENI

NI *nec fructum nec florem referunt authores. Sunt, qui ſtirpem eſſe omnino negant. Pretio ebeni mercabantur opera ſua Tyrii.* Hobnim *pavones eſſe credidit Chaldæus Interpres. Ebenum dici Hobnim Bochartus probat: Æthiopicæ Ebeni ſilva. Æthiopia ad nos non advehitur. Hobnim quare plurali numero efferantur.*

I. S A L I X.

1. SALICUM NOMEN HEBRAICUM ET ARABICUM, EARUMQUE USUS.

HOMERUS, qui ſalicem canit ὠλεσίκαρπον, *frugiperdam*, a toto genere amovet fructum. At Amerina, ſi ex multorum ſententia, ſit in ſalicum cenſu, ſuis baccis ſive granis, infirmat hanc ſententiam. Salices Hebræi vocant ערבים; Arabes cognata voce غرب *garabon*. Videntur dicti ab ערב trama vel ſubtegmine, quod ſtamini ex transverſo intexitur & immiſcetur: quia virgis corbium atque ſepimentorum palis implicabant ſalices, inſtar tramæ palorum ſtaminibus intexentes, item quod antiquitus ex ſalicis vimine ſcuta contexebant. *Theophraſtus*: ἰτέα δὲ πρός τε τὰς ἀσπίδας, ϗ τὰς κίςας, καὶ τὰ κανᾶ. Quin & ἰτέας proprie ἀσπίδας dictas, quod ex hac materia primæ factæ ſint, adnotat Heſychius: Ἰτέαι, αἱ ἀσπίδες, διὰ τὸ πρώτως ἐκ ταύτης τῆς ὕλης κατασκευασθῆναι. *Plinius* quoque *lib.* 16: *cap.* 11. ſalicem inter eas nominat, quæ ſcutis faciendis aptiſſimæ ſunt. Salignas umbonum crates apud Poëtam legere eſt. Vocantur etiam Arabum lingua خلاف *chilafon*, ab خلف *chalapha*, *venit poſt alium*, *ſucceſſit in locum*, cæſæ ſcilicet ſalicis cui innumera ſuccedit ſoboles. Eſt enim, ut ſcribit *Plinius lib.* 16. *c.* 31: cæduæ ſalici fertilitas. Proveniunt in humido ſolo ad amnium ripas & foſſorum aggeres. *Homerus Odyſſ.* ε.

Φράξε δέ μιν ῥίπεσσι διαμπερὲς οἰσυΐνῃσιν
Κύματος εἶλαρ ἔμεν, πολλὴν δ' ἐπεχεύατο.

Communivit autem ipſam cratibus undique ſalignis,
Fluctus propugnaculum ut forent; lignis multamque ingeſſit materiam.

2. ELEPHANTORUM LATIBULA SALICES TORRENTIUM.

Job. 40: 17. TEGUNT *Behemoth*, *id eſt*, *elephantum umbroſa*;

quodque umbra ſua: cingunt ipſum ſalices torrentis. In iis locis agit, ubi aliis animantibus non eſt terrori. *Plinius lib.* 8. *c.* 20. Gaudent amnibus maxime, & circa fluvios vagantur.

3. SALICES TORRENTIUM AD FESTUM TABERNACULORUM PETITÆ.

Levit. 23: 39. QUINTO *decimo die menſis ſeptimi*, (qui primus dicitur feſti tabernaculorum ✝. 39, 40.) *ſumtis termitibus arborum ſpecioſarum, ſpathis palmarum, & ramis arborum denſarum, cum ſalicibus torrentis* (quibus viminibus colligebant ramos) *lætabimini* (in tabernaculis) *coram Domino, Deo veſtro, ſeptem diebus.* In hoc præceptum erat diſputatio Phariſæos inter & Sadducæos, cui fini termites & frondes harum arborum præciperentur. Sadducæi exiſtimabant deſignari eas ad conſtructionem tabernaculorum: ſed Phariſæorum ſententia erat, ramos & fructus earum fuiſſe deſignatos, ut hoc feſto manibus geſtarentur; eosque re ipſa gerebant. *Majemon in Succa Perek* 7. Litem eorum ſolvit, quod legitur *Nehem.* 8: 15: *Exite in montana, & afferte ramos olivarum & ramos arborum oleoſarum, ramoſque myrti, & ſpathas palmarum, cum ramis arborum denſarum ad faciendum tabernacula, prout ſcriptum eſt: & egreſſi populus attulerunt & fecerunt ſibi tabernacula, quiſque in tentorio ſuo, aut in atriis ſuis, ac in atriis domus Dei.*

4. AD SALICES SUSPENSÆ CITHARÆ.

Pſal. 137: 1, 2, 3. *Ad Babylonis fluvios ibi ſederamus, ploraveramus Sionem recordantes: Ad ſalices in ea ſuſpenderamus citharas noſtras; quum iſthic qui captivos nos tenebant, verba cantici, & qui contumulabant nos, lætitiam poſtularent, jubentes eis canere de canticis Sionæis. Ad Babylonis fluvios*, ad Euphratem & illius foſſas, alveos & divertigia, ad aquas iſtas multas, ad quas habitat Babylon. *Jerem.* 51: 13. *Ibi*, non ſine emphaſi inſertum adverbium: ibi, inquam, quaſi affixi; libertate alio concedendi negata. *Sionem recordantes*, Hieruſolymæ exitium & πανολεθρίαν. *Ad ſalices in ea*, ad ſalices, quæ ripas fluminis Euphratis prætexebant. Ob iſtarum ſalicum frequentiam videtur Babylonia apud Jeſaiam *Vallis ſalicum* adpellari, inquam, reſiduæ Moabitarum facultates à Chaldæorum rege adportandæ erant. *Jeſ.* 15: 7. Utut reſiduum fecerit Moab; at quicquid recondiderint, in vallem ſalicum exportabunt. De Moabitis autem per Chaldæos opprimendis agere prophetam, non ſinit nos dubitare prolixum de Moabitide vaticinium, quod legitur *Je-*

rem. 48: 1. *& ſeq. Suſpendebamus citharas*, nullam ex inſtrumentis muſicis voluptatem percipiebamus ad triſtitiam nos revocantes. Citharas ſuſpendebant donec ſoluta captivitate, majore quam quod caperent gaudio, & cantantes reverterentur in patriam. *Pſal.* 126: 2. Citharas ſuggerebant Babylonii, qui muſicis inſtrumentis abundaverant, inſtructi cornu, fiſtula, pſalterio, ſambuca, ſymphonia vel ſiphonio & cinara ſive cithara. *Dan.* 3: 10. Qui *contumulabant nos*, qui urbem noſtram tumulum fecerunt: *Carmina poſcebant*, indigniſſimæ contumeliæ pungentes aculeis, lætari & canere affectos triſtitia jubebant. *De canticis vel odis Sionæis*, quales dum ſtabat Patria, Deo in feſtis & ſolennitatibus cantaſſent.

II. הבנים. EBENUS.

Ab infrugifera ſalice pergimus ad Ebenum, cujus neque florem neque fructum memorant authores. Quin imo reperias, qui omnino arborem eſſe negent. *Pauſanias lib.* 1. Audivi, inquit, Cyprium hominem, oppido peritum in herbarum generibus ad medendi uſum notandis, qui diceret, ebenum nulla folia nullumque omnino fructum ferre, quin & ſtirpem nullam eſſe ſoli expoſitam: radices tantum terra occultari, quas eruant Æthiopes, atque ii imprimis, qui, quo maxime loco reperiatur, norunt. Sed nos propterea fidem veteribus non abrogamus, qui de Indiæ vel Æthiopiæ arboribus ſcribentes, inter eas & hebenum recenſent. Hebræis adpellatur *Hobnim. Ezech.* 27: 15. *Dedanæi* ad ſinum Perſicum colentes, *mercatores tui*, Tyre, *inſulæ multæ*, Indorum & Æthiopici maris inſulæ, *mercatrices mercium manus tuæ*, *cornibus eboris*, dentibus elephantinis cornuum gerentibus ſpeciem; & *Hobnim*, id eſt, hebeno *reddebant pretium ſuum*, pretio eboris & ebeni mercabantur manufacta opera tua. Pavones vocabulo Hobnim ſubjici poſſe exiſtimavit Jonathan, Chaldæus Interpres, & qui autoritate ejus fere moveri ſolet Jarchius. Sed aſſenſum non merentur multis etiam contribulium ab eorum judicio diſcrepantibus; ut mirer doctiſſimo Pagnino verſionem hanc placuiſſe. Ebenum ſonare vocem *Hobnim* exquiſitis rationibus probavit celeberrimus *Bochartus*, quas ut hic recenſeam, res ipſa poſtulat. Primo, inquit, hobnim & hebenus ſunt voces non abſimiles. In principe ſyllaba vocales O & E permutatæ ſunt, quod frequentius eſſe omnes ſciunt. Secundo, *Cornua eboris* & ebenus in Propheta recte junguntur, tanquam merces aliquo modo homogeneæ, quamvis unum ex animali, alte-

rum ex arbore petatur. Quippe, ut notat *Fullerus in Miſcellaneis lib. 6. cap.* 14. utrique eſt extremus color eodem excellentiæ gradu. Ebori videlicet pulcherrimi candoris, hebeno ſpecioſiſſimi nigroris. Utrumque politiſſimum, nitidiſſimum & incomparabili lævore conſpicuum. Tertio, verba Ezechielis ſic reddi queunt: cornua (*elephantini*) dentis, & hebeni, ſecundo caſu, ita ut vox *cornua* ad utrumque pertineat. Nam ut ebur cornu vocatur propter ſimilitudinem, quam habet cum vero cornu, hebenus quoque potuit eadem καταχρήσει cornu vocari, cum a *Dioſcoride* deſcribatur, *lævore cornu levigato ſimile*; & ab *Iſidoro*, lignum leve & corneum. Quarto, in iisdem locis naſcuntur ebur & ebenus. Nam ut elephantes in Indicos & Æthiopicos diſtinguunt *Polybius*, *Plinius*, *Philoſtratus*, & apud *Pindari Scholiaſtem Amyntianus in libro de Elephantis*: ſic ebenum in India & Æthiopia naſci tradunt, *Dioſcorides*, *Plinius*, *Iſidorus*. Atque ut Indicæ ebeni ſpeciatim meminerunt *Theophraſtus*, *Arrianus & Ennodius*: ita Æthiopicæ *Herodotus*, *Diodorus*, *Mela*, *Avicenna*, & *Nubienſis Geographus*. Quibus ne opponas ſummi Vatis *Georgic. lib.* 2.

----- ----- Sola India nigrum
Fert ebenum ----- ----- -----

Sciendum, Indiæ nomine etiam Æthiopiam intelligi. Hinc ad illum locum *Servius*: Indiam omnem plagam Æthiopiæ accipimus. Quod veriſſimum eſſe docent hæc ejusdem Poëtæ de Nili origine *lib.* 4. *Georgicorum.*

Vſque coloratis amnis devexus ab Indis.

id eſt, ex intima Æthiopia, &c. Quinto, ebenus & ebur, una cum auro perpetuum fuit Æthiopum tributum. Hinc apud *Diodorum lib.* 1. cum Ægyptiorum Rex antiquiſſimus Seſooſis, (aliis Seſoſtres) Æthiopes debellaſſet, genti pro tributo impoſuit ebenum & aurum, & elephantorum dentes. Quæ eadem ab Æthiopibus exegiſſe Perſæ leguntur, *Herodotus Muſa* 3. *cap.* 97. Ad meam uſque ætatem *Æthiopes Perſis pro triennali tributo*, vehunt duos chœnices auri apyri (id eſt, ignem nondum experti,) & ducentas ebeni phalangas, & magnos elephantis dentes viginti. De Æthiopica ebeno ſequentia notat *Voſſius Obſervat. ad Melæ. lib.* 3. *cap.* 8. Frequentes olim ebenos produxit ingens admodum ſilva, quæ totum intervallum, quod Ptolemaida & portum Æthiopicum Zuachen vulgo dictum, uſque ad oſtium Babelmandel interjacet. Nec veri-

veriſimile eſt, hodie iſthic deficere; præſertim cum in aliis Æthiopiæ locis ſatis copioſus ſit harum proventus. Sane, qui Æthiopiam proxime perluſtravit Vincentius Blancus, etiam in hoc tractu ebenum provenire ſcribit. Evate vocant Abaſſini, qui patinas, aliamque ſupellectilem ex hoc ligno conficiunt. Eſt autem nigerrimum & eximie ſplendens, adeo ut quis non lignum, ſed lapidem eſſe exiſtimet. Ebenus autem Æthiopica ad nos non advehitur. Sola Mauritii inſula, quam Luſitani à cygnis Doirne appellant, præſtat, quicquid in Europam hoc ſeculo ebeni adfertur. Cum autem tria quatuorve minimum genera arboris hujus & in Æthiopia, & in prædicta inſula reperiantur, dabitur, inquit *Voſſius*, ut ſpero, commodior de his diſſerendi locus. Jam, quod *hobnim* plurali numero effertur, id *Bochartus* neque ad differentiam refert Indici & Æthiopici ebeni, neque cum Fullero ad palangas ſeu teretes ebeni fuſtes, ſed ad morem quendam Ebræorum, pretioſa ligna vix aliter quam plurali voce nominantium. Verum enimvero morem hunc nullo teſtimonio probavit, & quæ attulit exempla, verbis ejus adverſantur. Nam ligna ſeu aſſeres τῶν ſchittim ſive acaciorum, non fuerunt materies arborum pretioſarum, utpote in Arabia deſerta & Moabitarum campeſtribus nata; (ut ex urbis nomine Abelſittim conſtat, *Num.* 25: 1. 4. 5. & 33: 49.) Præterea non ob pretium, ſed ob duritiem & incorruptam materiam, ad Arcæ fœderalis fabricam acacia petebatur. Almugim autem & Almugim quorum idem meminit, ſupra notavimus, commune arborum gummiferarum nomen fuiſſe, verbi gratia, ceraſi, amygdalæ, pruni, ulmi, juniperi, quas nemo pretioſis arboribus accenſuerit. Verior itaque *Nicolai Fulleri* ſententia, qui pluraliter dictos *hobnim* exiſtimat; quod ebeni ligna in palangas diviſa, afferebantur: quemadmodum שטים & עצי שטים vocarunt; quod ad fabriles operas, in aſſeres diſſecta acacia peteretur.

CAPUT QUNQUAGESIMUM SECUNDUM.

De fruticibus.

FRUTICUM differentiæ. Cinnamomi & Caſiæ hiſtoria ex Theophraſto, Dioſcoride, Plinio & Galeno. De loco natali Strabonis locus. Cinnamon ex Bauhini deſcriptione. Caſſiæ gænera. Ex Caſiæ & cin-

cinnanomi generibus quorum veteres meminerunt, nulla hodie vel in uſu, vel in notitia noſtra, deficientibus ac incenſis ſilvis, in quibus naſcebantur. Ea veteres nominibus diſtinguebant. An diſcrimen eorum recte indicaverit Salmaſius. Cinnami ſuffitus. Odor Cinnami e virtute percepta voluptas. Cinnamon in unguento ſacro, ſenectutem ſentit. Cinnamon Babyloni venditum. Caſia, virgo, Jobi filia. Caſia Chriſti veſtimenta. Ketſioth, laudatiſſima Caſia.

I. FRUTICUM DIFFERENTIÆ.

FRutex inter arborem & herbam tertium genus eſt, & trium iſtorum adpellatione univerſas plantas complecti exiſtimamus. Ex fruticum autem genere, obveniunt alii carentes ſpinis, alii vero ſpinis armati. Sine ſpinis naſcuntur Veterum Caſia & Cinnamomum, Ledum & Galbanum, Cyprus, Ricinus, Malva, Halimum, Edera. Spiniferis accenſentur Roſa, Rubus, Rhamnus, Paliurus, Lycium, Scorpiones.

II. CINNAMOMUM ET CASIA.

קציעה : קציעות : קנמון :

QUID Cinnamomum, quid Caſia ſit inter, veteres ac recentes ſtirpium Scriptores multum diſcrepat. Theophraſtus lib. IX. Plant. Hiſt. cap. 5. Cinnamomum & Caſſiam frutices eſſe tradit magnitudine *ſalicis* amerinæ, iterumque alios ſequutus authores, cinnamomum fructicoſum facit, ejuſque genera duo, alterum nigrum, alterum candidum. Dioſcorides quinque ejus recenſet genera, patrium ſibi nomen vendicantia. Prælatum cæteris Moſyliticum, quod Caſiæ cui Moſyliti, *ab Æthiopiæ emporio*, nomen eſt, aliquam referat effigiem: ſed in eo genere recens nigrum, ex vinoſo in cinereum vergens, læve, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, per quam jucunde olens. Optimi fere indicium, jucundi odoris proprietate conſtat, invenitur enim cum optimo, eoque, quod peculiare eſt, odor rutæ, aut cardamomo proximus. (*Si Ant. Saracenum audias, ἀντὶ τοῦ καρδαμώμῳ in Dioſcoridis textu legendum eſt κάρδαμῳ, hoc eſt, naſturtio, ſiquidem nihil quicquam affinitatis aut cognationis in odoribus rutæ & cardamomi inveniatur.*) Inſuper acre, mordens & cum calfactione quadantenus ſalſum; quod non cito confricant aſperum; aut frianti lanuginoſum, lævibus tamen inter-

internodiis appareat. Si certior fieri voles vellito ab radice ſurculum, facilis eſt hujuſcemodi probatio: namque fragmenta miſcellanea quædam eſſe videntur. Quæ aut melius ſpirant ſuo halitu, cum nares primum conſuluntur, olfactum explentia, deterioris dignotionem impediunt. Eſt etiam montanum, craſſum, pumilum, fulveſcens admodum. Tertium à Moſylitico, perquam ſuaviter olet, nigrum, fruticoſum, paucis intercedentibus geniculis. Quartum fungoſum, candicans, aſpectu tuberoſum vile ac friabile, magnam habens radicem, quæ caſſiam plane repræſentat. Quintum genus odore nares feriens, ſubrufum, & cortice fulva caſſiæ ſimile, tangenti firmum, minus nervoſum, radice denſa firmatum. Iis quæ thuris, caſſiæ, myrti, aut amomi odorem ſpirant, minus ſuavitatis ineſt. Deligito ſcabrum, album, rugoſum: at læve & lignoſum circa radicem, ut inutile, rejicito. *Plinius*, cujus ætate magis innotuiſſe cinnamomum exiſtimo, accuratius aliquanto magnitudinem atque imaginem ſtirpis delineat. Ipſe frutex, inquit, binûm cubitorum altitudine ampliſſimus, palmique minimus, quatuor digitorum craſſitudinis, ſtatim a terra ſex digitis ſurculoſus, arido ſimilis. Cum viret non odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſterilis imbre, cæduæ naturæ. Gignitur in planis quidem, ſed denſiſſimis in vepribus rubiſque, difficilis collectu. . . . Sarmenta haſta dividit ſacerdos, Deoque partem ponit: reliquum mercator in naſſas condit. Eſt & alia fama, cum ſole dividi, ternasque partes fieri, deinde ſorte cremia diſcerni, quodque ſoli ceſſerit, relinqui ac ſponte conflagrare. Præcipua bonitas virgultorum, tenuiſſimis partibus, ad longitudinem palmi. Secunda proximis breviore menſura, atque ita ordine. *Galenus de Antidotis lib.* 1. ſex genera Cinnamomi tradit. Nullum tamen, ait, veluti truncus in plures ramos diviſus attollitur, ſed veratri utriusque figuram præ ſe fert, atque etiam magis damaſonii vocati, quod e Creta ad nos adfertur. Quævis autem Cinnamomi ſpecies, ab una radice, ceu frutex quidam parvus aſſurgit, emittitque hæc ſex, illa ſeptem virgulta, vel paulo plura pauciorave; non æquali tamen longitudine omnia ſunt, verum quod maximum eſt, pedis Romani dimidium non excedit. Univerſa autem Cinnamomi natura, ſimilis eſt quodammodo optimæ caſſiæ. Optimi notas eſſe ait, ſummopere bene olere, inexplicabilemque præ cæteris bonum quendam odorem ſpirare, ac calidum guſtantibus ſe multum exhibere, non ita tamen, ut mordi-

cando triſtitiam palato inferat; colorem denique talem habere, qualem ſi quis lacti nigrum admiſceat, atque cærulei, quem vocant, aliquantulum addat. Ad veterum Caſſiam quod attinet, *Dioſcorides* autor eſt, eam craſſi corticis ſarmento foliisque piperis juxta odoriferam Arabiam gigni. Laudatiſſimam facit flaveſcentem, pulchri coloris, corallii æmulam, perquam anguſtam, lævem, longam craſſam, *& fiſtulis plenam*, guſtu mordentem, & multo cum fervore adſtringentem, aromaticam, vinoſo odore, cujuſmodi eſt, quæ ab incolis *Achy* adpellatur, ab Alexandriæ negotiatoribus Daphnitis. Huic, inquit, præfertur craſſa, purpurea & nigricans, Zigir cognomine, quæ roſam odore imitatur, præcipui in medicina uſus. *lib.* 1. *cap.* 12. De Caſſia *Plinius lib.* 12. *cap.* 19. hæc prodidit: Frutex & caſia eſt; juxtaque cinnami campos naſcitur, ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute verius quam cortice, quem contra atque in cinnamomo levari & exinaniri pretium eſt. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Colos triplex. Cum primum emicat candidus, pedali menſura, deinde rubeſcit, addito ſemipede; ultra nigricans. Hæc pars maxime laudatur, ac deinde proxima: damnatur vero candida. Conſecant ſurculos longitudine binûm cubitorum. Mox præſuunt recentibus coriis quadrupedum, ob id interemtarum, ut iis putreſcentibus, vermiculi lignum erodant, & excavent corticem tutum amaritudine. Probatur recens maxime, & quæ ſit odoris molliſſimi, guſtuve quam maxime fervens, potius quam lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis faciat, brevi tunicarum fiſtula & non fragili. De loco naſcentis caſſiæ *Strabo Geograph. lib.* 6. Thus & myrrham, ex arboribus eſſe dicunt, Caſiam ex lacubus. Et *Plinius* refert, fuiſſe, qui caſiam tradiderunt circa paludes natam. *Hiſt. Nat. lib.* 12. *cap.* 19. *init.* Sequitur ut recentiorum quoque authorum de Cinnamo & Caſſia, queis alieno nomine inſignitis, hodie utimur, hiſtoriam proferamus. De Cinnamo *Caſpar Bauhinus ad Matthiolum p.* 56. Cinnamomum eſt cortex arboris lauro non abſimilis, præſertim foliis, cujus baccæ lauro ſimiles ſed minutiores, albicantes. Hujus rami ſingulo triennio ab incolis inciduntur, (truncus enim, quo novos ſtolones proferat, aſſervatur,) qui delibrantur. Cortex detractus fiſtulam repræſentans (unde vulgo Canella) Cinnamomum vocatur, qui poſt tres menſes à delibratione odoratiſſimus ſuaviſque redditur. . . . Adfertur ex India, e-

jus

jus namque maxima copia in Zeilan, Inſula Indici maris prope Æquinoctium. Arborem *D. Paulus Hermanni*, qui ipſe diu in Ceylon commoratus fuit, primum laurum Zeylanicum baccis calyculatis vocabat, ipſe vero poſtea in *Catalogo Horti Lugdun.* ſe correxit, iſtam pro peculiari arboris ſpecie exiſtimans, de qua in *Mſc. Mat. Med.* ſcribit caudicem tiliæ craſſitiem juxta ac magnitudinem habere, latis, magnis, ſemperque virentibus foliis, citri foliis ſimilibus, ac caryophyllos redolentibus eſſe ornatum, quæ ſecundum longitudinem tres nervi, quorum bini ſibi ſemper ſint oppoſiti, transcurrunt. Quanquam Plukenetus aliam ſpeciem ſiſtat delineatam, quæ fere quandrangula habet folia, parvos, albos, hexapetalos, & ſtellatos flores profert, ac poſt ipſos parvos glandes inſtar olivæ, atque e radice camphoram redolente creſcit, adeo, ut mediante aqua, etiam camphora inde poſſit deſtillari, id quod *Tavernierus in Itinerario*, *Acta Societatis Anglicæ vol.* 1. *p.* 724. & *Acta Hafnienſium vol.* 3. confirmant.

III. De Cassia.

Cassiæ tria notarunt genera, ligneam, caryophyllatam & cinnamomæam, à cinnamo, quod canellam vocant, minime diſtinctam. Caſſia lignea eſt convolutus cortex, cinnamomo paulo craſſior, ſapore tamen odoreque, multum debilior, ſed ſubviſcoſus, cinnamomo etiam multo rubicundior, ſimiliterque ab exteriore cortice liberatus. Ex India Orientali in Germaniam aliaque loca transfertur. A qua arbore cortex deglubatur auctores inter ſe diſcrepant. Sunt qui eam exteriorem atque craſſiorem Cinnamomi corticem eſſe exiſtimant, alii à canella ſilveſtri, alii ab alia canella decerpi, quam Malabarenſes barbari Garvam nominent. Caſſia Caryophyllata ignotus majoribus noſtris cortex, tenuis eſt & fulvus & ab exteriori putamine depurgatus, qui cinnamomi inſtar in oblonge rotundas fiſtulas convolvitur. Ex Braſilia & Madagaſcara in corbibus junceis venit, magnis foliis primum involuta, quæ nihil aliud ſunt, quam Arum hederaceum, foliis biſectis, rigidis & ſcutatis, quibus diu aſſervatur. Vid. *Pometus in Hiſtoria pharmacoporum p.* 131. Caſſia Cinnamomæa ſive Canella, eſt tenuis & ab exterioribus pelliculis liberatus, inque longas cannulas contortus cortex, ex flavo rubicundus, ſaporis acriter pungentis, ſubdulcis & aromatici, odore frrgrantiſſimo. Ex India Orientali, imprimis Inſula Ceylon, per Bataviam in Romanum Imperium aliasque regio-

nes tranſportata, alibi non creſcit. *Valentin. Hiſt. Simplic. lib.* 2. *p.* 171. 172. 173. *Scaliger Exercitat.* 144. Cinnamomum eſt frutex brevis & ſurculoſus, in Zeilan naſcitur, & in Mutir una ex Moluchis. Nullum gerit fructum. His tam adverſis & inter ſe pugnantibus ſignis, quæ in deſcribenda Cinnamomi & Caſiæ figura & differentia dederunt veteres & recentiores autores, in aperto ponitur, antiqua nomina in diverſas longeque alias ſtirpes tranſiviſſe, nullumque hodie ex iſtis caſiæ vel cinnamomi generibus in uſu vel notitia proſtare. Igitur quam Caſiam Syringa olim vocitarunt, eam hodie falſo nomine Cinnamomum dicimus, nec alio ſenſu uſpiam accipitur in modernorum ſcriptis, quam pro caſſia fiſtula ſive cannella. Vero valde conſentaneum eſt, defeciſſe hæc duo ſtirpium genera inter barbaros incenſis ſilvis, ſive id acciderit ob iniquitatem præpotentium, an ſorte, vel ſolis ardore. Auſtros enim, inquit Secundus, tam ardenter flare, ut æſtatibus ſilvas accendant invenimus apud autores. *lib.* 13. c. 19. Ob ſimilitudinem nonnulli veterum eandem faciunt Cinnamomi & caſiæ ſtirpem. Sed rem non eandem fuiſſe, fidem abunde fecerit, nominum differentia, facultatis, formæ, coloris, odoris, pretii quod olim utrique fuit. Nominibus ſemper diſtincta fuere Græcis Latiniſque etiam vetuſtiſſimis, Caſia & Cinnamomum. Latini ea junctim nominant. Martialis:

Caſiaque Cinnamomo.

Perſius:

- - - - - - *Ceu ſpirent cinnamo ſurdum*
Ceu ceraſo peccent caſiæ.

Hebræi quoque ea ſeparant adpellatione. Cinnamomi efficacia, duplo major quam Caſiæ proditur. Color cinnamomi Galeno Leucophæus, in cæruleum quadantenus vergens. Optima caſia colore purpureo ἐγκιρρὸς, ἐμπόρφυρος. Odor in cinnamomo omnium odorum, qui bene olent fragrantiſſimus; In caſia ἀρωματίζων quidem, ſed tenuis leviſque; (*vel, juxta Plinium, odoris molliſſimi.*) Pretium cinnamomi immane quantum ſuperabat caſiæ pretium, &c. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 921. *a. b.* Qua autem re Cinnamum veterum ab ipſorum caſia diverterit non puto aſſequutum fuiſſe Salmaſium, qui non ſemel aſſerit, cinnamomum fuiſſe extremos cum ſuis corticibus ſurculos, caſiam vero ejuſdem ſtirpis in fiſtulæ modum complicatos ſurculos, Exercit. Plin. p. 919. 920. Sed quod tam confidenter ſtatuit nullo idoneo argumento probat. Galenus, quem in ſubſidium vocat,

vocat, ſcribit, quoſdam Cinnamomi arbuſculos ſimiles quodammodo videri optima caſiæ, imo caſiam in cinnamum mutari. Verum enimvero illa ſtirpium ſimilitudo non facit ut Cinnamomum tranſeat in in caſiam, aut caſia in cinnamomum. Ut enim Mercurius, quamvis omnem Soſiæ imaginem poſſederit, nec lac lacti magis fuerit ſimile, quam iſti, propterea tamen Amphictruonis ſervus Soſia eſſe non deſiit; & quemadmodum triticum, quod in lolium degenerat, propter hanc tranſmutationem tritici & lolii, ſpeciale diſcrimen minime amittit, ita, (ſi verum eſt ex caſia factum cinnamomum,) caſiæ in cinnamomum tranſitus, generis diſcrimen non excludit. Fruſtra etiam Plinii nititur teſtimonio. Is enim, ut nemo non videt, corticis ſolum gratiam, in Cinnamo, non lignum, comendat. Præcipua, inquit, bonitas virgultorum tenuiſſimus partibus ad longitudinem, ſecunda proximis breviore menſura, atque ita ordine. Viliſſimum (*Cinnamomum*) quod radicibus proximum, (cinnamum utique intelligit non caſiam, ut vult Salmaſius) quoniam ibi minimum corticis, in quo ſumma gratiæ, *ibi* id eſt, *juxta radicem*, *nihil fere ſuggerit cortex*, *quod ſummopere deſideretur*: *iſta verba rei ſuæ minime conducentia conſulto præterivit Salmaſius.* Qua de cauſa, pergit Plinius, præferuntur cacumina, ubi plurimus cortex. Ipſum vero lignum, (ſarmentorum ſcilicet virgularum vel ramuſculorum ejus,) in faſtidio eſt propter origani acrimoniam. Xylocinnamon vocatur. *lib.* 12. *cap.* 18. Accepit hos Plinius ex Theopraſto, cujus ſententiam in hunc modum extulit Interpres: Cinnamomum decerptum in quinas partes diſcerni narrant, & eſſe præcipuæ bonitatis, quod germinibus proximum fuerit, idque palmi longitudine cædi, aut paulo majus. Secundum quod ſequitur, quod etiam minus cæſura eſt; Tertium deinde & quartum notatur. Ultimum vero quod deterrimum, proximumque radici: hoc enim minimum corticis habet, in quo ſumma gratia eſt, non in ligno, qua de cauſa præferri cacumina ſolent, quod corticis plurimum habeant. Neque clarimiſſimi viri opinionem admittit, antiquiſſimum Cinnami nomen, quod à Phœnicibus, ut ait Herodotus, impoſitum: Cannanæorum ſermone corticem indigitat, ſive compoſitum dixerimus ex nominibus קן־אמן id eſt, nidus ligni verus, cortex genuinus, φλοιὸς πιςικος, κάςφος πιςικος.; ſive coiverit ex vocibus קנה־אמן id eſt, calamus genuinus, cortex enim convolutus calamum refert: quemadmodum cinnamomo quoad corticem non diſſimilis caſia, à decorti-

cando dicta קציעה : De cujus decorticatione *Plinius* 12. 19. Juxta cinnami campos naſcitur, ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute verius quam cortice, quem contra atque in cinnamo levari & exinaniri pretium eſt, (id eſt, *pretium auget.*) Porro de cinnamomi nomine, alia mihi in mentem conjectura venit. קנמון eſt קן אמון Nidus Amoni conſecratus, dedicatus, vel dono poſitus. Amon ſonat nutritum, quo nomine inſignitur Apis, bos ſoli ſacratus, quem in aula ſacerdotes nutriverunt. Ab eo urbis vocabulum No-Amon, id eſt, habitaculum ſeu civitas Nutriti, quam nos Memphim Ægypti metropolin vocari docuimus, *Onomaſtici Sacri Part. I. p.* 571. קן dicitur ex caſia & cinnamomo conſtructus nidus, quem avis, novus Phœnix, ut fingitur, ex Panchaja perlatum, in urbem Solis, Memphi Ægyptiorum vicinam, & in ara depoſitum, Soli conſecravit. Eſt autem Panchaia, ſi *Diodorum* hic audimus, una ex Inſulis, quæ in Indico Oceano contra Arabiam Felicem ſita. Urbs Solis, Græcis Ἡλιȣ πόλις, Hebræorum lingua *On* vocata, *Gen.* 41: 45. haut procul à Memphi diſſita, etiam, ut dictum eſt, Nidus Amonis vel Apis nutriti vocabatur. Quis autem eſt naſutiorum, cui non ſuboleat, quod veteres de nido Phœnicis novi tradiderunt, vel fabulam vel hieroglyphicum fuiſſe, & mercatores Phœnicios, ut peregrinæ mercis pretium vulgo commendarent, eam *Kinnamon*, id eſt, *Amoni conſecratum nidum* appellaſſe.

IV. CINNAMI SUFFITUS.

Prov. 7: 17. SUFFIVI *lectum meum, myrrha, cedrio & cinnamomo*, hoc eſt, per lectum meum diffudi odorem myrrhæ, citri & cinnamomi.

V. ODOR CINNAMOMI E VIRTUTE PERCEPTA VOLUPTAS.

Cant. 4: 14. PROPAGINES *tuæ ſunt nardus & crocus, calamus odoratus & cinnamomum*, cum omnibus arboribus thuriferis, hoc eſt, tuarum virtutum gratia & delectatio, quicquid ſuavium odorum eſt, omnemque narium copiam exæquat.

VI. CINNAMUM IN UNGUENTO SACRO.

Exod. 30: 23. MYRRHÆ *ingenuæ quingenta* pondo, *& cinnamomi odorati*, (קנמן־בשם odoris non ignavi, & qui temporis mora non evanuerit,) *dimidium ejus.* Neque vero, inquit *Galenus*, cinnamomi virtus ad uſum apta, longo tempore durat. Ad triginta ſiquidem annos, quam à principio vim habuit, integram non con-

ſervat. Nugantur autem qui Cinnamomum ex hiſce medicinis eſſe dicunt, quæ ſenectutem non ſentiant. Atqui ego non centum neque ducentûm annorum interventu, ſed pauciorum, ſi quis ad tantum numerum conferat, jam aliquam mutationem vetuſtiori cinnamomo factam obſervavi. Quo enim tempore Antonino Imperatori theriacam paravi, vaſa lignea in quibus ejusdem generis cinnamomum inerat, multa conſpexi, alia Trajani, quædam Adriani, nonnulla Antonini, qui poſt Adrianum Imperator fuit, ætate repoſita, omniaque hæc ſeſe & ſaporis & odoris imbecillitate vehementiaque tantum plane ſuperabant, quantum & tempore differebant. *lib.* 1. *de Antidotis.*

VII. Cinnamon alteri Babyloni venditum.

Apoc. 18: 11. 13. Mercatores *terræ ſuper excidium Babylonis flebunt & lugebunt, quod eorum mercem nemo jam emet, cinnamum, & ſuffitus, & unguentum & thus.* Quomodo cinnamomum, illa utique tempeſtate incognitum? nempe cinnamomum intelligitur quale pro iſto tempore in Italia apud mercatores venit: quemadmodum ℣. 12. purpura memoratur, cui pro iſto tempore purpuræ nomen imponebatur, quum tamen artem tingendæ purpuræ deſidia dudum perdiderit, majorque Chermeſini ex Indiis nobis obvenientis commoditas, uſum illius aboleverit. Vid. *Ferr. Imper. lib.* 4. *Hiſt. nat. c.* 22.

VIII. קציעה: Casia secundogenita Jobi filia. *Job.* 42: 14.

Haut obſcura ratio nominis huic filiæ à nativitate inditi, quaſi pretioſa & fragranti ut Caſſia, tum ratione formæ, tum ratione paterni amoris & deſiderii. Placuit ſanctiſſimo viro filiæ hujus nomen petere à peregrina planta, quod inter indigenas non invenit, quæ voluptatem ex filiæ amœniſſima pulchritudine & amore perceptam exprimeret. Caſſia enim nec in deſerta, quæ Jobus incoluit, nec in Felici Arabia naſcebatur. Unde illud *Plinii:* Cinnamomum & Caſſia non ſunt Arabum, & tamen felix appellatur Arabia. *lib.* 12. *c.* 28.

IX. Cassiæ, Christi vestimenta.

Pſal. 45: 9. Myrrha *& cedrium & caſſiæ omnia veſtimenta tua,* quæ *ex palatiis eburneis prolata, præſtant* amictibus eorum, qui *lætificant te. Caſſiæ* קציעות plurale nomen vel caſſiam ſonat laudatiſſimam, ut חכמות ſapientiam ſummam. *Prov.* 9: 1. vel caſiæ numeroſos cortices. Veſtimenta, quæ odorem myrrhæ, citri & caſiæ

ſpirare

ſpirarare dicuntur, ſunt jucunditatis pleniſſimæ dotes, quas per unctionem Spiritus Sanctus humanitati Chriſti contulit, & λόγος perſonaliter carni unitus communicavit, divinam ſcilicet majeſtatem & præſentiam, infinitam ſcientiam, ſapientiamque, & virtutem, maxima fidelium in rerum humanarum acerbitate ſolatia. Dicuntur dotes ſimiles veſtibus, quæ ex palatiis Regum eburneis prolatæ pretio & ornatu alias omnes vincunt, molles quippe, hoc eſt, ſericæ, *Matth.* 11: 7. Eburnea palatia, id eſt, eburneis cruſtis condecorata legimus *Amos* 3: 15. & 1 *Reg.* 22: 39. מני שמחוך Ellipſis eſt pronominis, pro מני אשר שמחוך id eſt, præ iis, qui lætificant te, ſcilicet ſociis. Sponſis quippe addebantur ſocii vel amici, qui eos exhilararent. Tales à Philiſthæis aſſociati ſponſo Simſoni; talis Johannes Baptiſta Chriſti Domini amicus. *Johan.* 3: 29. Præſtant horum amictibus veſtes Chriſti, qui ſociorum dona & ornatum longe ſuperavit, nam ſine modo eum ſpiritu donaverat Deus. *Joh.* 3: 34.

CAPUT QUINQUAGESIMUM. TERTIUM.

LEDUM, EX QUO לוט LOT, LADANUM ET GALBANUM.

CISTUS frutex. Ex eo Ledon ſeu Ladanum. Ladanum unde & quomodo colligatur. Apud Hebræos à convoluto in foliis lentore dictum. Non fabuloſum eſt de barbis piliſque hircorum depexiſſe iſtud veteres. GALBANUM *quid ſit: quodnam optimum: ubi naſcatur. Cur ſacro ſuffitui additum, quum ſit tetri odoris.*

I. LADANUM.

GEN. 37: 25. *Iſmaëlitarum Cameli ex Gileaditide ferebant. . . . reſinam & ladanum. Part.* 1. *c.* 53. Ciſtus, quem aliqui citharon aut ciſſaron vocant, ramoſus frutex eſt, ſed improcerus, folioſus, ſaxoſis locis naſcens, foliis rotundis, acerbis, hirſutis, flos maſculo ut mali punicæ, fœminæ albet. Eſt & alterum ciſti genus; Ledon à nonnullis adpellatum, frutex ſimili modo naſcens, longioribus foliis & nigrioribus, quæ verno tempore quiddam contrahunt pingue. Foliorum vis adſtringens,

ac

ac eosdem quos ciſtus effectus præbens. Fit ex eo quod Ladanum dicitur; ſiquidem, cum ciſti frondes paſcuntur capræ hircique, pinguitudinem conſpicue barba carpunt, & ſuo lentore villoſis cruribus adhæreſcentem reportant: quam depectentes incolæ colantesque cogunt in offas, & ita recondunt. Alii vero attractis funiculis, inſidentem fruticibus lentorem abſtergunt, conglomerantque in Ladanum. Hæc *Dioſc. lib. I., c.* 109. 110. De eodem *Plinius*: Arabia etiamnum & Ladano gloriatur; forte caſuque hoc, & injuria fieri odoris, plures tradidere. Capras maleficum aliàs frondibus animal, odoratorum vero fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules prædulci liquore turgentes, diſtillantemque ab his caſus mixtura ſuccum improbo barbarum villo abſtergere. Hunc glomerari pulvere, incoqui ſole. Et ideo in Ladano caprarum pilos eſſe. Sed hoc non alibi fieri, quam in Nabathæis, qui ſunt ex Arabia contermini Syriæ. *H. N. lib.* 12. *c.* 17. Nabathæi fuerunt Iſmahelitæ. Primogenitus enim Iſmahelis Nebajoth conditor illius gentis fuit. Iidem dicuntur ex Gileaditide venientes לוט *Lot*, hoc eſt, ladanum exportaſſe. Abundabant enim ovillo & caprino pecore, teſte *Jeſaia* 60. 7. Omnes greges Cedaris (Arabum Cedarenorum) congregabuntur ad te; arietes Nebajothi miniſtrabunt tibi. Et autore 2 *Chron.* 17: 11. Arabes Joſaphato, Judæorum Regi adducebant greges arietes ſepties millenos ſeptingentenos, & hircos ſepties millenos & ſeptingentenos. A convoluto & conglomerato in foliis lentore apud Hebræos nomen obtinuit ladanum. לוט enim pro לאוט ſcriptum, eliſo poſt ſcheva mobile elemento א, ſignificat convolutum ſeu conglomeratum, & deſcendit à לאט, quod eſt obvolvere. Poteſt etiam à לוט derivari, ejuſdem ſignificationis verbo, quemadmodum à צום venit צום jejunium, & רום à רום altum eſſe. Cum de ciſti fruticibus hodie colligatur ladanum, inde *Ettmullerus in Comment. Schröd. pag.* 704. ſuſpicari cepit, fabuloſum eſſe, quod *Dioſcorides* & alii de barbis pilisque hircorum depexum tradiderunt. Sed inanis eſt ſuſpicio. Poteſt enim comparari ladanum vel leviore vel majore opera. Minori negotio iſtud quanquam parcius, antiqui Arabes ab hircorum pilis detrahebant: noſtra autem ætate, intolerabili labore, ut ajunt, de ciſto ladanum colligunt. Illa igitur ladanum colligendi diſſimilitudo à graviſſimis teſtata ſcriptoribus, & ipſi rationi congrua, non cogit fictum & commentitium credere vetuſtum colligendi morem.

II. FRUTEX GALBANI : חלבנה

GALBANUM Syris & Hebræis à pinguedine dictum. Eſt enim ſuccus pinguis. *Dioſcorides*: Galbanum ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopium vocant. Maxime laudatur cartilaginoſum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minime lignoſum, retinens nonnihil adjecti ſeminis & ferulæ, gravi odore, neque valde humidum, neque nimis aridum. Adulteratur faba freſa, reſina & ammoniaco. *Caſp. Bauhinus ad Dioſcoridem*: Galbanum liquor eſt, grumis flavis aut candicantibus compactus, ſubſtantia molli, pingui, digitis adhærente, ſapore amariuſculo, odore gravi. Eligendum purum, pingue, cum accenditur flammam nutriens, mediocriter viſcoſum, colore flavum: tale enim recens eſt.. *Naſcitur in Syria*, *Plin. lib:* 12. *cap.* 26. Dat & galbanum Syria in eodem Amano monte e ferula, quam ejusdem nominis reſinæ modo ſtagonitin appellant. Sincerum ſi uratur, fugat nidore ſerpentes.. Suffitui ſacro additum, *Exod.* 30: 34. vel quod eſſet ἔυοσμον. Inter ἔυοσμα enim & *Theophraſtus* retulit, *Hiſt. Plant. lib.* 9. *c.* 1. & Vulgatus Interpres, qui verba חלבנה סמים licet neglectis accentibus, vertit, *galbanum boni odoris*, vel ſi, ut quidam volunt, tetri odoris fuit, ut aromatum aliorum odorem acueret. Sæpius enim ea, quibus vel ignavus vel ingratus odor, cum ſuaveolentibus mixta, ſuaviſſime olent. Ambræ, inquit *Tachenius*, grana decem, cum Zibeti granis tribus tere; adde unam aut alteram guttam ſucci limonii, quo augeatur aciditas, inſtilla, ſuaviſſimum unguentum obtinebis; & tamen ambra ignavi eſt odoris; Zibetum, quo purius, hoc acutius & minus grate olet, ex utriuſque miſtura quiddam gratiſſimum exoritur. Sic Moſchus, ubi purus eſt, non olet ſuaviter: miſce cum aliquot guttis ſpiritus roſacei ardentis, fragrantiſſime olebit. *Du Hamel de corpor. affectionibus lib. I. p.* 89. Vel, quod maxime probem, quia reſinoſum eſt galbanum & medium inter reſinarum & gummi genera, ut aliorum aromatum odorem diutius contineret. Reſina enim, ut *Plinius* tradit, aut gummi, unguentis etiam adjiciunt, ad continendum odorem in corpore. Celerrime is evaneſcit atque defluit, ſi non ſit hæc addita. Hinc Galbanum etiam Mendoſio, laudatiſſimo unguento adjectum fuit. *H. N. lib.* 3. *c.* 1.

CA-

CAPUT QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

Cyprus, כפר

COPHER non eſt Caphura, nec cyprus, liguſtro vulgari ſimilis. Deſcribitur à Dioſcoride vulgare & Ægyptium liguſtrum. Optimum naſcitur in Aſcalone & Canope. Ægyptium foliis latis & anguſtis. Latifolium ab Arabibus vocatur Alhinna, *naſcitur circa Tripolin Syriæ. Ejus uſus. Liguſtrum Ægyptiacum plenius deſcribitur. Flos ejus botrum æmulatur. Itaque Eſcol Copher non eſt botrus, ſeu fructus Cypri, ſed flos in morem botri figuratus. Cant.* 1: 14. *Copher villam quoque ſeu pagum notat, quo ſenſu accipiendum Cepharim, Cant.* 7: 12.

CANT. I. 14. Ut *flos Cypri in vineis Hengedi, amicus meus eſt mihi.*

In vineis Engedi, id eſt, inter vineas Engedinas, in planitie Hiericuntina, in qua gigni cyprum prodidit *Joſephus Belli Jud. lib.* 4. *c.* 27. ב pro *inter* aut *prope* accipi monet in *Concordantia Particularum Noldius.* Merito heic explodimus opinionem eorum, qui *Copher* caphuram interpretantur, reſinoſum penetrans atque graveolens illud Indicæ arboris gummi. Sed nec Cyprum admittimus, fruticem liguſtro vulgari ſimilem. Diſtinguitur enim liguſtrum in vulgare & Ægyptium. Vulgare eſt, quod *Dioſcorides* deſcribit foliis circa virgulta oleæ ſimilibus, ziziphi Plinio, ſed latioribus, mollioribusque & viridioribus. Flos eſt candidus, muſcoſus, odoratus. Semen coriandri *Plinio*, *Dioſcoridi* nigrum, ſambuci fructui ſimile. Optimum naſcitur in Ascalone & Canopè, id eſt, Canopici ſinus Inſula. Florem inter coronarias retulit *Columella.* Liguſtrum Ægyptiacum vel latis vel anguſtis foliis diſtinguitur. Latifolium aliis Cyprus Græcorum; Arabum حنا *Hinna*, vulgo *Alcanna* pro *Alhinna*, frutex potius quam arbor. Tota hyeme viretis dat flores ex luteo pallidos, odore moſchi, quibus bacilli concolores. Baccæ liguſtro vulgari fere pares, ſeſſiles magis, coloris ſubcinerei. Provenit circa Tripolin, Syriæ in hortis, & in Cairo. A Turcis propt r odoris ſuavitatem, quam flores exhalant, in vaſis cuſtoditur, &

hyeme in calidioribus locis, ne pereat. Flores in pulverem contuſi cum ſucco citri miſcentur, eoque magmate capilli & ungues puerorum, feſtis diebus tinguntur. Pulvis eſt Rauwolfio viridis, qui ex Ægypto plenis ſaccis Tripolin delatus in inſtructioribus officinis habetur. Bellonius ex fuſco flaveſcentem facit. Ex radice ſpodium ſuum urunt Arabes. *Vide Rauwolfium Itinerar. part.* 1. *cap.* 40. Liguſtrum Ægyptiacum foliis anguſtis, olivarum ſimilibus, breviuſculis, ſed latioribus & ſub grato virore magis tenellis. Flos racematim ſpargitur cinericius, ſambucinorum figuram imitans, ſed minor, odore admodum acuto. Fructus à liguſtro vulgari differt. Ille enim baccis juniperi ſimilis, hic numero, magnitudine, ac ſpecie, diſſidet. Flos & fructus botri ſimilitudinem æmulantur. *Dioſcorides de Cypro:* Ἄνθη λευκὰ, εὐώδη, βρυώδη, apud *Orobaſium* βοτρυώδη, quod idem eſt. Nam βρύα & βοτρύδια in hujuſmodi floribus racemoſis Græci indifferenter uſurpant. *Salmaſ. Hyl. Iatr. cap.* 69. Sic per אשכל כפר non fructus Cypri, ſed flos indigetatur, & omnino vertendum eſt: *ut botrus* vel flos *Cypri in vineis Engedinis eſt amicus meus.* Flos enim Cypri apertus cæruleſcentem uvam ſive botrum quodammodo repræſentat, ut αὐτόπτης teſtatur *Hier. Welſchius, de Vena Medinenſi cap.* 11. Eique amicum ſponſa comparat, animum referens ad ſuaviſſimum floris odorem, cujus jucunditatem æquat, imo longe ſuperat Servatoris Jeſu memoria. Cæterum & pagum ſeu villam denotat *Copher*, & *Cepharim* pagos: ita *Copher happezizi* eſt villa pagana 1 *Sam.* 6: 18. *Cephar hahamonah*, vicus eſt populoſæ domus. *Joſu.* 18: 24. *Cephar hahophni*, pagus Hophni vel Hophnitarum, ibid. *Cephar Nachum*, ſive Capernaum, pagus Nachumi. *Matth.* 4: 13. Hoc ſignificatu accipimus vocem כפרים *Cant.* 7: 12. verba in hunc modum vertentes: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, pernoctemus in villis:* non ut Junius & Tremellius: *pernoctemus ad cypros.* Si enim exiſtimaverint, liguſtrum ſive vulgarem cyprum in animo habuiſſe ſponſam, quia floret liguſtrum abeunte vere & ineunte æſtate, veris amœnitatem quam tantopere deſideraverat, flores liguſtri non prænunciarunt ei, aliis nobiliorum arborum floribus illud prævenientibus. Si alterum genus, Ægyptium puta liguſtrum, Sponſa cogitavit, fruſtra in Judæorum agris ab ipſa peregrina quæritur arbuſcula, quæ in hortis Engedi, præcipua cura propagari meruit.

CAPUT QUNQUAGESIMUM QUINTUM.

Ricinus קִיקָיוֹן

KIKAJON, Græcis Croton. Ricinus a Dioſcoride deſcriptus. Locus ejus natalis. Movet vomitus; a quo nomen traxit. Non eſt hedera: Thalmudicis nominatur Kik, *Arabibus & Pœnis* Elcherva, *Officinis palma Chriſti. Recte ab Interpretibus Kikajon reddi Ricinum argumentis probatur. Diluuntur objecta. Jonæ ricinus vana hujus ſeculi gaudia deſignat. Jonæ ricinum miſerantis ſtupor.*

I. קִיקָיוֹן Kikajon.

JONÆ 4: 6, 7, 8. Paraverat *Dominus Deus*, cum tugurium Jonæ exaruerat *ricinum, qui aſcenderet ſupra Jonam, ut eſſet ſuper caput ejus, erepturus eum a malo ipſius, lætabaturque Jonas de ricino illo lætitia magna. Deinde paravit Deus vermem, aſcendente aurora poſtero mane, quo lædente ricinum, exaruit. Fuit itaque, oriente ſole, quum paraſſet Deus ventum orientis ſilentem, ut percuteret ſol caput Jonæ, adeo ut deficeret animo expeteretque ſe ipſum mori; dicens, præſtat mori me quam vivere. Paraverat Dominus Deus Ricinum*, Hebraice קִיקָיוֹן Græcis Croton; nomen accepit a ricini animalis ſimilitudine. Arbor, rectius frutex, (vel ut Rajo & Tournefortio placuit herba,) provenit *in Aſia* parvæ ficus altitudine, folio platani majore, læviore & nigriore: ramis, caudicibus cavis, in arundinis morem: ſemine in uvis *vel baccis* aſperis, quod corticibus exutum ricinum animal repræſentat. *Dioſc. lib.* 4: *c.* 158. Ad litora Tripolitana occurrit frequentiſſimus, ut tranſitum fere prohibeat, teſte *Rauwolfio Itinerarii pag.* 52. In Ægypto etiam ſponte naſcitur, nec in hortis Germaniæ ignotus, ſed frutici quam arbori ſimilior. Nomen indiderunt Hebræi a vomitione vehementi. Compoſitum quippe eſt ex duobus collactaneis vocabulis קִיא & קִיאוֹן vomitum denotantibus. Prius legitur *Jeſa.* 28: 8. poſterius figuratum ad inſtar כליון conſumtio omnimoda, ubi terminatio ſignificatum nominis, ut alibi a nobis probatum, intendit. Idem ſonant قيء قيور Arabica nomina;

nomina; Nec abs re appellationem hanc ricinus meruit. Movere cum vomitus docet *Dioſcorides*: Ex ricino oleum nomine ricinum exprimitur, cibis fœdum, lucernis emplaſtriſque utile. Grana triginta, *lege cum Orobaſio tria*, numero purgata, trita potu, pituitas, bilem, aquamque, per alvum extrahunt, vomitionesque movent: ſed injucunda admodum eſt & moleſta purgatio, ſiquidem ſtomachum vehementer ſubvertit. Sic Meſius: Regium granum, hoc eſt, ricini ſemen: pituitam tam per vomitum quam per alvum extrahit, ſed non ſine aſſumentium moleſtia, ſiquidem ſtomachum vehementer ſubvertit; quin etiam bilem & aquam intercutem dejicit: & ea ſane omnia excrementa purgat, quæ ad articulorum compagines defluunt. Tollitur noxa ubi igne torrefactum ſit prius, & deinde admiſto fœniculi & aniſi ſemine. Ita enim paratum vomitiones minime molitur. Obſervatum hoc quoque à recentioribus, *Lobelo* ſcilicet & *Theodoro Tabernæmontano lib.* 2. *de Herbis fol.* 481. Grana Ricini ſaccharo & melle condita, vomitiones concitant. Et *Valentini cap.* 25. *Hiſt. Simpl.* Ricini grana virtute vehementer purgante, tenacem pituitam, bilem aliaſque impuritates ἄνω καὶ κάτω expurgant. Quum vero in magna doſi ad 8. aut 15. ſint ſumenda, vehementerque purgent, fere nunquam uſurpantur præſertim, poſtquam Granatilli & ſemina ricini Americani purgantia innotuerunt, quorum dimidia pars ad purgationem valet. Quæ amplius ad nominis Hebraici interpretationem adferri poſſunt in Synopſi Criticorum Polus, potiſſimum ex Mercero, Livelejo, & Bocharto, in hunc modum expoſuit. Vulgatam ſive Hieronymi verſionem, qui ſcilicet *hederam* reddit, contra non ſolum apertam veritatem, ſed etiam authoris ſententiam, Concilium Tridentinum ſtabilivit. Hieronymus enim fatetur ſe hederam cum veteribus vertiſſe, non quod id probaret, ſed quia nomen Latinum, quo vera illius ſignificatio exprimeretur, ignoraret. Ricinum ergo verterunt Junius, Tremellius, Mercerus, Livelejus, Druſius, Grotius, Bochartus. Hujus verſionis veritas, inquit Livelejus, ita mihi probata eſt, ut neſciam, quæ confirmatior interpretatio ſit, & mirer, ſi quis fuerit, qui eam non amplectatur. Jam nemo eſt paulo humanior, cui non compertiſſimum eſt, *Kikajon* eſſe κρότωνα ſive ricinum, quem Herodotus vocat σιλλικύπριον, id eſt, σέσιλι κύπριον. Ægyptii apud Strabonem, Dioſcoridem, & Plinium, nec non Herodotum, Euterpe, & *Theophraſtum lib. I. cap.* 16. κίκι. Thalmudici vocant

קיק Arabes & Pœni apud Hieronymum & alios الخروع *Elcheroa*, officinæ palmam Chriſti nominant. Hanc verſionem firmat, quod *Kikajon* cum ricino conveniat 1. altitudine, quæ ab omnibus memoratur: 2. foliorum magnitudine indeque proveniente umbræ denſitate, quæ magno authorum conſenſu firmatur. *Kikajon*, inquit *Kimchius*, eſt herba longis & altis frondibus umbroſa: Ricinus apud Dioſcoridem eſt folio platani majore, vel folio vitium, apud *Plinium lib.* 15. *cap.* 7. 3. Naſcendi celeritate. In Hiſpania repente provenit, ait ibidem *Plinius*. Adde quod Kikajon ſic deſcribitur in Rabba, filio Hannæ, quem *Kimchius* citat: Juxta aquas creſcit, & pro tabernarum foribus ſata ad umbram faciendam erigitur, ac de granis ejus oleum fit. Adde etiam quod habet *Hieronymus*. Eſt genus virgulti latis foliis; ſuo trunco ſe ſuſtinens, quæ in Palæſtina crebro naſcitur, & maxime in arenoſis locis. Mirumque in modum ſi ſemen jeceris, confota conſurgit in arborem; & intra paucos dies quam herbam videris, arbuſculum ſuſpicis. Objiciunt; Ricinum, non minus quam cucurbitam à vermibus immunem eſſe, docere proverbium, Κρότων ὑγιέστερος, Ricino ſanior. Reſpondetur: 1. Suidas ait, hoc de ricino non planta, ſed animali dici. 2. Potius de Crotone urbe hoc dicitur, quam ſaluberrimam fuiſſe conſtat, tum ex oraculi effato, de illius ſalubritate apud *Strabonem lib.* 6. & *Suidam* in voce Ἀρχίας; tum ex eo, quod tot athletas, & inter eos Milonem protulerit.

II. Jonæ Ricinus, vana mundi gaudia.

De Ricino Jonæ dictum: *Filius noctis exſtitit, & filius noctis periit*, hoc eſt, una nocte exſtitit, altera periit. Tam celere incrementum habuit à miraculo. Licet enim ea ſit fruticis hujus natura, ut repente proveniat, & paucis menſibus in altitudinem eximiam extollatur; is tamen una nocte in eam materiam frondemque naturaliter effundi non poterat, qui obtecto tugurio Jonam à Solis ardore defendiſſet. Subito natus, umbræ gratia vatem delectavit, ſubitoque & ad vermiculi ictum marceſcens, luctum & mœrorem ei attulit; eaque re imaginem præbuit voluptatis properatæ, ſed cito fugientis. Habent humana omnia vermem corrodentem. Quaſi herba ſolſtitialis, ut Comici verbis utar, pauliſper ſumus. Repente exorti, repentino occidimus, &, ut eſt apud Auſonium: *Solſtitialis velut herba ſolet, oſtentati raptique ſimul.* De mœrore vatis *Coccejus*: Gaviſus eſt Jonas ricini umbra & ortu feſtinato. Con-

Convincitur noſtros mærores, quos putamus eſſe ſanctiſſimos, perſæpe eſſe carnales. Nam levibus ſolatiis carnalibus lævantur & avertuntur. Nos ſuper Jonæ ricino hæc luſimus:

Aſpice mœrentis ricinum ſolamina Jonæ,
Quem modo naſcentem perdidit atra dies.
Floruit & tuguri contexit culmina vatis,
Et contra ſolem gratior umbra fuit.
Una ſed hunc ut nox naſcentem vidit, eundem
Arentem vidit pone ſequuta dies.
Scilicet hæc mundi fruſtra gaudentis imago,
Gaudia poſt ortum mox peritura ſuum.
Nil ſtabile æternumque manet ſub ſole, ſuuſque;
Qui perimat ricinum, vermis & Eurus erit.
Quam præſtat gaudere Dei præſentis amore,
Atque Bono nunquam deficiente frui.

III. JONÆ RICINUM MISERANTIS STUPOR.
NINIVITARUM & ampliſſimæ urbis interitum haut miſeratus Jonas, de amiſſa ricini umbra doluit. Etiamnum eſſe videmus, qui ex futilium rerum jactura, beſtiarumque, canum, equorum & avium interitu, acerbitatem & mærorem capiunt; Eccleſiæ autem periclitantis, & ad imaginem divinam conditi hominis, calamitate & miſeria non anguntur.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SEXTUM.

HALIMUS, מלוח

MALLUACH perperam exponitur malva. Ineptius alii urticam, alii ciceris genus intelligunt. Malluach halymum adpellari probatur. Halimus a Dioſcoride, Galeno & Caſp. Bauhino deſcriptus. Non eſt ex fruticum genere, quod Arabibus Alkali. *De Kali herba Angelus a S. Joſeph.*

JOB.

JOB. 30: 1. 4. *Nunc rident me minores me tempore, qui ſpreviſſem parentes eorum apponere canibus gregis mei. . . . qui decerpebant halimum ſuper arbuſta.*

Ob aliquam ſoni congruentiam plerique מלוח Malvam expoſuerunt, repugnante vocis etymo, quod ad ἁλικόν τι, ad ſalſum quiddam reſpicit. Malva autem dulcis leniſque herba facilem creat ſuccum, & irrauceſcentem expedit vocem, quæ uti nec congeneres, Althea, Alcea, & Goſſipium, ad arbuſta vel ſepimenta naſcitur. Itaque alii urticam heic intelligunt, Thalmudici *Kakul*, quod eſt ciceris genus. Junius & Tremellius *herbas e ſalſugine* vertunt. Verum, inquit *Bochartus*, *Malluach* omnino eſt *halymum.* Atque hanc veram eſſe interpretationem in loco Jobi multa probant. Primo, quod Syri ſic ſumunt, ut nos diſertis verbis docuit Abenbitar. Halimum, inquit, quod populus Syriæ vocat *malluch*, Molochiam ſcribit Serapio. Secundo, quod utraque vox מלוח inquam, & ἅλιμος vel ἅλιμον à ſale facta eſt. Tertio, quod Jobus in eo eſt, ut miſeros homines deſcribat, & redactos ad incitas, quo vel maxime hæc pertinent, qui decerpebant halimum ſuper arbuſta. Ita Cæſar prope Dyrrhachium in ſumma fame

----- ----- Cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos & carpere dumos,
Et morſu ſpoliare nemus.

Hæc *Lucanus lib.* 6. Affine eſt, quod Heſiodus per malvam & aſphodelum tenues ſignificavit, & quod ſcriptum apud *Juvenalem:*

---- Quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

Sed quod maxime ad rem facit, non ovum ovo ſimilius, quam Jobi loco ſimilis eſt hic Antiphanis apud Athenæum *lib.* 4. *cap.* 16.

Τῶν Πυθαγορικῶν δὲ τυχὸν ἄθλιοί τινες
Ἐν τῇ χαράδρᾳ τρώγοντες ἅλιμα, καὶ κακά.
Τοιαῦτα συλλέγοντες.

E Pythagoricis forte quidam pauperes
Halima exedentes, quæque talia colligunt
Inſipida terræ in hiatibus.

Quarto, quod Græci interpretes, hoc ſequuti ſic reddunt, περικλῶν-

τες ἅλιμα, confringentes halima. Scio in multis codicibus legi περικυκλοῦντες, circumeuntes, & in omnibus ἄλιμα, cum ſpiritu leni, pro ἅλιμα cum ſpiritu aſpero. Certe ἄλιμα plurali numero ſunt pharmaca, quæ ex malva & aſphodelo potiſſimum conſtitiſſe veteres volunt. At pharmaca illa ſignificaſſe Græcos interpretes nemo dixerit. Quid enim ſit ἄλιμα φάρμακα περικλᾶν aut περικλοῦν. Itaque reſcribendum eſt ἅλιμα, ſicut diximus. Quinto מלוח eſſe halymum potius, quam urticam, vel atriplicem, vel aliquod ciceris genus, apparet ex Jobi verbis: Qui diſcerpunt malluach עלי־שיח ſuper arbuſtum. Hæc enim palam docent *malluach* herbam non eſſe, ſed ex arbuſto decerpi. In quo genere eſſe halymum ex veteribus jam didicimus. Hanc interpretationem primum ex Arabum ſcriptoribus eruiſſe ſe ait *Bochartus*, Europæis Doctoribus prorſus ignotam. Sed ante ipſum conſtat hoc docuiſſe *Joannem Druſium in Quæſtionibus Hebraic. Quæſt.* 17. ubi ſequentia leguntur: *Job.* 30: 4. lectum in codice Ebræo, *Qui ſuccidunt malluach.* Quid Malluach? Expono: Qui ſuccidunt halimum. Hic diſſentio à nuperis omnibus Interpretibus, quia ut diſſentiam veritas me cogit, quam necquicquam & fruſtra ipſis quæſitam puto me reperiſſe. Eſt enim Malluach aliud nihil quam halimus, ſive halimum. Id colligo primum ab etymo, quod habet a ſale, in utraque lingua: nam *Melach* Ebraice, Græce dicitur ἅλς, ἁλὸς, unde halimus: deinde ex lingua Arabica; Arabes enim halimum appellant *Mallochia*, quæ vox hodieque manet adhuc in Mauritania, ut teſtantur Serapio & Ruellius. Poſtremo etiam pro me eſt ipſa hiſtoria, in qua ſimilia leguntur de Malluach atque de Halimo, præter, quod halimi vis celebratur in ſedanda fame.

Ita *Malluach* quidem halimum eſſe docent *Druſius* & *Bochartus*, halimus autem quæ ſit planta veteribus celebrata, neuter ſignificat. Dioſcoridi frutex eſt ſepimentis idoneus, ſimilis rhamno, ſine ſpinis, foliis oleæ, ſed latioribus, naſcitur in ſepibus. *lib. I. cap.* 103. Eſt etiam Galeno frutex halimum, plurimo in Cilicia præcipue proventu, ubi & germina ejus recentia eſitant, & reponunt quoque in poſterum futura uſui. . . . Idonea planta eſt ad ſepiendos hortorum toros; quippe obſequioſa cum ſit, facile quocunque diſtrahitur. De eodem *Caſp. Bauhinus*: Halimus latifolius, erectus frutex eſt, omnino candidus, in rhamni altitudinem aſſurgens, qui ex radice dura, lignoſa & ramoſa multos protrudit ramos, craſſos,

ligno-

lignoſos, at fragiles & leves; circa quos ſine ordine naſcuntur folia oleæ, ſed latiora & breviora, interdum rhomboidea candida, carnoſa, quaſi ſplendentia, acida guſtu. Flos in ſummis ramis muſcoſus, purpuraſcens, racematim cohæret; cui ſuccedit ſemen copioſum, latum, portulacæ marinæ ſimile. Æſtate floret, ſemen autumno matureſcit, qui Ulıſſiponæ ſponte provenit, & Hiſpali in ſepibus. Hic legitimus *Dioſcoridis* eſt halimus & mitius illud genus *Plinii.* Fallitur Vir magnus, qui fruticem eſſe contendit, Arabibus Alkali dictus. *Chali*, inquit, *frutex eſt*, *halimum quoque frutex.* Tanquam ſi arguerem: Elephas eſt animal, muſca eſt animal; ergo elephas eſt muſca. Quæ genere conveniunt, non protinus eadem ſpecie cenſentur. Porro eandem plantam facturus Alkali & halimum, ipſo chali mulieres uti ſcribit, ad fucandam faciem & nitorem corpori conciliandum. Idem de Halimo tradere *Plinium*, qui inter halimi virtutes recenſuit, nitorem corpori fieri dentibuſque candorem, ſi fricetur radice ejus. Scripſit hæc quidem *Plinius*: ſed nec ex ſua ſententia, nec de alio quam ſilveſtri halimo, qui Alcali nobilitatem non æquat. Jam quod de virtutibus halimi & Alkali prodit, certum eſt, radices eorum non uni eidem rei uſum præbuiſſe. Halimi radice corporis atque dentium nitor factus; alkali autem radix nec corporis, nec dentium decorem peperit, ſed dealbatos pannos reddidit ſplendidiores, rami vero tinxerunt. *Angelus a S. Joſeph in Gazophylacio*: Herba Kali cyclamini genus, cujus radice utuntur Orientales ad lavandos pannos albos, foliis vero ad tinctos. Faciem reddere nitidiorem me nuſquam legere memini. Adverſatur etiam clariſſimi ſcriptoris ſententiæ, quæ de Alkali tradunt Arabes, halimo a veteribus delineato minime congruentia. Halimus, tradente *Plinio*, ſine ſpina, foliis oleæ, ſed mollioribus. Coquitur autem hoc ciborum gratia: Uſnen vero, id eſt, Alkali, ut apud Bochartum tradit Albacra, eſt ſine foliis, ramos habet tenues, radici ſimiles, teneros, multi humoris, qui creſcunt, donec ſortiantur lignum denſum, quo accenditur ignis valde calidus. Odor & ſuffitus ejus eſt exſecrandus, (adeoque cibis minime idoneus) ſapor ſalſuginoſus. Igitur quod alii de natali ſolo halimi ambigentes, nunc aridis naſci locis, nunc maritimis, perhibuere, id ipſe nihil dubitans de halimo & Alkali affirmavit.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM.

HEDERA.

BACCHI feſto hederam ferebant. Viſceratio vel creanomia. Hedera coronati accumbebant convivantes. Hedera Judæorum in plebem dejectorum character. Hedera ſimilis impudica mulier.

I. BACCHI FESTO HEDERAM FEREBANT.

2. M*ACCAB*. 6: 7. *Ducebantur Judæi Antiochi Philopatoris juſſu, cum Acerba neceſſitate die natalis regis ſingulis menſibus ad viſcerationem; & cum erat Dionyſiorum feſtum, cogebantur hederam ferentes pompam Baccho ducere: Ad viſcerationem*, ad creanomian, id eſt, idolothytorum diſtributionem. Græcus author, ἐπὶ σπλαγχνισμὸν. Ariſtophani σπλαγχνέυειν eſt, ut explicat interpres ejus, σπλανχνῶν μεταλαϐεῖν. Poſt ſacrum pars extorum reddebatur iis, qui victimas obtulerunt. De iis, fiebant epulæ. Hoc eſt quod vocare ad exta dicit Plautus. *Pompam Baccho ducere.* Hedera Bacchi propria. *Seneca de Oedipode:*

Effuſam redimite comam nutante corymbo,
Mollia Niſæis armate bracchia thyrſis.

Feſtus: Hedera in tutela Liberi Patris putabatur eſſe. *Grotius d. l.* Dicitur Alexandrum ob raritatem hedera coronato exercitu, victorem ex India rediiſſe exemplo Liberi Patris: cujus Dei & nunc adornant thyrſos galeaſque etiam & ſcuta in Thraciæ populis, in ſolennibus ſacris. *Plin. H. N.* 16:44. Haſta etiam Bacchi, uti in ſummo corymbis, ſic in medio & imo, hederas implecti ſolita eſt, teſte Nonno Lib. 9. Ejuſdem aræ hederas imponi conſueviſſe Scaliger docet, Poetices libro primo cap. 21. Omnes quoquo in ſacris ejus, eodem modo fuerunt redimiti.

II. HEDERA CORONATI ACCUMBEBANT CONVIVANTES.

A Baccho uſus ejus ad convivantes tranſiit, qui hedera coronati accumbebant, ut vi illius frigida, vim vini adſtringerent reprimerentque. Athenæus Dipnoſoph. *libro* 16. *p.* 675. Iis quorum caput meri potione tentaretur, promptiſſimum remedium ex florum faſciculis

culis atque ſertis fuit. Nam, ut inquit Andreas, quum aliquem forte dolor capitis urgeret, ejus compreſſu levatus, vinculum intellexit doloris præſens auxilium. Hac igitur medicina opitulantes, eorum qui nimium bibiſſent caput revinciebant hederacea præcipue corona, quæ planta citra cultum ubivis copioſa provenit, facie alioqui non invenuſta, corymbis & foliis virentibus frontem opacat, adſtrictioniſque vehementiam patitur, & poſtremo refrigerat, citra odoris gravitatem. Ob hanc rationem coronam illam vita Baccho didicaſſe videtur, qui & potum invenerit, & malis inde naſcentibus ſuccurrat.

III. Hedera Judæorum in plebem dejectorum character.

2 Maccab. 2: 21. Philopator *Judæos, qui in cenſum Alexandriæ referrentur*, (qui in plebem Ægyptiacam adſcriberentur,) *adhibito etiam igne obſignari juſſit*, χαράττεσθαι, *vel inuſtum ferro ignito characterem accipere hederam, inſigne Bacchi*, quo Bacchus à Deaſtris aliis diſtinguebatur, ut galea vel haſta Mars, tridente Neptunus. Tria hominum genera Alexandriam habitabant, ut ex Polybio nos docet Strabo libro 18. Ægyptii veteres, miles mercede conductus, & Macedones, qui proprie dicebantur Alexandrini, & quorum longe optima erat conditio, ita ut etiam in pœnis diſtinguerentur, ut notat Philo contra Flaccum. His Judæos Ptolomæus Lagi filius æquaverat, ut Joſephus nos docet *lib.* XII. *cap.* V. Philopator Judæis iratus hoc beneficium reſcidit, neque aliis indulſit, niſi qui initiarentur. Cæteros Judæos, qui hederæ χάραγμα acciperent dejecit in plebem Ægyptiam. Id hic dicitur λαυγραφία, & quibus id fiebat οἱ ἀπογραφόμενοι. At qui talem notam detrectarent, eos ſervorum loco haberi voluit. Grotius ad h. l.

IV. Hederæ similis impudica mulier.

Novarinus:

Enecat amplexu ſerpens hederæ arboris altæ,
Quo ſuſtinetur ſtipitem.
Sic & amica procax, hedera formoſior alba
Lentis adhærens bracchiis:
Quem ſemel amplexa eſt laſcivo occidit amore,
Sugens opes & ſanguinem.

Adulteris & fornicatoribus idem exitium minatur Salomo *Prov.* 7 8. 21, 22, 23. *Blanditiis adulteræ permotus adoleſcens ſequitur eam ſubito:*

tanquam bos ad mactationem abit, & velut compedibus ad eruditionem ſtultorum, donec diſſecet culter jecur ipſius; quemadmodum feſtinat avis ad laqueum, neſciens contra vitam ſuam illam eſſe.

CAPUT QUINQUAGESIMUM OCTAVUM

DE FRUTICIBUS, QUI SPINIS ARMANTUR.

KOTS, communiſſimum ſpinæ vocabulum, a tædio appellatum. Spina hæc maledictionis ſymbolum habetur. Eadem perduellium erat ſupplicium: Refractariorum imago. Ejuſdem ignis ſubito pereuntis typus. Spinæ exuſtæ hominis in totum peremti emblema. Serere in ſpinas, eſt in divitias & voluptates intendere animum. Seminare triticum & ſpinas metere. Spinus, res inexſtirpabilis. Spina deſolationis ſignum. Kots genuit Hanubum, ſpina uvam. SCHAMIR, ſpina denſior altiorque, exciſioni pertinaciter repugnans. Ignis harum ſentium, malefica improbitas. Vaſtitatis indicium ſenticetum. Sentium metu libera Eccleſia.

COmmunibus vocabulis diſtincta fruticum ſpinoſorum genera ſunt: קוץ חוח סירים סלון סלון שכים שכות צנים צנינים: quorum ſignificationes quantum quidem licuerit, declarabimus, allatis ſacræ Scripturæ textibus, quibus inſeruntur.

I. קוץ COMMUNISSIMUM SPINÆ VOCABULUM: QUÆ MALEDICTIONIS ESI SYMBOLUM.

A tædio appellatur, agricolis ob damna & injurias faſtidita. Hinc ut maledictionis emblema occurrit:

Gen. 3: 17, 18. Maledicta *eſto terra propter te, cum dolore comedito eam*, id eſt, proventum ejus, *omnibus diebus vitæ tuæ, ſpinamque & carduum proferet tibi; tu vero comedes herbam agri.* Paraphraſis: Non effundetur, ut antea, mea benedictio in terram, non fœcundabitur amplius, non augebitur proventus ejus, tua culpa, experieris terram ingratam, nec amplius te frugibus ſponte natis paſcentem: cum dolore & multis vitæ acerbitatibus proventu terræ veſceris, donec vitæ curſum confeceris. Spinæ & cardui in

illa aſſurgent tibi, quæ inculta ſuaque ſponte fruges tibi fudiſſet; tu vero, ab arbore vitæ depulſus, deinceps ex herbis agreſtibus cibum capies.

II. Spinæ perduellium supplicia.

Judic. 8: 7. Dixit *Gideon commeatum negantibus Principibus Succothanis: Quum tradiderit Dominus Zebachum & Tzalmunachum in manum meam, utique triturabo*, id eſt, repetitis ictibus ad necem uſque cædam, *carnem veſtram ſpinis deſerti & rhamnis.*

III. Spinæ refractariorum imago.

2 *Sam.* 23: 6. Viri *nequam ut ſpinæ evellendæ, erunt omnes*, (quas manu nemo tractaverit; ſed attrectaturus ferro haſtiliumque ligno manum armabit,) *& exciſæ incendio, prorſus omnino conflagrabunt in ea, qua natæ fuerint, ſede.* Senſus eſt: Judæos, qui contumaciter Deo obluctantur refraganturque, victricibus Romanorum ſubactos armis, in ſolo & urbe patria, Hieruſolyma, furoris ſui igne conſumet Deus.

IV. Ignis spinarum subito pereuntis typus.

Pſal. 118. 12. Circumdederunt *me gentes tanquam apes, extinctæ ſunt ut ignis ſpinarum;* numero ſcilicet ac celeriter. Ignis ſpinarum, etſi crepitum majoresque flammas emittit, ut vicina quæque conſumturus videatur, tamen ſubito deflagrat vix cineres relicturus: ita illarum gentium conatus, quamvis initio acres, ſtatim languerunt, atque incaſſum deflagrarunt. *Simeon de Muis.*

V. Spinæ exustæ, imago penitus et in totum peremti.

Jeſa. 33: 12. Fuerunt *populi velut inditi fornacibus calcariis* in calcem verſi undique, & ad interitum redacti; *ut ſpinæ ſucciſæ igne exuſti ſunt*, in univerſum conſumti & ad nihilum redditi.

VI. Serere in spinas, est in divitias et voluptates intendere animum.

Jerem. 4: 3. Sic *ait Dominus viris Judæ & Hieruſolymis: Novellate vobis novale*, aliam inſtituite vitam μετανοεῖτε, quod Ezechiel dixit, facere cor novum. *cap.* 18: 3. *& ne ſeratis in ſpinis, purgate animum veſtrum improbitate, divitiarum inſatiabili cupiditate, & carnalium voluptatum illecebris.*

VII. Seminare triticum, et spinas metere, est labore et spe sua frustrari.

Jerem. 12: 13. Quum *ſeminaverint triticum ſpinas metent: quum*

dolorem ceperint ex laboribus, *nihil proficient*, incaſſum laborabunt. *Coccejus*: *Seminarunt triticum*, hoc eſt, opinantur ſe bonum feciſſe, & gratiam & miſericordiam impetraturos, *& ſpinas meſſuerunt*, hoc eſt, vaſtitas terræ ſpinis oppletæ ipſis oſtendit, quale fuerit ſemen, quod ſeminarunt: nempe non triticum, quod benedictionem adduceret, ſed ſemen malum, ex quo conſcientia mala & maledictio neceſſaria proveniret.

VIII. SPINUS, RES MOLESTA INEXSTIRPABILIS.

Ezech. 28: 24. ITA *non erit amplius Sidon domui Iſraëlis ſpinus inexſtirpabilis*, *& ſpina dolorem afferens præ omnibus locis circumſtantibus eos*, *qui depopuletur eos*. ממאור quod alii dolorificum vertunt, nos ad מרר referimus, ut ſit ſpinus contumax, inexpugnabilis, ſicut צרעת ממארת eſt lepra contumax & incurabilis *Levit.* 13: 5. Litera verbi repetenda ſæpius in א tranſit. *Vid. Inſtitut. noſtr. cap. de Permutatione literarum.*

IX. SPINA DESOLATIONIS SIGNUM.

Jeſa. 32: 13. SUPER *terra populi mei ſpina ſentis*, vel ſentica, id eſt, ſpina altior, vel quæ eſt tota ſentis, *aſcendet; imo uſtio ſuper omnibus domibus hilaritatis*, *civitate exultabunda.*

Hoſ. 10: 8. *Succidentur excelſa Bethavenis*, id eſt Bethelis, *peccatum Iſraëlis*, excelſa, in quibus peccarunt Iſraëlitæ: *Spina & tribulus aſſurget ſuper altaria eorum.*

X. קוץ הוליד ענוב KOTS GENUIT HANUBUM.

1 *Chron.* 4: 8. JUXTA nominum interpretationem reddatur: *Spina genuit uvam.* Quod proverbio dixeris de filii probi improbo patre, ut e contrario tramite: חמץ בן יין *Acetum filius vini*, Optimi parentis peſſimus filius.

XI. שמיר SCHAMIR. Arab. سمر SAMORON.

SPINA denſior altiorque dicitur *cuſtodita* ſive *ſervata*, quia non facile patitur ſeſe exſtirpari, vivax præcipue. Reſpondet ei in Thargum. *Jeſa.* 32. 13. בור, vepretum. Hinc Jiſſacaritarum civitas juxta montem Ephrajimitarum *Schamir* adpellata, quod fuerit ſenticetum. *Judic.* 10: 11. conf. *Joſ.* 17: 17, 18. Eodem nomine dictus *Schamir* Smiris, indomitus lapis, qui duritie ſua ſeſe contra ictum cuſtodit.

XII. IGNIS SENTIUM, MALEFICA IMPROBITAS.

Jeſa. 9: 18. EXARDESCET *improbitas velut ignis*, *qui ſentes denſiores ac vepres abſumit*, *& incendet perplexa* ligna *ſilvæ*, *adeo ut con-*

concidant prona, *elato fumo. Concidant prona*, *Junius:* in minutiſſimum abeant pulverem. *Vatablus*: convolventur ſuperbiæ fumi. Equidem ex Arabum ſermone repetam ſenſum verbi יתאבכו, in quo كبا *cabà*, eſt *pronus concidit*, & contrario ſignificatu aſcendit elatuſque fuit.

XIII. Vastitatis indicium Senticetum.

Jeſai. 7: 23, 24. Erit *tempore illo*, *ut ſit omnis locus*, *ubi mille vites millenûm ſiclorum argenti*, *ſit*, *inquam*, *ſenticetum & vepretum. Cum ſagittis & arcu accedetur; nam ſentis & vepres*, ferarum latibulum *erit tota terra*: id eſt, in tantum per Aſſyrios redigetur in ſolitudinem, ut etiam culta loca vepribus ſentibuſque ob colentium penuriam repleantur. Factum hoc procul dubio, inquit *Coccejus* in deportatione Babylonica. Nam tempore Ezechiæ tanta vaſtitas non fuit. ℣. 25. *Et omnes montes*, *qui ſarculo ſarriebantur*, *quo non venerat timor ſentium & veprium*, uti vinearum colles, quorum ſentes ab agricolis diligentiſſime eruncinati latibula terrificis beſtiis haut præbuerunt, *à cultoribus ſuis deſerti*, *armentis ac pecoribus in paſcuum relinquentur.*

XIV. Sentium metu libera Ecclesia.

Jeſa. 27: 4. Excandescentia, inquit Deus, *non amplius eſt mihi. Quis dederit me veprem & ſentem*, *& in prælium*, & *ut progrediens contra eam ſimul incendam eam.* Senſus eſt: Recepi omnem excandeſcentiam meam (*Pſal.* 85: 4.) tantum abeſt, ut fiam vepres & ſentis, crudeliter eam puniendo, ut Gideon Principes Succothæos, *Judic.* 8: 7. aut quis me contra eam inducat in prælium? aut faciat, ut contra eam incedens ſimultaneo eam exitio perdam, ut Sodomæos & Gomorrhæos.

CAPUT QUINQUAGESIMUM NONUM.

De Choach, Sirim, et Sillon.

CHOACH, *ſpina hamata. Spineta latibula ab hoſtibus. Spes nuptiarum Libanicæ ſpinæ fruſtrata. Spina hamata in manu ebrii. Spina tritici loco, ſpes eſt ad irritum cadens. Lilium inter ſpinas præſtantiam deſignat. SIRIM*, *ſpinæ recurvæ ſeu lunatæ. Crepitus ſpinarum*, *riſus ſtulti. Spinæ perplexæ perturbatorum hominum imago. Spinis iter obſtructum*, *evadendi erepta occaſio. SILLON*, *ſpina*

recta. Spineus pro maligno. Spinus contumax, Vicinus odioſus.

I. חוח COACH.

COOACH ſpina eſt hammata, non diſſimilis hamo piſcatrio, qui eodem vocabulo notatur *Job.* 40: 21.

II. SPINETA LATIBULUM AB HOSTIBUS.

1. *SAM.* 13: 6. *Abſcondebant ſe a Philiſtæis Hebræi in ſpeluncis, & in ſpinetis, & in petris, & in arcibus & in ciſternis.*

2 *Chron.* 33: 11. *Adduxit Dominus contra Menaſſen, & populum ejus principes exercitus, qui erat Regi Aſſyriæ,* (is fuit Babyloniæ Rex, qui Aſſyriam quoque ſubjugaverat) *& ceperunt Menaſſem* בחוחים *in ſpineto, quem vincientes chalybeis duobus vinculis deduxerunt Babylonem.*

III. APOLOGUS, SPES NUPTIARUM LIBANICÆ SPINÆ FRUSTRATA.

2. *Reg.* 14: 9. MISIT *Joas Rex Iſraëlitarum ad Amaziam Regem Judæorum, qui dicerent: Quædam ſpina, quæ in Libano erat, miſit ad Cedrum, quæ erat in Libano ad dicendum: Da filiam tuam filio meo in uxorem: interea præteriens beſtia agreſtis, quæ in Libano erat, conculcavit ſpinam. Spinam in Libano* Joaſus comparat Amatziæ, Judæorum Regi, qui bellum ipſi nulla coactus neceſſitate indixerat. *Filium Spinæ,* quem in nuptias conjicere pater voluit, populum Judæ vocat infirmiorem, quem Amatzias cum Iſraëlitis uniri diſcupiebat. *Filia Cedri* intelligitur populus Joaſi, Iſraëlitæ. *Beſtia agri, quæ præteriens* ſpinam proculcavit, dicitur bellum, in quo Amatzias cum exercitu ſuo cecidit. Poterat Joaſus abſque verborum circuitu Amatziæ bellum hoc diſſuadere, ac temeritatem ejus reprehendere. Sed fabulari maluit hiſtoria uti, ut iſtius auditione facilius duceretur. Habent enim, ut Ariſtoteles ait, *Rhet. lib.* 2. apologi illam utilitatem vel exploratiſſimam, quod facillime ſubeunt, & quaſi ſponte occurrunt, utpote, quos ſibi quiſque confingere, & efformare poſſit. Demoſthenes certe judices, qui non attente ipſum audiebant in cauſa capitali, apologo de umbra aſini confiсto, ad attentionem excitavit. Menenius Agrippa, teſte Livio, apolo-

go

go de corporis humani membris adverſus ventrem conſpirantibus, plebem Romanam à ſeditione revocavit. Cardinalis Sedunenſis, in comitiis Bernæ celebratis, Helvetiorum proceres, jamjam cum Galliæ rege pacem & fœdus inituros, nec aliud in animo gerentes, relato de Vulpe, quam agricola ceperat, apologo deterruit, & velut injecto ſcrupulo, reddididit cunctatiores.

IV. Spina in manu ebrii, res quam tractare nequeas.

Prov. 26: 8. Sicut *ſpina veniens in manu ebrii, ita eſt ſententia in ore ſtolidorum.* Senſus: Nec ſpinam ebrius, nec ſententiam ſtultus tractare poteſt.

V. Spina tritici loco nata, spes ad irritum cadens.

Job. 31: ℣. *ult.* Tritici *loco prodeat ſpina, & loco hordei rubigine vitiata ſpica.*

VI. Lilium inter spinas præstantiam designat.

Cant. 2: 2. *Sicut lilium inter ſpinas*, refulgens jucundiſſimo aſpectu & innocentia, ſpinas longe ſuperat, *ita* facie ſua ſpectabilis eſt *amica mea*, Eccleſia *inter filias*; Cum aliis hominum cœtibus comparata ſanctitate, juſtitia, caſtitate, aliisque dotibus, præcellit. Moleſtiam tamen ei pariunt 1. *Spinæ tentationum*: Concupiſcentia carnis adverſus ſpiritum. *Gal.* 5: 17. Solicitudo ſeculi & fraus divitiarum *Matth.* 13: 22. quibus apud Lucam adjunguntur vitæ voluptates *cap.* 8: 14. illæ videlicet, quas Johannes memorat 1 *epiſt.* 2: 16. cupiditas carnis, libido oculorum, & faſtus vitæ. Nam & in piis voluptatum & afflictionum tentamenta ſunt. *Bernhardus Serm.* 48. *in Cantic.* Donec in carne eſt anima, inter ſpinas profecto verſatur, & neceſſe eſt, ut patiatur inquietudines tentationum tribulationumque aculeos. Quod ſi lilium eſt ipſa, juxta ſponſi verbum, videat quam vigilem ſolicitamque eſſe oporteat ſuper cuſtodiam ſuam, ſepta undique ſpinis hinc inde aculeos intendentibus. Nec enim vel leviſſimam ſpinæ ſuſtinet ullatenus punctionem floris teneritudo, ſed mox, ut modice premitur, perforatur. 2. Graves ſunt fidelibus *ſpinæ ſeductionum.* Tot enim eos ſpinæ circumdant, quot exempla improborum hominum eos avocantium. Lilium eſſe inter lilia magnum non eſt, ſed lilium eſſe inter ſpinas, hoc eſt, inter malos bonum manere, hoc vere magnum. Eſt in

laude Noachus, vir juſtus & integer in ætatibus ſuis, ſecundum Deum indeſinenter ambulans. *Gen.* 6: 9. & Loto inter ſceleratos Sodomæ cives, honeſtam & inculpatam agenti vitam, Juſti nomen à Petro tribuitur, 1 *epiſt.* 2: 78. 3. Vitam Chriſtianis acerbam faciunt *ſpinæ perſequutionum.* Averſiſſimo ab ipſis animo ſunt filii hujus ſeculi, & capitali diſſentiunt odio. Refractarii ſunt & ſpinei in ſervos Dei, & cum his tanquam apud ſcorpios habitant. *Ezech.* 2: 6. Si ex mundo eſſent, mundus quod ſuum eſt amaret; quia vero ex mundo non ſunt, ſed Jeſus Chriſtus elegit eos ex mundo, ideo odit eos mundus. *Johan.* 15: 19.

VII. SPINA VASTITATIS NOTA.

Jeſa. 34: 13. ASSURGET *in palatiis Idumæorum Spinarum multitudo, dipſacus & ſpina fruticoſa in munitionibus ejus.*

Hoſe. 9: 6. *Optimum argenti ipſorum carduus hereditabit: ſpina in tentoriis ipſorum erit. Coccejus:* Solent, qui ſubito fugiunt, & itineribus tutis uſuri ſunt, argentum ſuum defodere; cui ſpinæ increſcunt; urticæ ſunt in tentoriis ipſorum, quippe quæ derelicta ſint ab habitatoribus ipſorum.

VIII. סירים SIRIM. SPINÆ RECURVÆ SEU LUNATÆ.

SPINÆ recurvæ, pro סהירים id eſt, lunatæ. Congenera enim nomina ſunt, סהר rotunditas, סהרא luna, & סירות pro סהירות, quod ſonat hamos piſcatorios *Amos* 8: 2.

IX. CREPITUS SPINARUM, RISUS STULTI.

Eccleſ. 7: 7. SPINARUM *ardentium crepitus, nec jucundus, nec diuturnus, imo ipſis ſpinis exitioſus eſt.* Cum enim maxime crepant, ſtipularum inſtar deflagrant. *Nahum.* 1: 10. & citius dicto ſopitæ in cineres videntur. Sic impii plerumque inſanis & cyclopicis boatibus, vel aliis rebus impuriſſimis delectantur. *Sapient.* 14: 22: 28. & exiguo momento in ſummam deſperationem & perpetuum ejulatum convertuntur. *Luc.* 6: 2. 5. *Jeſa.* 65: 14. Quin illo ipſo gaudio, quod ſibi falſo imaginantur, ſuam ipſorum perniciem & damnationem maxime accelerant.

X. SPINÆ PERPLEXÆ PERTURBATORUM HOMINUM IDEA.

Nahum. 1: 10. HAUT *ſecus atque ſpinæ perplexæ* ſunt Aſſyrii, tenentur implicati, extricare ſe ex malis ſuis nequeunt, *admodum ebrietatis ſuæ ebrii ſunt;* confuſis animis labefactisque in inſaniam inciderunt: *conſumentur velut arida ſtipula toti.*

9.

XI. Spinis iter obstructum dicitur, quibus in tutum evadendi erepta eſt occaſio.

Hoſ. 2: 8. Idcirco *ecce obſepiam viam tuam ſpinis, & obducam maceriam illius* adulteræ, *ut ſemitas ſuas*, calles aut vias *tritas non inveniat.* Loco adſtringetur, unde non exierit.

XII. סלון Sillon, spina recta,

Quæ & כלון, formæ כבון *Joſ.* 15: 40. & ארון *Nehem.* 7: 61. a themate כלה id eſt, rejicere, abominari. Hinc & Chaldæorum כלוא *ſilva*, quod in Thargum ponitur loco Hebraici nominis חוח *Job.* 40: 2. 31: 40. *Cant.* 2: 2.

XIII. Spineus pro maligno.

Ezech. 2. 6. A *verbis iſtorum ne timeto, quod refractarii & ſpinæ* vel ſpinei *ſint in te, & inter rhamnos habites.*

XIV. Spinus contumax: vicinus odiosus.

Ezech. 28: 24. Nec *erit amplius Sidon domui Iſraëlis ſpinus contumax, & ſpina dolorem afferens.* LXX. Kimchius, Tremellius & Coccejus ממאיר explicant ex מרר quaſi ex ממריר natum, id eſt, amaritudinem vel dolorem afferens. Nos quoque ממאיר ex ממריר excuſum arbitramur, ſed aliam ei ſignificationem tribuimus. Nimirum τὸ מרר cognationem habet cum verbo מרה, id eſt, rebellem ſeu contumacem eſſe. Itaque ממאיר contumacem ſeu refractarium interpretamur. Eodem aurigantur Septuaginta & Vulgatus, qui *Levit.* 13: 5. ipſum ממארת lepræ epitheton reddunt ἔμμονος, *perſeverans*, & Samaritanus, qui φιλόνεικος, *contentioſa.* At Tremellius & Vatablus *dolorifica* vel dolorem inferens. Aliene: quoniam veſtibus & ædificiis plaga iſta dolorifica non eſt. Igitur rectius vertitur: *Lepra contumax eſt plaga illa: immundus eſt.* Et סלון ממאיר nobis erit *ſpina contumax*, qui exciſioni ſuæ contumaciter reſiſtit. Idem ſenſus fuerit, ſi ממאיר à מאר derivatum, repetatur ab Arabico themate مأر *ma'ara*, recruduit, quaſi dixeris ſpinam recrudeſcentem, & ſubinde recrudeſcentem lepram.

CAPUT SEXAGESIMUM.

De Sicchim, Schajith, Tsinnim, et Acantha communi spinarum vocabulo.

SICCHIM ſpinæ agrum obtegentes. Spina in oculis, dolor odioſus. SCHAJITH, ſpina ſeſſilis. Vepris deſolationis ac ſterilitatis ſignum. Vepribus aſſimilatæ hoſtium copiæ. Tzinnim ſpinæ acutæ, quales in palma humili. Spinæ famelicorum latibula: Improborum technas referunt. Acantha, *ſpinarum generale nomen. Spinæ fructus. Cum ſpinis comparata vitæ ſolicitudo & fraus divitiarum. Spinæ & tribuli, apoſtatarum blaſphemiæ. Chriſti Redemtoris corona ſpinea.*

I. SICCHIM SPINÆ AGRUM OBTEGENTES.

NOMEN שכים deductum a שכך texit, obtexit: ſunt enim vepres, qui brevi occupent agrum, repleturi totum ni reſiſtat cultura. Hamatos & aduncos arguit ejusdem originis nomen שכות, quod harpagones piſcatorios notat. *Job.* 40: 31. *An implebis harpagonibus cutem ejus?* id eſt, an crebris harpagonibus in cutem iſtius balænæ infixis, cutem ejus ſtipabis?

II. SPINA IN OCULIS: DOLOR ODIOSUS..

Num. 33: 55. QUOD *ſi non expuleritis habitatores terræ, a facie veſtra, utique erit, quicquid reliquum feceritis ex eis, in ſpinas oculis veſtris, & in aculeos lateribus veſtris.*

III. שית SCHAJITH, VEPRIS.

PROPRIE ſpina ſeſſilis, quæ per humum ſerpens ſe diffundit, ut rubus humilis & vulgaris, in Dumetis naſcens. Congenerum nomen eſt שת Das geſäſſe / ductum a verbo שות ponere.

IV. VEPRIS DESOLATIONIS AC STERILITATIS SIGNUM.

Jeſa. 5: 6. EXPONAM *vineam meam deſolationi, non putabitur, non reſarrietur, ſed aſſurget ſentis & vepres.*

V. VEPRES HOSTIUM COPIÆ.

Jeſa. 10: 17. ERIT *lux Iſraëlis*, Deus, *pro igne, & Sanctus illius pro flamma, quæ incendet & conſumet vepres ejus, & ſentes ejus eodem die. Conſumet vepres ejus*, Aſſyrios, qui ut vepres caſtris ſuis Judæam impleverant. *Eodem die*, eadem nocte, quæ civilis diei pars eſt, omnes peribunt.

VI. צנים TZINNIM, SPINÆ,

QUALES in Chamæriphe, palma humili, Arabibus دوم *daumon*

vo-

vocata, de qua *Golius Lexici appendice fol.* 2781. & *Joh. Bauhinus tom.* 1. *lib.* 3. *p.* 370. A multitudine iſtarum palmularum nomen inditum Tzini, Arabiæ urbi, quæ & Kadeſch, & vicino ei deſerto. *Num.* 33.

VII. Spinæ famelicorum latibulum.

Job. 5: 5. Stulti, id eſt, improbi, *meſſem*, *famelicus*, fame & inopia rerum omnium confectus *comedet*, *atque ad id*, *quod e ſentibus factum recipiet.* Exhauriet *comatus*, *intonſus*, *horridus & incultus*, ſordidis capillis, qui myſtacem ſuum non curat. 2 *Sam.* 19: 25. צמים latronem eſſe in Arabum lingua, à radice صم *Tzamma* percuſſit fuſte vel lapide, obſervavit *ad præf. Alcorani Hinckelmannus. Vid. Part.* 2. *c.* 26. *ſec.* 7. Deviat a recto Druſius, qui a ſpinis auferre idem eſſe ait, quod recipere ſummis maximisque difficultatibus.

VIII. Spinæ improborum Technæ.

Prov. 22: 5. Spinæ, *laquei ſunt in via perverſi: qui obſervat animam ſuam procul erit ab eis*: id eſt, qui ab integritate & à recto alienus, id unice agit, ut injuriam inferat, inque fraudem alios deducat: Qui autem ſe ſervatum cupit, is ab hac malitia & improbitate abhorret.

IX. Spinæ Fructus.

Matth. 7: 16. E *ſpinis uva non colligitur*, id eſt, ex malis nihil boni proficiſcitur. *Ab improbis exit improbitas* 2 *Sam.* 24: 13.

X. Cum spinis comparata vitæ solicitudo.

Matth. 13: 7. 22. Satore *ſerente alia ceciderunt in ſpinas*, *& aſcenderunt ſpinæ & ſuffocarunt ea. Qui autem eſt in ſpinas ſatus*, *is eſt*, *qui ſermonem audit*: *ſed ſolicitudo ſeculi hujus & ſeductio divitiarum ſuffocat ſermonem*, *qui fit fructus expers. Qui in ſpinas ſatus eſt*, hoc eſt dicere, qui in ſpinas ſemen excepit. *Aſcenderunt ſpinæ*, ſpinæ aſcendunt in agro, & ager aſcendit ſpinis, quando ſpinæ creſcunt in eo. Hoc modo Salomo dixit in libro Proverbiorum Aſcendit totus ipſe urticis: de agro pigri loquitur, & hoc ſignificat: Urticæ per totum agrum illum excreverunt, vel ut Plinius loquitur, aſſurrexerunt. *Druſius. Solicitudo* vel cura *ſeculi* eſt, quam *Lucas* 21: 34. pluraliter μερίμνας βιοτικὰς vocat, Paulus ad Titum ſcribens κοσμικὰς ἐπιθυμίας, & 2 *Tim.* 2: 4. βίȣ πραγματείας, *Johan.* 1 *ep. cap.* 2: 15. τὰ ἐν τῷ κόσμῳ *Suffocant*, ἀποπνίγειν hic eſt, quod

quod Virgilio ſegetem abducere, *Ovidio* fatigare:

------ Lolium tribulique fatigant

Triticeas meſſes & inexpugnabile gramen.

Sed propius aliquanto *Seneca*, qui necandi voce uſus eſt: Collectas manu herbas, ne quid fortuitum & agreſte ſuccreſcat, quod ſegetem necet. Et propius adhuc *Calpurnius*

------- Præfocata malignum

Meſſis habet lolium. -------- Pricæus.

Commode vero ſpinis comparantur divitiæ, uti ſolicitudines quoque & illecebræ voluptatum, quas *Marcus* adjungit *cap.* 4: 18. Nam 1. quid ſpinoſius curis, quibus, ubi ſimul indulgeas, inter ſe connexæ hærebunt, ut te nunquam expedire poſſis. 2. Eædem vitam nobis faciunt acerbam; uti pungitur, qui in ſpinis ſedet, quoquo ſe converterit. Acervum ſpinarum non tractaveris, quin te lædas: ita periculoſa & ſcandali plena eſt divitiarum tractatio, ſive eas acquiras, ſive poſſideas. 4. Ut ſpinæ fructibus ſuis foliisque fere velantur, pungunt autem eos, qui decerpturi manum incautius extendunt: ſic voluptates blanda & amica ſpecie nos invitant, ſed ad breve tempus delectantes, conſcientiam, vitam, famam ac fortunas lædunt. 4. Commune id divitiæ & ſeculi voluptates habent, ut verbi Divini fructum impediant. Obturant avaris & voluptuariis aures, ne, quæ ſana ſunt, audiant. Ingens hoc periculum moneat nos, ut voluptatum blanditias deteſtemur, nec tam anxii terreſtres opes quæramus, nec ipſarum uſum in perniciem noſtram convertamus. De cætero firmare animum divini verbi præconibus poteſt, ne deſperatione debilitentur, ſi non ab omnibus auditoribus ſuis verbum recipitur, neque omnes in fide & vitæ ſanctimonia proficiunt, quoniam & Chriſtus, primarius ſator, in via trita inque ſpinis ſementem fecit, & conquerendi cauſam habuit, *Jeſai.* 49: 4. *Fruſtra laboro, inaniter & vane vires meas conſumo, & cap.* 53: 1. *Quis credit prædicationi noſtræ, & brachium Domini, in quo revelatur?* Solatio eſt eis, ſi nullo profectu verbum docuerint, quod officium eorum penes Dominum eſt, & præmium eorum penes Deum, qui non remunerat laboris fructum, ſed quam adhibuerint operi fidelitatem. Si fruſtra ſeminaverint in terris, eo largiorem meſſem in cœlo metent: quoniam non ab eorum negligentia, ſed a malitia & ſocordia eorum, quibus loquuntur, ſterilitas & defectus proficiſcitur.

X.

XI. Spinæ et tribuli, Apoſtatarum in Spiritum Sanctum blaſphemiæ.

Hebr. 6: 7, 8. Quæ *terra profert ſpinas & tribulos, ea rejectanea eſt, & maledictioni proxima, cujus exitus tendit ad exuſtionem.* Id eſt: Qui percepto & intellecto Dei verbo frequenter gratiæ cœleſtis imbre perfuſus, nihilominus blaſphemias & convitia jacit in Spiritum Sanctum, agnitamque veritatem contumeliis proſcindit laceratque, is a Deo reprobatur, & brevi admodum ceu ſentis & vepris execrandus & deteſtabilis in ignem conjicietur inextinguibilem.

XII. Christi Redemptoris corona spinea.

Ludibrii cauſa milites Servatori coronam impoſuerunt ſpineam. Coronam ut Regi, ſpineam ut miſerabili. Crudele plane ludibrium caput conſertum ſpinis. *Matth.* 27: 29. Maledictio in ſpinis cepit, *Gen.* 3: 18. in ſpinis deſiit. Ecce lilium in medio ſpinarum. *Cant.* 2: 2. Spinarum, quæ ignominiam & dolorem creent. Certe præter figuram contumeliæ, inquit *Tertullianus libro de Corona milit.* in promtu eſt, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt. *Clemens Alexandrinus Pædag. lib.* 2. *c.* 8. oſtendit fuiſſe ἀπὸ βάτυ, e rubo; rubumque illum confert cum eo, in quo Deus comparuit Moſi, myſterium aliquod in utriusque conſervatione obſervans. Sed cum ruborum multæ ſint ſpecies, inanis atque inutilis labor fuerit velle quærere, quæ potiſſimum ſpecies ad hanc coronam ſit adhibita. Marcellus Empiricus ex alba ſpina Chriſtum coronatum fuiſſe ſcribit. *Rauwolfius Itinerarii Part.* 3. *p.* 81. Rhamni genus fuiſſe credidit Arabibus Hauſegi vel Alhauſegi vocitatum, qui plurimus circa Hieruſolyma urbem & intra ipſam fruticet, ramos ferens longos & aculeos in acute ſpinæ modum. Hodieque coronæ hujus reliquias ſupereſſe contendit *Baronius*, ſed idoneo, quo id probetur argumento, opus eſt. *Vid. Caſaubon. Exercitat.* 16. *ad Baronium.*

CAPUT SEXAGESIMUM PRIMUM.

I. Rosa. II. Rubus. III. Cynosbatus.

ROSA flos principalis. Voluptariorum deliciæ. Roſa ad flumen. Roſæ comparata ſapientia. RUBUS. Mons ruborum. Rubi genera.

Deus in Rubo. Rubus ardens Dei Servatoris gratiam præfiguravit. ATAD, Cynosbatus. Videntur Arabes vim nominis ignorare. Atad non ſignificat rhamnum, ſed a Theophraſto deſcriptam Cynosbaton. Dioſcorides & Plinius reprehenſi. Cynarus idem qui Cynosbatus. Cynosbatus Tyranni hieroglyphicum. Item inopinato pereuntis malefici. Atadi area. He demonſtrativum etiam proprii præfixum.

I. ROSA POTANTIUM DELICIÆ.

S*APIENT.* 11: 7, 8. *Vino pretioſo & unguento impleamur, ac ne prætereat nos flos aëris*, id eſt, interprete Junio, *jucundus aër*, vel juxta eos, qui ἔαρος legunt, *flos vernus*, qui *Sirac.* 50: 8. novis natus diebus dicitur, *coronemur* odoris ſuavitatem diu retinentibus *roſarum calyculis, antequam marceſcant.* Roſam principem florum dixit *Scaliger*, *Exercit.* 325. 13. ut non immerito *Anacreon* canat, *Od.* 5.

Ῥόδον, ὦ φέριστον ἄνθος,	*Roſa honor decusque florum,*
Ῥόδον, ἔαρος μέλημα.	*Roſa cura amorque veris;*
Ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά.	*Roſa cœlitum voluptas.*

Idem de eadem.

Στεφανηφόρου μετ᾽ ἦρος	*Cum vere patre florum*
Μέλπομαι ῥόδον θερινόν.	*Socianda laus roſarum.*
Τόδε γὰρ θεῶν ἄημα	*Roſa flos odorque divûm*
Τόδε καὶ βροτῶν τὸ χάρμα.	*Hominum roſa eſt voluptas.*
Χάρισίν τ᾽ ἄγαλμ᾽ ἐν ὥραις	*Decus illa gratiarum*
Πολυανθέων Ἐρώτων.	*Florente amoris hora.*
Ἀφροδίσιόν τ᾽ ἄθυρμα.	*Roſa ſuavium Diones,*
Τόδε καὶ μέλημα μύθοις,	*Roſa opus laborque vatum,*
Χαρίεν φυτόν τε Μουσῶν.	*Et amica planta Muſis.*
Γλυκὺ καὶ ποιοῦντα πεῖραν	*Eſt grata colligenti,*
Ἐν ἀκανθίναις ἀταρποῖς.	*Licet ante ſpina pungat*
Γλυκὺ δ᾽ αὖ λαβόντα θάλπειν	*Mordacibus rubetis:*
Μαλακαῖσι χερσὶ κούφαις	*Eſt grata eam foventi*
Προσάγοντ᾽ Ἔρωτος ἄνθος.	*Manu ſubinde molli.*
Ὡσσοφῷ τὸ δ᾽ αὐτὸ τερπνόν,	*Eadem decens coronis,*
Θαλίαις τε καὶ τραπέζαις,	*Eſt expetitita menſis,*
Διονυσίαις θ᾽ ἑορταῖς.	*Solennibuſque Bacchi.*
Τί δ᾽ ἄνευ ῥόδου γένοιτ᾽ ἄν;	*Roſis quid absque fiat?*

Ῥοδοδάκτυλος μὲν Ἠως,	*Aurora nonne fertur*
Ῥοδοπήχεες δὲ Νύμφαι;	*Roſea manu decora?*
Ῥοδόχρως δὲ κ᾽ Ἀφροδίτα	*Roſeisque nonne Nymphæ*
Παρὰ τῶν σοφῶν καλεῖται.	*Spectabiles lacertis?*
	Roſicolor ipſa Cypris
	Vocitata nonne doctis?

H. Steph.

Proinde non poſtrema cura & amor fuit eorum, qui nepotinis ſumtibus oblectabantur. Unde de Verre Cicero *Orat.* 10. In lectica pulvinus in capite erat pellucidus Melitenſi roſa fartus. Ipſe autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ſibi ad nares admovebat, tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſæ. Crinibus quoque implicitas ex Euripide in Medea aliiſque conſtat, iisque luxurioſius qui epulari ſolebant, imprimis placuiſſe, quod adſtringerent, & vini exhalationes, perinde ac hedera, myrtus, & apium, arcerent, & gravitate capitis ſedata potione æſtuantes refrigerarent.

II. Rosa ad flumen.

Sirac. 39: 17. *AUDITE me Sancti, & germinate tanquam roſa plantata ad flumen humidum.* At certe odoratior locis aridis quam ſiccis provenit roſa, nec riguis gaudet licet raris. *Plinius* de roſa: Seri nec pinguibus vult, nec argilloſis locis, nec riguis contenta raris. Omnis tamen ſiccis quam humidis odoratior, *lib.* 21. *c.* 2.

III. Rosæ comparata sapientia.

Siracides 24: 14. *TANQUAM palma Hengedi, inquit Sapientia, exaltata ſum, & tanquam planta roſæ Hierichuntinæ.* Roſæ tribuit proceritatem, frutici qui apud nos nunquam arboris proceritatem æquat. Roſa autem Hiericuntina eſt, quæ in viridariis Hierichuntis nata, plane alia ab iſta Hiericuntia, quam & Hieruſolymitanam vocant, & alii perperam pro Amomo venditarunt.

IV. Rubus. סנה Sene.

Chaldæis סינא, Græcis Σινᾶ, Syris סניא *Sanja*, *Marc.* 12: 26. Synonymon סין lutum ſonat & rubum. A luto adpellata Sin, Ægypti civitas Peluſium. *Ezech.* 30: 15. 16. A Rubo *Sin* deſertum, quod eſt inter Elim & Sina. *Exod.* 16: 1. Pluralis סיני rubi, hinc Mons Sinai, eſt mons ruborum adpellatus, & ab illo lapis quem vocant Sinaiticum, quia inde ad Europæos affertur. Lapis ipſe colore albicat, qui interdum ad ruſſcum vergit. Linearum du-

ductus nigri ſunt, lapideque igni admoto, brevi diſperguntur, remanente lapide in ſimplici ſuo colore: eſtque materia, quæ non calcinatur, ſed diu ſuſtinet ignem, donec vitrificetur. Figuræ arboreæ ramoſæque effectus ſunt exhalationis, quæ, facto aliquo principio, dein ſuperveniente materia paulatim in ramuſculos minutaſque frondes diffunditur, haut aliter ac pyrites in fornacibus a calore victus disrumpitur a radicibus in ramos paulatim minores. *Imperatus. Hiſt. Nat. cap. 25. lib. 24.*

Rubi multa reperiri genera tradit *Theophraſtus. lib. 3. cap. 18. de Hiſt. plantar.* Alius namque inſtar arboris craſſeſcens in altum attollitur, alius ſepibus frutetisque implicatur, alius humi ſerpit radicaturque graminis modo, quem ideo chamæbaton appellant, alius denique aliis modis in ſylvis & montibus vagatur; *ut ille quem Idæum dicunt.* Arboreum fuiſſe a Moſe conſpectum rubum, veriſimile non eſt, nec ii, qui iſthic loci peregrinati ſunt, talem obſervarunt. Fuerit igitur vel Idæus Rubus, vel humi repens chamæbatus, denſior, & avidius ignem concipiens, cujus moros brombeer vocamus.

V. ANGELUS IN RUBO.

Exod. 3: 2. ADPARVIT Moſi Angelus Domini in flamma ignis in medio rubi, quumque aſpiceret, ecce rubus ille ardebat igne, nec tamen rubus conſumebatur.

Ut omnis Prophetarum viſio ſignificationem habuit gloriæ vel operis divini, ſic ea, quam Moſes vidit, Dei Servatoris gratiam præfiguravit, qui dilectis ſuis benignus eſt & ſalutaris, oſoribus autem ignis conſumens. *Deut. 32: 22.* Rubus humilis, deſpectuſque frutex, qui gracilitate ſua, & ſimul nimia proceritate, defigit in terram capita, iterumque naſcitur ex ſe, repleturus omnia, ni reſiſtat cultura, Iſraëlitas ſignificat ab Ægyptiis ad infimum quidem locum dejectos, triſtique ſervitio preſſos, ſed quum immenſum pene caperent incrementum, hoſtibus formidatos, metuentibus ſcilicet, ne auctis eorum rebus vel hoſtibus ſuis ſe adjungerent, vel contra eos pugnarent. *Exod. 1: 10. Flamma* ignis, id eſt, ardentiſſimus ille ignis, quo rubus non conſumebatur, graviſſimum afflictionum æſtum denotat, qui incumbens Iſraëlitis conſumere eos non potuit, habitante in medio ipſorum Angelo Domini, qui *ſequente commate quarto* dicitur יהוה, & *ſexto* Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi, hoſtium duntaxat ſuorum ignis conſumens.

Deut.

Deut. 4: 24. Fugit hæc expoſitio intelligentiam veterum, qui ſignificaſſe hanc viſionem putant. 1. Incarnationem Domini, ut Gregorius Magnus, qui ſcripſit: Inconſumtam humanitatis noſtræ ſubſtantiam, etiam in ipſa divinitatis flamma λόγος conſervat. Nos, ut noſtris quoque placuit Doctoribus, viſionem hanc concinne ad incarnationem accommodari exiſtimamus, cujus accommodationis inſigne ſpecimen datum eſt apud *Baumannum Analector. Sacror.* p. 719. 720. & ſeq. & typum eſſe incarnationis admittimus. Sed Scripturæ Sacræ illatum & adventitium, haut innatum vel inſitum, uti ſerpens æneus à Moſe erectus, *Joh.* 3: 14. uti Jonas e ventre ceti poſt triduum egreſſus, *Matth.* 12: 40. uti Melchiſedecus ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, ejusdemque regnum & ſacerdotium. *Heb.* 7. 2. Qui reſurrectionem putant præfigurari, ut Chryſoſtomus, cujus verba: Sicut rubus ardebat & non comburebatur, eadem ratione corpus Chriſti, mortuum quidem eſt, ſed a morte detineri non potuit. 3. Abeunt etiam a genuino ſenſu, qui exiſtimant Rubum eſſe gentem Judaicam, ignem eſſe legem, quæ luceat quidem, non tamen penetret, vel 4. qui contendunt Rubum notaſſe virginem Deiparam, ignem Spiritum Sanctum, qui in ea formaverit corpus, illæſa Virginitate: aut 5. qui exiſtimant rubum denotare humanitatem noſtram, ignem Deum, cui conjuncta ſit, non conſumta.

VI. אטד Atad, Cynosbatus.

Usurpatur & in Arabum ſermone nomen *Atad*, ſed videntur Arabes ſignificationem ejus ignorare, aliis aliter explicantibus. Baitharides enim interpretatur عيدان العوسج *hidanalhuſagi*, Lycii ligna, in Camus autem exponitur Rhamni nigri ſpecies, quam Dodonæus deſcribit. Si Hebræorum Atad idem ſonaret, quod Arabum اطد *Atad*, *Gen.* 50: 11. & *Pſalm.* 58. 10. Interpres Arabs ipſum אטד, familiarem ſibi, idemque cum vernacula ſua valituram vocem, non vertiſſet in عوسج *Auſag.* Qui poſt LXX. Seniores & Vulgatum *Judic.* 9: nomen אטד in Rhamnum verterunt, iis excidit, Arbores in Apologo Jothami, Regem non in fruticibus, ſed arboribus quæſiviſſe, & elegiſſe eam, ſub cujus umbra con-

quieſcerent. *Judic.* 9: 15. Atqui rhamnus arboribus non annumeratur. *Dioſcorides lib.* 1: *cap.* 102. Rhamnus frutex circa ſepes naſcitur, virgas ferens rectas in acutæ ſpinæ modum. & *Plinius lib.* 24: 14. Inter genera ruborum rhamnos appellatur à Græcis candidior ac fruticoſior: nec rhamnus umbram ſufficit quieturis. Itaque Junius & Tremellius neglecta hac interpretatione Cynosbaton reddunt. Cynosbatus autem ſive Canirubus, Theophraſto auctore, inter arborem ac fruticem medius, (*adeoque frutice major*,) & punicæ proximus, folio viticis, fructum ſubrubrum parit, malo punicæ ſimilem. Errat Dioſcorides, qui fructum ejus oblongum dixit, nucleo olivæ ſimilem, qui per maturitatem fulveſcat & floſculos intus contineat. *lib.* 1. *c.* 106. Hoc enim ad Cynorhodon pertinet non ad cynosbaton, quæ duo genera miſcuit perperamque in unum contraxit. Plinius quoque cynosbaton uvam producere nigram & Neuroſpaſton adpellari ſcribens cum chamæbato eam confundit, qui nigra fert mora, & tendiculæ ſeu nervi modo per terram extenſus ambulantium pedes trahit, & trahitur ipſe. *Vid. Salmaſ. Hyl. Iatr. cap.* 25. Porro & Κύναρος ἄκανθα, id eſt, Cynarus ſpina vocatur Cynosbatus, Didymus Grammaticus verba Sophocli citata, nempe κύναρος ἄκανθα, quum exponit: Fortaſſis, inquit, cynosbaton ſic vocat, quoniam aſpera & ſpinoſa planta eſt. Pythia namque ligneum canem eum appellavit. Cum enim oraculum juſſiſſet Locrum ibi civitatem condere, ubi ligneus momordiſſet canis, crure aculeis cynosbati compuncto, urbem ædificavit. *Athenæus lib.* 2. *Dipnoſoph. p.* 70.

VII. CYNOSBATUS TYRANNI HIEROGLYPHICUM.

Univerſæ Arbores, quum Olea, Ficus, & Vitis, delatum ab ipſis regnum ejurarent, à Cynosbato poſtulant ut in ſe regnaret. Quibus Cynosbatus reſpondit, ut ſi ſe bona fide regem ipſis præfuturum ungere vellent, accederent, & in ſua umbra conſiderent; ſin minus, exiret ignis a Cynoſbato, qui Libani Cedros combureret. Judic. 9: 15. Habes mali Principis ideam. Olivæ, Fico, & Viti, auſus imperitare Cynosbatus, promittit quam præſtare non potuit umbram, arboribus proceritate ipſum longe ſuperantibus: ſpinis autem, quibus formididinem & horrorem adderet, ſe non abdicat. Nimirum hic tyrannorum mos eſt, dum ſui juris faciant incautos, in quietioris vitæ ſpem eos erigere; ſpinarum vero ſuarum atrocitatem, id eſt, ſævitiam, terrorem, avaritiam, libidinem & mala conſulta, ad ultimum retinere.

retinere. Sunt interim, quæ & ipſos dilacerent ſpinæ, & aſſidue pungant, ſcelerum conſcientia, & à ſubditis perpetuus metus. Neceſſe eſt enim multos metuat, quem multi timent. Et veriſſime dictum à Salluſtio ad Cæſarem Oratione prima: Equidem ego cuncta Imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror: neque quemquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam, bellum æternum & anceps gerere, quoniam neque adverſus, neque ab tergo aut lateribus tutus ſis, ſemper in metu aut periculo agites. Jorami Cynosbatus eodem igne, quo imperium dedignantes arbores corrupit, ipſe conſumtus fuit. Albimelechus enim, ad quem accommodata fabula, interemtis Sichemitis, ipſe improviſo periit, poſtquam principatum cæde ſeptuaginta fratrum exorſus, tribus duntaxat annis tenuiſſet. Sceleribus enim parta vel agitata imperia non durant diu. Thales interrogatus, Τί δύσκολον εἴη τεθεαμένος; γέροντα, ἔφη, τύραννον, quid difficile vidiſſet? Tyrannum, inquit, ſenem. Laertius in ejus vita.

VIII. Cynosbatus emblema inopinato pereuntis malefici.

Pſal. 58: 10. בטרם יבינו סירתיכם אטד כמו־חי, כמו חרון ישערנו: Difficilis explicatu locus, plurimas interpretum verſiones peperit. Pleraſque igitur viſum eſt cum noſtra hic referre, ut arbitrium cordato lectori relinquatur, eligendi, quam propius ad mentem Sacri textus accedere judicaverit. Vulgatus τῶν ό verſionem adprobans reddit: *Priuſquam ſpinæ veſtræ intelligerent rhamnum ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.* Syrus. *Et non intellexerunt. Erunt ſpinæ eorum rhamni, & ira conturbabit eos:* Arabs. *Et non intellexerunt: Erunt ſpinæ eorum rhamnus; abſorbebit eos furor adhuc viventes.* Chaldæus. עד לא יתעבדון רשיעיא רכיכי אקשון היך אטדא עד דהנון רטיבין כבנכרא בעלעולא ישצנון: id eſt: *Antequam impii reddantur molles, induravit eos ut rhamnum, donec virides ut omphacem turbine perdat eos.* Castalio: *Ac veluti, ſi cuius ollæ ſpinas nondum ſenſerint; ſic illi tanquam crudi per iram vexentur*, id eſt, pereant ætate immatura, ut ſi carnes ex olla extrahantur ſemicrudæ. Vatablus: *Priuſquam ſpinæ veſtræ in rhamnum adoleſcant, repente vivos ſicut acerrimo furore tollat eos turbo.* Junius & Tremellius: *Quum nondum ſentientur ſpinæ veſtræ*, ſpi-

ſpinæ *cynosbati*: *tam redivivam quam aduſtam procellet quamque*: id eſt, omnes omnino, quam primum in malitia ſua vernare incepe-rint. PISCATOR. Ehe man eüre doꝛnen / die doꝛnen / vom haimboten ſtrauch fühlen wird / ſo wird er dieſelben beedes die grünenden und die verdorreten / gleich als durch einen wirbel wind wegreiſſen; Dor-nen: das iſt ſchädliche anſchlage. vom haimbotten ſtrauch: das iſt / gantz ſchädliche. Er der herr: Dieſelben Hebr. denſelben / ver-ſtehe denſelben dorn / das iſt einen jechlichen derſelbigen dornen. Bee-des die grünenden &c. Hebr: alſo den lebendigen wie den verbran-ten / oder wie die dornen an der brennung: das iſt beedes die alte und neüe anſchläg: HULSIUS: *Antequam ollæ veſtræ ſen-tiant rhamnum; ſicut vivum* (ſicut caro cruda cito coquitur) *ſic ira ut turbo perdat eum*, (ſive, unumquemque eorum.) JOHANNES CLOPPENBURGIUS: *Antequam percipiant lebetes veſtri rhamnum*, ſci-licet accenſum, *tam carnem vivam*, *quam ardentem ignem*, *turbine auferet*. Verto: *ſicut vivam* ſeu crudam carnem, *ſic fervorem* ſci-licet ignis quo caro cruda excoquatur, *turbine arripiet eum*. Sen-tentiam allegoriæ peto ex loco *Micæ* 3: 2, 3. ubi impii carnes populi Dei vorandas dicuntur ab oſſibus rapere, ſecare in fruſta, ac ollis & lebetibus coquendas imponere. *Angli*: *Before your pots can feel the thorns, he shall take them away as with a Whirlewinde, both living, and in his wrath.* *Belgica*: Eer dan uwe Potten den Doorn-ſtruyck gewaer woꝛden / ſal hy hem als levendig / als (in) heeten Toorne weg-ſtormen. GENEVENSIUM. *Avant que vos chaudieres ayent ſenti le feu des eſpines, l'ardeur de colere ainſi qu'un tourbillon vous en levera un par un, comme la chair cruë.* ALIUS: *Antequam animadvertatur ſpinas* veſtras *fieri robuſtiores*, id eſt mala conſilia veſtra explicari, *auferentur tempeſtate tam recentes quam arefactæ*, hoc eſt, tam ju-niores improbi, quam ſenes, nullo diſcrimine. JEKUTIELIS, Eheuere junge döꝛner werden prüfen den harten dorn / as wen er noch grün is / wert er ihn gleich as wie ein grimmzorn beſtormen. COCCEJUS; *An-tequam ollæ veſtræ rhamnum, ut vivum, ut æſtus erit, quem hor-reant*, id eſt, urbes veſtræ erunt pro ollis vobis, in quibus co-quamini. Quod quidem cito fiet. Nam antequam rhamnum ſen-ſerint, hoc eſt, antequam flamma rhamni fuerint tepefactæ, carne veſtra adhuc cruda, exiſtet fervor in ollis veſtris. Senſus eſt: An-

tequam

tequam ſerio vis hoſtilis adoriatur civitates veſtras, in iis plagæ Dei graſſabuntur, & carnem veſtram quaſi torrebunt. Sebastianus Schmidius: *Antequam ſentiunt* homines, *ſpinæ veſtræ* fiant *rubus*; *quem ſive vivum ſive aduſtum procellet.* Noldius Notis ad Concord. Particularum, pag. 1001. *Antequam intelligant ollæ veſtræ rhamnum; tam crudum quam aduſtum, quaſi turbine rapiet illud.* Senſus eſt: Ex improviſo & antequam intelligat quis, aut avertere poſſit, Deus rapiet improbum: quemadmodum turbo & ollas, & quod in eis crudum vel coctum momento abripit. Vel: antequam conſilia improbi ad maturitatem pervenerint ex improviſo evertentur omnes machinationes ejus.

Versio et Expositio nostra:

Antequam ollæ veſtræ ſenſerint Cynosbatum, tam virentem quàm aridum, turbine auferet Deus. Ollæ veſtræ, ollæ carnis, in quibus caro coquitur. *Senſerint.* Hebr. intellexerint. ut ידע ſcire, uſurpatum pro ſentire. *Gen.* 19. Non ſenſit Lotus dum cubaret, aut dum conſurgeret. *Senſerint cynosbatum*, hoc eſt, ignem cynosbati. Vox ignis neceſſario hic ſupplenda, quia ſpinæ lebetibus non ſubjiciuntur, niſi ut accenſæ eos calefaciant. *Tam virentem*, ſerius arſurum. Hebr. חי vivum. Cynosbatus vivus opponitur mortuo, id eſt, viridis arefacto, ut emortuæ arbores vel aridæ germinantibus. *Judæ verſu undecimo* Sic & arbores vitæ dicuntur non ſolum quod dant, ſed etiam quod prorogant vitam & perpetuo virent. Confer *Ezech.* 27: 12. cum *Apocal.* 22: 2. Pes vel truncus arboris mori dicitur, quando virere deſiit. Job. 14: 9. *Quam aridum*, citius arſurum. חרון formæ חלון perforata feneſtra, vel מרון menſura, ab חרר exſiccatus, eſt. *Jerem.* 6: 29. *Pſal.* 69: 4. à quo verbo etiam חררים ſicca loca. *Jerem.* 17: 6. *Turbine auferet eum*, ſcilicet cynosbatum. Verbum ישערנו activam habet hic ſignificationem, quia ex nomine שער quod turbinem ſonat, derivatum eſt. Alioquin שער intranſitivum verbum horrere vel horreſcere ſignificat. Jam *Ollæ* ſeu lebetes ſunt improborum animi, caro in ollis, conſilia funeſta ab improbis agitata. Coquere conſilia dixit Livius. Cynosbatus viridis notat improbos, qui bonis malefacturi erant tardius; arefactus, qui celerius. Senſus igitur dicti:

Antequam funeſta conſilia ſua coxerint malefici, ut tardius ſeriuſque, ita temporius ac celerius nociturum, alte-

rum cum altero in ipſo ſcelerum conatu ex improviſo velut turbine diſſipabit ac disjiciet Deus.

IX. ATADI AREA PLANGENTIUM LOCUS ÆGYPTIORUM.

Gen. 50: 10. QUUM *veniſſet Joſephus cum ſervis Pharaonis uſque ad aream Atadi, quæ eſt cis Jordanem, planxerunt ibi planctu magno & gravi valde: inſtituit enim* Patri ſuo luctum ſeptem diebus: *Quapropter videns incola ejus regionis Cananæus, luctum illum ad aream Atadi, dicebant, luctus gravis hic eſt Ægypto, idcirco vocavit nomen illius Areæ*, AREAM LUGENTIS ÆGYPTII, *quæ eſt cis Jordanem.*

Ad aream Atadi; *Junius*, *Tremellius* & *Belgæ*, voce אטד adpellative accepta vertunt, *ad aream quandam* ſeptam *cynosbatis*, quod exiſtimarent ה literam propriis nominibus haut præfigi. At vero idem Sacerdos, qui *Kotz* dicitur 1 *Par.* 4: 8. vocatur *Hakkotz*, 1 *Par.* 24: 10. eodemque vocabulo inſigniebatur Pater Uriæ, *Nech.* 3: 4. Gerunt etiam in fronte nominis ſui eandem ſervilem literam Haaravna Jebuſæus, 2 *Sam.* 24: 16. & Hahanok, gigantum Pater, *Joſu.* 21: 11. & Hajehudija, uxor Meredi, 1 *Par.* 4: 18. Hakkatan, Pater Jochanam, *Ezr.* 8: 12. Hallocheſch, Pater Schallum, *Nechem.* 3: 12. Hammachavoim, 1 *Par.* 11: 46. Hammolecheth, ſoror Maciri, 1 *Par.* 7: 48. Harakkachim, Chananiæ Pater, *Nechem.* 3. 5. Harapha, pater gigantum, Gitthæorum, 1 *Par.* 20: 4, 5, 6. Haroöe, pater Menuchotarum, 1 *Par.* 2: 52. Haſſchemaha, Joaſchi pater, 1 *Par.* 12: 3. Haſſenua, pater cujuſdam Jehudæ, *Nech.* 11: 9. Haſſophereth, *Ezr.* 2: 52. qui etiam Sophereth, *Nehem.* 7: 57. Hatztzobeba, filius Hakkotzi, 1 *Par.* 4: 8. Adſciſcunt etiam He initio virorum nomina, quæ familiam vel tribum denotant, ut Cephar Hahophni, villa Hophnitarum, *Joſu.* 18: 24. נחל הגד Torrens Gaditarum, 2 *Sam.* 24: 5. שֵׁבֶט המנשה Tribus Menaſſitarum, *Deut.* 3: 13. & 25: 8. *Joſu.* 12: 6. & 22: 7. 1 *Par.* 5: 23. שבט הלוי Tribus Levitarum, *Deut.* 10: 8. 1 *Par.* 23: 14. *Cis Jordanem*, אשר בעבר הירדן in terra Cananæorum. Nam trans Jordanem, ubi Moſes author hiſtoriæ morabatur, colebant Amorrhæi. Veniebant ergo Ægyptii cum Joſepho per meridianam plagam via exploratorum, & ditionem Regis Haradi Cananæi, de cujus populo dictum videtur: *Vidit incola ejus regionis, Cananæus, luctum*

luctum illum ad aream Atadi. Vocavit nomen illius, Hebr. שמהּ cum ſuffixo fœmineo, quod refertur ad גרנה, collactaneum nominis maſculini גרן, cujus pluralis גרנות *Joel.* 2: 24.

CAPUT SEXAGESIMUM SECUNDUM.

Oxyacanthæ, ברקנים Rhamni, Prunus silvestris, Aspalatus.

BARKANIM, ſpinæ fulgidæ vel fulguris inſtar penetrantes. Oxyacantha à Salmaſio deſcripta. Spina eſt, quam albam dicimus. Hakrabbim, non ſonat Cynosbatos. Rhamnos eſſe probatur. Rhamni tria genera. Rhamnorum ictus, id eſt, tyrannicum regimen. Inter rhamnos habitare, proverbium. PRUNUS SILVESTRIS, Hebræis Chedek, ab urendo vel pungendo: Non eſt Lycium, nec Paliurus. Prunus ſilveſtris homo aſper & durus. Sepimentum ex pruno ſilveſtri negotii mora. RUSCUS Hebræis Sirpad: Symmacho dicitur Urtica. Τοῖς ὁ κόνυζα, *Tremellio Paliurus, Arabi ebulus: Syro hyſſopus: Nobis Ruſcus a ſeparando & recedendo. Nohatzutz nominis expoſitio. ASPALATHUS. Aſpalathi genera. Tyranni apud inferos ſpinis illius lacerati. Vocatur hodie lignum roſeum. Unde efferatur.*

I. Barkanim, Oxyacanthæ.

BArkanim à ſplendore vel fulgore dictum ſpinarum genus eſt, quod fulguris inſtar penetrabile & urens. Vidit hoc Cornelius a Lapide, qui Barkanim ait, ſignificare ſpinas ſive tribulos acerrimos, qui ut fulgur oculos penetrat ac lædit, ita illi corpus. Convenienter ergo ad etymon Junius, Tremellius, & Coccejus, reddunt Oxyacanthas, id eſt, acutas ſpinas. Dioſcoridi acuta ſpina etiam πυράκανθα dicitur, ut Salmaſio viſum, πυρίνη ἄκανθα ab acumine urentium pungentiumque aculeorum. Eadem pyraſtro ſimilis (quantum ad ligni formam & arboris effigiem) ſpinoſa valde & minor: baccas profert myrti plenas, rubras, fragiles, & intus nucleum; radicem multifidam, alte deſcendentem. Fuſius hanc pyraſtro ſimilem oxyacantham deſcribit Caſpar Bauhi-

 nus

nus notis ad Dioſcoridem : Hæc, inquiens, ex radicibus craſſis multis, caudicem emittit rectum firmum, cortice ſubcinereo tectum: qui in multos ramos longos, late diffuſos brachiatur, quos inordinate cingunt ſpinæ valide erectæ, atrociter pungentes, quibus ſuperiores rami ſæpe deſtituuntur : foliis eſt aliquando rotundioribus arbuti inſtar, aliquando admodum pyraſtri oblongis, aliquando etiam acuminatis, in ambitu tamen diſſectis, venoſis : floſculi ex quatuor & quinque foliolis compoſiti, parvis pediculis inſidentes, acervatim congeſti, ex luteo ſubrubent, ex quorum medio aliquot brevia ſtamina prodeunt ; his ſuccedunt fructus forma oxyacanthæ vulgaris, rotundi, umbilicati, denſius coacervati, ex aureo ad coccineum vergentes, acidi guſtus, in quibus grana aliquot continentur. Provenit ſponte in ſepibus circa Bononiam, in agro item Senenſi prope Alcinum montem, & in Alpinarum gentium Ebrodunenſium ſaxoſis convallibus. Albam eſſe ſpinam contendit Salmaſius, quam & Græci recentiores Λεύκανθαν dixere, & noſtrates etiam Weiſſdorn vel Hagdorn nominant, plane diverſam a ſpina alba, quam ad carduorum genera rejecit *Dioſcor. lib.* 3. *cap.* 12. Talibus oxyacanthis commeatum populo negantes Seniores Succothanos cecidit Gideon. *Judic.* 8: 7. 16.

II. HAKRABBIM, RHAMNI.

עקרב ſcorpionem Hebræis ſonat, & metaphorice atrociter pungentem, punctoque ſævos inurentem dolores. Itaque R. Salomo ad 1 *Reg.* 12: 11. Gallica voce reddit *églantier*, id eſt, Cynosbatus, cujus arboris virgæ, inquit, עוקצי כעקרב ſcorpionis inſtar pungunt. Et Kimchius poſtquam de ſcuticis egit, illis, ait, graviores Hakrabim, ſcorpiones, quia pungunt ſpinis, queis armantur. Spinis ac ſentibus cædere rebelles inauditum Hebræis non fuit, nam & Gideon, ut modo vidimus, hac pœna Succothanos coercuit. Tamen Cynosbatos fuiſſe Hakrabbim cum Jarchio non ſtatuerim. Id enim vocabulum, ut ex ſupradictis patet Atado non convenit. Potiore jure Rhamno vindicabitur, ſpinæ non minus maleficæ. Illius tria genera Dioſcorides obſervat. Rhamnus, inquit, fruticat in ſepibus, ramos ferens rectos, & aculeos in acutæ ſpinæ modum : foliis parvis oblongis, ſubpinguibus, teneris. Alterum ei genus candidius. Tertium nigrioribus latioribusque foliis conſtat, & quadantenus rubentibus : cujus rami quinum fere cubitorum longitudinem implent, Spinoſiores quidem, ſed infirmio-

mioribus, minuſque rigentibus aculeis *lib.* 1. *cap.* 102. Ad hæc rhamnorum genera etiam retuleris Lycium, quod aliter ab iſtis non differt, quam ſpinarum magnitudine. Rajus methodo plant. p. 195. Lycium frutex eſt baccifer ſpinoſus, à rhamno, ut videtur, diſtinguendus ſpinis minoribus & brevioribus, quæ longiores validioresque in rhamno. Addi etiam poteſt, folia eſſe minora in Lycio. Quanquam ut verum fatear, non placeant notæ, à magnitudine deſumtæ, cum difficile ſit ejus limitem ſtatuere. Plures rhamni differentias recentiores agnoſcunt. Talium virgis miſere crudeliterque lacerari poteſt corpus humanum; atque adeo feroces & rigidæ fuerunt minæ, quas Iſraëlitis levius jugum poſtulantibus intendit Rex Roboamus, 1 *Reg.* 12: 14. *Pater meus grave reddidit jugum veſtrum, ego autem ſuperaddam jugo veſtro: Pater meus caſtigavit vos ſcuticis; ego autem caſtigabo vos rhamnis, vel rhamnorum aculeis*, id eſt, duriorem in vos habebo dominationem. His etiam comparantur Judæi Ezechielis prophetæ moleſtiſſimi & intractabiles auditores *cap.* 2: 6. *Tu ergò fili hominis, ne timeto ab iſtis, & a verbis iſtorum ne timeto, quod refractarii & ſpinei ſint in te, & inter rhamnos habitas*, id eſt, inter homines, qui nocere quærunt, aſperi monitoribus, confodientes ſervos Dei dictis factisque atrocibus.

III. חדק Chedek, prunus silvestris.

Chedek ſpinæ nomen acerrimæ per literarum metatheſin derivatur à themate דחק, quod carni infixa inhæreat arcte, vel eſt a קדח terebravit, accendit, quaſi dicas ſpinam terebrantem ſeu urentem, vel reſpondet Arabum verbo خدق *chadaka*, ferramento pupugit, ſtimulavit. Sepes ex ea factæ, quibus agros & hortos muniebant, *Prov.* 15: 19. *Via pigri eſt velut ſepimentum* (*chedeki*) vel ex chedeko factum. Non poſſumus ergo ſubſcribere opinioni Joannis Druſii, qui *chedek* lycium interpretatur. Autores ei opinandi fuerunt Pandectæ Medicinæ, in quibus lycium arbor Hadac vocatur. Nobis author eſt Michas, qui *Hedek* fruticem ſepibus aptum, non vero arborem inſinuat. Vulgatus interpres paliurum reddit. Is frutex eſt, ut tradit Dioſcorides vulgaris notitiæ, aculeis frequens duruſque. Theophraſto, ut in fruticum genere collocatur, ſic in magnitudinem arboris aſſurgit, cum majus capeſſit incrementum. Eum Dioſcoridis tertium credit rhamnum Bauhinus, cujus ſemen in ſiliquis contineatur, *notis ad Dioſcor. lib.* 1. *cap.* 102. Paliurum, Græciæ vulgarem, cujus fructus planus la-

tusque, diſſimilem faciunt autores Africano, rubentis ac rotundi fructus, a quo Libyæ gentem *Cubæos* apud Ezechielem 30: 5. adpellari cenſet Bochartus *Geograph. Sacræ lib.* 4. *c.* 33. & Salmaſius *Exercit. in Solin. p.* 729. Verum nec Græciæ Paliurum, nec Libycum, nec illum denique Theophraſti, a Micha vate vocabulo חדק deſignatum credidero. Græciæ enim paliurus arbor eſt, ſi *Salmaſium* audimus, qui κόννaρον ſeu lotum Libycam, & Græciæ paliurum, ſimiles & congeneres facit arbores, *Exercit. Plin. p.* 729. & 730. Africanus Libyæ peculiaris eſt, ignotus Palæſtinæ, Theophraſti autem ad ramorum genera pertinet. Nihil igitur nobis reliquum, quam ut *Chedek*, ſepimentis aptam ſentem in alia ſpinoſarum fruticum familia quæramus. In his obvenit nobis Prunus ſilveſtris vel Acacia Germanica, in dumetis & ſilvis creſcens, fruticoſa admodum & undique aculeata, agris ideo hortisque ſepiendis, muniendisque aptiſſima. Carni hominis infixa flagrantis inſtar ignis urit.

PRUNUS SILVESTRIS HOMO ASPER ET DURUS ORATIONE ET MORIBUS.

Mich. 7: 4. OPTIMUS *iſtorum ſimilis eſt pruno ſilveſtri; rectiſſimus præ ſpineto eſt*, vel ex ſpineto.

IV. SEPIMENTUM EX ACACIIS, INJECTA TRANSIGENDI NEGOTII SUSCEPTI MORA.

Prov. 15: 19. VIA *pigri eſt velut ſepimentum* denſum *ſilveſtris pruni; iter autem rectorum aggeſtum eſt.* Hoc vult: Negotiis pigri alia atque alia moram invehunt, induſtrii hominis conatus nihil avertit.

V. סרפד: SIRPAD, RUSCUS.

SIRPAD, quia deductum ab סרף urendi verbo, putávit Symmachus, ἀκαλήφην, id eſt, urticam vertit partem aliquam compoſiti nominis exponens, altera parte neglecta. Alii qui ad originem vocis non reſpexerunt κύνυζαν interpretantur, id eſt, vernacula noſtra geele Muntz oder Durnwurtz / ut Septuaginta, vel paliurum, ut Junius & Tremellius, vel ebulum, ut Arabs, vel hyſſopum, ut Syrus. At vero Paliurus alio vocabulo notatur. Herbæ autem conyza, urtica, ebulus, & hyſſopus, cum myrto ſimilitudinem non habentes, cum eo ut ex ſequentibus patebit, non erant conferendæ. Alii vocis originem repetunt a סיר ſpina & פיד, id eſt, calamitas vel infortunium, quaſi dicas ſpinam, quæ calamitatem vel infortunium afferat. Sed omnino violenta, & inſolita eſt mu-

mu-

mutatio chirek magnæ in vocalem parvam heterogeneam, & τῦ *Sir-pîd* in *Sirpad*. Nobis igitur vocabulum Sirpad à סר־פרד id eſt, a recedendo & ſeparando dictum videtur; Nec quenquam moretur litera in altero nominis membro extrita. Id enim frequentiſſimum in Hebraiſmo, ut literæ in compoſito repetendæ elidantur. Exempla dedimus *Inſtitutionum Hebraicarum cap.* 16. *Reg.* 10. Illa igitur diverſitate ac ſeparatione Ruſcum notari cenſeo. Singulare enim eſt, & quo maxime ruſcus ab omnibus plantis ſeparatur ac diſtinguitur, quod florem & fructum in medio folio producit. Cætera myrto ſimillimus, (quo cum, ut *Jeſ.* 55: 13. vaticinatur, erat permutandus) unde etiam Μυρσίνη ἀγρία vel ὀξυμυρσίνη ſilveſtris myrtus, & propter acuta, & in morem lanceæ mucronata folia, myrtacantha, hoc eſt, ſpinoſa myrtus. Ei quod fructus nobilitate & præſtantia, myrto ſit inferior, ab *Jeſaia* in melius ituram hominum conditionem prædicente, myrtus præfertur. *cap.* 55: 13. *Loco fruticis ſpinoſi aſſurget abies, loco ruſci vel oxymyrſines aſſurget myrtus.* Fruticis ſpinoſi, נעצוץ ab נעץ infigendo dicti. Vel ſi ſervile elementum eſt *Nun* ab עצץ, quod in Arabum lingua mordere, vel ictum infligere notat. Ab iisdem frutices ſpinoſi, qui Camelis in pabulum cedunt, عضض *hiddon* adpellantur, & اعضاض *ahdadon*. Hinc etiam R. Saadias, Munſterus, & Pagninus, vepretum, & Vatablus, ſpinam albam, intelligunt.

V. Aspalathus.

Sirach. 24: 15. Ut *Cinnamomum & Aſpalathus aromatum emiſi odorem.* Docemur jucundiſſimis nos illecebris a Sapientia invitari. Ἀσπάλαθος legitur in editione Lipſienſi ad exemplar Vaticanum Romæ editum, & Anglicanum Londini excuſum. In aliis autem ſcriptum fuiſſe videtur ὡς πάλαθος ἀρωμάτων pro ἀσπάλαθος ἀρωμάτων. Plerique enim vertunt, ut maſſa aromatum, vel, tanquam pila aromataria. Sed veram eſſe Vaticani codicis lectionem ex Galeno diſcimus, qui aromatici aſpalathi meminit in Lexico Hippocrateo. Dioſcoridi aſpalathus, aliis eryſceptron dictus, vocatur frutex ſurculoſus, multis ſpinis horreſcens. Optimus ab eo cenſetur gravis, detracto cortice rubeſcens, aut in purpuram vergens, denſus, odoratus, guſtu amarus. Eſt & alterum, inquit, genus, candidum, lignoſum, ſine odore, quod deterius habetur. Dictum putant παρὰ τὸ μὴ ῥαδίως ὑπὸ τῶν πληγέντων ἀποσπᾶσθαι ἤτοι ἀφαιρεῖσθαι, quod non facile evelli, ſive eximi queat e corpore eorum,

qui

qui in eum impegerunt. Quare Plato l. x. de Republ. refert tyrannos Aſpalathi ſpinis apud inferos laniari. Odoratus aſpalathus, cui notæ a Dioſcoride memoratæ conveniunt, in Cypro inſula naſcitur, & inde ad nos devehitur. Cyprii hujus aſpalathi mirum nec meminiſſe Dioſcoridem. Lignum illud vocamus hodie *lignum roſeum*, odore, colore, & guſtu, qui ſubamarus eſt, verum ac genuinum aſpalathum repræſentans. Cur a roſa nomen ei fecerint aromatarii neſcire ſe ait Salmaſius. Atqui fragrantiſſimæ odorem roſæ imitari ipſe teſtari poſſum, qui rhodini ligni fructum poſſideo, quod mihi hæreditate ex Beati Soceri bonis venit, idemque confirmant moderni Scriptores. Affertur etiam ex India Orientali Roſeum lignum longe præſtantiſſimum. Aſpalathum quem in Rhodo & vicinis Rhodo inſulis naſci volunt, alieno nomine Xylala vel agallochum Rhodii vocant. *Vid. Salmaſius Hyl. Iatr. cap.* 84.

HIEROPHYTICI,

SIVE

COMMENTARII

IN LOCA SCRIPTURÆ SACRÆ,
QUÆ PLANTARUM FACIUNT
MENTIONEM,

PARS ALTERA,

DE HERBIS.

HIEROPHYTICI
PARS ALTERA
DE HERBIS.

CAPUT PRIMUM.

De Herbis in Genere.

Herbæ definitio. *Herba* pubeſcens. Pubeſcentem juvantia. Similitudines. *Refloreſcens reſtitutionis ſymbolum. Pluviis rigata imago hominis verbo divino inſtruendi. Herba pereuntium Maleficorum emblema. Herbæ pubeſcentis incremento diſſimilis familiæ Davidicæ ſalus.* Heſeb, *herba adultior, condita ad hominis uſum, ante & poſt lapſu. Herbæ montium. Explicatur ſenſus nominum* Choſen *&* Nezer, *& verborum* gala *&* niva. *Herba multiplicationis ſymbolum, ut ſtellæ, arena maris, locuſtæ, aquæ, nubes, pili capitis, piſces, guttæ pluviæ. Ros herbarum refectio. Pernicies* ἀϐροχία, *grando, locuſta & bruchus. Flores poſt hyemem, mutata in melius tempora. Herbæ Flos, ut improborum felicitas.*

I. Herbæ Definitio.

HERBAM duobus fere vocabulis indigitant Hebræi דשא & עשב. Herbam *Theophraſtus* dixit, quod ab radice foliatum ſine caudice proveniat, ſæpiusque ſemen caule ferat. *Libro* v. *Hiſt. Plant. Scaliger* contra ſentiens *Exercit.* cxxxix. Differt, inquit, ſemper & omnis, & ab omnibus alio proprio diſcrimine. Sola namque ſtatim fundit

ab radice folia, præter ea prima bina, quæ cunctis communia, e ſeminis pulpa prodeuntia, ſunt affinia radici. Nam & arbor & cremium, & frutex continuo ab illis foliis edunt ſtipitem: herba omnis alia inſuper folia; procedente vero tempore etiam ſtipitem quædam, quædam nullum. Id quoque innuiſſe doctiſſimum omnium Poetam dicimus, cum ait: *Tibi meſſis in herba eſt*, ſcilicet folia duntaxat edidit; ſic enim loquuntur agriculturæ auctores, inter quos Plinius in decimo octavo: frumenta primum in herba eſſe, deinde ſtipulam emittere. Similiter à Domino noſtro dictum: *Marc.* 4: 28. *Sua ſponte terra fructum fert primum herbam deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.* Inſinuatur hic ratio regenerationis, quæ non eſt in hac quidem vita perfecta, ſed ſuos gradus habet. Indidem perſpicitur: 1. non abjiciendos eos, qui infirmiores ſunt in fide. 2. Fidelium eſſe, ut majores quotidie progreſſus faciant.

I. דשא DESCHE.

דשא, in ſuo genere eſt pubeſcens & proſiliens herba. Affine ei Arabicum ودس *Wadſon*, primula herba, tenerum terræ germen, & وداس *Wedaſon*, prima plantarum germina terram veſtitura. Legitur hoc ſenſu, *Gen.* 11: 11. *Iterum dixit Deus: Pullulet terra plantam teneram* ſive pullulam, *herbam quæ ſementet* poſtea *ſemen arborem fructiferam, quæ deinceps edat fructum in ſpeciem ſuam, in qua ſuum inſit ſemen ſuper terram, & fuit ita. Pſal.* 23:2. *Dominus paſtor meus eſt, non poſſum egere. In caulis teneræ herbæ*, quam depaſtorum loco graminum, ros nocte reponit, facit ut recubem, ut in ipſo teneri graminis toro recubans ſuaviter acquieſcam. Non alio magis pabulo, quam virentibus ac recentibus herbis delectantur ſaginanturque pecudes, arefactis minus gaudent. His aſſimilatur animus noſter, qui ſine doctrinæ ſalutaris paſtu in melius transferri & ſpirituali vita vivere nequit. Ea vero doctrina eſt Dei verbum, quo ali, quo & vivere ſcimus hominem, quo uno ſedatur fames juſtitiæ, ſapientiæ, & cognitionis divinæ. Caula autem ſeu locus ille paſcuus eſt Eccleſia Dei, in qua ſolidus animæ cibus, diſciplinæ, ſcilicet, ſalutaris copia miniſtratur.

Herbas teneras juvantia.

Ijob 38: 26. *Quis demittit pluviam in terram vacuam viro, in deſertum, ubi non eſt homo, ut ſatiet vaſtatum & devaſtatum locum, ut germinet*, floreat, *quicquid egreditur herbæ teneræ. Ijob* 6: 3. *An rudit Onager apud teneram herbam?* id eſt, Nemo queritur, niſi quem aut inopia premit aut res adverſa. *Joel* 12: 27. *Ne timetote beſtiæ agrorum meorum, nam teneram proferent herbam habitacula deſerti.*

II. Similitudines. Herba tenera reflorescens Restitutionis symbolum.

Jeſa. 66: 14. *Oſſa veſtra ut herba tenera effloreſcent & agnoſcetur manus Domini erga ſervos ſuos.* Senſus: Oſſa veſtra novum vigorem recipient, ſicut herbæ mortuæ revireſcunt. Cum vigor corporis abſumitur, oſſa vel marceſcere vel confringi dicuntur. *Ijob* 21: 24. *Pſal.* 51: 10. *Prov.* 3: 8. & 15: 30. & *Jeſa.* 58: 11. *Angli.*

III. Herba tenera pluviis rigata imago hominis divino verbo plenius instituendi.

Deut. 32: 2. *Stillet ut pluvia* לקחי quam a Domino accepi *diſciplina; fluat tanquam ros ſermo meus*, divinitus inſpiratus mihi, *ut tenuis pluvia ſuper teneras herbas, & ſicut imbres ſuper adultas*, i.e. ſuper infirmos & validiores, νηπίοις καὶ τελείοις pueros & adultos.

IV. Herba tenera cito pereuntium maleficorum imago.

Pſal. 37: 2. *Sicut fœnum cito ſuccidentur homines iniqui, & ſicut viriditas recens-proſilientis herbæ marceſcent atque decident.*

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Seneca in Thyeſte.

2 *Reg.* 19: 26. *Extiterunt herba agri & viriditas herbulæ.*

V. Dissimile. A sole et pluviis promovetur herba tenera, rebus vero non florentibus Davidicæ familiæ salus.

2 *Sam.* 23: 4, 5. *A luce matutina, quum exoritur Sol, mane haud nubilum; à ſplendore & pluvia exoritur herba recens ex terra. Sed*

non erit talis domus mea apud Deum: Fœdus quippe perpetuum, *per omnia ordinatum inviolatumque diſpoſuit mihi*, *complementum* ſalutis meæ & complementum deſiderii fore, quando non germinabit domus mea.

II. עשב HESEB.

עשב Eſt herba adultior. *Gen.* 1: 11. *Pullulet terra herbam teneram*, & *herbam quæ* adultior *ſementet ſemen.*

VI. HERBA CONDITA AD HOMINIS USUM,

Pſal. 104: 14. *Facit Deus ut germinet fœnum jumentis*, *& herba ad hominis uſum*, *ut depromant cibum è terra.* Hanc fœni herbarumque procreationem admirandum divinæ providentiæ opus fatebitur, quisquis animadverterit innumera herbarum graminumque genera, diſtinctam eorum pulchritudinem, exquiſitam ſpeciem, ac manifeſtas utilitates, Deumque authorem cum divino Pſalte celebrabit, qui conſervat vim eam, quam initio rerum terræ tribuit, largam illam & inexhauſtam bonorum abundantiam proferentis. Quis præter Deum ſciviſſet ex tam parvulis ſeminibus, unde herba naſcitur, tam diverſa producere, radicem, cepam, caulem, folia, flores, odorisque & ſaporis innumeras varietates? Quæ alia, quam ipſius manus poterat ea tam ſapienter concinnare, tam ſubtiliter diſtinguere, tam efficaces ſuccos, tam mirificas vires ipſis infundere? Quis pro dignitate earum explicet diſcrimina generum, ortus incrementa, mutationes, cœlorum varietatem, ſuccorum utilitatem, vires eximias, gratiam & pulchritudinem, & quæ alia mirationem nobis movent. Hoc eſt, quod ſumma ingenia exquiſitaque doctrina philoſophos fatigavit, qui poſt tot edita volumina, intacta plurima poſteris reliquerunt, in quibus exerceantur, ac novum capiant laborem. Pſaltes non niſi uſum herbarum tangit, quem duplicem facit. Fœnum deſtinat brutis, & herbam uſui hominum. In hoc enim maxime divina bonitas refulget, quod in tanto plantarum numero, quibus exornatur terra, curat incredibili copia naſci ea, quibus ad nutritionem quam maxime pecudes & cæteræ animantes indigerent. Quod attinet ad herbas homini deſtinatas, alia faciunt ad alendum, & nutriendum corpus, ut, quæ in culinis noſtris apparantur, aliæ ad ſanitatem, ut ſimplicia, quæ valetudinem

dinem vel firmant, vel adverſæ & agræ opitulantur. Aliis homo fruitur ad cultum, vel ad voluptatem, ut floribus, quorum exhalante odore & penetrabili ſpiritu ſenſus permulcetur recreaturque. Miratur eorum ortus; hunc videt è calice, illum è vagina, alium é gemma protuberantem. In uno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diverſa. Defigitur oculus & animus in nitores ipſorum & pigmenta. Inſpicit hanc nativam purpuram, hunc ſanguinem, hoc ebur, hanc nivem, hanc flammam, hoc aurum; ut mirum non ſit, fuiſſe, qui voverent oculus cum Argo fieri, & naſus cum Catullo.

Gen. 1: 29. *Ecce dedi vobis omnes herbas ſementantes ſemen, quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omnesque arbores in quibus eſt fructus, arbores ſementantes ſemen, vobis ea ſint ad comedendum. At omnibus beſtiis terræ, & omnibus volucribus cœli, dedi omnes viriles herbas ad comedendum.* Hæc homini ante lapſum dicta repetit Deus poſt lapſum: *Comedito herbam agri, ſed cum labore & ſudore vultus tui. Gen.* 3: 18. „ Nec enim exiſtimandum eſt, poſt pec-
„ catum, redactum fuiſſe hominem ad conditionem brutorum,
„ & pœnam ejus eandem fuiſſe, quæ impoſita fuit Nabuchodo-
„ noſari, *quem homines depulerunt à ſe ut cum beſtiis agri eſſet ha-*
„ *bitatio ejus, & herbam ſicut bobus comedendam darent. Dan.* 4:
„ 32, 33. Quaſi ſenſus eſſet: antea, o Adam, fructibus & hor-
„ tis ſuaviſſimis paradiſi victitabas, deinceps autem viles illas her-
„ bas agrorum colliges, unde cum belluis vivas; qui te per pec-
„ catum ad beluarum ignobilitatem cœleſtis originis oblitus,
„ ſponte redegiſti. Non, inquam, hoc voluit Deus, qui &
„ antea in prima conſtitutione rerum omnium, ante peccati ſta-
„ tum *Gen.* 1: 10. ita diſtinxit herbas, quæ in cibum hominum
„ cedere debebant, ab aliis, quæ cæteris animantibus conceſſæ
„ erant: ſed id tantum prædixit, herbas illas ſementantes ſemen,
„ ut frumentum, triticum, ſecale, varia leguminum & olerum
„ genera, quibus etiam nunc utimur, non ſponte aut facile pro-
„ ventura, ut antea ſed poſt labores maximos, ſatis parce colli-
„ genda, quaſi dicat, comedes herbam tantis laboribus ſatam &
„ altam; cum ego antea, ſine ſudore ſpinis & tribulis, eam tibi
„ velut præparatam & ſponte creſcentem tibi dediſſem. *A. Rivetus ad Gen.* 3. *Exercit.* 38.

VII. Her-

VII. HERBÆ MONTIUM,

Prov. 27: 25. *Noſce*, refero *Cocceji* verſionem, faciem *ovium tuarum*; (ſive rationem habe gregis tui) *adverte cor ad greges. Nam non in ſeculum eſt poſſeſſio; & num corona erit in generationem & generationem? Migrat gramen & adparet herbaſcens viriditas, & colliguntur herbæ montium. Agni veſtimento tuo, & pretium agri arietes: Et quod ſatis eſt lactis caprarum in cibum tuum, in cibum domus tuæ, & vitæ puellis tuis.* Non rejicio celeberrimi Interpretis verſionem; judicio tamen eruditi lectoris hanc quoque committo: *Diligenter cognoſce præſentes pecudes tuas: appone animum tuum ad greges. Nam non eſt ſemper, quod recondas, neque eſt, quod ſepares in quamque generationem. Si migravit gramen, & diſparuit herba tenera, & auferentur* (vel interceptæ fuerint) *herbæ montium, auferentur quoque agni ad veſtitum tuum, & pretium agri hirci: Et, quod ſufficiat, lac caprinum ad alimoniam tuam; ad alimoniam familiæ tuæ, & victum puellis tuis.* Scilicet, nomen חסן nobis eſt id, אשר יחסן quod recondi ſolet, & rependit ſenſum verbi יאצר ut liquet ex *Jeſ.* 23: 18. לא יאצר ולא יחסן non reponetur in theſaurum, neque recondetur. נזר autem verſiculi 23 proprie ſonat ſejunctum vel ſeparatum, ut adparet ex conjugatis vocibus וינזרו *ut ſeparentur*, ſcilicet inepti à rebus Sanctis Iſraëlitarum *Lev.* 22: 2. והזרתם & ſeparabitis Iſraëlitas ab immunditie ſua. *Levit.* 15: 3. cognatum quoque נזיר, *ſeparatus*, quæ forma ἰσοδύναμον habet ipſum נזר ſicut eadem ſignificatione gaudent נסיך & נסך *quod funditur, quod libatur*, eodemque ſenſu accipiuntur קדים & קדם, id eſt, ortus. Verborum quoque גלה migravit, נראה & נאסף cognata eſt ſignificatio. Et נראה quidem heic non eſt *conſpici*, ſed evaneſcentem, aut procul à conſpectu fieri, vel abire in nihilum: quemadmodum נהיה non exponendum eſt, exiſtentem fieri ſed contrario ſenſu, confici, defici, defectum fieri, vel ſi ita loqui liceat *defieri. Dan.* 8: 17. & 2: 1. Porro נאסף eſt congregari & intercipi vel auferri. *Jeſa.* 57: 1. Ita אורש *Prov.* 30: 9. quod etiam Niphalicæ conjugationis eſt, non ſignificat hereditario jure poſſidebo, ſed *de poſſeſſione dimovebor ac dejiciar*, exhæres fiam. Senſus dicti: Tanto majorem gregibus tuis alendis adhibe curam, quanto reditus tui ex agris & montibus ſunt fallaces & tranſitorii.

VIII. HER-

VIII. Herba multiplicationis symbolum.

Job. 5: 26. *Experieris multiplicari ſemen tuum, & prognatos te velut herbam terrae augeri.* *Pſal.* 72: 16. *Florebunt in Civitate Dei*, in Eccleſia, ut herba terræ. *Pſal.* 92: 8. *Germinant improbi tam copioſe quam herba.* Multitudinis ſimilitudinem alia in Scripturis plurima præbent. Præbent Stellæ, *Gen.* 15: 5. *Intuere cœlum verſus & numera ſtellas, ſi poteris numerare eas: ſic*, inquit Abrahamo Deus, *futurum eſt ſemen tuum.* Præbet *Arena maris. Gen.* 22: 16, 17. *Per me ipſum juro, dictum veriſſimum Domini, me prolixe benedicturum tibi, & cumulatiſſime multiplicaturum ſemen tuum*, ut ſit numero *ſicut ſtellæ cœli, & ſicut* arena, *quæ eſt in litore maris. Joſ.* XI: 4. *Prodierunt Reges Cananæi & omnes copiæ eorum cum eis, populus multus, ſicut arena*, quæ eſt in *litore maris* multitudine. *Vid. Judic.* 7: 12. 1 *Sam* 13: 5. *Job.* 29: 18. *&c.* Præbet locustæ. *Judic.* 7: 12. *Midianitæ & Hammalekitæ cum omnibus Orientalibus*, vel cum filiis Kedem Iſmaëlitis, *Diffuſi erant in ea valle, tanquam locuſtæ multitudine. Jerem.* 51: 14. *Jurat Dominis Deus exercituum per ſemetipſum* mentiar, *niſi te impleam hominibus quaſi locuſtis; qui canant de te celeusma. Conferatur Jerem.* 45: 23. Aquæ: *Job.* 15: 16. *Cœlites non ſunt mundi in oculis tuis: quanto magis abominabilis & fœtidus vir, imbibens* largiſſime *ut aquam iniquitatem. Pſal.* 79: 3. *Effuderunt ſanguinem ſervorum Dei velut aquam*, plurimum, copioſe, *circa Hieroſolyma. Apoc.* 17: 15. *Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt & turbæ, & gentes & linguæ.* Nubes. *Hebr.* 12: 1. *Proinde nos quoque, quum tanta nos circumſtet teſtium nubes, depoſito omni onere peccatoque, patienter propoſitum nobis ſtadium decurramus. Jeſ.* 60: 8. *Cujus ſunt iſti, qui ut denſæ nubes convolant: & velut columbæ ad feneſtras ſuas.* Capilli capitis: *Pſal.* 40: 13. *Numeroſiores ſunt iniquitates meæ capillis capitis mei. Pſal.* 90: 5. *Plures ſunt quam capilli capitis mei, qui oderunt me immerito.* Pisces: *Gen.* 48: 16. *Vocetur in Joſephi poſteris nomen meum, & nomen patrum meorum*, id eſt, vocentur Iſraëlitæ, *ſemen Abrahæ & Iſaaci, & tanquam piſces multiplicentur in terra.* וידגו ſint inſtar piſcium in immenſum aucti. Verbum ex nomine דג *piſcis* derivatum eſt. Guttæ pluviæ et dies seculi: *Sirach.* 1: 2, 3. *Arenam maris & guttas pluviæ, diesque ſeculi ejus quis*

enumeret? Altitudinem cœli & latitudinem terræ, abyſſumque & Sapientiam quis per veſtiget?

IX. Ros Herbarum refectio, regenerationis et vivificationis symbolum.

Mich. 5: 6. *Erunt reliquiæ Jacobi in medio populorum ſicut ros a Domino, & ſuper ut tenues pluviæ herbam, quæ non exſpectat virum, neque præſtolatur filios hominis.* Senſus. Reſidui à reprobatione gentis ſuæ Iſraëlitæ, in exteros diſpergendi, nunciabunt exteris verbum Evangelii, quod inſtar roris cœleſtis in peccato mortuos regenerabit, vivificabit, juſtificabit, & tenuium inſtar pluviarum ſolabitur & confirmabit eos, quibus nec ſpes, nec deſiderium, nec autor Salutis & miſericordiæ divinæ, fuit.

X. Herbarum pernicies ἀβροχία et siccitas.

Jer. 14: 4, 5, 6. *Eo, quod non fuerit pluvia in terra erubeſcentes agricolæ operient caput ſuum: Cerva in agro, quod peperit derelinquet quia non erit tenera herba: Et onagri ſtantes in clivis, haurient ventum, ut dracones: conficientur oculi eorum, quia non erit herba; ut dracones,* qui calore interno uruntur & ob calidiſſimum ſanguinem quærunt frigora. Scribit *Ælianus Lib.* 2. *cap.* 19. „ Dracones quotidie per aliquot horas erecto capite ſtare, & ore „ hiante cœlum verſus, & aſpiratione ſua, tanquam illecebra „ quadam, non ſolum aërem, ſed & volantes aves ad ſe trahere. *Jerem.* 12: 4. *Quousque lugebit terra & herba omnis agri arebit? propter malitiam habitantium in ea, conſumtæ ſunt pecudes & volatilia.* Expoſitio: Propter improbos & perfidos veniunt publicæ calamitates, peſtilentia ſævit, pluvia coercetur, fruges & fructus terræ non proveniunt, animalibus & volucribus victus non eſt. Id pii cum improbis coguntur ferre.

XI. Vigoris sensim fugientis imago herba exarescens.

Pſal. 102: 12. *Dies mei ſunt ſimiles umbræ inclinatæ: & ego ſicut herba exarui. Umbra inclinata* vel extenſa eadem quæ longa. Quo longius extenditur, eo citius evaneſcit inque tenebras abit: ita nunquam a fine propius abeſt hominum vita, quam in dierum augmento. *Sicut herba exarui:* Senſus; ut herbæ, paulatim deficit

deficit animi corporiſque vigor. Senſim, ſine ſenſu multorum ætas ſeneſcit, nec ſubito frangitur ſed diuturnitate extinguitur.

XII. Grando herbis infesta.

Exod. 9: 25. Grando, cui par non exſtitit in tota Ægypto, ex quo fuit gentis illius, omnem herbam agri læſit, & omnem arborem agri fregit.

XIII. Perculsa tempestatibus herba, animus fractus

Pſal. 102: 5. *Percuſſum eſt ut herba, & exaruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum. Percuſſum eſt ut herba*, quæ æſtu, grandine, frigore vel vento læſa exareſcit. *Et exaruit cor meum*, æſtus iræ divinæ & tempeſtas undique ingruentium malorum, exhauſit & abſumſit mihi vigorem animi, humorem ſuccumque vitalem. *Oblitus ſum comedere panem*, corporis quoque corruptionem debilitatemque ſentio appetitu ciborum mihi elangueſcente.

XIV. Pestes herbarum locusta et bruchus.

Pſal. 105: 34, 35. *Simul edixit* Deus *advenerat locuſta & bruchus, & quidem abſque numero, quæ comedit omnem herbam regionis illorum, comeditque fructum terræ illorum.* ארבה וילק ſpecierum non generum ſunt vocabula: quod etiam patet ex *Joëlis primo cap. vſ.* 4. *Reſiduum ipſius Arbe comedet Jelek, reſiduum Jeleki comedet Chaſil. Arbe* a multitudine dicta eſt locuſta, quæ cæteras multitudine & fæcunditate ſuperat. *Jelek* autem a lingendo nomen adepta locuſta eſt, quæ ſatorum arborumque, viriditatem abſumit. *Jelek* bruchum vertunt Septuaginta, cum dictis locis, tum *Joël* 2: 25. *Nah.* 3: 16. alibi ἀκρίδα. Eſt (1) inſectum alatum *Nah.* 3: 16. Unde hic bruchum alatum reddunt LXX. Eſt (2) inſectum, quod erigit pilos, ut campa *Jerem.* 51: 27. *Adducit equos pares Jeleko, horrido pilis*, quales etiam apibus tribuit *Columella*.

XV. Herbæ flos: brevis improborum felicitas.

Pſal. 92: 8. *Germinant improbi velut herba, florentque omnes, qui operam dant iniquitati: dum perdantur uſque in æternum*; quemadmodum florent germinantque gramina donec ſuccisæ diſpereant.

XVI. FLORES POST HYEMEM TEMPORIS IN MELIUS MUTATI SYMBOLUM.

Cant. 2: 11. *Ecce hyems tranſiit, pluvia præteriit, & abiit. Flores conſpiciuntur in terra.* Hyems iſta ſignificaverit *primo*, ſtatum hominis ſub peccato & damnatione, cui ſubjectus erat, antequam ver redemptionis advenerat. 2. Purum aſperumque Legis & Veteris Teſtamenti tempus cum gratiæ & Evangelii amœniſſimo vere comparatum. 3. Tempus afflictionis & perſequutionis Eccleſiæ, oppoſitum liberationis & felicitatis tempori. *Zach.* 14:8. 4. Tempus vitæ hujus, noſtræque in hac terra commorationis, oppoſitum beato gloriæ venturæ ſtatui, qui perpetuum ver erit. *Pluvia præterita*, ſeu *tempeſtas finita*, mala ſunt tentationis & adverſitatum per Chriſtum mutata tempora. *Vid. Jeſa.* 4: 6. & 3: 22. *Matth.* 7: 2. *Flores in terra conſpecti*, verni temporis indicia, felicem Eccleſiæ reſtitutionem, infractis omnibus ejus difficultatibus *Pſal.* 72: 16. *Jeſ.* 27: 6. *Hoſ.* 14: 4, 5, 6.

CAPUT SECUNDUM.

GRAMEN ET OLERA.

Gramen *inopinato demeſſum ſubito pereuntium peccatorum typus. Imbribus ſparſum refectorum imago. Tectorum gramen, hoſtes Eccleſiæ. Impiorum frequentia cum gramine comparata. Graminis incrementum, cum incremento Eccleſiæ. Mors ut gramina proſternit homines. Ut gramen vita hominis eſt caduca.* OLUS, *Hebr.* Or & Jarak. Jerek *eſt viror. Oleza, cibus viliſſimus: Non ſunt erucæ. Ægyptus fere pluviarum expers: in ſuperiori pluviæ nunquam cadunt. Olus infirmitatis Symbolum Cibatus oleris ſaginato bovi prælatus. Æſtus torrens olera. Refecta rore olera, reſurgentium typus. Olus infirmorum fratrum cibus.*

I. GRAMEN INOPINATO DEMESSUM SUBITO PEREUNTIUM IMPIORUM IMAGO.

P*ſal.* 72: 6. *Ut gramen celeriter demetentur, ut olus herbæ marceſcent. Celeriter*, id eſt, ſubito, ut *Apoc.* 16: 15. *Ecce, ego venio cito.* Veniet enim ut fur. *Apoc.* 3: 3. Nec intelligent, qua hora

hora veniet adverſus eos. 1 *Theſſ.* 5: 2, 3. *Ut fur nocte* de improviſo & inopinanter, ita *venturus eſt.* Quum enim dicent, pax eſt & ſecuritas, tunc repentinum ipſis inſtabit exitium. Senſus Pſaltis: Subito & inopinanter dejecti improbi intereunt.

II. Imbribus sparsum gramen refectorum symbolum.

Pſal. 72: 6. *Deſcendet tanquam pluvia in deſertum gramen, & ſicut pſecades irrigatio terræ.* i. e. Afflictis & pauperibus ſpiritu Chriſti verbum ſolatifluum prædicabitur. זרזיף formatum arbitror ex פרזיז literis ſibilantibus & labiali tranſpoſitis, uti factum in כבש & כשב agnus, אפס & אסף deſiit. חשב cingula, pro חבש à verbo חבש ligavit, נפש anima pro נשף flatus vel Spiritus à verbo נשף ſpiravit. יעבץ à futuro יעצב dolorem creat, ita vocatur Vir illuſtris ex poſteris Jehudæ, quod cum dolore peperiſſet eum mater ejus. 1 *Par.* 4: 9. זרזיף igitur diſperſionem ſonat, vel in minutas guttulas diſperſam pluviam. Igitur apud Thalmudicos זרזיפא ſtillam ſignificat.

III. Homo gramen.

Jeſa. 40: 6, 7, 8. *Auditur vox dicentis prædica: & eſt, qui dicat, quid prædicabo? Omnis caro gramen, & omnis gratia ejus ut flos agri. Exareſcit gramen, defluit flos, quum Spiritus Domini flaverit in illud: utique gramen eſt populus. Exareſcit gramen, defluit flos, & verbum Dei noſtri ſtat in ſeculum.* Senſus: *Omnis caro*, i. e. omnes homines, ut idem Propheta *cap.* 66: 23. *Omnis caro veniet ad incurvandum ſe coram Domino*, & *verſ.* 16. *Dominus gladio ſuo diſceptaturus eſt contra omnem carnem.* Eadem apud alios prophetas frequens locutio. Homo & quicquid in homine ſplendidum & gratioſum, ut gramen & flos marceſcit & occidit, Euro, ſeu orientali vento, quem Deus immiſerit, arefaciente *Ezech.* 19: 12. & exſiccante *Ezech.* 17: 10. Nullæ igitur vires in homine, quibus ſervetur aut in integrum reſtituatur. Sed regeniti ſumus per ſermonem Dei vivi & manentis in æternum, per verbum quod evangelizatum eſt nobis. 1 *Pet.* 1: 24, 25. Apoſtolus Jeſaiæ verba כל חסד interpretatur πᾶσα δόξα, omnis gloria, i. e. omnis gratia & venuſtas & quicquid in gloria ponunt homines. Ut adeo recte huc etiam retuleris hominis formam, anceps, caducum & fragile bonum, de quo ſcite *Tragicus Poëta:*

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis.
Ut velox celeri pede laberis!
Non ſic vere novo prata decentia,
Æſtatis calidæ diſpoliat vapor,
Sævit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis;
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ,
Ut fulgor teneris, qui radiat genis
Momento rapitur; nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis attulit.

Nec ab his diſcrepant *Naſonis* metra:

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annis
Fit minor & ſpatio carpitur illa ſuo.
Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent,
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi jam venient cani formoſe capilli,
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Pſalm. 103. 15, 16, 17. *Hominem ſi ſpectes, ut graminis ſunt dies ejus; ſicut flos agri ita floret, quum ventus pervaſerit ipſum non eſt; nec agnoſcit ipſum amplius locus ejus. Sed gratia Domini a ſeculo in ſeculum ſuper timentes eum.* אנוש כחציר ימיו Hominis ut gramen dies ſunt. Subjectum ſimilitudinis interdum non quærendum in voce, quæ Caph notatur, ſed in alia præcedente vel ſequente, ut כמריבי tanquam *populus* litigantium *Hoſ.* 4: 4. כאילות tanquam *pedes* cervarum *Pſal.* 18: 34. כיונה tanquam *alam* columbæ, *Pſal.* 55: 7. כנשר ut *juventutem* aquilæ, *Pſal.* 103: 5. ככפיר tanquam *Fremitus* leonis. *Prov.* 19: 12. כאל ſicut *brachium* Dei. *Ijob* 40: 9. *Non eſt*, non amplius apparet. Nam extingui hominem falſum eſt, quod vel hujus loci verba docent: Gratia Domini eſt à ſeculo in ſeculum ſuper timentes eum. Sic τὸ non eſſe dicitur de Enocho, *Gen.* 5: 24. de Joſepho, *Gen.* 42: 36. *Non agnoſcit ipſum amplius locus ejus. vid. Job.* 7: 10. & *Job.* 8: 18. Deſcribitur properus caducæ vitæ finis. Dum reſpicimus quod ajunt, verſamusque nos, jam mortalitas aderit.

IV. GRA-

IV. Gramen tectorum hoſtes Eccleſiæ.

Pſal. 129: 6, 7, 8. *Erunt oſores Tzijonis ut gramen tectorum, quod antequam extrahatur, exaruit. Quo non implet manum ſuam meſſor, aut lacertum ſuum, qui manipulos facit. Neque dicent, qui tranſeunt: Benedictio Domini adſit vobis, benedicimus vobis in nomine Domini. Oſores Tzijonis*, Eccleſiæ hoſtes. *Gramen tectorum*, enatum inter juncturas lapidum, quibus plena Orientis tecta conſternebantur. *Antequam extrahatur.* Hebr. שקדמת שלף, pro שקדמת אשר שלף antequam *ſit*, qui extrahat, *Schalaph* proprie eſt extrahere, nec aliter interpretantur LXX. Syrus, Arabs, Æthiops, & poſt eos Lutherus, & Ludovicus de Dieu. *Exaruit*, emarcuit, humore deſtitutum ad maturitatem non pertigit. *Neque dicent, qui tranſeunt, benedictio Domini adſit vobis.* Vetus eſt formula meſſoribus bene precandi. *Adſit vobis Dominus*, & reſpondendi, *benedicat tibi Dominus. Ruth.* 2: 4. Senſus dicti. Fructum operum ſuorum non ferent hoſtes, nec tempus veniet, quo propter fructum & commoda ab ipſis percepta alii aliis bene precentur. Antequam enim cogitata perfecerint in perniciem incurrent.

2 *Reg.* 19: 26. *Fuerunt ut herba agri, & oleracea herba tenera, ut gramen tectorum, & ſpica uredine tacta, antequam in culmum aſſurgat.* i.e. præmaturo fato perierunt.

V. Hominum frequentia gramini comparata.

Uberrime ſuccreſcunt gramina nec ullum plantæ genus in tot genera diffunditur, nec frequentius germen terræ faciem tegit. Recenſentur in *horto Academico Lugduno-Batavo* ſeptem & nonaginta: Apud *Tabernæmontanum* centum & ſexaginta: In *Raji methodo Plantarum* centum & octaginta. Hinc illa Pſaltis: Florebunt *e civitate*, copioſe *ut herba terræ. Pſal.* 72: 16. *Germinant improbi velut herba*, id eſt uberrime. *Pſ.* 92: 8.

VI. Gramen cum incremento Ecbleſiæ collatum.

Jeſai. 44: 4. *Naſcentur* quaſi *inter gramina*, quæ avidiſſime & copioſiſſime creſcunt, *velut ſalices*, quæ *ſecundum proceſſus aquarum celeriter adoleſcunt.* Hujusmodi incrementum fuit Iſraëliticæ gentis de quo *Ezech.* 16: 7. *Copioſam ut gramen agri reddidi te adeo ut creveris, & adoleveris perveneriſque ad ſummum ornatum. Quaſi inter gramina*, Hebr. וצמחו בבין חזיר cum ellipſi Caph ante Beth

Beth labialem, ut alibi. *Coccejus:* Germinabunt in filio, h. e. loco, graminis, בין pro בן accipiens, nullo exemplo.

VII. MORS UT GRAMINA PROSTERNIT HOMINES.

Jeſa. 51: 12. *Ego, Ego ipſe ſum conſolator veſter: Quæ es tu, Filia Sionis, quod timeas à mortali morituro, & à filio hominis, qui ut fœnum reddetur? cujus eadem quæ graminis falce ſternendi conditio eſt.*

VIII. UT GRAMEN VITA HOMINUM CADUCA.

Pſal. 103: 15. *Dies hominis fœno ſimiles, ſicut flos agri,* qui per longinquum tempus haut floret, ſic floret homo. Tanquam herba ſolſtitialis pauliſper ſumus.

Sic roſa, ſic violæ prima moriuntur in herba,
Candida nec toto lilia menſe nitent.

Maximo argumento, ea quæ maxime florent celerrime marceſcere. *Quum ventus pervadit ipſum, mox non eſt* amplius, *neque agnoſcitur amplius à loco ſuo.* Ubi ſteterit, ubi ætate vel forma, vel autoritate, vel gloria, vel exiſtimatione, vel opibus floruerit homo, id prorſus ignorabitur.

Pſal. 90: 6. *Inundatione abripis eos; Ut ſomnium erunt: mane, ut gramen, diſcedit; mane floret & diſcedit: Veſpere ſucciditur & exareſcit. Diſcedit*, verbum חלף rependit ſenſum verbi עבר, ut *Cant.* 2: 10. Nam ecce, הסתו עבר hiems tranſiit, pluvia præteriit, abiit. *Prv.* 1x: 25. *Ut tanquam tranſeunte turbine, non exiſtet improbus.* Mens dicti: Subito ex hac vita homines abripit Deus, ut ſomnium avolant, quod non invenias, & fugantur ut viſum nocturnum *Ijob* 20: 8. Initio ſtatim vitæ, ut flos graminis a ſeipſis homines diſcedunt, Simulac nati fuerint denaſcuntur ad vitæ finem properantes. Hinc Pindaricum illud: τί δε τις; τί δ' ὄτις; σκιᾶς ὄναρ ἐφάμερος. *Quid aliquis? quid nullus? umbræ ſomnium, unius diei herbula, quæ non extendit ultra diem vitæ tractum.*

(II.) OLERA.

IX. אור OR ET ירק IARAK.

Olus dicitur lætæ viriditatis, cole ligneo, quo partito diffunditur in ramos ad arboris ſpeciem. *Scaliger in l.* 2. *Theophr. de cauſ. Plan-*

Plantarum. Hebraice אור & ירק vocatur, Syriace *Jarko'* & *Jarkone' Rom.* 14: 2. *Matth.* 13: 32. Et אור quidem venit ab ארה, carpſit quemadmodum עור cutis, ab ערה nudus fuit, & שור uber, a שדה fudit, אות ſignum, ab אתה venit. *Jarak* a virore adpellatum, differt ab ירק *Jerek*, quod non ſolum herbam ſignificat, ut volunt recentiores, ſed & frondes arborum. *Exod.* 10: 15. *Et non relictum fuit* col-jerek, *ullum virens in arbore, aut herba*, οἱ ὁ χλωρὸν ὀδέν.

ואורת Olera, cibus inopum vilissimus.

2 *Reg.* 4: 39. *Egreſſus quidam in agrum ad colligendum olera.* Ubi Vulgatus, herbas agreſtes, Alii Erucas, agreſtes ſcilicet, Wilderaucken / Wildenweiſſen ſenff. Sed eruca non tam cibus eſt, quam ciborum condimentum. *Plinius lib.* xx. *cap.* 13. In condendis obſoniis, tanta ei ſuavitas, ut Græci εὔζωμον appellaverint, *Idem lib.* 19. *c.* 8. Jungitur lactucæ in cibis, ut nimio frigore par fervor immixtus temperamentum æquet. Certe 1 *Reg.* 21: 2. גן־ירק, non eſt hortus erucarum, ſed hortus olitorius, & *Deut.* xi: 10. Ægyptus cum *Gan jerck* comparata non eſt erucarum hortus. *Terra Cananæorum non eſt ut terra Ægypti, unde exiviſtis, ut ſemines ſemen tuum, deinde irriges labore pedis*, hinc illinc diſcurrendo, *ſicut hortum olitorium.*

Ægyptus pluviarum fere expers est,

Nec, ut Poëta canit pluvio ſupplicat herba Jovi. Nilus enim quotannis exundans eam irrigat, limoque ſuo fœcundat. Nec tamen incolæ illaboratum percipiunt fructum. Nam & agris inferioris Ægypti, a quibus amnis receſſit, & ad quos non pervenit, ſæpius ob penuriam pluviarum, neceſſaria irrigatio. Multo autem magis in ſuperiore Ægypto, in qua pluviæ nunquam cadunt, in tractu nimirum, qui eſt a Thebis Syenen usque, de quo *Voſſius in Obſervationibus in Melæ lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 49, 50. Hic autem Iſraëlitæ, jubentur terræ ubertatem non a ſpontanea fluminum aut laborioſa manuum irrigatione exſpectare, ſed a Dei nutu & arbitrio, terram primore ac ſerotina pluvia fœcundantis. Quod in textu habetur *ut ſemines ſemen tuum, deinde irriges*, id non ſignificat, quod Ægyptii ſementem fecerint ante Nili exundationem, corrupturi utique aquis fluvialibus ſepulta ſemina; ſed docetur irrigaſſe agros ſuos, quod plurimis Nilus al-

veum excedens non ſuperfunderetur, & ſatione poſt exundationem facta, ardor ſolis humorem fluminis illatum conſumeret exſugeretque.

X. OLUS INFIRMITATIS SYMBOLUM.

Jeſai. 37: 27. *Habitatores munitarum urbium contracti manu*, enervati, *territi ſunt*, *& erubuerunt: fuerunt ut herba agri*, וירק דשא *& holeracea herba tenera*, debiles & infirmi.

XI. CIBATUS OLERIS SAGINATO BOVI PRÆLATUS.

Prov. 15: 17. *Melius eſt cibarium oleris ubi eſt dilectio*, *quam bovis ſaginati*, *ubi eſt odium.* ארחת demenſo viatorio compar cibarium, quod cibatus commeatusque a *Plauto* etiam adpellatum. *Melius quam bovis ſaginati*, victus lautior & liberalior, ubi amoris & concordiæ locus non eſt. Olerum cœna pauperum eſt, quam idem *Plautus* vocat coenam terreſtrem, *Athenæus* cœnas exſangues, inemptas dapes *Virgilius.*

XII. ÆSTUS TORRENS OLERA.

Jeſai. 18: 4. *Quietus ſpectabo in ſede mea*, *ut æſtum ardentem ſuper olera*, *ita nubem roridam in æſtu meſſis.* Id eſt, ſusque deque feram aëris quamcunque temperiem, neque æſtum curabo torrentem olera, neque pluvias æſtum meſſis temperantes. Quod Æthiopum genti, contra quam dirigitur vaticinium, ſi applicetur, hunc dabit ſenſum: Laborantibus non adero, ſuæque calamitati relictos, tanquam nihil ad me pertinentes negligam. Nec attendam ad auxiliarios Ægypti, Æthiopes, vel belli æſtu oppreſſos, vel ab hoc æſtu reſpirantes.

XIII. REFECTA COELESTI RORE OLERA, RESURGENTIUM TYPUS.

Jeſa. 26: 19. *Ros olerum* ferax, *erit ros tuus*: *& terra mortuos ejiciet*, id eſt, enitetur. Ut olera marceſcentia ros erigit & refocillat, vel e ſinu terræ elicit; ita gratia tua, Deus, tuum populum vitæ reſtituet, & terra novo quodam partu mortuos enitetur. Hebraicum verbum תפיל enitendi vel pariendi ſenſu accipiendum eſſe, monet verbi יפלו in præcedente commate obventis ſignificatio; juxta quam ita reddendum eſſe arbitramur: *Gravidi fuimus*, *doluimus*, *quaſi parientes ventum*: *Auxilium vitale*

vitale nou faciemus terræ, *neque naſcentur* (vel renaſcentur) *habitatores orbis habitabilis.* A verbo revelato prorſus aliena ſunt, quæ ſtolidi Judæi, hoc loco abutentes, ſomniant de rore in cœlis aſſervato, & tempore, quo mortui reviviſcent deſcenſuro, ex quo cum pulvere terreſtri commixto & contemperato, futura ſint corpora, quæ reſuſcitentur rore ſeminis virilis, ad introducendam formam, terræ pulvere, ita a Deo diſpoſito ac præparato, ut materiam idoneam ſuppeditet, muliebris vicem ſupplente, atque hoc pacto eodem modo tum formanda corpora, quo creatum eſt initio Adami corpus. Refutavit hoc ſomnium *Hottingerus*, *Diſſertatione de Reſurrectione mortuorum pag.* 25.

XIV. Olus fide infirmorum fratrum cibus.

Rom. 14: 2. *Alius quidem*, gentilis, de libertate Chriſtiana rectius edoctus, *credit edi licere quidvis : alius autem infirmus*, qui legi Moſaicæ de diſcrimine ciborum aſſuetus, libertatis Chriſtianæ vim per omnia non intelligit, *edit olera.*

CAPUT TERTIUM.

De Lilio.

Lilium Hebræis, *ut vulgo creditur*, *non* dicitur *a ſenario foliorum numero*, *ſed* a candore, *qualis vel canorum eſt vel marmoris.* Hinc mulierum nomina. Schoſchannim *in titulo Pſalmi* 46. *non eſt Hexachordum.* Similitudines. *Lilium convallium gratia Jeſu Chriſti in propatulo poſita. Dilectus inter lilia. Ubera ſponſæ gemelli hinnuli paſcentes inter lilia. Sponſæ venter ſepitus liliis, fœcunditatem ejus adumbrat. Lilii fœcunditas. Amicus ſponſæ carpens lilia. Florentes ut Lilium Iſraëlitæ. Lilia in labro lacus ænei. Liliorum veſtitus. Ipſorum nomine comprehenſæ Tulipæ. Liliorum incrementa & dotes conſiderare nos Dominus jubet.*

I. Lilium Hebræis non dicitur a senario foliorum numero, sed a candore.

Bulboſarum generi annumerantur Lilium, Aſphodelus, Narciſſus, Crocus, Tulipa, Hyacinthus, Cæpa, Allium, Porrum. In his principatus eſt Lilio. Nulli florum excelſitas major,

jor, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficiente capitis oneri. Candor ejus eximius, foliis foris ſtriatis, & ab anguſtiis in latitudinem paullatim ſe laxantibus, effigie calathi, reſupinis per ambitum labris, tenuique filo & ſtamine ſtantibus in medio crucis. *Plin. lib.* 21. *cap.* 5. Lilium ab Hebræis שושן dictum exiſtimant a שש ſenario foliorum numero. At repugnat conſuetudo linguæ, quæ ipſum שש ubi accentum demiſerit, nusquam non cum dages exaratum enunciat. Itaque paſſim leguntur ששה ſex, & ששים ſexaginta, & ſemel ששיתיך harpagane ſextuplici extraho te. Nos inviolata linguæ conſuetudine שושן deductum arbitramur a voce ישושן juxta typum שפופן 1 *Par.* 8: 5. & שושן a ישושן ſecundum formam קדרן unde fœmininum קדרנית. Joth in talibus ab initio auferri, aliunde conſtat. Collactanea, vel ab eodem themate manantia nomina ſunt ישיש & ישש candidus vel canus. שיש vel שש marmor candidum ſeu Parium. שש, byſſus candida.

HINC MULIERUM NOMINA.

A candore igitur eximio Hebræis *Schuſchan* & *Schuſchanna* adpellatum eſt lilium, & quod candor lilio ſimilis formam virginum commendaret, nomen ejus & in fœminas tranſiit. *Suſanna* enim nominata, quæ miniſtrabat Domino Jeſu de facultatibus ſuis. *Luc.* 8: 3. Item Chilkijæ filia, Jojakimi uxor, cujus innocentiam ſupplicio liberaſſe legitur Daniël, *Adjectionibus ad Dan. cap.* 13. Perſis quoque Suſan adpellatur lilium. Itaque ab eo nomen obtinuit Darii Codomanni Perſarum Regis conjunx Siſigambis, id quod Perſice ſcriberetur سوسن جون بيص *Suſan-gawn-biſa*, id eſt, Lilium album & candidum, vel lilium ſolis candidi, quem Perſæ Numinis loco venerabantur. Puellarum candorem canentibus liliis comparatum paſſim celebrant poëtae *Tibullus* III.

Nec me tam facies, quamvis ſit candida cepit,
Lilia non Domina ſunt magis alba mea.
Ut Juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

Ut

Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ,
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Martialis:

Toto candidior puella cygno
Argento, nive, lilio, liguſtro.

Epigrammata Græc. libro I.

Μεσσατίοις ῥοδȣ εἰμὶ καὶ ἀργεινοῖο κρίνοιο.

SCHOSCHANNIM IN TITULO PSAL. XLV.

Ex dictis patet, errare eos, qui *Schoſchannim*, in Pſalmi quadrageſimi quinti inſcriptione obviam vocem, Hexachordum cum *Athanaſio Kirchero* interpretantur: & propius ad veritatem accedere τῶν ό verſionem, qui κρίνον, & *Aquilæ* τοῖς κρίνοις, & Symmachi ἐπὶ τῶν ἄνθων vertentis, & proxime a vero abeſſe *Aben-Ezræ* ſententiam, qui *Schoſchannim* tradit poëmatis fuiſſe initium ad cujus melodiam Pſalmus canendus erat.

II. LILIUM CONVALLIUM, CHRISTI REDEMTORIS HUMILITATEM SIGNIFICAT.

Cant. 2: 1. *Ego ſum lilium convallium.* Recte lilium convallium, Vulgatus & Græci expoſuerunt, ſed inſcite interpretes quidam Latinum nomen tranſtulerunt in Ephemeron non lethale, ſive in chamæcytinum, quem certum eſt, nec floris ſpecie, nec ſemine, nec cauliculo, nec radice cum lilio convenire, neque in pratis aut Campeſtribus locis ſua ſponte, ſed in opacis tantum provenire ſilvis. Sed nec Hemerocallis hic locum reperiat; Licet enim folium, caulem, bulbum, & florem, habeat ſimilem, & in campeſtribus atque vallibus emicet; tamen quod odore deſtituitur, cum jucundiſſima Sponſi quaqua verſum ſe diffundentis gratia conferri non meretur. Præſtat igitur hoc lilium convallium, Lilium dicere album, flore ſuaviſſimi odoris caule erecto, in riguis Terræ Sanctæ convallibus proveniens. Huic lilio convallium quod & agri lilium vocatur, animarum ſponſus ſe comparat, ut omnium hominum ſaluti & uſui expoſitum ſe declararet. *Coccejus* qui hæc cantici verba ſponſam protuliſſe exiſtimat, lilium convallium accipit pro Narciſſo purpureo; mentem ſuam his verbis aperit: Sponſa ſe aſſimilat lilio candido & purpu-

reo, in quibus floribus color purpureus poteſt indicare, vel aſperſionem ſanguinis Chriſti & communionem crucis ejus; vel juſtitiam & innocentiam ex regeneratione: Odor jucundus primitias notat chariſmatum, ſalubritas *floris*, uſum charitatis & exempli fidei, ad ſanationem gentium: lætitia creſcendi, gratiæ divinæ & conſolationis efficaciam; ſinus ſurſum patens in lilio, ſpem & deſiderium cæleſtis gratiæ; teneritudo, cor molle ac patiens vel etiam infirmitatem. Dum ſe nominat, lilium convallium, indicat 1. ſe peregrinam, nec dum in æternis manſionibus eſſe, ſed tanquam in agro ſub dio poſitam, & quidem 2. non extra periculum. Quemadmodum enim lilium vel narciſſus in graminoſo prato in quo opimi boves paſcuntur, tutus non eſt a pede & dente eorum, ita fideles in hoc mundo, in ſua fragilitate & infirmitate non tantum exemplis corrumpi poſſunt, ſed etiam taurorum Baſanis & caballorum injuriis & violentiæ expoſiti ſunt. *Vid. Pſal.* 22: 13. *Amos* 4: 1. & quemadmodum dicti flores in vallibus germinantes imbribus facile quaſſari & proſterni poſſunt, ita Chriſti ſponſa variis calamitatibus & periculis objectam ſe reminiſcitur. *Sanctio*, *Mercero*, *Glaſſioque* noſtro, magis placuit verba Cantici tribuere Chriſto. Nec enim indecore Sponſus ſeipſum laudans inducitur. 1. Quia id exigit ſtylus bucolicus, & paſtorum ſimplicitas. 2. Antiquitus id indecorum non erat, quia ſibi ipſis non blandiebantur. 3. Quia qui ſe ipſum celebrat & Deus eſt, cujus beneficia non aliter Eccleſiæ patefiunt, quam ipſo revelante. Lilio autem Chriſtus comparatur: 1. Propter magnitudinem. Nulli florum excelſitas major; itaque a veteribus appellatur flos regius, a Plinio corona florum. Chriſtus a peccatoribus ſeparatus, altior eſt cœlis *Hebr.* 7: 26. Candidus & rubicundus eminensque inſtar vexilli e myriadibus. *Cant.* 5. Rex regum & Dominus dominantium, *Apoc.* 19: 16. 2. Lilio Chriſtus comparatur ob pulcritudinem. Decentiſſimæ pulcritudinis flos eſt lilium, foliis foris ſtriatis, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſe laxantibus, effigie calathi, reſupinis per ambitum labris, tenuique filo & ſemine, ſtantibus in medio crocis. Pariter unus longe ante omnes alios ſpecie & pulcritudine inſignis prædicatur Amicus ſponſæ, Chriſtus. Idem ipſa eſt pulchritudo, quia Deus eſt, omnis ſplendoris atque concinnitatis fons & author, qui & ſecundum humanitatem ſuam pulcherrimus

rimus hominum deſcribitur *Pſal.* 45: 3. Pulcherrimus, non ideo ſaltem, quod ſanctus, quod ab omni malo alienus, ſine labe, ſeparatus a peccatoribus, *Hebr.* 7: 26. quæ ſumma eſt in oculis divinis pulcritudo, ſed etiam quod oleo lætitiæ, Spiritu ſcilicet Sancto unctus eſt ſupra conſortes. *Pſal.* 45. cui ſpiritum ejusque dona non ut hominibus admetitur Deus, quibus ſpiritum ſuum certa menſura diſtribuit, *Joh.* 3: 34. ex quo facile apparet non creatam ſed infinitam majeſtatem eſſe, quæ ſecundum carnem ipſi contigit. Pulchritudinem lilii candor auget. De Chriſto *Eucherius:* Flos campi fuit in incarnatione & paſſione: factus eſt lilium in reſurrectione, candidum foris propter gloriam corporis, intus aureum, propter fulgorem animæ; in paſſione minor factus paulisper Angelis; in reſurrectione gloria & majeſtate coronatus, *Pſal.* 8: *verſ. ſexto.* 3. Ut ſuavis & jucundus ex lilio efflatur odor, *Sirac.* 39: 18. Proferte florem, ut lilium edite odorem: ita Jeſus Novi fœderis Sacerdos, quo tempore tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam ad ipſum Deum adhibuit odorem bonæ fragrantiæ, *Epheſ.* 5: 2. odorem inquam quietis, quem odoratus Deus, non amplius cogitat maledicere terræ propter hominem. *Gen.* 8: *verſ. vigeſimo ſecundo.* 4. Cum laudatur lilium in profundis vallibus, inſinuatur Chriſti redemtoris humilitas. Eam oſtendit 1. in vitæ ingreſſu. Noſtri cauſſa de cœlo in terram deſcendit, & ſubmiſit ſe in humilitatem ſervi hominum, ſimilis hominibus factus, & habitu inventus ut homo, *Philip.* 2: 7, 8. conceptus natusque ex humili & paupercula virgine, *Luc.* 1: 46. *Rupertus in caput primum Matthæi:* Ego lilium convallium, hoc eſt, decus parentum humilium, quia humiles in terra parentes elegit. Non eſt flos regii alicujus horti. Non enim regem aliquem, hominum exiſtimatione, patrem habere voluit, ſed Joſephum Fabrum. Vide quot montes, quot reges, præterierit, in quorum hortis flos noſter oriri noluit; natus in humili & neglecta urbecula, Bethlehemo. 2. Demiſſum & humilem ſe præbuit Chriſtus in vitæ progreſſu, *Matth.* 20: 28. Filius hominis non venit, ut ſibi miniſtretur, ſed ut miniſtret, detque animam ſuam in redemtionis pretium pro multis. Ut humilitatem ſuam proderet, diſcipulis pedes lavit, miniſtranti inter eos ſimilis, ut ait *Lucas* 22: 27. Uter major eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat? itaque exemplar ſe ipſum proponit omnibus:

Diſcite

Diſcite a me, qui lenis ſum & ſubmiſſus corde. *Matth.* XI: 29.
3. Humilem & contemptum ſe præbuit in vitæ egreſſu, obediens patri ſuo factus usque ad mortem, mortem autem crucis *Philip.* 2: 8. Contemtus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus, & familiaris morbo, & velut homo abſcondens faciem a nobis, contemtus ut non æſtimemus illum. *Jeſa.* 53: 3. de quo ipſe conqueritur: Ego ſum vermis ac non vir, opprobrium hominum, ac contemtus populo. Omnes videntes ſubſannant me, diducunt labium, movent caput. Devolvit ſe ad Dominum, inquiunt, liberet eum, eripiat eum quandoquidem delectatur eo. *Pſal.* 22: 7, 8, 9.

III. DILECTUS INTER LILIA.

Cant. 2: 16. *Dilectus meus meus eſt, & ego illius*, non alterius, *qui paſcit in liliis* vel ita vertas: *Ego ad dilectum meum, Ille ad me convertitur, qui paſcit inter lilia.* Dilectus meus in odoriferis paſcit liliis. Totus ad ſplendorem & pulchritudinem virtutum, convertitur. Ibi gregem ſuum curat, ubi fragrat charitas, candet caſtitas, ſpirat concordia, halat odorem vitæ veritas.

IV. UBERA SPONSÆ.

Cant. 4: 5. *Duo ubera tua ſimilia ſunt duobus hinnulis gemellis capreæ paſcentibus inter lilia.* id eſt: uberum tuorum e candido pectore eminentium, decor, tanta intuentium oculos voluptate afficit, quanta perfundant hinnuli, quos eodem partu ſimillimos edidit Caprea, paſcentes inter lilia, candore & ſpecie eximios flores. Ubera ſponſæ gemina intelligas cordialem proximi amorem, quo nihil gratius aut jucundius ſub aſpectum ſponſi venerit. *Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, hoc eſt præcipuum legis mandatum; alterumque ei ſimile: Diligas proximum tuum ſicut te ipſum. Matth.* 22. Duo ubera tua, inquit ſponſus, ſimilia ſunt duobus hinnulis paſcentibus inter lilia. In Judæa & Syria inquit Bochart. *Hieroz. P.* 1. *p.* 924. lilia non coluntur in hortis ut apud nos, ſed in agris paſſim occurrunt, unde eſt quod *Matth.* 6: 28. à Chriſto vocantur agri lilia, aut ut habet Syra verſio, quorum idiomate Chriſtus inter Judaeos concionabatur, ܫܘܫܢܐ ܕܕܒܪܐ *Schuſchano dedabro*, lilia deſerti, id eſt, quæ ſponte proveniunt, etiam in deſertis locis, & à nullo excultis. Hinc Calphurnius in Litigio:

— *En*

—— En aſpicis illum,
Candida, qui medius cubat inter lilia cervum.

V. Cum liliis comparata Christi labia.

Cant. 5: 13. *Genæ ejus ſicut areolæ aromatum*; ſicut *pulvini pigmentorum. Similia ſunt labia ejus liliis: labia ejus ſtillant myrrham tranſeuntem. Pulvini pigmentorum*, id eſt, lectuli hortenſes terræ eminentioris, in quibus herbæ & aromata pigmentis temperandis idonea conſeruntur. *Similia liliis*, ſcilicet purpureis. Referunt vulgo participium נטפות ad lilia. Sed conſtat, opinor lilia ſtacten ſtillantia in natura non reperiri. Recte igitur hunc locum verterimus: Genæ ejus ſicut areolæ aromatum: *ſicut* pulvini pigmentorum. Labia ejus ſunt inſtar liliorum; ſunt *quaſi* ſtillantia myrrham tranſeuntem, ſive myrrhinum liquidum. Obſervamus geminam in utroque hemiſtichio comparationem: genæ in priori comparantur areolis aromatum, & pulvinis pigmentorum; Labia, liliis, & labiis ſtillantibus myrrham. Deprehendimus etiam in vocibus מנדלות & נוטפות eandem caph ſimilitudinis vel nominis idem valituri aphæreſin. Deſcribitur autem his verbis vultus ac ſermo in ſponſam placidus & benignus. Genarum pulcritudo vultum placidum Chriſti declarat. *Lucente nobis facie ejus gratiam facit. Num.* 6: 25. *Satietas gaudiorum eſt in vultu ejus*, ארת פניך poſitum pro מארת פניך *Pſal.* 16: 11. *Beati, qui in luce faciei ejus pergunt. Pſal.* 89: 16. Labia myrrhae ſucco ſtillantia eloquii ſuavitatem ſignificant. *Infuſa eſt gratia labiis pulcherrimi hominum. Pſal.* 45: 3. *Verba, quæ loquitur ſpiritus ſunt, & vita ſunt. Joh.* 6: 60, 62. *Nullus unquam hominum ſic loquutus fuit, ut is homo. Johan.* 7: 48. Quum prædicaret Euangelium *mirabantur plenos gratia ſermones, qui procedebant ex ore ejus. Luc.* 4: 22.

VI. Sponsæ venter sepitus liliis.

Cant. 7: 3. *Venter tuus inſtar acervi tritici: Sepitus liliis.* Tritico nihil in genere frugum fertilius. Hoc ei natura tribuit, quoniam maxime alat hominem. In bona terra ſatum fructum extulit partim cum centeſimo, partim cum ſexageſimo, partim cum trigeſimo. *Matth.* 13: 8. Serit Iſaacus ſementem, eoque anno fruges percepit cum centeſimo; tantopere benedicebat ei Dominus. *Gen.* 26: 12. E modio tritici, ſi ſit aptum ſolum,

quale in Byzantio, Africae campo, centeni quinquageni modii redduntur. Miſit ex eo loco, divo Auguſto procurator ejus, ex uno grano, (vix credibile dictu,) quadringenta paucis minus germina, extantque de ea re epiſtolæ. Miſit & Neroni ſimiliter CCCXL. ſtipulas ex uno grano. Cum centeſimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, aliique & tota Baetica, & inprimis Ægyptus. *Plin. Hiſt. Nat.* XVIII. 10. Tritici igitur acervo venter Sulamitidis comparatus, incredibilem ejus fœcunditatem ſignificat. Hinc & eundem legimus equiparatum auroræ utero, ex quo innumeræ roris guttulæ generantur *Pſal.* 110: 3. *Tanquam ex utero auroræ ros juventutis tuæ*, id eſt, Ex utero ſuo, velut ex auroræ ſinu, Eccleſia tua, Domine, juventutem ſibi liberos generabit, quorum numerus matutini roris guttulas æquabit. Notandum כ literam ἐλλείπειν ante מרחם, quia eadem litera proxime praeceſſit in voce חילך. Ideo reddimus tanquam ex integre ſcripto כמרחם ſicut ex utero. Sequitur: *Sepitus eſt liliis:* Referenda ſunt hæc verba, non ut ſolent ab expoſitoribus Cantici ad acervum tritici, ſed ad ventrem: Venter tuus eſt acervus tritici, qui *venter* ſepitus eſt liliis. Nulla enim ratio eſt, quamobrem tritici acervus ſepiatur liliis. Nec ad rem facit, quod ex Thalmude, adferunt de frugum primitiis quas liliis florumque umbellis cinxerint ii, qui in templo illas Sacerdotibus obtulere, nam eas quidem e longinquo attulere corbibus impoſitas, *Deut.* 26: 2, 34. in quibus acervatim fruges accumulari non potuerunt. Quid, quod in incerto poſitum ſit, ut pleraque omnia, quæ tradunt Thalmudiſtæ, primitias floribus exornaſſe Judæos. De ventre igitur ſponſæ accipiendum, quod dicitur *ſepitus liliis. Venter tuus inſtar acervi tritici*, *ſepitus liliis.* Ventrem intelligo ventrale, ſeu veſtem ventri aptatam & circumpoſitam, quæ opere Phrygiano picta lilia complectebatur. Phrygionici autem operis veſtimenta jam Deboræ temporibus geſtata legimus *Judic.* 5: 30. Lilia ſunt vel caſtitatis, vel, ut de tritico etiam notavimus, fœcunditatis, hieroglyphicum. Fœcundiſſimum quippe eſt lilium, una radice quinquagenos ſaepe emittente bulbos, *Plin. H. N. l.* XX. *c.* 5. Notat ergo lilii ſepitus venter multa prole & felicibus incrementis auctam Chriſti ſponſam, hoc eſt, electorum Sanctorumque Eccleſiam.

VII. AMI-

VII. Amicus sponsæ carpens lilia.

Cant. 6: 1, 2. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolas aromatum, ad paſcendum in hortis, & carpendum lilia. Deſcendit in hortum, laborioſum non exiſtimavit, frequentare cœtum aliquem ſuorum fidelium, *ad areolas aromatum*, ad ſingulas fidelium animas donis gratiaque Spiritus Sancti inſtructas. *Ad paſcendum in hortis.* Nec enim Iſraëliticæ tantum Eccleſiæ, large & copioſe paſtum comparat Dominus, ſed & Eccleſiis exteris; Nec una duntaxat ovium caula, quas curat & nutricatur: *Alias*, inquit, *oves habeo*, quæ non ſunt Judaici ovilis *Joh.* 10: 16. *Ad carpendum lilia*, ut colligat virtutes & bona opera, ex quibus voluptatem ac delectationem capiat, & quæ in extremo judicio, in panegyri omnium, qui in terris vixerunt, celebret *Matth.* 25: 35.

VIII. Florens Israel ut lilium.

Hoſ. 14: 5. *vel* 6. *Ero ut ros Iſraëli, florebit ut lilium, percutiet radices ſuas, ut Libani* arbores. *Ero ut ros.* Vitam, refectionem ac fœcunditatem a me habebit populus. *Florebit*, gaudebit, decorabitur laude, honorabitur gloria, *ut lilium*, cui eximius decor; fragrantiſſimus odor, inſignis ante alios flores magnitudo. *Percutiet radices*, radicabitur altiſſime. Tam alte in animis eorum inſertabitur fides & veritas, ut exſtirpari nullis afflictionum procellis queat.

IX. Lilia labri lacus ænei.

1 *Reg.* 7: 26. *Craſſitudo lacus ænei palmaris erat, & labium ejus ſimile operi labii calicis*, aut *floribus lilii: bis mille bathos continebat. Floribus lilii*, id eſt, maris vel lacus ænei labium, aut margo, ſparſus erat floribus lilii, ſic Chaldæus. *Bis mille bathos continebat.* At 2 *Chron.* 4: 5. *cepiſſe* dicitur *ter mille bathos.* Diſſonantia vel ex bathorum differentia componenda eſt, vel, quod ex Hebraeo textu Paralipomenon patet, haec eſt ſententia: quod totius quidem lacus capacitas tanta fuerit, ut, ſi ad ſummum compleretur ter mille bathos caperet. Sic enim ibi legitur: *Comprehendens bathos ter mille contineret.*

X. Liliorum vestitus.

Matth. 6: 28, 29, 30. *De veſtitu quid ſolicitamini? Diſcite*, vel

 conſi-

conſiderate, *ut agreſtia creſcant lilia, neque laborando, neque nendo: Atqui hoc vobis dico, ne Salomonem quidem cum omni ſplendore ſuo ita veſtitum fuiſſe, ut horum quodlibet. Quod ſi herbam agreſtem quæ hodie eſt, & cras in clibanum conjicitur, Deus ſic veſtit, nonne multo magis vos, o exigua fide præditi?*

Agreſtia lilia. Κρίνα profanis autoribus generatim dici flores multi ſunt qui opinantur. Atqui hæc notio λειρίοις debetur. *Scholiaſtes Apollonii Rhodii* καθόλȣ, inquit, τὰ ἄνθη λείρια καλεῖται, & Lucianus: λείρια καλεῖται εἴγε μέμνημαι, τὰ ἄνθη. Nec tamen a communione nominis κρίνα excluſerim florem, qui ab inverſa & aperta pilei Dalmatici ſpecie Tulipa vocatus, in Palæſtina ubertim provenit, ut teſtantur, qui per eam peregrinati ſunt. De eo *Franciſcus Pomey*. In regno florum coronam ſibi jure vendicat, *flos Tulipa adpellatus.* Nec vero inter eos reperias unum, qui cum illa deſcendere in contentionem honoris ſuſtineat, nedum decernere de Principatu. Huic uni quippe conceſſit natura, ut quicquid venuſtatis ac gratiæ aliis tributum diſperſumque eſt, ipſa in ſe colligat. Et vero quid hujus floris mirabili varietate mirabilius? cujus colores modo obſoleti, modo ſplendentes; nunc tetrici, alias læti, nunc auſteri, modo ſuaves: Sic alii in alios abeunt, ita inter ſe pulcre permiſti, copulatique cohærent ſibi mutuo, inobſervabili commiſſura, ut fugiente oculorum aciem nexu, vel jaſpidem pulcherrimis interpunctum notis exhibeat, vel Achatem ſpecioſiſſimum juxta ac pretioſiſſimum repræſentet. Nec tamen Tulipæ, quamvis ſpectatiſſime florentis, ſpectaculum indixiſſe videtur Dominus, a ſolicitudine veſtium, auditores abducturus. Longe enim poſt paſchatis feſtum is ſermo in monte habebatur, quo tempore tulipæ defloruerant. Lilia igitur intelligit alba quæ & Hebræi, ut ſupra dictum, a candore Schoſchannim adpellarunt, accuratiſſime a Matthiolo his verbis depicta: Lilium omnibus notum folia fert longa, nusquam non virentia, lævia, pinguia, Pancratio ſimilia. Caulem profert bicubitalem, rotundum, rectum, lævem, pinguem, firmum, foliis ab imo ad ſummum circumveſtitum; e cujus cacumine terni quaternive ramuli exeunt, e quibus oblonga prodeunt capitula herbaceo colore, quæ tractu temporis lilia fiunt eximii candoris, calathi figura, extrinſecus ſtriata, reſupinis per ambitum labris. Luteis aliquot ex calathi fundo, ut in croco, ſurſum ſpectantibus apicibus,

bus, pulverulentis & linguæ effigiem imitantibus, alterius quam flos odoris, e quorum medio longum producitur germen, rotundo in cacumine capitulo, herbacei coloris. Seruntur lilia diſſectis bulbis Martio menſe: florent æſtate circa ſolſtitia. De his igitur Dominus: De veſtitu qui ſolicitamini CONSIDERATE LILIA, in quibus ſcilicet ſingularis eſt pulchritudo ac decor, & inprimis foliorum ordinatiſſime aſſurgentium quaſi amictus, quo veſtiuntur. Addit autem AGRI, quia illa totum præbent divinæ providentiæ, hortenſia vero aliquid humanæ curæ. Quomodo CRESCUNT, id eſt, qua pulchritudine floris, qua foliorum gratia, velut veſtium aſſurgunt? Non enim de incremento magnitudinis loquitur, quod potius victui reſponderet. NON LABORANT, ad aſſequendum indumentum, ut ſolent viri; NEQUE NENT, ut ſolent mulieres: hoc eſt, ſolicitudine prorſus vacant. Non enim, ut *Chryſoſt. Homil.* XXV. opus prohibuit, ſed ſolicitudinem, ſicut & ſupra de ſatione. DICO AUTEM VOBIS, QUONIAM NEC SALOMON, pulcritudinis atque decoris ſtudioſiſſimus, potentia, ſapientia, opibus præcellens omnibus, quibus excogitantur ea, quæ ad veſtitum pertinent, IN OMNI GLORIA SUA, id eſt, etiam tum, cum in faſtigio gloriæ ſuæ fuit, amictus eſt, SICUT UNUM EX ISTIS, tanta ſcilicet veſtium pulcritudine & gratia. Quod enim ſericum, inquit *Hieronymus*, quæ regum purpura, quæ pictura textricum, poteſt floribus comparari? quanta veritatis & falſitatis, tanta veſtimentorum & florum differentia eſt, inquit, *Chryſoſt. Homil. cit.* quia ſcilicet naturam divinæ providentiæ artificum hominum cura & induſtria imitatur, & non aſſequitur. *Janſen. Comment. in Matth.* Vide mihi florem illum e calice, hunc e vagina, alium e gemma protuberantem. Denique in uno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diverſa. Quæ illa tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat ſe molli aliqua cogitatione, & liqueſcat. Jam ades curioſe tu ocule, defigere paululum in nitores & pigmenta. Inſpice hanc nativam purpuram, hunc ſanguinem, hoc ebur, hanc nivem, hanc flammam, hoc aurum. Denique quis exhalans ille odor? quis penetrans Spiritus? & neſcio, quæ pars æthereæ auræ infuſa ab alto. Propius accedens & flores quoſdam naribus oculisque admovens quid primum voveam? Oculus cum Argo fieri, an naſus cum Catullo? *Lipſius in Conſt.* SI AUTEM FOE-

NUM AGRI, id eſt herbam agreſtem, rem ſcilicet abjectiſſimam, QUOD HODIE EST, in rerum natura, CRAS, ſeu tantillo poſt, IN CLIBANUM MITTITUR, ad ſuccendendum furnum, DEUS SIC VESTIT, tanto ſcilicet pulcritudinis exceſſu: QUANTO MAGIS VOS, propter quos & flores, & mundum univerſum condidit, & quos in æternum ſecum vivere voluit, MODICÆ FIDEI? Qua increpatione radicem anxiæ illius ſolicitudinis ſuccidit: diffidentia enim iſta ex parva fide oriri ſolet. Nam ut magna fiducia in Deum ex magna fide de providentia ipſius naſcitur, ita diffidentia ex ejus defectu. *Janſ. loc. cit.*

CAPUT QUARTUM.

ASPHODELUS ET NARCISSUS.

Varia Chabattſeleth *nominis interpretatio. Enodatur etymon. Oſtenditur ad bulborum genera ſpectare. Naſcitur in Sarone, qui eſt à boum frequentia adpellatus campeſtris locus. Eſt Aſphodelus, cujus flos anthericon. Aſphodelo vetuſtiſſimi ſanctiſſimique hominum victitabant.* Narciſſus *floris & viri vocabulum. Voci Chabatſeleth non ſubjicitur. Narciſſus flos candidus vel niger exiſtimatur. Nomen trahit* ἀπὸ τῆς νάρκης, *à torpore, quem odorantibus creat.*

I. CHABATZELETH.

Duobus omnino Scripturæ locis obvenit nomen חבצלת *Cant.* II: 2. *Ego ſum Chabatſeleth Scharonis*, quod Chaldæus Paraphraſtes, Aben Ezra, & Vatablus vertit *Roſam.* Rabbi Salomon vero *Lilium*, Græci cum Vulgato *Florem*; Item *Jeſai.* XXXV. 1. ubi Jonathan *Lilia* interpretatur; Græci, & qui hos ſequitur Vulgatus & Tigurina *Lilium.* Liquet ex his verſionibus Interpretes ſibi non conſtare. Ut igitur in qua ſtirpe poſitum ſit Hebræum nomen eruamus, accuratius & majore cura tum originem vocis, tum ea quæ in textu ſacro plantæ addicuntur, inveſtigabimus. Nomen traxit à bulbo, & a verbo חבב, dilexit. בצלת fæmininum eſt, deflexum a בצל quod cepam ſive bulbum, cum apud Hebræos, tum apud Arabes ſignificat. Hinc

Hinc بصل عنصل eſt bulbus ſcillæ vel cepæ marinæ, quæ & بصل الغار bulbus muris. Ex quo colligitur *Chabbatzeleth* ex bulboſorum genere florem eſſe. Bulbos autem nominant non tantum radices rotundas, ſuis membranis tunicatas, quales Tulipæ, Iridis bulboſæ, Coronæ Imperialis, Narciſſi, Hyacinthi: ſed etiam radices tuberoſas, quales Scillæ, Aſphodeli; Cypiri. De Scilla *Plinius:* Cæterum bulbi ex aceto & ſulphure vulneribus in facie medentur. *lib.* xx. *c.* 9. de Aſphodelo idem: Bulbi nervis articulisque cum polenta tuſi illinuntur, *cap.* XXII. *lib.* XXII. Nicander & contra ſerpentes, vel ſemen vel bulbos Aſphodeli dedit in vino, tribus drachmis, ſubſtravitque ſomno contra hos metas. *Ibidem.* De Cypiro: Cypirus eſt gladiolus, ut diximus, radice bulboſa, laudatiſſimus in Inſulis Creta, dein Naxo, & poſtea Phœnice. Idem *Hiſt. Nat. lik.* 21. *c.* 16. Jam ex Verbis Cantici intelligitur *Chabatthſeleth* clariſſimum fuiſſe florem, & cognatione quadam formæ, habitus, & proceritatis, meruiſſe cum lilio memorari, quod roſæ nobilitati proximum eſt. Memoratur etiam ceu decus, ornamentum & gloria campi, *Jeſa.* XXXV. 1, 2. *Exultabit ſolitudo, & florebit ut* CHABATZELETH; *gloria Libani dabitur ei, & decor arvi & Saronis*, id eſt, poſt deſolatioem & ſterilitatem ſuam numeroſa prole augebitur Iſraël, omnibusque gentibus ornatior, circumfluet gloria, plurimum decoris, plurimumque dignitatis Deo adjungente. Porro Canticum deſignavit florem, qui in convallibus riguisque pratis progerminavit, qualia oiim Saronis vireta. Ipſum quippe nomen Saronis campum explicant ex Symmacho, qui *Jeſa.* 32: 2. hæc prophetæ verba, *decor Carmeli & Saron*, Græce reddiderat, ἐυπρέπεια τȣ Καρμήλȣ καὶ τȣ πεδίȣ. Quod ſequutus Hieronymus *Jeſa.* 61: 10. pro Sarone habet Campeſtria. Doctiſſimo *Ligtfooto* vox Sharon regionem campeſtrem paſcuoſam denotat, dictam a שרה pecora emittendo. Noſtro autem judicio collactaneum fuerit nomini שור quod bovem, & שורים quod pro שירים vel שארים uſurpatum *boves* ſonat. Fuit enim Saron campus Lyddam inter & Mare hinc inde longius ſe diffundens, armentorum paſcuis imprimis aptus: in quo etiam armenta regia ſervabantur, quibus præerat Schitræus, ipſe ex aliquo viculorum Saronis ortus:

ctus: Ita enim ſcriptum 1 *Par.* 28: 29. *Armentis Davidis paſcentibus in Scharon*, campeſtri regione, *præerat Schitrai Saronita*; *armentis autem paſcentibus per convalles Schaphat*, *filius Hadlai.* Quæritur ergo in qua ſtirpe ponendum ſit nomen *Saroniæ Chabattſeleth?* Equidem ita ſentio: Niſi commune nomen eſt *Chabattſeleth*, præcipua complectens bulboſarum plantarum genera, videlicet, Narciſſos, Hyacinthos, Coronam Imperialem, Hemerocallidem, Xyphion, Satyrion, Tulipas, Martagon, Lilium luteum & Lilium rubrum: nullum in bulboſis omnibus florem reperiri, qui menſuram nominis Hebraici magis impleverit, quam Aſphodelus, Haſtula regia & Heroion a veteribus adpellatus. Non alius magis abundat bulbis. *Plin. lib.* XXI. *cap.* 17. Radix Aſphodeli napis modicis ſimilis eſt, octoginta ſimul acervatis ſæpe bulbis. Ea de cauſa ſimilem faciunt Autores Scyllæ & Gladiolo, & ei, quæ Theſion appellatur, & Cypiro in Phœnice laudato. *Matthiolus ad Dioſcoridem:* Planta eſt Asphodelus ſpectatu jucunda, cum integra effoditur, ob ingentem bulborum numerum, qui ſæpe centenarium excedunt. Sed & ad ſimilitudinem lilii proxime accedit foliorum habitu & excelſitate. Celebratur Aſphodelus liliaceus in Illyrico candidis floribus, atque, ut *Tabernæ montanus libro* 2. *Herbarii*, & in *Methodo Plantarum Rajus*, docuit, Aſphodelus liliaceus rubens. Lutei Aſphodeli flores ſuaviſſimi ſunt odoris, Jasmini æmuli, radice ſunt tenuiores, folia anguſtiora *Caſp. Bauhin. ad Matthiol. p.* 451. Scapus, quem peculiari vocabulo albacum veteres nominarunt, unice inter omnes excellit, major quam Iridis, cætera eam imitatur. Theophraſtus & fere Græci, princepsque Pythagoras, caulem haſtulæ regiæ cubitalem & ſæpe duûm cubitorum, foliis porri ſilveſtris, anthericon vocavere, radicem vero, id eſt bulbos, Aſphodelon. *Plin. lib.* XXII. *cap.* 22. Rectius autem Dioſcorides e Nicandro Poeta, Medico vetuſtiſſimo, Aſphodeli florem Ἀνθερικὸν vocari ſcribit. Præcipuus ei antiquis temporibus honos fuit. Nam & Homerus Aſphodelum laudat, & Heſiodus, eoque, ante τὸ ἐπιθυμιτικὸν ſeu concupiſcentiæ tyrannidem, victitabant homines, & ſanctiſſimi quique Philoſophorum poſtea, quos ob id beatos prædicat *Heſiod. oper. & dier. l.* IV. *vſ.* 40, 41.

- - - Οὐδ᾽ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ.

Natale

Natale ſolum Aſphodeli ſilvas Heſiodus, *Homerus* autem irrigua prata, dixit. *Odyſſ.* Α & Ω. ubi amœna Elyſii campi vireta ἀσφόδελον λειμῶνα, aſphodelo florentia prata vocitat, quæ verba ſignificatu ſuo reſpondent Hebraicis *Chabattſeleth haſſcharon*, id eſt, Aſphodelus prati vel campi Saronii. Antequam ad alia ab Aſphodelo progrediamur, liceat mihi de Sarone novum quiddam attexere. Scharon, ſi ſecundum me litem dederint interpretes, campeſtris fuit regio, convallibus circumventa. Talem eſſe declaratur I. Quod montibus Libano, Baſani & Carmelo annumeratur. *Jeſa.* 33: 9. *Pudebat Libanum, languebat, erat* Saron *quaſi ſolitudo, rudebatque Baſan & Carmelus,* & *Jeſa.* 35. 2. *Gloria Libani dabitur Sioni, decor Carmeli &* Saronis. Eodem igitur ſenſu modo accipias, quod *Joſ.* 12: 18. legitur מלך לשרון quo ibidem *vſ.* 22. מלך לכרמל *Rex ad Carmelum*, i. e. urbium villarum circa Carmelum. II. Quod 1 *Chron.* 27: 29. opponuntur Saron atque convalles. *Armentis paſcentibus in* Sarone *præerat Sitrai Saronita, armentis autem paſcentibus per convalles Saphat, filius Adlai.* III. Quod Lucas *Act.* 9: 35. Saronem Graece vocitat τὸν Σαρωνᾶν, cum articulo maſculino, *Viderantque ſanatum Æneam omnes, qui habitabant Lyddam* καὶ τὸν Σαρωνᾶν & *ipſum Saronem*, id ſufficienter arguit non urbis, ſed Campi, in æqualem altitudinem editi & vallibus circumdati, nomen eſſe Saronem.

Aſphodelus Saronis, in Saronis planitie præ aliis floribus eminens & excellens, exaltatam Chriſti Redemtoris humanitatem ſignificat; ut lilium convallium humanitatis adumbrat humiliationem. *Cant.* II: 1. *Ego ſum Aſphodelus Saronis, lilium convallium.*

II. Narcissus.

Flos pulcherrimus, nomen dedit Claudii Cæſaris Liberto, cujus meminiſſe Paulum exiſtimat *Grotius ad Rom.* 16: 11. Author Chaldaicæ paraphraſeos *Cant.* 2: 1. חבצלת, Narciſſum interpretatur: אנא מתילא לנרקוס דטיב *Ego aſſimilata ſum Narciſſo virenti.* Sed ab eo diſſentiens Aben Ezra, florem eſſe tradit nigri coloris, ex hyacinthorum ſcilicet genere, quos Maro ferrugineos vocat, & Columella cæruleos. Ferrugineum eſt ſubnigrum, qui color etiam violarum, quibus a Martio menſe fecimus nomen, unde *Claudianus* violas vocat *dulci ferrugine pictas.* Non tamen diſ-

ſimulandum eſt, quod & purpureo colore tingitur Narciſſus, de quo in *Bucolicis Virgilius: Pro molli viola*, pro *purpureo Narciſſo.* Et *Plinius lib.* XXI. *cap.* 19. Narciſſi duo genera in uſum medici recipiunt, unum purpureo colore, & alterum heloacem, id eſt, Salmaſio interprete croceum: veriſimile eſt Aben Ezram nigrum dicere Narciſſum quem Poëtæ purpureum: quemadmodum purpuream humilemque violam quam a menſe Martiam appellamus, ob nigricantis purpuræ ſimilitudinem Græci μελάνιον & ἴον μέλαν, id eſt, nigram violam dixere, & quem purpureum vocat ſanguinem *Statius Theb.* IX.

Ibat purpureus niveo de pectore ſanguis.

cum *Ovid. Metamorph. l.* XII. nigrum adpellavit:

Mors caruit ſenſu, plenoque gutture fluxit
Inque toros inque ipſa NIGER carcheſia ſanguis.

Nos vero exiſtimamus Aſphodelum a bulborum multitudine dictum, nomine Chabatſeleth inſinuari, non Narciſſum, qui ex uno duntaxat aſſurgit. Adde, quod *Chabattſeleth* in campo Saronio, non in montibus naſci legitur: Narciſſus autem probatiſſimus ut author Dioſcorides in montibus naſcitur. Non abs re nomen a νάρκη, hoc eſt, a ſtupore vel torpore, meruit; nam nervos hebetat, & torpidas facit gravitates. Quapropter & Sophocles ſubterraneorum Deorum coronamentum eum vocat, quod ſcilicet defuncti & morte torpidi, torpido flore merito coronarentur. *Plin. lib.* XX. *c.* 19. de Narciſſo. Hunc ſtomacho inutilem & ideo vomitorium alvosque ſolventem, nervis inimicum, caput gravantem, & a narce Narciſſum dictum putant, non a fabuloſo puero. Aſphodelus contra ſaluberrimi cenſebatur victus. Mandebatur enim antiquitus, Heſiodo teſte, tum caulis ejus in cinere toſtus, tum bulbus, cum ſemine, & oleo, & ſale, addito, quin etiam cum ficis mira voluptate. *Matthiol. ad Dioſcor. l.* II. *c.* 164.

CAPUT QUINTUM.

CROCUS.

Crocum cur Syri ab operiendo vocaverint. Arabibus Zaphran *a colore dictum. Ejus deſcriptio. Allatum olim e Cilicia, Lycia & Ægy-*

Ægybus. Hodie ex Perſia, & Inſula Madagaſcar, ex Hiſpania, Gallia & laudatiſſimum ex Auſtria petitur. Propagines Sulamitidis Nardus & Crocus.

De Croco.

Crocus Hebraice כרכם, a כרך, quod Syris & Chaldæis eſt operire, tegere & munire, & quia ם litera ſervilis intendit nominis ſignificatum, plantam vel tectiſſimam vel etiam atque etiam tectam ſonat, ut פדיום eſt eximia redemtio, תהום ingens vel iterata vacuitas, יום eximia pulcritudine illuſtratus aër. Nam & caulis ejus involucris gaudet ſquameis, quorum unum in altero poſitum atque infixum, & quod *Matthiolus* teſtatur, radicem habet bulboſam pluribus contectam tunicis. *Not. ad Dioſc. l.* 1. *c.* 26. quæ obſervante *Rajo*, tuberculum eſt carnoſum alio tuberculo minore ſuperne innato, & utroque membranulis aliquot involuto: quæ Croci nota, quum ſit ſingularis, nec in alio genere obſervata, accurate crocum, tum a bulbis, tum a cæteris plantis omnibus diſtinguit, ut adeo dubitandum non ſit, ab involvendo vel muniendo nomen accepiſſe. Idem Arabibus & Perſis *Corcum*, & a flavo colore *Zatiphran* vocatur. Deſcribitur a *Matthiolo:* Planta comoſis foliis, longis, anguſtis, capillaceis, planis tamen, non rotundis, Tragopogoni modo, ſed anguſtioribus & numeroſioribus humi accubantibus, denſis ac mollibus. Floret poſt Æquinoctium autumni, anteaquam folia proveniant, floribus Colchico Ephemero ſimilibus, purpureis ac aſpectu jucundis. E medio rubra prodeunt ſtamina, in craſſiuſculum cacumen deſinentia, quibuſcum ex eadem fere origine quidam exeunt proceſſus exiguæ linguæ figura, aurei coloris iis ſimilibus, qui in Colchici flore habentur. Floret crocum continuo menſe &c. *Commentar. in lib.* 1. 25. Petebatur olim ex Ciliciæ monte Coryco, ex Lycia, & Ægybus. Ita enim *Dioſcorides* loco laudato, a *Scaligero* emendatus, *Scaligerian. prim. p.* 39. *Secundus locus ab eo qui e Ciliciæ monte Coryco datur Lyciæ croco e monte Olympo. Dein ex Ægybus Ætoliæ.* Hodie ex Perſia, ex Inſula Madagaſcar, ex Hiſpania, Gallia, Anglia & Auſtria, ad nos adfertur. Optimus, & Aquilano & Gallico etiam præſtantior, in Auſtria naſcitur infra Aniſum amnem. *Vid. Valentin. Hiſt. ſimpl. lib.* 2. *c.* 14.

CANT. 4: 14.

Propagines tuæ Nardus & Crocus. Fructus, quem in te producit Sanctus Spiritus eſt humilitas. Nardi folia ſunt infra florem ſuum, ejusdemque ſpicæ infra folia naſcuntut & radicem conſtituunt; & crocum gaudet calcari & atteri. Ideo juxta ſemitas & fontes lætiſſimum. *Plin. l.* XXI. *c.* 5. Hinc Poëta:

Pulcrior ut creſcat teritur Crocus; o furor ingens,
Lætior ut poſſis ſurgere nolle premi.

Appoſite *S. Hilarius*: „ Hoc proprium habet Eccleſia, & dum „ opprimitur creſcit, dum contemnitur proficit, dum læditur „ vincit, dum arguitur, intelligit, & tunc ſtat cum ſuperari „ videtur.

CAPUT SEXTUM.

PORRUM, ALLIUM, CÆPA.

Porrum *ſectile in Scripturis* Chatſir, Allium *vero* Schum *adpellatum. Virtutes allii in Thalmude celebratæ.* Cæpæ *ſunt* betſalim. *Earum genera multa. In his etiam Aſcalonia & Gitthan. Aſcaloniarum præſtantia. Cæpas, Porrum & Allium, Ægyptiorum ſcilicet Deos, Iſraelitæ degeneres Mannæ prætulerunt.*

I. PORRUM.

Porrum duplex capitatum & ſectile. Illud in terra Iſraëlis proveniens pluraliter dictum a Rabbinis כרשין, hoc in Scripturis Sacris memoratum, חציר, in Thalmude הכרתין, id eſt, καρτὸν porrum ſectivum ſive ſectum dicitur, quod tonſile apud *Martial. lib.* X.

In quibus eſt lactuca ſedens & tonſile porrum.

Hebræorum חציר natum ex חריץ, id eſt, deciſum, ſectum, qua voce & gramen denotatur, plane ut apud Thalmudicos כרשא & כרשין & gramen & porrum ſignificant.

II. ALLIUM.

שום eſt Allium de cujus virtutibus agitur in *Baba Kama pag.* 82. *col.* 1.

82.*col.*1. Quinque res dicuntur de allio: Saturat, calefacit, ſplendidam reddit faciem, multiplicat ſemen, & occidit vermiculos in inteſtinis. Sunt etiam, qui dicunt gignere amorem & tollere Zelotypiam. Non igitur eſt, quod miremur noſtrorum temporum Verpos, magni Thalmudica medicamina æſtimantes, tam aſſidue allii vorandi voluptatem appetere eaque gaudere.

III. Cæpæ.

Cæpæ ſunt בְּצָלִים. In his nobilitate cognata genera, non Ægyptia tantum, ſed & ea, quæ juxta Aſcalonem & Gathum Palæſtinæ oppida naſcebantur. *Theophr. lib.* 7. *cap.* 4. *de Hiſt. Plant.* Differunt & cæpæ & allia genere. Sed cæparum genera plura, ut quæ a locis nomina accepere, Gardiæ, Gnidiæ, Samothraciæ; item Setaniæ, & Fiſſiles & Aſcaloniæ. Caryſtius apud *Athen. Dipnoſoph. lib.* 2. *p.* 68. ſativis oleribus annumerat naſturtium, adrianum, *aliis apium*, cæpam, cujus ſpecies ſunt Aſcalonia & Getæa. *Strabo Geogr. lib.* XVI. Aſcalonenſium regio præcipue cæpas fert, oppidum ſane non magnum eſt. Deſcribitur autem a Matthiolo Aſcalonia his verbis: foliis provenit tenuibus, longis, teretibus, fiſtuloſis, in acutum deſinentibus, cervice pariter tenui, bulbis numeroſis, ab imo radicum ceſpite prodeuntibus, paullo nucis avellanæ majoribus, parvi fici faciem repræſentantibus, ſapore admodum acri, haut tamen ingrato. Seruntur Aſcaloniæ cæpæ in hortis noſtris ad ciborum condimenta. Excalfaciunt & ſiccant; incidunt, aperiunt, provocant, dejiciunt. Non ſolum ea omnia præſtare poſſunt, quæ cætera cæparum genera, ſed & cibi appetentiam faciunt, vermes inteſtinorum necant, & caput non adeo lædunt.

IV. Porrum, allium et cæpas Israelitæ mannæ prætulerunt.

Tria iſthæc olera, porrum, allium & cæpas, Iſraëlitæ, ut invidiam Moſi & Deo facerent, Mannæ, cœleſti cibo prætulerunt. *Num.* XI: 5, 6. *Recordamur porrorum, & cæparum & alliorum, & nunc anima noſtra arida eſt*, penuria ſolidioris atque ſuavioris victus, extabeſcimus: *Nihil quicquam eſt, quod edamus; tantum Man obverſatur oculis noſtris.* Nullum eſt dubium, quin Iſraëliticæ in Ægypto degentes, etiam ex melioribus Ægypti ole-

 ribus,

ribus, quam allio, porro & cæpis, victum ſibi paraverint. Veſcebantur Ægypti nobiliſſima colocaſia, quam Cyamon alii vocarunt. Proxima authoritas cichorio fuit, quam intubum erraticum vocat Plinius. Fuit Anthalium, meſpili magnitudine & rotunditate, ſine nucleo, ſine cortice. Mandebant & Oetum & Aracidnum & Aracon. Vulgarium in cibo apud Ægyptios nomina, condrylla, hypochocris & caucalis, anthriſcum, ſcandix, quod ab aliis tragopogon vocatur, parthenium, ſtychnum, corchorus, & æquinoctio naſcens aphace, Acinos, quam epipetron vocant, quæ nunquam floret. His, inquam, frui in Ægypto Judæis licuit, quibus in deſerto cum caruiſſent deteriores celebrarunt, allium, cæpas & porrum, quod, ut videtur nobis, ea de cauſa fecerunt, ut viliores & illiberales cibos cum manna cœlitus dato comparantes, in majorem contemtionem cœleſtem victum adducerent. Præterea ſceleſtiſſimo quiritatu ſignificabant, ſe dum Ægyptiis ſervirent ſuavioribus modis fuiſſe nutritos, quam in deſerto alimoniam eis providente Deo. Tum enim ipſis licuiſſe cibis veſci, a quibus veneratione quadam Ægyptii abſtinuerunt: herbis ſcilicet & carnibus animalium, quæ divino cultui conſecraverant. Herbas enim ipſis pro numine fuiſſe, praeter alios teſtatur Plinius libri undevigeſimi capite decimo ſexto: Allium cæpasque inter Deos jurejurando habet Ægyptius. Et *Juvenal. Sat.* XV.

Porrum & cæpe, nefas violare ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina. - - - -

Prudentius contra Symmachum:

— *quod triviis brevioribus ire parati*
Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis.
Numina - - - -
Porrum & cæpe nefas imponere nubibus auſi
Alliaque ex terra cœli ſuper aſtra locare.

De pecorinæ autem carnis abſtinentia canit modo laudatus *Juvenalis*, dicta *Satyra*:

- - - - *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De absynthio, herba corymbifera.

Errant, qui Lahana *in cicutam vertunt. Nominis etymon. Lahana eſt abſinthium. Cum triſtiſſimis odioſis & ſummopere faſtiditis rebus comparatur. Igitur notat afflictionis amaritudinem, doctrinæ falſæ & injuſtitiæ fructus, Evangelii dulcedinem corrumpentes. Inter abſinthii dotes eſt ſomnum conciliare; id quod nomine ſuo præfert. Exploditur etymon a Græcis allatum. Loca abſinthii feracia.*

I. Lahana est absinthium.

לַעֲנָה doctiſſimi Interpretes Abſynthium, fruſtra alii cicutam, interpretantur. Lahanæ enim amaritudo in ſacris literis tribuitur, qua cicutam carere ex eo liquet, quod multi eam, qui vim ejus veneficam ignorarunt pro paſtinaca vel petroſelino comederunt. Compoſitum videtur ex ל præpoſitione & nomine עֲנָה, quod collectaneum eſt vocum עֳנִי & עֱנוּת quæ afflictionem & moleſtiam denotant, quaſi dicas plantam, quæ guſtus amaritie affligit & moleſtiam exhibet. עֲנָה uſitatum fuit in Oriente vocabulum, eoque vocatus Hana, filius Tzibbonis, mulorum inventor, *Gen.* 36: 24. ejusdemque patruus, Sehiris filius. 1 *Chron.* 1: 37, 40. Sed rectius & ſimplicius opinor, ex Arabismo repetas nominis originem, in quo uſitatum verbum لعن *lahana*, abegit, procul eſſe juſſit, averſatus abominatus eſt.

II. Absinthium afflictionis, doctrinæ falsæ, ac iniustitiæ, simbolum.

Saluberrimam plantam amaritudo ſua in faſtidium & abominationem adduxit. Igitur a Scriptoribus Sacris cum amariſſimo liquore fellis recenſetur. Ut *Jerem.* 9: 15. & 23: 15. *Faciam, ut comedant abſinthium, & dabo eis bibere aquam fellis*; & comparatur cum rebus acerbitatem, triſtitiam, nauſeam & corruptionem afferentibus. Ita notat afflictionis amaritudinem, *Thr.* 3: 19. *Recor-*

Recordor afflictionis meæ, & ploratus mei, abſinthii & fellis. Exitum notat triſtiſſimum, *Prov.* 5: 4. *Quod extraneam*, id eſt, adulteram, *manet, amarum eſt, ut abſinthium, & acutum ut gladius anceps*, extrema gaudii luctus occupat. Notat doctrinæ falſæ, impietatis & injuſtitiæ triſtiſſimos fructus, *Deut.* 29: 18. *Ne ſit in vobis radix proferens felleum quiddam aut abſinthium. Amos* 6: 7. *Mutant Bethelitæ in abſynthium jus, & juſtitiam humi collocant.* Notat hæreſin, quæ Evangelii corrumpit dulcedinem, *Apoc.* 8: 10. *Cecidit e cœlo ſtella magna in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: Nomen autem ſtellæ dicitur* Ἄψινθος, *Abſinthium: Verſa eſt igitur tertia pars aquarum in Abſinthium.*

III. ABSINTHII DOTES.

Nec tamen illa, tam aſpera, tam ingrata, amarities, impedire potuit, quo minus innumeris dotibus ad ſalubritatem hominis valeret. Inter quas poſtrema haut eſt, quæ ipſo ejus vocabulo inſinuata: Abſinthium quippe a Syris, qui plurimis plantis dederunt nomina, vocatur אב־שנתא *Ab-ſchinta'* & Arabibus لبو السنت, i. e. pater ſomni. Non latuit efficacitas illa veteres, quos Plinius ſequutus, ait, Abſinthium ſomnos allicere olfactum, aut inſcio ſub capite poſitum. Approbant dictum *Tabernæmontanus* & *C. Bauhinus*, & his etiam certior fideliorque teſtis firmavit experientia, qua deprehenſum eſt, abſinthium non minus conciliare ſomnum, quam Roſæ cum aceto, iris naribus ſubdita, Cinnamomum, Ariſtolochia, odor foliorum aſari, naribus illitum malobathrum, baccharis odor, quam denique aniſum atque papaverum ſemina.

IV. EXPLODITUR ETYMON A GRÆCIS ALLATUM.

Vim igitur & ſtructuram vocis non intellexerunt Græci, qui Ἀψίνθιον ἀπὸ τοῦ ἄψεσθαι, per antiphraſin dictum putant, quod nullum animal ob eximiam amaritudinem hac herbam attingat. Sed diu eſt, quod conſtat inter doctos, in etymorum veſtigatione ut plurimum peccare Græcos. Denique falſitatis arguitur quoque Grotius, cui Ἄψινθος eſt nomen urbis, unde nomen herbæ proveniat.

V. LOCA ABSINTHII FERACIA.

Uberrimum & gignendo Solum Geneſaritidis fuit, unde Geneſa-

neſariticum & Tiberiadenſe vocatum, de quo Tabernæmontanus Herbarii libro primo, fol. 21. Porro Abſinthium Santonicum Judaicum, quod & lumbricorum ſemen *Rauwolfio* & *Caſpari Bauhino* dictum, paſſim in Judæa, imprimis autem circa Bethlehemi, Salvatoris noſtri natale ſolum, provenire ſcribit *Theod. Zwingerus lib.* III. *de herbis.* In cinericia, inquit, ibi exit foliola, vulgaris abſinthii haut diſſimilia; caules teneri, flaveſcens ſemen, odor jucundus, guſtus cum ſalſa quadam acrimonia acerbiſſimus.

CAPUT OCTAVUM.

Verticillatæ, Hyssopus et mentha.

Hyſſopi etymon Græci ignorarunt. Vocabulum ejus non exſcriptum eſt ex Hebraico אזוב. *Venit a vagandi verbo* Zabab. *Faſciculus hyſſopi pro aſpergillo fuit. Leproſi mundatio myſtice explicatur. Hyſſopus de qua poſt Cedrum diſſeruit Salomo.* 1 Reg. 4: 33. *Ex muro nullum hyſſopi genus naſcitur. Nec ad hyſſopi genera referri poſſunt Origanum, marum, ſambucus, pulegium, & ſatureja: multo minus parietariæ herbæ & ſtirpes petroſæ. Affertur ab Autore verſio nova eaque firmatur experientia. Perperam ſollicitatur lectio nominis* ὕσσωπον. *Hyſſopus & ſpongia in arundine porrecta Chriſto.* Mentha *decimata: decimatæ cauſæ. Graviora legis, judicium, miſericordia, fides. Olerum viliorum decimæ an debitæ ex legis præcepto fuerint,*

I. Hyssopi etymon.

Ὕσσωπον Græci autores dictum volunt, quaſi ὑόμδυον ἐπὶ τὸν ὦπα, nullo ſenſu. Nec veritatem originis aſſequuntur, qui ex Hebraico nomine *Ezob* exſcriptum putant ὕσσωπον. Nam ne una quidem litera reperitur in voce Ebræa, quæ Græcis reſpondeat. Aleph certe non vertitur in Spiritum aſperum, nec Zajin tranſit in σ, neque Beth licet congenera mutatur in π. Unde ergo arceſſenda horum nominum origo? Equidem deductum puto ὕσσωπον ex vocabulis Syriacis עשבא זופא. Supha enim Hyſſopus adpellatur, quibus eodem ſenſu iiſdemque literis reſpondent Arabica عشب زوف, *hoſchbi ſupa*, quæ conjunctis in unam

nam dictionibus conſtituunt nomen עשובא. Beth enim rediturum ante פ cognatum, ut ſolet in compoſitis, eliditur. *Vid. Inſtitut.* noſtras *cap.* XVI. *reg.* 10. Adſcita ob flexum terminatione Græca, & vocalibus ad ſonum Græcis familarem mutatis, excuſum eſt ὕσσωπον, vel ὕσσωπος. At unde derivabimus Hebraicam adpellationem *Ezob?* In toto linguarum Orientalium penore non reperire eſt radicem אזב, quod indicium eſt, alio ordine venire radicales, vel permutatas fuiſſe literas. Nimirum אזוב tranſpoſitis elementis prolatum loco זאוב, quod venit a זבוב, id eſt, *vagando*, litera ב repetenda in א migrante, ut in זאב lupus, qui & ipſe a *vagando* dictus. Ut in רבאות myriades, quod a רבב, ut in דבאך *ſermo tuus*, quod a דבב deductum. *Vid. Inſtitut. cap.* XIV. *p.* 535. *& ſeq.*

II. LEPROSI MUNDATIO, ASPERGILLO HYSSOPI CONFECTA, MYSTICE EXPLICATUR.

Faſciculus aut virga hyſſopi in Moſaicis libris ſæpius aſpergilli vicem ſupplere animadvertimus, *Num.* 19: *vſ.* 18. *Accipiens hyſſopum intinguet aqua* (luſtratoria) *vir mundus, & aſperget ea tentorium, & omnia vaſa & animas, quæ ibi fuerint.* Hyſſopi faſciculo in ſanguinem jugulati agni paſchalis intincto, aſperſerunt Iſraëlitæ ſuperliminare duosque ædium poſtes, eo ſanguine ædes ſuas ab Ægyptiis diſtinguentes, ne a percuſſore Angelo perirent. *Exod.* 12: 22. Porro hyſſopus cum ligno cedrino & coccineo dibapho in ſanguinem jugulatæ aviculæ intincta, aſpergillum fuit, quo leproſus ſeptem vicibus aſperſus mundabatur. *Lev.* 14: 6: 7. Aſpergillum autem, noſtro judicio hieroglyphicum eſt verbi divini, quo mediante pretioſus ille ſanguis nobis offertur, quo a peccatis omnibus mundamur. Cedrus eſt verbum Dei, quod in Chriſto monſtrat Dei potentiam & ſapientiam. 1 *Cor.* 1: 24. Dibaphum coccineum vel vermiculo cocci tincta lana ſignificat Dei verbum, Judæorum offendiculum. *ibid. vſ.* 5. Hyſſopus humilis planta indicat verbum, quod, quum non ſit Sapientia ſeculi hujus, Græcis eſt ſtultitia. Per hoc ſanguis Jeſu Chriſti animis applicatur. Hoc mundari voluit ab impuritate ſua David *Pſal.* 51: 9. *Expiato me hyſſopo, ut mundus ſim: abluito me, ut præ nive albeam*, ut ſanguine Meſſiæ purgatus juſtus habear. Quem hyſſopus & lana coccinea exceperant ſanguinem, eo

aſpe-

aſperſit Moſes librum Legis & omnem populum. *Exod.* 24: 8. Sanguis fœderalis ſanguinem Jeſu Chriſti notat, per quem ſolum fit remiſſio, *Hebr.* 9: 19. Hyſſopus & lana coccinea ſunt Dei verbum, Chriſti ſanguinem peccatoribus applicans. Aſpergitur liber legis, volumen ſcilicet quod legem ſcriptam continebat: is liber cor humanum eſt, in quo Dei verbum obſervatur, juxta illud Davidis: *Pſal.* 37: 31. *In juſti animo eſt lex Dei ſui*, & *Pſal.* 119: 51. *In animo meo rocondo ſermonem tuum.*

III. Hyssopus, de qua disseruit Salomon Judæorum rex.

Verba 1 *Reg.* 4: 33. ita vulgo vertuntur: *Eloquutus etiam eſt Salomo de plantis, a cedro, qui eſt in Libano, usque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete.* De verſione convenit inter expoſitores, de verſionis ſenſu non convenit. Nam hyſſopum, & quas congeneres hyſſopi ſtirpes fingunt, ex muro vel pariete naſci, a nemine obſervatum eſt: uti viciſſim, quæ ex muro vel pariete prodeunt herbæ, hyſſopi generibus non annumerantur. Et ea quidem, quæ in Thalmudicis pandectis recenſentur, certum eſt neque ad hyſſopum pertinere, neque, ut vel ipſa hyſſopus, ex muro provenire. Non, quod primo loco nominant קורנית, id eſt, Buxtorfio interprete, Origanum. Licet enim folio ſit hyſſopi ſimile in muro tamen non aſſurgit. Non אברתא, quod Abrotanum interpretantur, qui frutex ex Abſinthiorum genere, ut *Rajus* & *Tournefortius* volunt. Nec eſt מרוא Marum, herba ſurculoſa, flore Origani, foliis multo candidioribus, flore odoratiore & natura Siſymbrii, quæ Dioſcoridis deſcriptio, ſi vera eſt, redarguit Thalmudiſtæ ſententiam, qui Marum Hyſſopum eſſe affirmavit. *Schabb. fol.* 109. *col.* 2. & Gloſſatoris, qui Salviam expoſuit. Neque שמ־שוק *ſamſucus*, quæ eſt Majorana, vel Amaracus veterum. *Dioſc. l.* III. *c.* 47. Nec haberi poteſt סיאה, quam nunc pulegium, nunc Siſymbrium eſſe dicunt. Majemonidæ autem & Bartenoræ idem ſonat, quod Arabicum بدرنج *badarongon* vel *padarougon*, ocymum. Be Arabicum, ut alias, loco פ, eſt poſitum. Nec etiam צתרי, id eſt, Satureja, quæ & thymbra ſativa, folio hyſſopi, floſculis per intervalla ex purpura candicantibus, odore ſaporeque gratiſſimo. Ex aſperis & ſaxoſis emicat, non ex

 pa-

parietibus aut muro. Jam, quæ ex muro naſcuntur & parietariæ ſunt herbæ, Muſcus, Adianton ſeu Capillus veneris, Helxine, Sideritis, & Aizoon certum eſt, eas nullatenus poſſe cum hyſſopo comparari, tantum abeſt ut ipſius nomine cenſeri queant. Earum denique ſtirpium, quæ petroſis gaudent, nulla hic debebat a commentatoribus fieri mentio, Scriptura de iis tantum loquente, *quæ* juxta verſionem ipſorum, *de pariete egrediuntur*, non de iis, quibus ſaxa vel petræ natale ſolum. Nulla igitur hic ratio habenda erat ſcolopendrii, nulla lichenis, filipendulæ, lithoſpermi, pimpinellæ ſaxifragæ, meliloti & ſymphyti petræi. Libanotidem quoque vel Rorem marinum hic audire ideo vetamur, quod is hyſſopo toto habitu & natali ſolo diſſimilis, pariter ut ſupra laudatæ ſtirpes, nec de petra nec de pariete exit. Ut enim appellationem hyſſopi congruere credamus Libanotidi, non ſufficit cum Ochino & Piſcatore oſtendere, ſaxoſis eam gaudere, & in aſperſionis uſum eſſe idoneum. Quum igitur ex dictis pateat, nondum a viris doctis repertam eſſe hyſſopum, quæ ex muro vel pariete prodeat, non abs re ſuſpectio mihi incidit, vim vocum Hebraicarum, quæ leguntur 1 *Reg.* 4. non recte expreſſiſſe Interpretes. De alia igitur Verſione cogitanti, in mentem mihi venit, ב etiam ſignificare AD, præpoſitionem; exempli gratia, 1 *Reg.* XI: 2. *Non venietis* בהם *AD eos, nec illi venient* בכם *AD vos. Pſal.* 18: 7. *Et clamor meus coram eo veniet* באזניו *AD aures ejus. Prov.* 20: 19. Via viri בעלמה *AD Virginem. Judic.* 19: 13. *Perge, ut appropinquemus* באחד־המקמות *AD alterum iſtorum locorum. Jeſai.* 10: 21. *Reliquum revertetur, reliquum Jacobi,* אל־אל גבור *AD Deum potentem. Hoſe.* 12: 7. באלהיך *AD Deum tuum convertere. Gen.* XI: 4. *Ædificemus turrim, quæ pertingat* בשמים *uſque AD cœlos. Pſal.* 36: 6. *Domine* בהשמים *AD cœlos pertingitur benignitas tua, veritas tua usque ad nubes. Job.* 24: 5. *Onagri in deſerto exeunt* בפעלם *AD opus ſuum.* Hoc igitur ſenſu accepta præpoſitione locus tot hactenus vexatus dubiis in hunc modum vertatur: „ *Diſſeruit Salomo de plantis a Ce-* „ *dro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ progreditur ad* „ *vicinum murum.* Primus hoc obſervaſſe videor in hyſſopo candidi floris. Plantaveram eam a muro cubiti diſtantia; verum ipſa annuo ſpatio, relicta, quam natalem habuit, terra, ſenſim verſus murum progreſſa, tandem ad murum, deficiente ulterius ter-

ra,

ra, ſubſtitit. Nec dubito, quin idem evenerit in hortis Palæſtinæ ad decliva montium ſitis, quorum cultior terra, ne in valles ſubjectas imbrium incurſu deflueret, muris continebatur.

IV. Spongia hyssopo et calamo circumposita.

De Spongia, quam aceto repletam, Domino noſtro in Cruce ſitienti quidam obtulit apud *Marcum cap.* 15: 36. & *Matthæum* 27: 48. legitur, *Arundini circumpoſuit*; apud *Johannem* 19: 29. hyſſopo circumpoſuere. Putant quidam literarum bene periti, hyſſopi nomine calamum ſeu arundinem vocari. Salmaſio judice calamus ſimpliciter dicitur de illius fruticis vel herbæ caule aut ſcapo, qui geniculatus, & internodiis diſtinctus ſit, qualis non eſt caulis hyſſopi. Et quum tot ſint arundinum ſive calamorum genera, durum eſt hyſſopi caulem, calamum abſolute appellari. Ut vocetur calamus, inquit Bochartus, *Hierozoici parte prima*, *p.* 591. herbæ caulis, in qua nihil δονακῶδες, res eſt ſine exemplo. Χάλαμος quidem non eſt ſola arundo, ſed proprie τοῦ σίτου ὁ καυλὸς, frumenti caulis, ut habetur in Heſychio. Sed calamum pro herbæ caule, qui neque ſit nodoſus, neque concavus, qualis eſt hyſſopi caulis, non puto me legiſſe uſpiam. Præterea nullus video, quomodo ſpongia hyſſopi cauli defixa vel involuta, potuerit ad Chriſti crucifixi os admoveri. Debent, qui in magna turba in exemplum ſtatuuntur, tam ſublimes evehi, ut omnibus ſint conſpicui, ne viſum intercipiant peditibus, ſi qui equites proxime adſtant. Hyſſopi rami non ſolum exiles deſcribuntur, ſed & humi jacentes. Iſaacus Ben Omran, Arabs ſcriptor: *Extenduntur rami ejus in terræ ſuperficiem.* Nec quiſquam ſibi fingat illos eſſe firmos & rigidos, ita, ut calamorum vicem præſtare poſſint. Hinc rejicit eorum ſententiam, qui receptam Joannis lectionem ſolicitant, & pro ὑσσώπῳ, ὀισύπῳ legi volunt, vel ὕσσῳ. Tamen iſtorum exemplo, & ipſe auſus eſt movere literam, & pro ὑσσώπῳ ſcribere ὕσσωπον. Nobis autem religio eſt temerare & corrigere Scripturam, & alio modo explicabilem eſſe hanc difficultatem arbitramur; nempe, ſi dicamus, circa hyſſopi faſciculum ligatam fuiſſe ſpongiam aceto plenam, & arundine in hyſſopum infixa, oppletam aceto ſpongiam Chriſto porrectam. Ita factum intelligitur, quod *Matthæus* 18: 48. & *Marcus* 15: 36. ſcribunt; ſumſiſſe aliquem ſpongiam aceto plenam, circumdataque arun-

dini ſpongia Chriſto dediſſe bibere: & quod *Joannes* 19: 29. Implentes ſpongiam aceto, eamque hyſſopo circumdantes admoviſſe illius ori. Nimirum Hyſſopus & ſpongia arundinem circumdedere; hyſſopus quidem proxime ei hærebat, hyſſopo interjecta ſpongia. Steterunt in eadem ſententia Chryſoſtomus, Theophylactus, & ante illos, Hilarius & Auguſtinus.

V. MENTHA DECIMATA.

Mentha ab odoris ſuavitate ἡδύοσμον vel ἡδύοσμος Græcis dicta, quam alii Mintham vocant cognita herbula, ex inſtituto Eccleſiæ Judaicæ decimata. Thalmud, Tractatu *Joma*, *fol.* 83. *col.* 2. *Decimatio olerum eſt a Rabbinis*; qui etiam in Maſſechet Mahaſeroth hyſſopum & origanum & viciam quoque decimari volunt; & vicium quidem, quia famis tempore, pro cibo uſurpatur. Quorſum vero mentham aut rutam? An quia, præter juris divini interpretationem, medicinam quoque factitarunt Levitæ, Ruta & mentha in decimis eorum allatæ, ut remedia quibus expugnantur morbi, in promtu haberent. Iſtas vero menthæ decimas non improbavit Chriſtus, ſed quod ſcrupuloſe minutorum olerum oblatis decimis, graviſſima divinæ legis præcepta negligerent, id vero in hypocritis temporum ſuorum Scribis atque Phariſæis damnavit, *Matth.* 23: 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis*, id eſt, ut cum aliis erudite explicat in *Commentario Janſenius*, quæ lex præcipue poſtulat, tanquam ipſum animum, internamque Dei ac proximi dilectionem ſpectantia, ſine quibus pietas conſiſtere non poteſt, & quorum comparatione omnes externæ obſervantiæ de ſacrificiis, de decimis, de cæremoniis leviora ſunt, & velut media reſpectu finis, de quo *Matth.* 12: 7. & *Mich.* 6: 8. JUDICIUM, id eſt, juſtitiam, qua cuique ſuum redditur: MISERICORDIAM, qua ex benignitate proximo ſuccurrimus conſilio, opera, opibus, etſi non debeatur ex Juſtitia. Itaque duo illa complectuntur univerſa officia erga proximum, quibus eum diligimus, ſicut nos ipſos; & FIDEM, in Deum, qua tanquam radice indicatur etiam ſpes & charitas: ſeu intelligitur fides in Deum, quæ per dilectionem operatur, & proinde id, quod reſpondet illi proximo præcepto: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Hæc ſcilicet graviora

viora legis, quæ ſpectant duo illa maxima præcepta, in quibus univerſa lex pendet & prophetæ, *oportuit facere*, ſcilicet ſumma cura præ cæteris omnibus, *& illa* de decimis menthæ & amethi *non omittere*. Ex quo quidam inferunt, illas viliſſimorum olerum decimas vere fuiſſe debitas Levitis, quia dicitur, *oportuit*. Sed facile reſponderi poteſt, vel illud *oportuit* poni, pro conveniebat, vel Chriſtum loqui juxta mentem Phariſæorum, ſcilicet ſi putarent, ea ex lege deberi. Quamvis vero ſuperficies Legis ea non videtur excludere dum dicit Leviticus: *Omnes decimæ terræ ſive de ſemine Domini ſunt*; videtur tamen rigor ille non fuiſſe intentus a Legiſlatore. Et idcirco quando illa eadem generalis ſententia, quæ habetur *Deut.* 14: 22. mox ibidem per partes explicatur, ſolum exprimuntur decimæ frumenti, vineæ, & olei, quæ alibi dicuntur communiter decimæ de area & torculari. Unde *S. Hilarius* dicit citra culpam præterire licuiſſe.

CAPUT NONUM.

Umbelliperæ, anethum, ruta, cuminum, coriandrum.

ANETHI decimationem an ſuperſtitio ſuaſerit? an vi legis præſtandæ in opus ſupererogatorium degenerarit? A Synedrio præceptam non meruiſſe reprehenſionem, ſi divinis legibus hominum ſtatuta non æquarentur vel præferrentur. RUTA decimata. CUMINUM a latendo cur dictum. De ſeminis ejus excuſſione. De Tritura Hebræorum. CORIANDRUM Hebræis Gad *vocatum ab inciſuris. Manna ut ſemen Coriandri. Syris Coriandrum* Carejan *a perfoſſo ſemine dictum.*

I. Anethum decimatum.

Anethum foliis & floribus fœniculi, ſeritur in hortis, in condimentorum atque medicum uſum. Decimas ejus dabant Scribæ & Phariſæi. *Matth.* 23: 23. de quibus diſputant Thalmudici in *Oketzim cap.* 3. *Mahaſer. cap.* 14. *Pea, cap.* 3. *Aboda Saraf.* 7. *col.* 2. Diſputatur an hortenſium ſeu olerum decimæ exigantur in lege, quæ præcipit decimam ſeminis, *vel proventus* terræ, & fructuum, qui

qui ex arboribus leguntur. *Levit.* 27: 30. *Omnes decimæ terræ, ex ſemine terræ, ex fructu arborum, DOMINI ſunt : res ſancta,* ſeu ſeparanda, DOMINO. Negant illud poſt Rabbinorum maximam partem *Beza*, *Druſius*, & in Exercitationibus Baronianis *Caſaubonus*, olerum decimationem non accerſentes altius, quam ab iſto ſeculo, quo ſuperſtitioni & operibus ſupererogatoriis indulgere cœptum eſt. Verum ita opinantibus adverſari videtur dictum Chriſti, de olerum decimis : *Hæc oportuit facere & illa non omittere.* Quæ ratio movit *Sixtinum Amamam*, ut de hoc loco ſic ſentiret, cum lege tamen reſiliendi, ſi quis meliora : Ad minimorum iſtorum præſtationem ex lege ipſos fuiſſe obligatos, eam tamen progreſſu temporis Judaicæ genti incubuiſſe cœcitatem, atque affectatæ pietatis ſtudium, ut cum minime fuerit, ipſi tamen Phariſæi, Chriſti ævo, pro ſupererogatoria eam habuerint. Nos cum illis facimus, qui exiſtimant Synedrium, ſive Judaicam Synagogam cui recta jubenti æquum erat obedire Judæos, olerum decimationem in gratiam Levitarum ſanciviſſe, neque improbaſſe Chriſtum cumulatam miniſtris Dei beneficentiam, reprehendere autem Phariſæos, quod hominum ſaltem decretis obtemperantes olera decimarent, præcipuo Dei mandato de judicio, miſericordia & fide neglecto. Ad menthæ, anethi & cumini decimationem *Lucæ* XI: 42. etiam Rutæ & cujusvis oleris decimatio additur: *Væ vobis Phariſæis, qui decimatis mentham & rutam, & quodvis olus, ſed præteritis judicium & charitatem Dei.* Solicite præſtatis officia leviora, quæ ſpeciem præbeant accuratiſſimæ beneficentiæ, miniſtris Dei paupertatem ſuam levantis. Ea autem, quæ graviora ſunt legis, judicium, id eſt, congruam divinis legibus juſtitiam, & dilectionem Dei ex toto animo profectam, negligitis. Hæc autem graviora ſcilicet legis præcepta, oportuit facere; illa autem leviora de oleribus decimandis bonam ob cauſam a ſuperioribus mandata, non oportuit omittere.

II. CUMINUM.

Hebraice כמון, in omnium fere gentium linguis nomen ſervavit. Derivatur autem a Syriaco verbo כמן, id eſt latuit, quod etiam ſonat Arabicum كمن *Camana.* Cauſam adpellationis illi dicant, qui totos ſe ad inveſtigationem naturæ contulerunt. Si au-

autem conjectura mihi licuerit augurari, Syros dixerim id nomen Cymino impoſuiſſe, quia, ut latius proveniret cum maledictis & probris ſerebant, imprecantes ut LATEAT, aut ne exeat. Imprecationibus autem convitiisque ſeri cuminum in *Sympoſiacis Plutarchus* prodidit; ſicuti opium lætius provenire ait proculcatum extritumque. De ſeminis excuſſione *Jeſ.* 28: 27. *Non tribula trituratur melanthium, aut rota plauſtri ſuper cyminum datur: ſed baculo excutitur melanthium, & cyminum virga.* Tribus modis Judæi frumenta excutiebant, ungulis boum & ploſtellis, & virga ſeu fuſtibus. Trituram boum Moſes tangit *Deut.* 25: 4. & Paulus 1 *Cor.* 9: 9. & ad eam, alluditur *Michæ* 4: 13, 14. *Surge & tritura filia Sion; nam ferreum faciam cornu tuum, & ungulas tuas chalybeas, quibus populos multos comminues.* Quomodo ploſtellis trituraverint Veteres Varro expoſuit de re ruſtica libro primo: E ſpicis in aream ſecerni grana oportet; quod fit apud alios jumentis ac tribulo. Id fit e tabula lapidibus aut ferro aſperata, quæ impoſito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat e ſpica grana, aut ex aſſibus dentatis cum orbiculis, quod vocant ploſtellum Phoenicum. In eo quis ſedeat atque agitet, qua trahunt jumenta, ut in Hiſpania citeriore, & aliis locis faciunt. Judicum ſexto vſ. 11. Gideon virga vel baculo, excutiebat frumenta in torculari. Id enim proprie חבט notat. Hinc Græci ῥαβδίζειν σίτον ἐν λίνῳ. Et *Ruth* 2: 17. *Et collegit in agro ad veſperam usque, & virga excuſſit, quod collegerat. Boch. in Hierozoico.*

Frugum vero vel herbarum infirmiora ſemina, ut melanthii vel nigellæ & cumini, baculo tantum vel virga excuſſerunt. Senſus igitur verborum Jeſaiæ: Ut agricolæ mitius agunt cum grano teneriore, durius cum duriore: ita Deus, qui cuncta dirigit ad hominum ſalutem pro natura & moribus eorum, cum aliis agit clementius, alios cruce preſſos tractat aſperius, leniore ſcilicet correptione, parum effecturus.

III. Coriandrum.

Hebraice GAD vocatur. Itaque vertunt Κόριον, & Thargum Hieroſolymitanum & Chaldæus interpres Jonathan *Cusbar*, & Arabs Erpenianus كزبر *Cozboron*, per quam vocem & Kimchius *Gad* etiam interpretatur; Aben-Ezra autem, quid ſit ignorare

ſe fatetur. Coriandrum herba eſt caule exili, ſesquicubitali, ramoſo, folio adianti (quod propter hanc ſimilitudinem *Cosborath-albiron* Coriandrum fontis Arabice dictum) odore tetro & odioſo, ſemine odorato, rotundo & ſtriato, intus pene cavo & inani. Hoc Mannæ comparavit Moſes: *Manna ut ſemen Coriandri erat, & color ejus, ut color margaritarum. Num.* XI: 7. *Erat quaſi ſemen Coriandri, album, & ejus ſapor velut epichyti ex melle. Exod.* 16: 31. Referunt ſimilitudinem Interpretes ad magnitudinem & rotunditatem, quod ſpeciem manna præbuerit granulorum ſubtilium, in morem granulorum coriandri. Sed plus dixit Moſes, cujus mens ex ipſius nominis GAD origine repetenda eſt. GAD dicitur ab inciſuris, quæ etiam vis congeneris vel cognatæ vocis גדודות, id eſt inciſiones, *Jerem.* 48: 37. & גדודים, liræ vel agrorum ſulci, aratro inciſa terra. Semen quippe coriandri, quod in more globuli effigiatur, ſtriatum eſt, lineolisque pluribus parallelis per ſuperficiem ad duo centra concurrentibus diſtinctum; inter has lineolas relinquit parvulas quaſi liras, quæ inciſæ vel exciſæ videntur. Græcis vetuſtioribus ex alio argumento κόριον, barbaro & a Syris mutuato vocabulo, qui כרין dicunt perfoſſa ſemina. Talia enim ſunt coriandri, intus fere cava & a vermibus quaſi perfoſſa. His obſervatis completior & perfectior mannæ deſcriptio ex prophetæ verbis reſultat: Manna erat ut ſemen coriandri, in exiguos globulos figuratum, ſuperficie liris ſtriisque pluribus diſtincta, quæ æqualibus ſpatiis diſtantes ad oppoſita centra excurrunt: colore autem a coriandro diverſum unionum ſcilicet ſeu margaritarum candorem retulit, ſaporem epichyti ex melle.

CAPUT DECIMUM.

PANACES HERACLEUM.

PANNAC, apud Ezechielem non eſt caſia, non balſamum, non Phænicia, ſed Panax ſive Panaces Heracleum. Deſcriptio Panacis ex Dioſcoride. Succus eodem nomine dictus. Vires Panacis ab antiquis authoribus prædicatæ.

I. PAN-

I. Pannag apud Ezechielem est panax.

Ezech. 27: 19. *Ex Judæa & regione Iſraelitarum mercatores tui: Tritico Minnithæ & Panace melleque & oleo & reſina negotiabantur in emporio tuo, Tyre.* Vocem פנג, quam Panacem verto, Seniores caſiam reddunt, balſamum Hieronymus, item Joſephus, Gerionis filius, libro de rebus Judæorum, & *Rabbi Joſeph Sacerdos* apud Salomonem, cujus verba citat *Bochartus*, qui eandem ſententiam probat. *Geogr. Sacr. p.* 361. Chaldæus *Kolija* Græca voce, quam interpretatur Heſychius τρωγάλια, bellaria ex melle. Junius & Tremellius, quos, ut ſolet, Piſcator ſequitur, Phœniciam. Nullus horum, ut opinor, recte divinavit. Nec enim eſt Caſia, nam caſiæ ſuum nomen eſt; neque balſamum, quia in hortis regiis plantatus balſami frutex, nihil plebi ad mercatum reliquerat, & generali nomine צרי Opobalſamum notatum; nec bellaria ex melle, merces vulgatiſſima, quam Tyrii & Græci mercatores domi parare poterant; nec denique Phœniciam Pannag ſignificaverit, quod inſcite Ezechiel ſcriberet, Iſraëlitas triticum Phœniciæ in Phœniciam ad nundinas ſcil. Tyrias attuliſſe. Adde quod Phœniciæ vocabulum ortum ex conjunctis פה־ענק, id eſt, locus Hanakitarum, ut in Onomaſtico noſtro docuimus. Pannag, niſi magnopere fallor, eſt Panax vel Panaces, vox Græcæ, vel Syriacæ originis, ad Græcam etymologiam aptata, quo videatur ipſo nomine omnium morborum remedia promittere.

II. Panacis descriptio.

Panaces audit Heracleum, quod apud Dioſcoridem ferula dicitur, foliis in terra jacentibus aſperis, herbacei coloris, multum ad ficulnea accedentibus, in ambitu quinquepartito diviſis: caule, ut ferulæ, altiſſimo, qui lanugine quadam incaneſcit, foliis etiam minutioribus obſitus: muſcariis, *id eſt*, *umbellis*, ceu anethi in cacumine, flore luteo & ſemine odorato ferventeque. Radices habet multas ab origine una, candidas, graveolentes, craſſi corticis, & ſubamari guſtus.

III. Panacis succus.

Succus ex radice & caule expreſſus opopanax dicitur, &, ut

 ex

ex Plinio conſtat, Panace, vel Panaces. Quod enim de Panace tradit *Plinius*, uvam paſſam podagricis cum panace mandi, *lib.* XXVI. *c.* I. ipſam tormina diſcutere, *lib.* XXVI. *c.* 8. Iſchiadicos panace poto ſanari, *lib.* XXVI. *c.* 9. Ruptis convulſisque, & ex alto dejectis mederi potu, *lib.* XXVI. *c.* 14. id omne de Panacis Heraclei ſucco prædicat *Dioſcorides lib.* III. *c.* 48. Sic & Ezechiel vates nomine *Pannag* liquorem ferulæ notavit, ex more eorum, qui fruticem & ſuccum balſami ſive opobalſamum balſami nomine adpellarunt.

IV. VIRES PANACIS AB ANTIQUIS AUTHORIBUS LAUDATÆ.

Nec eſt cur viliorem Panacem cenſeamus, quam quæ in foro Tyri nundinario celeberrimo væniret. Conſtat enim & DIS inventoribus olim adſcriptam, & velut exquiſitum remedium, quo innumeri morbi evicti propulſatique, deſideratam fuiſſe. Fidem dictis fecerint, quæ de viribus ejus tradit *Dioſcor. lib.* 3. *cap.* 48. ubi hæc de panacis Heraclei ſucco leguntur: Excalfacit, mollit, extenuat: horroribus febrium, circuitibusque, vulſis, ruptis, laterum dolori, torminibus, ſtillicidio urinae, convenit. Contra veſicæ ſcabiem ex aqua mulſa, aut vino bibitur: menſes trahit, fœtum enecat. Inflationes, quæ vulvam male habent, duritiasque ex melle dilutus, diſcutit. Iſchiadicis illinitur acopis, & capitis medicaminibus admiſcetur: carbunculos rumpit. Podagricis cum uva paſſa illitus ſubvenit: dolore dentium liberat, cavis inditus: oculorum aciem illitu excitat. Ex eo, & pice optimum fit emplaſtrum contra beſtiarum morſus, quæ in rabiem efferuntur. De eodem *Galenus lib.* VIII. *ſimplic. medicament.* Panaces Heraclium, ex hoc fit vocatus opopanax, radicibus ejus & caulibus exciſis. Porro opopanax ipſe longe eſt ad plurimos uſus aptiſſimus, utpote excalfaciens, emolliens & digerens; ponatque ipſum quispiam in calfaciendo tertii ordinis, in deſiccando vero ſecundi. Cortex radicis exſiccatorium ſimul & excalfactorium eſt medicamentum, ſed minus quam ſuccus; Quare eo quoque utimur & ad oſſa denudata & ad ulcera maligna & contumacia. Sufficienter enim talia carnem procreant, ſcilicet abſtergendo ſimul & deſiccando, nec ita magnopere excalfaciendo, quæ omnia ad carnem generandam neceſſaria ſunt. Et *Plinius* paſſim: Tormina diſcutit quodcunque Panaces & vetonica. *lib.*

XXVI.

xxvi. *c.* 8. Comitiales ſanant Panacis, quam Heracliam diximus, radices potæ cum coagulo vituli marini. *lib.* xxvi. *c.* 2. Panacis omnium generum radices, peculiariter longinquis morbis & ſemen interaneorum vitiis medentur *lib.* xxvi. *c.* 11. Malorum, quæ totis corporibus ſanantur, remedia Panacis omnium generum radices. *lib.* xxvi. *c.* 11. Ulceribus panacis omnium generum radix ex vino calido illinitur manantibus. *lib.* xxvi. *c.* 15. Panaces Heracleon, omnia vulnera ferro illata efficaciſſime ſanat. *lib.* xxv. *c.* 4.

CAPUT UNDECIMUM.

Melanthion seu nigella, et centaurium.

KETSACH plerique reddunt Melanthion, ſive nigellam. Tribula non trituratur. Symbolum eſt Dei non tentantis hominem ſupra vires. Lechem *frumentum quoque ſonat. CENTAURIUM* Roſch *Hebræis vocatum propter felleam amaritiem: non eſt cicuta, quæ nihil fellis vel amaritudinis habet; Cum afflictione comparatur: Floret per porcas agrorum.*

I. Melanthion.

קצח herbæ vocabulum *Jeſa.* 28: 25. Melanthion Seniores reddunt; & Rabbi Salomon, authorque Lexici Aruch ſemen eſſe tradunt ſimile cumino, niſi quod nigrum ſit. Cum Græcis ſentiunt Vulgatus, qui Gith interpretatur, Junius, Tremellius, Piſcator, Arias Montanus, Pagninus, Vatablus, Buxtorfius, Schmidius Argentoratenſis. Eſt autem *Gith* ſeu Melanthium, quod exilibus ſurculis fruticat, ſæpe binos dodrantes excedens: foliis ut Senecionis minutis, ſed multo tenuioribus: capitulo in cacumine tenui, parvo, ceu papaveris, oblongo intercurſantibus intus membranis, quibus ſemen includitur nigrum, acre, odoratum, quod panibus inſpargitur. Frugibus id annummeravit *Auſonius:*

Eſt inter fruges, morſu piper æquiparans, Gith.

Locum *Jeſaiæ* 28: 24. 25. 26. 27. ubi ter legitur, integrum explicare,

plicare, non pigrabor. *An totum diem*, id eſt, omni tempore *arat arator ad ſeminandum: ſuccans & occans* indeſinenter *terram ſuam?* vſ. 25. *Annon, quum æquavit* cratibus vel occa, *ſuperficiem ejus, aut ſpargit melanthion cuminumque ſerit, aut deponit triticum præſtans*, vel *hordeum* inſigne, vel ſpeltam in termino ſuo, *vel in terra ſua?* vſ. 26. *& caſtigat illud* demeſſum, id eſt, a paleis & aceribus purgat, *ad eam rationem, quam Deus ejus eum docuerit*, per naturæ lumen vel experientiam. Nam & *agricultura Dei donum eſt, DIS etiam inventoribus* a paganis adſcripta. vſ. 27. *Nam nec tribula trituratur melanthium, nec ploſtelli rota ſupra cuminum volvitur, baculo melanthium, & cuminum virga verberatur.* vſ. 28. *Panis vero*, id eſt frumentum, quod majorum ſeminum, *comminuitur*, ſive teritur. Sed & hoc moderate, *nec enim perpetuo aut ſine mora trituratur, nec ploſtelli ſui rota quaſſum ab equis comminuitur.* לחם verſu 28. ſumitur pro *frumento*, ut *Eccleſ.* 11: 1. *Jeſ.* 30: 20. *Pſal.* 104: 15. *Job.* 28: 5. *ut frumentum Thren.* 2: 12. *& Zach.* 9: 17. *pro pane*. Senſus a propheta dictorum: Licet agricola omnem operam ponat in colendo ſeminandoque agro, tamen, poſtquam ſata maturitatem adepta demeſſuit, alia virgis baculisque flagellat, alia ploſtellis terit, pro natura ſcilicet ſeminis, modum undique tenens: Ita Deus poſtquam colendis plantandisque hominibus omne ſtudium impendit, ad maturitatem ſuam perductos mitiori alios urget caſtigatione, alios aſperiore exercet, cum omnibus autem moderate agens, modumque caſtigationibus & tentationibus fidelium figens, quia non ignorat vires noſtras. *Fidelis eſt Deus, qui non ſinet vos tentari, ſupra id quod poteſtis, ſed una cum tentatione præſtabit etiam exitum, ut poſſitis eam ſufferre.* 1 *Cor.* 10: 13.

II. CENTAURIUM ראש.

Hoſ. 10: 4. *Loquuntur verba execrando falſo, pangendo fœdus; & floret ſimile centaurio judicium per porcas agrorum meorum.* ראש, centaurium minus vocatur, a felle, propter inſignem ejus amaritiem. Hoc centaurium, inquit *Plin.* XXV. *c.* 6. noſtri fel terræ vocant, propter amaritudinem ſummam. Ea non radici tantum ineſt, ſed totam inficit plantam: ideo & Germanis erd gall/ & Hiſpanis *Hiel de tierra*, & Gallis *fiel de terre* vocitatur. Clariſſimus Interpres qui ראש cicutam expoſuit, in mentem non revocavit,

vocavit, quod hoc nomen, (ſicubi capitis aut principis ſignificationem reſpuit) fel, acerrimæ amaritudinis ſuccum ſonat, eaque propter cum abſinthio conjunctum & ſociatum. Cicuta autem, ut rei herbariæ peritis notum, amara non eſt. Cum abſynthio conjungitur *Deut.* 29: 18. *Ne ſit in vobis proferens fel aut abſinthium. Thren.* 3: 19. *Dum recordor afflictionis meæ & ploratus mei, abſinthii & fellis*, id eſt felleæ amaritudinis. *Amos* 6: 12. *Mutaſtis in fellis amaritudinem judicium, & fructus juſtitiæ in abſinthium.* Neque pugnat cum ſententia textus ſacri, ſi etiam in ſequentibus *Roſch* pro fellis nomine capias. *Deut.* 32: 32. 33. *Uvæ eorum fel: botri eorum ſunt amariſſimæ. Venenum Draconum eſt vinum eorum, fel aſpidum ſævum. Job.* 20: 16. *Fel aſpidum ſuxerit*, id eſt, amarum ſentiet animum, quod etiam volunt LXX. per θυμιὸν δρακόντιον, iram draconum. *Thren.* 3: 5. *Fellis amaritudo & fatigatio cingit me. Pſal.* 69: 22. *Dederunt in rejectione mea fel, & in ſiti mea bibendum dant acetum*, quæ interpretatio firmatur vaticinii hujus complemento, *Matth.* 27: 34. Non abs re igitur *Roſch* apud Hoſeam in centaurium vertimus, illud ſcilicet, quod minus cognominant, herbam alias omnes amaritudine ſuperantem. *Florere*, ait Deus, *ſimile centaurio judicium per porcas agrorum ſuorum.* Porca agrorum terra eſt, inter duos ſulcos elata. *Varro libro quarto:* Ab eo, quod aratri vomer ſuſtollit, ſulcus: quo ea terra jacta, (id eſt, porrecta) porca. Similiter Kimchius: בקעי החדישה יקראו גדודים והגבוה יקרא תלם *Judicium*, Hebraice משפט, ſunt ſtatuta legesque humanæ, & falſa doctrina, quæ loco judiciorum, legum & ſtatutorum Dei, tradebantur. *Floret ſimile centaurio*, provenit, germinat, viretque & augetur falſa doctrina & divinis contrariæ leges, ut centaurium, *per porcas*, elatiores partes, *agrorum meorum*, in animis principum ac Sacerdotum populi mei, qui judicium Dei, verbum ejus, in fel converterunt, *Amos* 6: 12.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

DE CICHORIO, LACTUCA, ET HEBRÆORUM MERORIM.

MERORIM ſunt Picrides. In quarum genere ſunt Chazereth *lactucæ peſſimum genus: Intubum, ſeris vel Cichorium: Thamca, marrubium vel Gingidion: Charchobenim chamæleones. Ratio præcepti de veſcendis in Paſchate picridibus.*

I. DE HERBIS HEBRÆIS MERORIM DICTIS.

Azymos panes jubentur Iſraëlitæ comedere cum מררים *Merorim*, *Exod.* 12: 8. Quid hac voce inſinuetur, non potuerant ignorare Iſraëlitarum poſteri, qui paſchatos feſtum etiam in exiliis ſuis ad hunc uſque diem celebrarunt. Ex Judæorum vetuſtiſſimis monumentis, nec non eſu atque uſu ciborum, quibus iſta gens in paſchate veſcitur, intelligere licet, herbarum, quæ amaritudine ab aliis diſtinguuntur commune, vocabulum eſſe, neque ullam earum ſpecialiter *Merorim* adpellari. Igitur amaris plurimis hoc nomen imponunt. Piæ cæteris afficiuntur eo, חזרת עולשא תמכא חרחבינין. Quam primo loco recenſui חזרת, lactuca eſt, cujus plurima genera tradidit Plinius, peſſimum autem, quod cum exprobatione amaritudinis appellavere picrida. עולשא, Intubum, cichorium vel ſeris & ipſa inter amaras herbas vel pieridas numerata. *Dioſcorides*: Σέρις ἀγρία καὶ ἥμερος, ὧν ἡ μὲν ἀγρία πικρὶς ἢ καὶ κιχώριον καλουμένη, intubum vel ſilveſtre vel ſativum eſt; ſilveſtre eſt picris, quæ etiam cichorium dicitur. Actio utrumque cichorium intubi nomen habet, ſed ſolum agreſte picris vocatur. Σέρεις vel intuba apud Suidam genus oleris, quod apud nos, inquit, ſerica vocatur, ab aliis picrides: & his omnibus longe antiquior *Theophraſtus Hiſtor. lib.* VII. *cap.* II. πικρίδα inter τὰ κιχωριώδη ponit. Cichorium hoc herbarum Scriptoribus etiam vocari heliotropium cæruleum ſolet. Ratio nominis, quod flores ejus nunquam non ſoli obvertuntur. *Plinius lib.* 22. *cap.* 21. Heliotropii miraculum ſæpius diximus, cum ſole ſe circumagentis, etiam nubilo die: tantus ſideris amor eſt. Noctu velut deſiderio contrahi cæruleum florem.

Et

Et *libro* 18. *cap*. 27. Cur cœlum intuearis agricola? cur ſidera quæras ruſtice? jam te breviore ſomno feſſum premunt noctes. Dedi tibi herbas horarum indices, & ut ne ſole quidem oculos tuos a terra avoces, heliotropium & lupinum circumaguntur cum illo; cur etiam anno altius ſpectas, ipſumque cælum ſcrutaris? תמכא, legitur in *Peſach cap*. 2. & *in Thargum*, *Exod*. 12: 8. Marrubium id explicat *R. Salomo*, a quo diſſentiens *Majemonides* intybi hortenſis ſpeciem facit. Marrubium herba eſt modice hirſuta, albicans, virgulis quadratis, folio pollicis magnitudine, quaſi rotundo, hirto, rugoſo, guſtu amaro. Semen & flores aſperi, quadam verticillorum ſpecie cohærentes, per intervalla caules coronant. In Gem. Thalm. *Hieroſ. Peſach*, *cap*. 2. *Thamca* exponitur per Gingidion, quod *Dioſcoridi* eſt herbula ſilveſtri paſtinacæ ſimilis, tenuior & amarior, radice parva, candicante, ſubamara, *lib*. 2. *c*. 167. & *Plin*. 20. *c*. 5. quæ deſcriptio, ſi Ruellium audimus, Chærefolio omnino congruit: *Si Matthiolum*, Gingidium non eſt Chærefolium: Eſt, inquit, Gingidium paſtinacæ ſilveſtri haut abſimile, amarius tamen, caule ramoſo, rotundo, ſesquipedali, ſtriato, ſubnigricante, geniculatoque, umbella in cacumine alba, minoribus circumquaque comantibus foliis, ipſisque laciniatis: e floribus ſemen prodit, quo matureſcente, umbellæ in ſeſe contrahuntur, ut in paſtinaca, & tactu glutinoſæ ſentiuntur. Radicem habet candicantem, palmari longitudine, ſubamaro ſapore. Copioſum in Syria provenit, unde in Italiam advectum ſemen jam in hortis ſeritur. *Comment. in ſecundum Dioſc. pag*. 401. חרחבינין *Charchobinin*, ut *Majemonides* & Thalmudis Interpres, *Bartenora*, volunt, ſunt Arabum القراصين *Alkerratzina*, id eſt, Chamæmelones, quæ & anthemis, Germanis Chamillen, vulgo notiſſima herba. A Rabbinorum mente non deſciſcunt aliorum veterum expoſitiones. Septuaginta *Merorim* reddunt πικρίδας, *Exod*. 12: 8. Καὶ ἄζυμα ἐπὶ πικρίδων ἔδονται, *panes non fermentatos cum picridibus comedant*. Vaticana Bibliorum tranſlatio habet, *& azyma ſuper picridibus?* Sanctus quoque *Cyprianus*, *cum picridibus* legit. Nimirum & his Scriptoribus videbatur, generale nomen, amaritudinem recipientium herbarum fuiſſe *Merorim*. Paropſides appellarunt Græci: Quibus veſci apud *Eubulum in Amalthæa* Hercules recuſat his verbis:

Κἀγὼ γὰρ ȣ̓ καυλοῖσιν, ȣ̓δὲ σιλφίῳ
Ὀυδ᾽ ἱεροσύλοις καὶ πικραῖς παροψίσι
Βόλϐοις τ᾽ ἐμαυτὸν χορτάσων ἐλήλυθα.

II. PRÆCEPTUM DE PICRIDIBUS VESCENDIS.

Præcepti de veſcendis picridibus ratio erat, ut ſe eo argumento Judæi ab acerba & amarulenta ſervitute redemtos cognoſcerent, eoque amplius Dei liberatoris gratiam celebrarent. Nos autem admonemur, ut, ſi cum Agno paſchali & pane vitæ, Jeſu Chriſto, quædam etiam picrides & lactucæ amaræ, præponantur guſtandæ, in patientia acquieſcamus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

CUCUMERES ET PEPONES אבטיחום קשאים
Num. XI: 5.

Cucumerem a duritie concoctionis Hebræi adpellarunt. Pepones Abattichim *dicti. Melones. Melopepones. Iſraelitæ, qui nauſeantes ad cœleſtem cibum, pepones & cucumeres præoptarunt, imago ſunt eorum, qui Dei verbum faſtidientes terreſtria ſapinat.*

I. קשאים KISCHUIM.

Cucumis Hebræorum lingua קשוא, Arabum vero قثا *Kattſæa*, ejusdem originis, a difficultate ſcilicet concoctionis indito vocabulo. *Dicuntur* קשאים, *quia ſunt* קשין *difficiles ventri ad concoquendum, inſtar gladiorum. Aboda Sara, fol.* 11. *&* 29. *a.* Dioſcorides etiam σίκυον ἥμερον difficilius in ſtomacho corrumpi ait. Quod proprium cucumeris, *quem vivere hauſtum in ſtomacho*, dicit Plinius, *& durare in poſterum diem*; adeo eſt moroſæ digeſtionis. קשאים Onkelos, Chaldæus interpres, per בוצינא reddit, nec aliter cucumerem vocant Thalmudici: *Botzinæ*, i. e. *cucumis præſtat cucurbitæ*, in extremo tractatus Succa, ubi Gloſſator *Bartenora. Modicum, quo frui datur præſtat copiæ, quæ ſperatur.* Idem nomen obvenit in proverbio: איהו בקרי ואתתיה בבוציני. Ipſe cucurbitis, & uxor ejus cucumeribus, delectatur. Er zubricht Krüge / nnd ſie häfen.

II. אבשחים

II. אבטיחים abattichim.

Jam quos אבטחים Hebræi & Arabes cognato nomine vocant, Græcis Latinisque dicuntur *Pepones*, cibus quem Iſraëlitæ in ſuaviſſimis cenſentes, in deſerto cum impio murmure contra Deum deſiderarunt, noſtris quoque menſis haut incognitus. Sub uno cucumerum genere veterum quidam comprehendunt Pepones, & Melopepones, quos hodie contracta voce *Melones*, antiquiſſimos autem Græcos σικυὺς σπερματίας, vocaſſe, probat *Salmaſius*, *Synon. Hyl. Iatr. p.* 37. Cum ubi ſumma, inquit, duo genera apud *Palladium* nominantur, cucumeres & melones, quæ hodieque diviſio generalis obtinet, atque eadem etiam, ut quidem opinor ſignificatione. Fruſtra enim ſunt, qui melones, quos ſic vocamus, diverſos putant a melonibus *Palladii*. Iidem autem illi ſunt cum veterum Græcorum melopeponibus. Auctor Georgicarum Eclogarum Graecus, ſimiliter, horum generum diviſionem, inter hæc duo conſiſtere facit nomina, τὺς σικυὺς, καὶ τὺς μηλοπέπονας. Idem probat ex Diphilo antiquo apud *Athenæum* medico, & ex Columellæ de cucumere & pepone eruditis verſibus, *p.* 38. Quatuor autem ait eſſe præcipua ac propria, quæ melonem hodie uſitatum χαρακτηρίζυσιν & a cucumere diſtinguunt, odor, ſapor, ſemen numeroſum, & forma: colorem adde ſi vis quintum. Hæc cum omnia reperiamus in antiquis melopeponibus, ac peponibus, nemo jam tam duri capitis inveniatur, qui inficiari poſſit, quin melopepones veterum ac noſtri iidem ſint. Facultas etiam rei non leve præbet argumentum, Cucumis inſalubris a veteribus traditur, pepo ſive melopepo ſalubris. *Columellæ* cucumis morbos æſtatis exacuit: is, quem pro pepone deſcribere vult, ægris utilis. Igitur in *Exercitat. Plinian. p.* 673. Qui guſtum inquit, hodie ſuum, ac palatum tantum conſulunt, credere nequeunt, veteribus in deliciis & amoribus non fuiſſe melonem. Et ex eo, quod inter delicias ciborum, non legunt recenſeri τὸν μηλοπέπονα, perſuadent ſibi μηλοπέπονα non eſſe melonem. Quid de citreo malo dicent iſti? Hodie habetur in manibus, in menſis; manditur, commendatur, non odore tantum, ſed etiam cibo. Antiquis execratum odore plerisque fuit, apud omnes fere cibos abdicatum. Iſraëlitæ, qui mannam cœleſtem cibum nauſeantes, cucumeres peponesque in Ægypto a ſervienti-

 bus

bus comeſtos deſiderarunt, imaginem referunt eorum, quibus ex Satanæ captivitate liberatis, Dei verbum aſſidue prædicatum, ſordere cepit, quique eo contemto, vel carnalem, ſapientiam vel carnis & ſeculi hujus voluptates ſectantes, non operantur cibo, qui permanet in æternum, ſed iſti, qui perit. *Joh.* 6: 27.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SINAPI.

Græci, ut in etymologiis fere ineptiunt, ita in explicatione vocis Sinapi. Sinapi Syriacæ originis ſonat odium naſi. Regnum cœleſte ſimile grano Sinapis. Ex minimo ſemine in arboream creſcit altitudinem. Quod mirum, fieri etiam in malorum pirorumque & Cupreſſi ſeminibus: Item in aſparagis Getuliæ, in milio & ſeſamo, in fœniculo regni Tambout. Proponitur ſententia eorum qui Chriſtum exiſtimant Sinapis ſemen cum Evangelio comparaſſe. Idem Sinapis granum & fidei aſſimilatur miraculoſæ. Matth. 17: 20. *Quid de hoc loco ſenſerit Author Harmoniæ in Uſſerii libris repertae?*

I. VOCIS SINAPI, ETYMOLOGIA.

Græci, qui fere in etymis horum nominum explicandis errant, in Sinapios quoque etymo explicando nihil ſolidi attulerunt. *Athenaeus libro* IX. *Dipnoſ. p.* 307. Nullus, inquit, Atticorum Sinapi dixit, Νάπυ enim enunciare ſolebant. Utrique vero ſua eſt ratio & interpretatio. Νάπυ etiam quaſi νάφυ dicitur, quia φύσεως ἐςέρηται, vel ἀφόη, i. e. quia ob parvitatem natura privatum ſit, (vel quod ob puſillam molem non eſſe, aut vix eſſe credatur.) Sinapi vero, ὅτι σίνεται τὰς ὦπας τῇ ὀδμῇ, quia olfacta lædit oculos, ut & κρόμμιον, id eſt, cepa, ὅτι κόρας μύομεν, quia oculos claudamus, quum admovetur. Quodnam igitur nominis hujus veriverbium? Nos, ut multa alia plantarum vocabula, Sinapi Syriaco ſermoni vendicamus, in quo dicitur סנא אפא, id eſt, *Odium naſi*, vel *hoſtis narium*; quod ignea vi & acrimonia ſemen ejus nares vellicet, & cerebrum apprehendat, lacrymas excutiendo, nullo aſperrimi ſaporis prævio odore.

II. RE-

II. Regnum coeleste simile grano sinapis.

Dominus incrementum regni ſui ſignificaturus *Matth.* 13: 13. 31. utitur ſimilitudine grani Sinapis. *Simile*, inquit, *eſt regnum cœlorum grano Sinapis, quod acceptum ſevit quiſpiam in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnium ſeminum, quum autem excreverit maximum eſt olerum, & arboreſcit, adeo ut veniant volucres cœli, & nidulentur in ramis ipſius.* Reperiuntur utique multa alia ſemina, quæ minima ut ſint, in majorem altitudinem extolli videas, quam Sinapi. Ita Plinius de Cupreſſi ſemine: Minimis id granis conſtat, ut vix perſpici quædam poſſint; non omittendo naturæ miraculo, e tam parvo gigni arbores, tanto majore tritici & hordei grano, ne quis fabam reputet. Quid ſimilis originis ſuæ habent malorum pirorumque ſemina: his principiis reſpuentem ſecures materiam naſci, indomita ponderibus immenſis præla, arbores velis, turribus muriſque impellendis arietes? Hæc eſt naturæ vis, hæc potentia. *Hiſt. Nat.* XVII. 10. In Libyæ Getulia, inſtar arundinis Cypriæ, fama eſt craſſeſcere aſparagos, aſſurgereque ad cubitos circiter viginti: at in montoſis & vicinis Oceano locis regionis, ad ferulæ magnæ craſſitiem (πάχος μὲν μεγάλων ναρθήκων) augeſcere ad viginti cubitorum proceritatem. *Athenæus Dipnoſoph. lib. ſecundo pag.* 62. In quam autem altitudinem, inquit *Herodotus libro* I. milium & ſeſamum, arboreſcant, etſi probe norim; tamen non referam; quum ſciam, iis, qui nunquam Babylonicam adierunt regionem, quæ de frugiferis dicta ſunt, perquam incredibilia viſum iri. *Scaliger Exercit.* CXLVI, *p.* 423. In regno Tombut, quod eſt Æthiopiæ occidentalis, agreſte fæniculum, ad eam provehitur magnitudinem, idque roboris nanciſcitur, ut ab incolis ex eo ſtipite arcus fiant. In Macheruntis regia, ut auctor eſt *Joſephus*, Ruta fuit mirabilis magnitudinis, ἄξιον τοῦ μεγέθους θαυμάσαι, a nulla enim ficu, vel celſitudine, vel magnitudine, vincebatur. *De bello lib.* 7. *c.* 22. Sinapi autem arboreſcentem nobis & Rabbini pingunt. *R. Simeon ben Calaphtha* dixit: Caulis Sinapis erat mihi in agro meo, in quam ego ſcandere ſolitus ſum, ita ut ſcandere ſolent in ficum. Caulis item Sinapis erat in Sichin, e quo enati ſunt rami tres: e quibus unus decerptus cooperuit tentoriolum figuli, produxitque tres cabos ſinapis. *Hieruſol. Peah fol.* 20. 2. Verum Chriſtus in hac

comparatione de planta loquitur indigena, & ea, quæ vulgaris ac ſolitæ proceritatis; neque tam ad altitudinem Sinapis, quam ad illius in adoleſcendo reſpicit celeritatem, ſcilicet, quod tantillum granum, tam exiguo tempore, tam paucis utique menſibus, in eam proceritatem & amplitudinem aſſurgat, quæ magnitudinem juſtarum arborum æmuletur; qua quidem re, ipſas piros, cupreſſos, quercusque, & robora vincit, quæ tardiſſime ſurgunt, ut quercum vulgo ajant, centum annos creſcere, centum alios conſiſtere, centum decreſcere.

Comparat autem Chriſtus celere Sinapis incrementum cum regno ſuo, quod ex parvo magnum futurum erat, ac validum, numero & opibus confitentium nomen ejus: multis etiam exteris locum & ſedem inter fideles figentibus, ut eorum pace & opibus fruantur. *Glaſſius Exegeſi Evangeliorum:* Hac ſimilitudine oſtenditur, quod regnum ſuum Chriſtus a tenuiſſimis principiis fuerit auſpicatus, adeo, ut vix Eccleſia & cœtus credentium adeſſe videretur; primo nimirum illo tempore cum Chriſtus & Apoſtoli in ſola Judæa Evangelium regni prædicarunt. Poſtea vero inſperati ſucceſſus facti, & Eccleſia virtute Spiritus divini in immenſum crevit, poſtquam per Apoſtolos Evangelium in totum terrarum orbem delatum, & gentes magna copia ad regnum Chriſti ſe aggregaverunt, ut de his vaticinia *Jeſāi.* 22: & 60: 4. *Mich.* 4: 1. & alia extant, quorum complementum in Actis Apoſtolorum, ut & *Rom.* 15: 19, 20. *Coloſſ.* 1: 6. & alibi deſcribitur.

Fuerunt etiam qui Chriſtum Evangelicæ doctrinæ aſſimilaſſe Sinapin exiſtimarunt, quorum mentem Janſenius explicat his verbis: Regnum cœlorum ſeu ipſa doctrina Evangelica comparatur grano Sinapis. Conditiones ejus mirificas breviter tangit *Plinius lib.* 19. *cap.* 8. *in fine:* Acerrimum ſapore, ignei effectus, ac ſaluberrimum corpori, Sinapi. Latius autem exſequitur *lib.* 20. *c.* 22. virtutem ejus, ad plerosque morbos curandos. Ex proprietatibus ejus *Auguſtinus Quæſt. Evang. lib.* 1. *qu.* 11. conſideravit fervorem & quod venena expellat. *Hilarius Canon.* 13. quod ſit acre ſemen, molle, minimum, cujus virtus preſſuris accenditur, nempe quia tritum vim ſuam exerit, ſicut Evangelium perſecutionibus. Quamvis iſta vera ſint, Chriſtus tamen ipſe ſimilitudinem explicat in eo ſitam eſſe: *Quod minimum quidem ſit in omnibus ſeminibus*, id eſt, unum ex minimis omnium; nam ſemen

rutæ

rutæ & alia nonnulla minora ſunt; *Cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus*, id eſt, maximum omnium, ſeu unum ex maximis omnium, ita ſcilicet ut fiat *arbor*, id eſt, arbuſcula. Ligneſcit enim ſtipes ejus, & in locis maxime calidis longe ſupra humanam aſſurgit proceritatem: *ita, ut volucres habitent in ramis ejus*, non tam nidulandi cauſa, ut quidam tranſtulerunt, (neque enim nidos in eis faciunt) ſed potius inſidendi & verſandi; multum enim delectantur granis ejus. Alteram ſimilitudinis partem ſupprimit Chriſtus; quaſi dicat: Ita & doctrina Evangelica, in mundo ſeminata, inter omnes doctrinas abjectiſſima erit, & minima, quantum ad pompam eloquentiæ, rationum naturalium apparatum, ſæcularem prædicantium auctoritatem, utpote Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitia. Sed ſemel ſparſa non ebulliet in folia & herbas, ſicut doctrina Philoſophorum, quæ nihil mordax aut vividum habet; ſed creſcet in arborem firmam, longe lateque fuſam; quia firmitate, ſoliditate, celebritate, æternitate, & ſectantium multitudine, omnes omnino doctrinas ſuperabit, ita ut volucres cœli, id eſt, reges & principes, vel quicunque ad cœleſtia ſubvolare volent, ſub umbra ejus victuri ſint. Idem ergo ſignificat hæc parabola, quod illa Danielis de lapide, qui crevit in montem implentem univerſam terram. Proprie enim hic ſignificatur Evangelii progreſſus a parvis initiis in prodigioſam magnitudinem.

III. Sinapis granum, fidei miraculosæ assimilatur.

Cætero Sinapis granum & Fidei comparavit Chriſtus, *Matth.* 17: 20. *Si tantum fidei habueritis, quantum eſt granum Sinapis, ſi dixeritis huic monti, migra iſthinc illuc, migrabit, nihilque non poteritis.* Loquitur autem non de fide juſtificante, ſed de fide miraculoſa, i. e. in patrandis miraculis exercenda, & ad illos, qui de miraculis edendis mandatum habuere, Apoſtolos. Spiritualiter etiam ad nos accommodatur Salvatoris verbum, ut tum transferre dicamur montes, cum altitudinem tentationum diabolicarum fide ſuperamus. Acuta magis quam ſolida eſt ſententiæ Chriſti explicatio, quæ legitur in Harmonia Evangelica in Uſſerii libris reperta, cujus Auctor granum Sinapis confert cum fide in Deum vera & ardente, Sycomorum, quæ nucleis carens

fructus

fructus edit dulciſſimos, nec fluctibus marinis, utpote terræ infixa, vexatur, Chriſto virtutibus fœcundo, & peccati labe pravæque concupiſcentiæ inſultibus vacuo; Diſcipulos comparat mari intempeſto, affectuum pravorum ſordes ſubinde ejicienti. Hos igitur vera fide præditos precari poſſe: O Vita Jeſu Chriſti, ades quæſumus, cum ramis, caudice & radicibus tuis, & in naturam te noſtram inſere, ut fructus edat, quos ipſe edidit Dominus! Ita vero futuros Chriſto quam ſimillimos, & hoc faciendum omnino ipſis, ſi vulgaribus Moſis diſcipulis vivere deinceps velint beatius.

CAPUT XV.

NARDUS DOMOSÆ VEL SPICATÆ RADICIS.

SUMMA.

Nardus, ſpicata radix eſt. Vera & ſincera ubi naſcatur? Optimæ ſignæ. Nardus hieroglyphicum fidei. Meſab *amplexum ſonat. Nardo diſcumbentium caput pedesque veteres ungebant. Nardinum unguentum Laodiceæ laudatiſſimum. Nardus adulterata. Maria Lazari ſoror, quo fine Chriſtum unxerit nardo?*

I. NARDUS SPICATA RADIX EST.

Nardum officinæ, nardi ſpicam appellant. At ſpica non eſt, quæ in culmorum ſummitate oritur, ſed radix, quæ ſpicæ figuram habet. Complures enim ab una baſi oriuntur ſpicæ, perinde ac in lilii aut allii radice, verum capillaceæ ac comoſæ, colore ferrugineo, plurimis una parte capillamentis, odore haut injucundo. *Matthiolus ad lib.* 1. *c.* 6. *Dioſc.* Quatuor plantæ nomen nardi geſſere, nardoque Indicæ cognomines extiterunt, cum tamen nihil haberent, cum illa nardo ſimile, niſi odorem. Saliunca, neris, phu, & aſarum. Prima ex his Celtica Nardus appellata, ſecunda Montana nardus, duæ ſequentes agreſtis nardi adpellationem nactæ ſunt. *Salmaſ. p.* 17. *Prol. Hyl. Jatr.*

II. VERA

II. Vera nardus ubi naſcatur quibusque ex signis cognoſcatur.

Vera & ſincera nardus eſt quam Indicam ſive Gangeticam vocat Dioſcorides, a Gange fluvio, apud quem enaſcitur. Optima, curta, levis, lanugine luxurians, ex flavo fuſca, recens firmaque & flagrans, ſapore ad radicem cyperi accedens. *Hermannus & Marxius ap. Valent. Hiſt. ſimpl. lib.* 11. *c.* 13. Nardus vel nardinum unguentum, quod optimum ſuaviſſimumque eſſe docet Athenæus, hieroglyphicum eſt fidei, qua in animis fidelium reperta, Chriſtus maxime delactatur.

III. Nardus fidei hieroglyphicum.

Cant. 1: 12. *Interea, dum Rex in circumdatione*, id eſt, in amplexu ſuo, *nardus mea edit odorem ſuum.* במסבו Junius & Tremellius reddunt *in accubitu ſuo*, id eſt in cœlis, dum Eccleſia peregrinatur a Domino. Sed ipſum מסב a סבב circumdandi verbo, (*Pſal.* 22: 17. 2 *Chr.* 4: 3.) deductum, circumdationem, vel, ut dicam latinius, amplexum ſonat, ideoque vertendum: *in circumdatione ſua*, quo etiam ſenſu accipiendum eſt 1 *Reg.* 6: 29. *Sed omnes parietes ejus fuerunt in circumdatione*, id eſt in amplexu, *cæſuræ, cum ſculpturis Cherubinorum, palmarumque & apertorum florum intrinſecus & extrinſecus.* & 2 *Reg.* 23: 5. *in oppidis Judæ, & in iis locis quæ circumdederunt Hieruſolyma.* Coccejus מסבו קלע reddit, *circumquaque cælavit*, contra dictamen accentuum. Penacutum enim eſt קָלַע, nec in præterito Cal, hoc ejus poſitu & hac forma, accentus retrahitur. Senſus dicti myſticus: Interea dum Regis Meſſiæ circumfundor amplexibus, dum propenſiſſimi amoris ulnis me circumdat, *nardus mea edit odorem ſuum*, fides & amor meus largiorem ſpirat odorem, undique diffuſum 2 *Cor.* 2: 14. *Philip.* 4: 18.

IV. Maria veterum more Christum nardo unxit.

Nardo etiam diſcumbentium caput pedesque, corpora item funeranda, antiquitus ungebant. Sic *Maria* Bethanenſis, non illa Magdalo oriunda Magdalena, Lazari & Marthæ ſoror, *accepta* libra unguenti Nardi *piſticæ, multi pretii, unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis, domus autem impleta eſt odore unguenti.*

ti. *Accepta libra unguenti*, quod incluſerat, ut Marcus memorat, alabaſtro, id eſt, pyxide ex alabaſtrite lapide, quem, inquit *Plinius lib.* XXXVI. *c.* 8. cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incorrupta dicitur. Βαρύτιμον ſeu valde pretioſum unguentum fuiſſe intelligitur tum ex pondere, quod libram implevit, tum ex loco, unde afferebatur. Illis enim temporibus, unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude confecerat, nec multo ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cepit fieri, quod commendaretur, & quod eſſet πιςικὸν aut ſincerum. Adulterari enim nardum potuiſſe, ſtibio cum aqua aut palmeo vino inſpiſſationis ponderisque cauſa inſpirato, *Dioſcorides* tradit *lib.* I. *c.* 6. *Plinius* autem adulterari ait, pſeudonardo, id eſt, *lavendula*, radice cypiri, cyperive radice, permixta & gummi ponderis cauſa, & ſpuma argenti & ſtibio. *lib.* 13. *c.* I. Unxit eo unguento pedes Jeſu, quod utpote liquidum, ut ſcribit D. Matthæus, ſuper caput diſcumbentis, fracto alabaſtro effuderat, partim, ut capilli ejus perfunderentur, partim ut inde in veſtes totumque corpus deflueret, idque non deliciarum cauſa neque ad luxum, ut Græci veteres, quos in unguentorum uſu fuiſſe curioſos & nimium diligentes, hoc eſt indicio, quod privatim unicuique parti corporis idonea ſcirent. Nam ut Antiphanes apud Athenæum prodit, unguento Ægyptio liverunt crura & pedes, Phœnicino buccas & ubera, Siſymbrino vero utrumque brachium, amaracino ſupercilia & comam, ſerpillino cervicem atque genua: Irino roſaceoque, ut ibidem Cephiſidorus, perfricarunt corpus, & ſeorſim pedes baccharino. *Athen. Dinoſ. lib.* XV. *p.* 689. Non, inquam, ad pudendum hunc luxum Dominum unxit Maria, ſed ad teſtandam perſonæ dignitatem, & ſuam de eo fidem, quem Filium Dei vivum crederet, non minus quam ſoror ejus *Johan.* XI: 27. & gratitudinem de acceptis ab eo beneficiis & ferventiſſimum amorem, cui nullus ſumtus videretur ſatis: nam, ut *Auguſtinus lib.* 3. *de doctr. Chriſtum cap.* 12. in omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Porro addit Johannes *quod unxit pedes Jeſu*, ut ita totus in ſepulturam ungeretur, & quod *exterſit capillis ſuis*, ut ita, quod mulieribus ſolet eſſe percharum, & præcipuo ornamento, pedibus Domini ſui ſubjiceret. Exterſit autem pedes, non ab unguento, ſed a pulvere & ſordibus ut ungi poſſent: eſt

enim

enim ordo præpoſterus in narratione. vid. *Janſ. & Bald. Walæus Comment. in Evangel. Matthæi.*

CAPUT XVI.

Borith *Jerem.* 2: 22. & *Mal.* 3: 4. & Bor *Ijob.* 9: 3.

Borith & Bor *a nitore dicta nomina, lomentum ſonant. Lomentorum ſpecies. Kali vel ſapo, ex* Usnen *herba. Ex* Schinan *herba, Syri Saponem, & Veneti vitra conficiunt. Ipſius Schinan duo genera. Usnen a Tournefortio deſcripta planta. Matthiolus de Arabum Kali. Borith non eſt halymus. In lomontis veterum laudatiſſimum erat ſtruthion ſive lanaria, Hebræis ut videtur,* Bor & Borith *dictæ. In recentioribus* Alkali, *vel, quod ex herba* Usnen, *Arabes & Syri conficiunt. Aquis etiam nivalibus fit lotio.*

Borith pro בהורית, & Bor pro בהור, a nitore appellata nomina, lomentum ſignificant, quod veſtibus munditiem, corpori nitorem, præſtat. In σμηκτικοῖς aut lomentis habita, nitrum, aphronitrum, ſal, mel, ſalis flos, cimolia, lomentum fabarum, fermentum hordeaceæ farinæ, furfur, pumex, lanaria ſive ſtruthion, halimus; Sapo, qui e ſale, ſevo & cinere conficitur; optimus ex fago vel carpino, non, ut apud Plinium vitioſe legitur, caprino; & Kali vel Sapo, qui fit ex Usnen herba. Quam ſtirpem *Rauwolſius in Itinerario* deſcripſit, cujus verba ex Germanico idiomate in latinum tranſlata hic repræſento: Id ex quo Syri Saponem & Veneti vitra conficiunt ex cineribus herbæ paratum, quam Schinan Arabes vocant. Duum eſt generum, quorum unum minori Kali non diſſimile, pinguibus craſſisque conſtat filiis, virgulisque multis tenuibus, in quarum cacumine pilulæ emicant ſemine ſuo fœta, ſub quibus hærent tenuia & in acutum deſinentia folia, ſpecie viribusque ipſius Kali, acredinis autem modicæ. Hoc Schinan inferius candet, ſuperiori parte cineraceo colore livet. Alterum quoque genus multis prodit cauliculis, qui in equiſeti morem geniculati & in ſe farcti radicem agunt denſam, cineream, lignoſam. *Tournefortio Usnen*, quam vocat *herbam Kali*, eſt plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbe poſitis conſtante. Ex hujus meditullio, inquit,

ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, membranaceum, ſingulari ſemine fœtum, cochleæ ad inſtar intorto, & plerumque petalis floris obvolutum. *Matthiolus* Apologia adverſus Amatum, hanc de Arabum Kali texit hiſtoriam: Planta hæc ex qua alumen conficiunt, quo vitrarii utuntur, Catinum appellatum, quin & Sal quod a planta Alkali vocant, foliis non vacat; quum admodum ſit folioſa, nec ullis penitus riget aculeis. Ipſa enim cum primum emergit, foliis proſilit minori ſedo æmulis, quæ tractu temporis dodrantali fere longitudine augentur, geniculatimque protrahuntur. Cum vero jam adoleverint, prodeunt e geniculis folia pinguia, craſſaque, incurva ex lata origine in acutum deſinentia. Ubi vero ad ſummum conſtiterint, in caulium cacuminibus longe minora exilioraque ſpectantur, rufo colore, a quorum exortu parvæ rotundæque prodeunt pilulæ, in quibus minutum ſemen concluditur. De Alkali plura dabit *Alpagus*, *Proſper Alpinus*, *Plempius*, & in *Hiſtoria Plantarum Rajus.* In dictis igitur lomentis non fuiſſe halymum, id quod Borith vocitant Hebræi, *Bochartus* docuit, qui halymo vocem מלוח vendicavit, *Hierozoici Part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 16. Præ omnibus autem σμηκτικοῖς, nulli hodie Botanicorum cognita Lanaria ſive Struthion ab antiquis celebratur; a recentioribus vero Arabum Scriptoribus, Kali, ſive Sapo, & cinis Uznen. Niſi igitur *Bor & Borith* communia ſaponum aut lomentorum ſunt vocabula, fallimur, ſi privatim aliud lomentum aut ſaponem alium quam lanariam aut Alkali deſignarunt. *Borith*, præſtantiſſimo ſmegmate, fœderis Angelum, Meſſiam, Levitas purgaturum eſſe Malachias vaticinatur *cap.* 3: 2. *Angelus fœderis erit ut ignis conflatoris*, aurifabri, *& ut ſmegma lavantium.* Iſraëliticæ genti nunciari jubet Deus, fruſtra vitæ ſordes & animi labes, borith, optimo ſmegmate eluturos, *Jerem.* 2: 22. *Ut abluas te nitro, & plurimum adhibeas ſmegmatis; inſignita eſt pravitas tua coram me.* Si manus ſuas emundaret Bor, eximio lomento, metuit Sanctus *Ijob* ut purgatum eum cenſeret Deus. *Job.* 9: 30, 31. *Si lavero me aquis nivalibus, & emundavero* BOR *ſmegmate manus meas: Tum in foveam me demergis*, tamen impuriſſimus coram te, tanquam in lutoſam foveam dejectus, apparebo; *ut abominentur me tunicæ meæ*, tam fœdus a judicio tuo diſcederem, ut is corpore eſt ſordidus, quem veſtes ſuæ horrent & fugiunt. Sed quid eſt,

eſt, quare dixerit Vir Sanctus, *lavero me aquis nivalibus?* an nivalis aqua candorem creat? Hoc ad fidem mihi difficile non eſt affirmare, nec fortean quod alienum eſt ab experientia, credidero. Fœminæ quippe nitoris atque venuſtatis ſtudioſæ, ſoluta in Martio nive, ad nitorem & mundiciem faciei conciliandam, hodieque utuntur. Nivem quoque lavandis manibus pedibusque olim inſerviſſe conſtat. *Petronius in Satyr.* Tandem diſcubuimus, Alexandrinis pueris aquam nivatam in manus infundentibus, aliisque in ſequentibus ad pedes. Rationem veteris moris exponit *Lotichius lib.* 1. *Comment. ad Petron. c.* 12. quod æſtivo tempore fervorem æſtumque maxime emendet, ſqualorem cutis tollat, & univerſum pene habitum refrigeret. Candidam cutem perpolire, noſtris lotricibus perſuaſum, quæ ex nivata aqua candidiores veſtes lotas aſſerunt. *Bartholinus de nivis uſu Medico, cap.* XVIII. Spirituali ſenſu, nitro ſmegmate & nivalibus aquis lavari mundarique dicuntur, qui peccata ſua vel negare, vel extenuare, vel excuſare vel hypocritica arte obvelare & obtegere, vel factis Deique cultu ſuperſtitioſo expiare conantur.

CAPUT XVII.

De Agricolatione.

Terra colendis agris idonea. Aſchdoth *terræ in plana effuſæ. Terra imbribus rigata: pinguis, lacte & melle fluens. Refutatur Caſtalio. Mem præfixum quando pariat locutionem negativam.* Schadmoth, Schedemoth & Scheremoth, *nomina, terræ ubertatem inſinuant. Loca* μαϛοειδεῖ *Græcis quæ dicantur.* Schedema Jeſa. 37: 27. *pro* Schedepha *poſitum, nullam cum prædictis nominibus habet affinitatem. Fertilibus agris opponitur ager maledictus, terra ſalſuginoſa. Ager pigri. Lex de non arando aſino & bove ſimul: Legis hujus moral. Lex de cultura ſeptimo anno intermiſſa; ratio legis. Arare iniquitatem, afflictionem: improbitatem. Arare rupem. Urbs arata. Arare tergum. Ut qui arat & ſerit, proverbium.* Carmel, *ſarculis aut ligonibus foſſus ager.* Carmel *a diligente dicitur foſſione: nomen duobus montibus inditum.* Carmel *adpellative de arvo foſſione colendo ſæpius in*

S. Scriptura accipitur. Carmil *eſt minium.* Carmel *ſpina diverſam ab arvi nomine originem habet. Agricola, Chriſti Pater.*

I. TERRÆ COLENDIS AGRIS IDONEÆ.

Priusquam Scripturarum ſententiæ explicentur quæ de frumentis ac leguminibus mentionem inferunt, proponenda ſunt quædam de Agricolatione. Qui prudenter ruſticari cupiunt agricolæ, terram eligunt optimam & operi ſatiorem. Ea eſt, quam Cato, peritiſſimus agricola, indicat teneram, quæ vocetur pulla, temperatæ ubertatis, mollis facilisque culturæ, nec madida, nec ſitiens, quæ ad radicem montium planitie in meridiem excurrit, quales, opinor, terræ fuerunt, quas אשדות Hebræi nominant, ab effundendo, quod in plana effundantur, quo ſenſu legitur *Aſchdoth*, *Joſ.* 10: 40. *Percuſſit Joſua totam regionem montanam & auſtralem planamque & ad-plana-declivem.* & *Cap.* 12: 8. *In montanis* Cananææ, *ac in planitie, & in campeſtribus & declivibus-ad-planitiem & in deſerto, ac in auſtrali plaga.* Sic אשדות פסגה vocantur, quæ ad planitiem monti ſubjectam ſenſim inclinata declivia. Et *Deut.* 3: 17. Rubenitis contigit hereditas a Cinneretha usque ad mare campeſtrium, mare *urbis* Melach, ſub declivibus Pisgæ montis ad orientem. Muto igitur ſententiam alibi expoſitam, nec accedo iis, qui *Aſchdoth* irrigua interpretantur. Optima etiam terra cenſetur, quæ imbribus rigata ſuavem odorem ſpiraverit. *Plinius lib.* 17. *cap.* 5. Cum a ſiccitate continua remmaduit imbre, tum emittit illum ſuum halitum divinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuavitas nulla poſſit. In animo habuit hoc Patriarcha, qui filio fauſta precaturus, *vide* inquit, *odor filii mei, cui benedixit Dominus, eſt ſicut odor agri. Gen.* 27: 27. Similem bonitate cenſueris eam, quam *pinguem* Scriptura vocat. Moſes exploratoribus miſſis in terram, quæ lacte & melle affluebat, conſiderare inter alia jubet, utrum pinguis ſit an macilenta. *Num.* 13: 20. de occupata Cananæa *Nehemias: Cæperunt*, inquit, *munitas urbes & terram pinguem. cap.* 9: 25. Promiſit talem & Iſaäcus Jacobo *Gen.* 27: 28. *Det tibi Deus de rore cœli,* משמני הארץ *de pinguibus-terræ-locis, ac multitudinem frumenti ac muſti.* An eodem ſenſu accipiendum, quod ibidem *verſu* 30. Eſavo a patre promiſſum? *Ecce pingendo ſoli erit habita-*

tio tua, *& rore cœli perfuſa ſuperne.* Negat *Caſtalio*, qui vertit: *Tua quidem ſedes a terræ pinguitudine & a rore cœli aberit.* Putat, non potuiſſe patrem Eſavo dare, quod Jacobo dedit, & firmare ſatagit ſententiam locutione ſimili *Pſal.* 109: 24. ubi legitur, *Mihi genua labant præ inedia*, *meumque corpus tabeſcite* משמן *defectu pinguitudinis*, & præ macie, & *Jerem* 48. מכוח *ſine viribus*, & ejusdem 10, מבלי דעה *ſine cognitione*, hoc eſt, per inſcitiam, & *Lament.* 4: 9. מתנובות שדי frugum penuria. Sed quid vetat benedictionem flagitanti Eſavo, fraternæ, quoad Soli bonitatem ſimilem promittere? quam ei obtigiſſe, dubitare nos non ſinit, quod Idumæis quoque in ſacris literis agri & vineæ tribuuntur. Idumæis utique dictum, *Num.* 20: 51. *Non tranſibimus per ullius agrum aut vineam.* Vineis eos abundaſſe arguunt illa *Jeſaiæ* 63: 1, 2. *Quis eſt hic veniens ex Idumæa*, *ex* Botzra *Idumæorum*, *madefactus veſtimentis*, *quæ ſimilia calcantis in torcularis lacu.* Nec verba ſunt ab hoc interprete, nam מ præpoſitio non parit locutionem negativam, niſi præfixa infinitivo & præcedente verbo cohibendi, nocendi, contratendendi, aſpernandi, aut ſaltem non diſſimili, qualibus utique verbum יהיה annumerari nequit. Potius igitur aſſentiendum illis, qui vertunt, præpinguis ſoli erit habitatio tua, ſed gladio tuo vives & fratri tuo ſervies. Fallor niſi illa terræ bonitas etiam vocibus שדמות שדממות & שדמות inſinuatur. שדמות enim ex שד אדמות, compoſitum *uber terrarum* ſignificat, ſive οὖθαρ ἀρούρης, ut apud Homerum & Nicandrum, interprete Didymo, pars terræ pinguiſſima & fertiliſſima vocatur, quam latine dixeris *ſumen terræ*, quomodo loquutus eſt quondam *Cæſar Vopiſcus*, teſte *Varrore de Re ruſtica*, *lib.* 1. *Cæſar Vopiſcus* ædilitius cauſam cum ageret apud Cenſores, Campos Roſeæ, Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non appareret. Legitur שדמות *Jeſ.* 16: 8. *Ubera terræ Chesbonis*, *vites in ubere Chesbonis ſolo elanguent*, vitis Sibmæ, & *Deut.* 32: 32. *Superat* ſcelerum multitudine *ubera terræ Sodomi*, vites in uberi quondam Sodomorum ſolo. Vitis, hoc eſt, ſceleratus animus eorum. Item 2 *Reg.* 23: 4. *Combuſſit Hiskias idolorum inſtrumenta extra Hieroſolymam in uberibus agris Kidronis.* Ejusdem ſenſus & originis cenſendum eſt nomen שדמות quod conſtat vocibus שדי אדמות, id eſt, *ubera terrarum*, ſic dicta cum propter pinguedinem, tum propter uberum ſeu mamma-

mammarum muliebrium , e reliquo corpore eminentium ſimilitudinem , a Græcis autoribus etiam μαςοὶ vel μαςοειδεῖ adpellata. De his *Habac.* 3: 17. ושרמות לא עשה אכל, id eſt, ושרו־ת שרמות לא עשה אכל & *ager* uberis terræ non tulit cibum. Obvenit quoque nomen שרמות *Jerem.* 31: 40. ubi ſignificatione reſpondet ei השרמות per literas *Chetſibi inſinuatum* nomen, punctis congruis ex mente ſubjectis , quod Græci pariter extulerunt ἀσσαρημὼθ 1 *Marc.* 4: 15. Natum vero videtur ex שרי רמות, id eſt , umbilici *locorum* excelſorum. שרי eſt conſtructum plurale, deflexum a שר, quod cum ſuffixo legitur שרך umbilicus tuus. *Prov.* 3: 8. Quod attinet ad nomen שרמה, cujus mentionem fecit *Jeſaias* 37: 27. id tam ſignificatu quam origine divertit a שרמות. Legitur enim literis trajectis loco שמרה pernicies , ſcilicet frugum , quæ eſt uredo vel uſtilago, quod collactaneum ipſius שמר perditio , & proprium viri , qui condidit Lyddam & Onuntem. 1 *Chron.* 8: 12. Fertilibus locis, & quos agros deſiderii vel deſideratiſſimos vocat Jeſaias , opponitur, ager maledictus *Gen.* 3. & terra ſalſuginoſa *Pſal.* 107: 33. & ager pigri, in quo toto aſſurgunt dipſaci , & ſuperficies ejus tegitur urticis. *Prov.* 24: 31. Licet enim terra obtingat tenera, & pinguis atque in ſitu nihil deſideretur , tamen, ſi aſſidue & in ſudore vultus non colitur, carduis & ſentibus horrebit , & ſe inutilibus herbis ſponte exhauriet. Aranda igitur eſt , fodienda, ſulcanda , occanda , novellanda , & conſerenda. *Nil ſine magno Vita labore dedit mortalibus. Qui colit tellurem ſuam ſatiatur pane. Prov.* 12: 11. Nos ut inſtitutum de explicandis Scripturæ dictis proſequamur , ea , quæ de Agro & cultura ejus loquuntur, declarabimus. De arando legem tulit Deus *Deut.* 22: 10. *Ne aretur bove & aſino ſimul.* Nonnulli exponunt de ſpecie bovis & aſini expreſſa in textu cum determinatione. Alii in genere accipiendum cenſent , ut interdicta ſit mixtura immundi & mundi pecoris. Aſinus enim recenſetur in immudis. Alii in univerſum, de omni diverſarum ſpecierum conjunctione explicant. Ratio: quia ſunt animalia imparia , unde alteri illorum accreſceret nimium jugi onus. *Rabbi Hiſcuni* bene : quia miſerationes Dei benedicti ſuper omnia opera ſua. Morale : Docet pietatem erga beſtias, *Prov.* 12: 10. Non exigenda paria ab inæqualibus. *Ne trahamus jugum, cum immundis.* 1 *Cor.* 6: 14. *Arndius Manu. legum Mo-*

Moſaicarum. Bene *Calphurnius declamatione* XXIX. Ne pecora quidem jugum niſi paria ſuccedunt. Plurimum autem diſtant bos & aſinus. *Plautus Aulularia Actu ſecundo:* In mentem venit, te bovem eſſe & me aſellum. *Grotius ad Deut. loc. cit.*

II. Lex de cultura anno septimo intermissa.

Exod. 23: 11. *Septimo quoque anno intermittito terram & relinquito eam incultam, ut comedant egentes in populo tuo, reſiduum vero eorum comedant beſtiæ agreſtes.* Annus ſeptimus dicebatur *Schemitta*, omiſſionis vel ceſſationis, quia hoc anno, qui & in Jubilæum incidit, *Levitic.* 25: 8. intermiſſa agricolatio. Ratio legis: 1. Ut fides Iſraëlitarum probaretur, num velint a Dei providentia unice dependere, & vitæ neceſſitates ab ipſo certa fiducia exſpectare, *Matth.* 6: 23. 2. Ut pauperum ratio haberetur. *Philo lib. de Decal.* putat in gratiam terræ factum, ut quaſi reſpiraret, ne agros aſſidue exercendo exſugerent ſterileſque redderent. 4. Ut eſſet creationis ſymbolum & memoriale. Quid ergo, inquis, omiſſa illius anni agricolatione a pauperibus colligi potuit? Reſpondeo, 1. Vitis, oliva & aliæ arbores etiam non cultæ fructum ferunt. 2. Multa ſparſim & temere per agros delapſa ſemina radices agebant, & ſponte quædam ex reſectis præcedentis anni frugibus aut relictis radicibus recreſcebant. *Jeſaiæ* 37: 30. Aliquas certe fruges tum natas, probat manipuli & panum primitiarum oblatio, iſto anno uſurpata. 3. Deus ſexto anno promiſerat proventum trium annorum *Levit.* 25: 21. qua de cauſa nec Sacerdotes, quamvis decimas non accepiſſent, habuerunt, quod conquererentur. *Riv. in Exod.* 23. 4. Anno iſto ſeptimo, qui in Jubilæum incidit, ex quovis agro permiſſum comedere proventum ejus. *Levit.* 25: 12.

III. Arare iniquitatem.

Prov. 6: 18. *Animus, qui arat cogitationes iniquas, abominationi eſt Domino.* Arare per metaphoram notat apparare, moliri, machinari, quoniam aratio ad ſegetes agrum præparat. Animus igitur iniquitatem arans eſt, qui proximo malum ſtruit & molitur, & inique facere cogitat.

IV. ARARE AFFLICTIONEM.

Ijob 4: 8. *Quemadmodum vidi arantes afflictionem & ſeminantes moleſtiam, metunt eam.* Arantes afflictionem vel damnum, ſunt qui in aliorum calamitatem & exitium incumbunt; ſeminantes moleſtiam vel damnum, qui ærumnæ materiam præbent; metent afflictionem & ærumnas, hoc eſt fructum ſceleris ſui percipient. *Cicero Tuſc. Quæſt.* 2. Qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, ut participet parem.

V. ARARE IMPROBITATEM.

Hoſ. 10 13. *Araſtis improbitatem, iniquitatem metitis: comeditis fructum mendacii, quia confidis viæ tuæ.* Araſtis improbitatem, hoc eſt, magno ſtudio & conatu flagitiis dediſtis operam. *Prov.* 3: 29. *Iniquitatem metitis*, dignum factis præmium reportatis. Veriſſimum enim eſt axioma hoc, qualia quis molitur, talia ſortitur præmia. *Comeditis fructum mendacii*, Vos eſtis mendaces, & ſpes veſtra undique vos fallit, dum & alii mendaciis tantum vos lactant, ac veluti paſcunt, & merito; *quia confidis viæ*, hoc eſt, conſiliis & inſtitutis tuis. *Tarnovius.*

VI. RUPEM ARARE.

Amos 6: 12. *An curſuri eſſent*, niſi ab inſano incitati, *per rupem equi? an* agricola niſi furioſus ac delirus, *araturus eſſet eam bobus?* Similis, quum & vos agitet inſania, *ideo jus in fel, & juſtitiæ fructum in abſinthium vertiſtis.* Hoc eſt: Omnino ſtimulant vos, Iſraëlitarum Principes inſaniæ, & furore corripimini, ut qui per inacceſſas rupes incitant equos, & rupes bobus arare contendunt. *Igitur in fel convertiſtis jus, & fructum juſtitiæ in abſinthium*, neglecta ſcilicet & proculcata omni æquitate & in faſtidium adducta juſtitia. *Igitur*, vel *Ideo*, כי Hebraica conjunctio eodem ſenſu accipitur 1 *Sam.* 2: 25. *Non auſcultarunt Hophni & Pinehas voci patris ſui*, כי, id eſt, ideo, *voluit Dominus eos interficere.* 1 *Reg.* 12: 15. *Non auſcultavit Rex Rechabeam populo, erat cauſa* vel occaſio *a Domino. Pſal.* 116: 10. *Credidi* כי *ideo loquutus ſum*; nec aliter Paulus: ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα. 2 *Cor.* 4: 13.

VII. Urbs arata, id eſt, æquata solo.

Mich. 3: 12. & *Jerem.* 26: 18. Urbs *Tzion ut ager arabitur*, *&* *Hieroſolyma acervus* lapidum *erit*, *& mons domus* Domini *in excelſa ſilvæ* Urbs. Intelligendum hic eſſe nomen fæmininum, liquet ex verbo fœminino תחרש arata fiet. Intelligi autem קרית apparet ex *Jeſ.*33: 19. חזה ציון קרית מועדנו *Aſpice Tzijonem*, *urbem conventuum noſtrorum. In excelſa ſilvæ*, id eſt, in montem veſtitum & ſilveſtrem.

VIII. Arare tergum.

Eſt viliſſimo & laborioſiſſimo ſervitutis genere defatigare, cruciare, emaciare. *Pſal.* 129: 3. *Super tergum meum araverunt aratores*, *produxerunt quamque ſtrigarum ſuarum.*

IX. Ut qui arat ac serit.

Conveniet dici, ubi quis magna ſpe & prope exploratam conſequendæ utilitatis rem quampiam aggreditur. Nam qui arat ac ſerit ſemper certus eſt de aliquo fructu. Habet enim rationem cum terra, quæ, ut ille ait, nunquam recuſat imperium, nec unquam ſine uſura reddit, quod accepit; ſed alias minore, plerumque majore cum fœnore. Siracides, ut oſtenderet, quam ſit utile & fructuoſum Sapientiæ ſtudium, uſus eſt hoc ſimili *Eccleſ.* 6: 19. ſic ſcribens: *Fili ab ineunte ætate dilige diſciplinam*, *& ſapientiam ad canos usque duraturam invenies. Tanquam arans ac ſerens adito eam*, *& bonos ab ea fructus expectato. Nam*, *in ejus opere paululum laborabis*, *& cito ejus veſcere proventibus.* Porro quemadmodum *Siracides* illo utitur de Sapientia, ita nos uti poterimus de bonis literis, aliisque rebus utilibus, item de iis, qui inſerviunt aut benefaciunt, a quibus plurimum ſperant. *Druſius in Proverb. ſacris.*

X. Carmel.

Arat etiam agrum qui cum ſarculis, bidentibus aut ligonibus fodit. Plinius: Certe ſine hoc animali, (ſine bobus) montanæ gentes ſarculis arant. *Hiſtor. Natur. lib.* 18. *c.* 14. כרמל dicunt Hebræi arvum, quod hunc in modum proſcinditur, derivato nomine a verbo כרם, quod extat in compoſito יכרסמנה, & reſolvitur in duo verba יכרם fodiet & יכסם tondebit, ideoque *Pſalm.* 80: *vſ.* 14. ita vertendum eſt: *Vineam ſuffodit ton-*

detque porcus, plus quam ſilvam. Ex iſto igitur כרם manavit vocalum כרמל, loco כרמר, enunciatum, literæ enim in ſimplici voce iteratæ ſignificationem intendunt. Ob vitandum κακόφωνον ר ultima litera ipſius כרמר in ל transeunte, excuſum eſt כרמל, crebra ſeu diligens foſſio, & quoniam de arvo uſurpatur, *arvum foſſione cultum.* Jam, quod in collibus transverſo tantum monte agrius & laborioſius aratur, modo in ſuperiora, modo in inferiora roſtrante vomere, ideo montium declivia ſæpius ſarculis fodiebantur. Ab ea foſſione, qua circumquaque colebantur, nomen Carmeli duobus Cananææ montibus impoſitum.; quorum unus eſt προσθαλάσσιος, prope Ptolemaidem, in confinibus Aſer & Zebulon, de quo *Joſ.* 12: 22. & 19: 26. de eodem *Jerem.* 46: 18. *Quamvis ut Thabor in montes, & ut Carmel in mare procedat* Ægyptius; ſubintellige, *tamen hæc futura ſunt.* Ellipſis integri membri orationis, qualis 2 *Sam.* 5: 8. *Qui percuſſerit Jebuſæum &c.* ſubintellige, *is erit dux*; ex collatione 1 *Par.* XI: 6. 2 *Sam.* 2: 27. *Senſus:* Quamvis Ægyptus ſitu munitiſſima ſit, & circumvallata montibus, ac mari, non ſecus ac Thabor montibus circumcluditur, & Carmelus in mare projectus eſt, ac proinde Ægyptus ſibi omnino confidat; tamen has minas meas effecturus ſum, & jam impero, ut ſeipſum ad perpeſſiones earum comparet. Nec de alio monte *Amos* 9: 3. *Si abderent ſe Iſraëlitæ in ventere Carmeli, inde ſcrutatus caperem eos.* Alter ad meridiem μεσόγειος, prope Hebronem in tribu Judæ, de quo *Joſu.* 15: 55. In Carmelo prope Accuntem ſeu Ptolemaida habitavit Elias, 2 *Reg.* 2: 25. & 4: 25. & altare Deo erexit, & per inſigne miraculum, coram Iſraëlitis præſtitum, Bahalitas confutavit, verique Dei cultum reſtituit. In altero, qui prope Hebronem, Saul devictis Amalekitis היה מציב־לו יד *faciebat ſibi manum*, vel ad dividenda ſpolia, ut Chaldæus, vel caſtrametationis locum, ut Kimchius intelligit, vel juxta Hieronymum fornicem ſive arcum triumphalem ibi erexit, vel denique altare ibi ædificavit. 1 *Sam.* 15: 12. In eodem hoc Carmelo degebat Nabal, qui numeroſos habuit greges, mille ſcilicet capras, & ovium tria millia. Utrumque ſed præcipue illum, Ptolemaidi vicinum, in ſequentibus etiam Sacræ Scripturæ locis memorari exiſtimo. *Jeſai.* 33: 9. *Rudit Baſan & Carmel*, id eſt, in fertiliſſimis montibus, in Baſanis, Dei monte *Pſalm* 68: 16. *rudunt leones Baſanis. Deut.*

33:

33: 22. *ob inopiam prædæ, & in Carmelo propter pabuli inopiam pecora. Nachum* 1: 4. *Increpans DOMINUS mare arefacit & omnia flumina exſiccat: langueſcit Baſan & Carmel, etiam flos Libani langueſcit; Excandeſcentia Dei mare & flumina exſiccat aridasque & languentes facit quercus & robora*, Baſanis Carmelique fruges, arborumque & vitium imprimis in Libani parte ſatarum florem perimit. *Jeſ.* 35: 2. *Dabitur populo meo decor Carmeli & Saronis*, id eſt, uberrimis fruentur Carmeli & Saronis paſcuis. Simile illud *Jerem.* 50: 19. *Depaſcet Iſraël Carmelum & Baſanem. Cant.* 7: 5. *Caput tuum ſuper te* (tam decorum eſt) *ut Carmel. Amos* 1: 2. *Luxerunt tuguria paſtorum, quia exaruit Carmeli vertex.*

Adpellative ſeu de arvo foſſione arando uſurpatum legitur *Carmel*, *Jerem.* 2: 7. Introduxi vos in terram *ſarculis-arandi-arvi, quæ ſarculis arata largius fundit fructum*, diſſimilem Ægypto, *cujus agri Nilo fœcunditatem ſuam debent*, adfruendum fructu ejus & bono ejus. *Jeſ.* 29: 17. *Convertetur Libanus in arvum-ſarculis-aratum*, & *arvum hoc ſilva reputabitur*, id eſt, Dei agricultura erunt gentes, Judæi autem, Dei γεώργιον, alieni & extra Eccleſiam Chriſti erunt. *Jeſai.* 32: 15, 16. *Donec effundatur ſuper nos Spiritus de excelſo, & redigatur deſertum in arvum-ſarculis-arandum*, & arvum hoc pro Silva reputetur, habitetque in deſerto judicium, & juſtitia in arvo ſarculis arando. *Michæ* 7: 14. Paſce populum tuum, gregem poſſeſſionis tuæ, habitantem ſolitarie in Silva, id eſt, ſecure & in medio arvorum-ſarculis-vertendorum, ſine metu direptionis in patentibus locis. *Jeſaia* 16: 10. *Intercepta eſt lætitia & exſultatio ex arvis-ſarculatis*, id eſt, lætitia non agitabitur in meſſe: *in vineis non cantatur*, non agitatur vociferatio. *Jerem.* 48: 33. *Ceſſabit in meſſe gaudium & exſultatio ab arvis-ſarculo-ſubactis. Jerem.* 4: 26. *Si aſpicio, ecce arva-bidentibus-verſata ſunt deſertum*, id eſt, vaſtata, non amplius frugifera. 2 *Reg.* 19: 23. *Ingrediar diverſorium extremitatis ejus*, hoc eſt extremum diverſorium Libani, *Silvam arvorum-ejus quæ-ſarriuntur. Maſius* Montem Carmelum proprie hic accipit, quod præceſſerit Libanus. Ita & *Sanctius*, Libanus, inquit, & Carmel hic per Synecdochen pro locis ſublimibus uſurpantur. Non ſubſcribo: Certum enim eſt propter Vav ſuffixum כרמלו proprie non accipi. Montium quippe nomina, licet He præfixum admittant, ſuffixa tamen perſonalia ſeu pronominalia reſpuunt. Itaque vitioſe diceretur

לבנונו Libanus ejus, חרמונו Hermon ejus, תבורו Thabor ejus. Ex eodem argumento, quo כרמל ſcilicet a foſſione, vocatur כרמיל, 2 *Chr.* 2: 6, 13. & 3: 14. Plerique interpretes in *Coccinum* vertunt. *Bochartus* purpuræ genus exiſtimat ad Carmelum montem capi ſolitæ. *Hieroz. Part.* II. *p.* 729. Sed de hac purpuræ ad Carmelum captura nihil in veterum documentis. Equidem כרמיל *Minium* interpreter, hodie cinnabarim adpellatum. Minium autem vivaciſſimi coloris, cui ſincero cocci nitor, teſte Plinio, ex omnibus coloribus, maxime quidem inſignibus, pene ſolum ex metallifodinis effodi ſolitum a fodiendo nomen imprimis meruit. Quin ipſum minii vocabulum dictum eſt Romanis ab Hiſpanico Mina, eine Mine, id eſt cuniculus, quia ex minis, hoc eſt, cuniculis fodiendo quæritur, nec fere aliunde quam ex Hiſpania, ut Plinius ſcribit, invehebatur. Verba igitur Salomonis regis 2 *Chr.* 2: 6. ita vertenda cenſeo: *Mitte mihi virum peritum operandi ex purpura, & ex minio & ex conchylii colore.* Jam כרמל, ubi ſpicam ſignificat, licet iiſdem literis quibus arvorum & montium nomen ſcribatur, ad eandem tamen originem reduci nequit. Quid enim in ſpica quod a fodiendo vel foſſura eam denominet. Omnino igitur ab etymo alio ſpicæ hoc nomen repetendum eſſe judico. Componitur nimirum ex כרך מלילה vel כרך־מל, id eſt, thecæ vel involucri ſpica, nomine recto, ut fit in compoſitione, in locum regentis tranſpoſito. כרך theca vel involucrum, deductum eſt a כרך involvit, quod verbum apud Chaldæos uſitatiſſimum Hebræis quoque uſurpatum fuiſſe, arguit Hebraicum derivatum nomen תכריך, pallium aut toga, qua totum corpus involvitur. Porro מל ex מלל contractum, ut הר mons ex הרר, congenerum eſt ipſius מלילה, ejusdemque ſignificationis; quemadmodum תם idem valet, quod תמים vel תמימה integrum. Conflatis igitur in unam vocibus כרך־מל & abjecta, ut ſolet, in compoſito nomine repetenda litera *caph*, naſcetur כרמל, & quia venit a מלל, ut הר ab הרר, ad originis analogiam excuſum eſt כרמל ſpica involucri vel involuta, ſcilicet בצקלונו in gluma ſeu folliculo ſuo, ut declaratur 2 *Reg.* 4: 42. *Veniens quidam e planitie Saliſæ*, attulit ad Virum Dei viginti panes hordeaceos & CARMEL BETHZIKLONO, *ſpicas recentes in gluma ſua.*

XI. No-

XI. Novale pauperum.

Prov. 13: 23. *Multus cibus eſt novali pauperum : at eſt , qui conſumitur ſine judicio.* רב אכל ניר per ellipſin literæ ל inter duas liquidas enunciandæ. Integra enim ſcriptio eſſet , רב ארל לניר. Novalia dicuntur arva, primum proſciſſa, & ſegetem primum ferentia. Senſus dicti : Pauperes , qui honeſti , quamvis duri ac difficilis laboris habuerint delectum , victum copioſe parabunt: ſed eſt, qui conſumitur nulla rerum agendarum diſcretione.

XII. Agricola Deus.

Pater meus, inquit Chriſtus, *eſt Agricola. Joh.* 15: 1. Eccleſia vocatur ejus Γεώργιον , 1 *Cor.* 3: 6. quam operoſe & ſedulo curat. Jugiter oculi Dei noſtri intenti ſunt in ipſam. *Deut.* XI: 12. Solicitus eſt pro omnibus & ſingulis hujus arvi jugeribus & liris, pro omnibus ad ſalutem vocatis, ut fructum ferentes ſalventur. Vult enim omnes ſalvari, & ad agnitionem veritatis venire. 2 *Tim.* 2: 4. Idem redigit deſertum in arvum. *Jeſ.* 32: 15. id eſt, inertes & infructuoſos in Domini noſtri Jeſu Chriſti agnitione, replet fructibus juſtitiæ, 2 *Pet.* 1: 8. Tempeſtive etiam humani cordis agrum arat, ut emollitum divinæ gratiæ capacem reddat. Idem arationis finem facit , ubi modo quodam afflictionem fidelium temperat, & ne fiat diuturnior , quam ferant , omni cura providet. *Jeſ.* 28: 24. *An totum diem* , vel omni die , *rat arator ad ſeminandum ?* an totum diem *ſulcat & occat terram ſuam ? Annon, quum æquavit ſuperficiem ejus , aut ſpargit melanthium, cyminumque diſpergit, aut diſponit triticum præſtans, vel hordeum inſigne in termino ſuo ?* Hinc juſto tempore incorruptibile ſemen verbi per agrum ſpargens hominem regenerat. 1 *Pet.* 1: 23. Nec ab eo rigando deſiſtit, effundendo in poſſeſſionem ſuam gratiæ ſuæ pluviam , defeſſamque inſtaurando. *Pſ.* 68: 10. & quemadmodum non uno ſolum anno ſeminat agricola, ſed per ſinlos annos cultionem agri continuat ; ſic omnibus etiam temporibus benigniſſimus Deus cæleſte ſemen ſuum ſpargit. Ad quod non incongrue applicaveris divinam poſt diluvium Noæ, & filiis factam promiſſionem , *Geneſ.* 8: 22. *Quamdiu erit terra , ſementes & meſſis non ceſſabunt.* Certe nec meſſis ſpiritualis defecit , nec deficiet , cujus & nos habemus promiſſum evidens *Jeſ.* 59: 21.

Hoc

Hoc erit fœdus meum cum iſtis, ait DOMINUS: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo: non recedent ex ore tuo, aut ex ore ſeminis tui, aut ex ore ſeminis ſeminis tui, ait DOMINUS, ex hoc tempore uſque in ſeculum. Ex adverſo tramite, ſi diu malignum & ſterilem agrum fruſtra coluit, neglectum vaſtitati tandem relinquit. Denique juſto tempore metit. Meſſis eſt conſummatio ſeculi, *Matth.* 13: 39. quando triticum purum in horreum ſuum coget, paleam autem & herbas malas exuret igni inextinguibili, *Matth.* 3: 12.

CAPUT XVIII.

DE SATIONE.

Sationis leges. Præceptum de ſeminis munditie. De ſatione monita. Panis, id eſt, ſemen. Seminare ad juſtitiam. Metere ad benignitatem. Novellare novale. Vis aucti ſeminis unde? Semen cum Dei verbo comparatum. Idem qua in re ſit diſſimile. Seminatum ad viam: in petram: in ſpinas. Sementis Eleemoſyna. Tzaddik *benignus. Semen pacis. Semen operum. Ventum ſeminans. Sata lux. Semen cum fletu ſatum.* Meſchach *ſeminis jactus. Granum tritici mortuum & hinc fructum edens, Chriſtus. Corporum defunctorum ſemen. Semina infeſtans mucor. Semen in agro vitiatum. Seminans injuſtitiam. Semen falſum.*

I. SATIONIS LEGES.

De ſatione Deus præcipit *Lev.* 19: 19. *In agro tuo ne ſerito duo ſeminum genera.* כלאים vocis interpretatio illuſtratur ex lingua Æthiopica, in qua ኅልእ: CHAL'A, *alius*, & ኅልኢ: CHYL'E *duo* ſignificat. Ratio legis: 1. Deus non vult, ut ſpecies in creatione diſtinctæ temere miſceantur. 2. Vetat onerari tellurem nimio quaſi labore proventuum. 3. Docet, naturæ inimicum eſſe diſſimilium communionem. 4. Ne terra ſterilis efficiatur. Typico-morale: 1. Ut commendaret Deus ſimplicitatem in victu. 2. Ut novitatis & confuſionis anſam præcideret. 3. Ad deteſtandum avaritiam ex crudeliori plurium ſimul

mul fructuum exactione. 4. Ad vetandum ſchismata diſcordias & hæreſes. Vide loca 1 *Cor.* 2: 6. *Joſu.* 24: 14. 1 *Reg.* 18: 21. *Matth.* 6: 24. Non diſſimile exſtat præceptum *Deut.* 22: 9. *Ne conſerito vineam tuam duobus generibus, ne ſancta ſit illius plenitudo,* hoc eſt, id quod compleverit eam, *ſemen*, ſcilicet, *& proventus vineæ.* Vetat conſere vineam duobus generibus, ſcilicet vitium, arbuſtare enim vineam lex haut vetuit. Nam in vineis arbores plantatas fuiſſe patet ex *Luc.* 13: 6. *Ficum habebat quidam in vinea ſua ſatam*, & *Mich.* 4: 4. *Sub ſua quisque vite & ficu*, id eſt, ſub vite arbuſtiva *quieſcet.* Heterogeneam vero vitem quare in eadem vinea conſerere Judæi vetarentur, præter rationes quas de heterogeneis agrorum attulimus, hæc etiam fuerit, ne diverſorum generum uvæ, inæquabili maturitate, præcocium bonitatem corrumperent, ac ſingularum in vino genuinus ſapor infuſcaretur. *Ne ſancta ſit illius plenitudo*, id eſt, ne immunda habeantur ſemen & fructus, totusque adeo vineæ proventus. קדוש proprie ſeparatum ſonat, & hic a munditie ſeparatum, cujus decimas tanquam immundas reſpuat Deus.

II. Præceptum de seminis munditie.

Levit. xi: 37. *Si ceciderit de cadavere* immundarum beſtiarum *ſuper aliquod ſemen ſativum, quod ſeminetur, mundum eſto*, ad ſatum. Ratio legis, ut viſum interpretibus, eſt ſeminis neceſſitas, vel quod grana cadavere tacta diſcerni ab aliis haut potuerunt, purgatione eorum reſervata tempori, quo in ſinu terræ corrupta & putrefacta reviviſcerent, & corpus a Deo reciperent, quod voluit, 1 *Cor.* 15: 38. Hujusmodi grana imago ſunt noſtrorum corporum, in quibus radix peccati putrefactione & corruptione aboletur, & hinc cum incorruptione reviviſcentium, *ibid. vſ.* 42. Caro enim & ſanguis, ut Apoſtolus docet, non poſſunt regni Dei hæreditatem conſequi. *vſ.* 50.

III. De satione monitum, I.

Eccleſ. xi: 6. *Mane ſeminato ſemen tuum & veſperi ne remitte manum tuam, neſcis enim hocne an illud magis expediat, an utrumque æque bonum ſit.* Scite *Coccejus:* Conſilium datur contra ignaviæ & tenacitatis conſilium: nimirum, ut quis a mane ad veſperam ſemen ſuum ſeminet, hoc eſt, 1. bonum opus, unde fruc-

 tum

tum ſolidum capere poſſit, faciat conſtanter & aſſidue. 2. Cum aſpernatione præſentis otii, & 3. incommoditatis tolerantia, & 4. periclitatione bonorum præſentium, quia neſcis, utrum rectius ſit profuturum, hoc eſt, ſi times jacturam, perge aſſidue periculum facere: quia certe aliquid recte proveniet: ſi ſperas fructum, ſimiliter inſta, quia forte utrumque recte proveniet, vſ. 6. imo non forte, ſed certo, juxta promiſſionem Dei, *Matth.* 20: 39. 2 *Cor.* 9: 6. *Hebr.* 6: 10. *Jeſ.* 61: 25. *Apoc.* 14: 13. Sed *forte*, quia plerumque fides & ſpes noſtra imbecillior eſt, quam ut ſecure affirmet, quod affirmare debet. Aliqua ſpes eſt non deſperare, aut diffidere.

IV. MONITUM II.

Eccleſ. XI: 4. *Qui obſervat ventum, non ſeminabit; &, qui reſpicit ad denſas nubes, non metet.* Agricola, qui nimis religioſe obſervat cœli faciem eamque ſemper exſpectat convenientiſſimam, nunquam neque ſerere, neque poſthac metere audebit. Scopus eſt nullam benefaciendi occaſionem eſſe prætermittendam. Gejerus. Nec diffidentia utitor, ut manum a benefaciendo retrahas, neve has aut illas excuſationes obtendas, ignavos ruſticos imitando, qui dum hæc aut illa cauſantur, juſtum ſementis aut meſſis tempus ſinunt effugere; ſed Dei adminiſtrationi confidens, fac, quicquid facto opus eſt.

V. MONITUM III.

Eccleſ. XI: 1. *Projice panem tuum ſecundum aquas: nam multiplicantibus diebus inventurus es eum. Panem*, id eſt ſemen, ex quo fit panis, ut *Pſalm* 104: 18. *Job.* 28: 5. *Jeſai.* 28: 28. 36: 20 quæ ſynecdochica adpellatio a fine, in Scripturis frequentiſſima eſt. *Secundum aquas*, id eſt, in locis irriguis, ac proinde feracibus benedictionis: quomodo accipitur *Jeſ.* 32: 20. Vertunt alii in faciem vel ſuperficiem aquarum, ſuper aquas, vel in aquas. Quaſi ſenſus eſſet; promiſcue eſſe benefaciendum. *Luc.* 14: 12, 13, 14., velut quum quis panem in aquam jacet. Infeliciter: Nam ſequitur, *inveniendum eſſe. Noldius Annot. p.* 1057. *n.* 1800. Senſus eſt: Quemadmodum bonus agricola loca irrigua conſerit, certa cum fiducia & expectatione benedictionum Dei; ſic te in hac vita memento agricolam eſſe, & operarium Dei, ut omnibus

bus benefacias, & de tuo communices: pro certo habens, illud Jehovæ ſeri, quod benefit, & irrigari benedictione ejus, ut *Prov.* 19: 17. & *Jeſ.* 58: 7. *& ſeqq.* dicitur.

VI. Monitum IV. de statu et novellane spirituali.

Hoſ. 10: 12. *Seminate vobis ad Juſtitiam*, hoc eſt, operamini & vacate operibus Dei, *Joh.* 6: 28. recta capeſſite, jura & ſtatuta Dei obſervate ac facite; *metite ad benignitatem*, meſſis veſtra ſoletur orphanos, viduas, peregrinos, Dei denique miniſtros: *Novella vobis novate*, ſpinas ſilvasque tollite ex fundo veſtro, hoc eſt, exſtirpate ex animis veſtris ſolicitudines ſeculi hujus, fallaciamque divitiarum & cupiditates, quæ & verbum meum ſuffocant, cultumque ſanctitatis & pietatis impediunt. *Inſuper tempus jam eſt quærendi* Dominum, reſpiciendi ad Chriſtum, *donec veniat*, appareat, *& largiatur vobis pluvium juſtitiæ*, hoc eſt, verbum Evangelii, quo juſtitia, quæ ex fide eſt, nunciata, tanquam pluvialibus aquis, ſitientia peccatorum corda reficiuntur.

VII. Vis et augmentum seminis non est a satoris opera.

Marc. 4: 26. *Perinde eſt regnum Dei, ac ſi quis jaciat ſemen in terram, & dormiat, & exſurgat nocte ac die*, id eſt, aliis negotiis vacet, ſive ad quietem, ſive ad occupationes hujus vitæ ſpectantibus: *Et* interim, dum ipſe nihil de ſeminis incremento ſolicitus eſt & cogitat, *Semen germinet*, in terræ ſcilicet viſceribus radices figens, *& increſcat*, Græce μηκύνηται prolongetur, id eſt, e terra ſurgat, & adoleſcat, *dum neſcit ille*, utpote neque hoc ſentiens, neque de eo cogitando quicquam conferens, *ultro enim terra fructificat*, id eſt, ſponte ſua, citra aliam externam Agricolæ ſolicitudinem aut operam, circa ſemen: nam illud *ſponte* non excludit aliarum cauſarum, ut ſolis, & pluviæ, & ipſius Dei concurſum. *Primum herbam*, quæ hic comprehendit illa duo ſuperiora, germinationem & incrementum ſeminis in culmum: *deinde ſpicam*, inanem ſcilicet, deinde plenum ſeu perfectum frumentum in ſpica, dum folliculi implentur granis, qualia ſparſa fuerant. Significatur, verbi divini vim & efficaciam non pendere ab opera Miniſtri, ſed naturali & intrinſeca quadam

gaudere vi, qua profectus credentium paulatim & gradatim augeantur. *Seminis divini*, per prædicationem verbi in corda auditorum ſparſi, hæc eſt vividis natura, ut αὐτομάτως, ſua indole *creſcat & ſuboleſcat*, e gradu gratiæ minori, ſubinde ad majorem, usque dum plenum frumentum *in ſpica producatur*, totumque converſionis negotium perfecte abſolvatur. *Vid. Hulſem. Brev. de facultatib. hominis poſt lapſum.*

VIII. SEMEN CUM DEI VERBO COMPARATUR.

Semen vocatur verbum Dei, animis humanis Evangelii præconio inſertum. Ipſe Chriſtus explicans ſimilitudinem *Luc.* 8: 11. *Semen illud*, inquit, *eſt verbum DEI.* Nec ſane reperire eſt ſimilitudinem aptiorem; & doctrina magis refertam. 1. Ut enim, qui neſcit, quomodo frumentum proveniat, aut quomodo creſcant arbores, ubi tritici granum conſpexerit, nunquam animo comprehendit, granum terræ commiſſum in ſpicam aſſurgere, vel ex nucleo arborem naſci poſſe; ſed in parvulo grano ineſt quidam calor vitalis, & occulta quædam vis ad germinandum, creſcendum atque fructificandum a Deo immiſſa. Ita cum verbo Evangelii comparatum eſt, quod judicio rationis humanæ contemta res eſt, ſed cui Deus virtutem indidit regenerandi & purgandi corda, & illuminandi mentes, quoties auditum malitioſe non contemnitur. Eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, id eſt, medium, quo Deus potentem virtutem ſuam in credentibus exſerit. 2. Et quemadmodum fruſtra conſeritur ager, niſi ardore ſolis eum Deus foveat, & pluvia cœlitus riget; ſic fruſtra ſemen divini verbi ſeritur, niſi benedictionem ſuam impertiat Deus. *Neque is, qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat creſcendi vim.* 1 *Cor.* 3: 7. ne, qui annunciat verbum tantum ſibi arroget, ut vel eloquentiæ vel eruditioni ſuæ tribuat fructum & ſucceſſum prædicationis ſuæ. 3. Sæpe accidere ſolet ſementi huic ſpirituali, quod tritico ante hyemem ſato; Frigore enim terram indurante, & nivibus ſemen diu obtegentibus, ſpem agricolarum fefelliſſe videtur; Vere autem, germinare incipit & reviviſcere. Ita ſæpe contingit, ut verbum Dei hominis animo receptum occultetur, fructificationem ejus, cura & amore ſeculi, quovis frigore nocentioribus, impediente. Quod, ſi fiat, nec dum, ut optares, divinos motus majoresque pro-

greſſus

greſſus fidei tuæ ſentias, non ſtatim abjiciendus animus. Succeſſivum Dei opus exſpectandum, de quo *Marc.* 4: 26, 27, 28. Deo non præſcribendum tempus, & omnia illius miſericordiæ committenda, qui, ſicut non vult, ut quisquam pereat, ſed ut omnes veniant ad agnitionem veritatis, 1 *Tim.* 2: 4, etiam verbi ſui virtute animum tuum excitabit, & quod in te inchoavit bonum, perficiet. 4. Jam & divini verbi ſimilitudinem in ſemine videmus, quod cardui & urticæ ſua ſponte proveniunt, nullius ſementationis aut cultus indigæ: frumentum autem ut ferat terra, colenda, & ſæpius ſubigenda, bonoque ſemine conſerenda eſt. Ita vitia & vanæ cogitationes, & perverſa deſideria, ſua ſponte in hominum animis naſcuntur, & ſuccreſcunt, irrigatione non indigentes At verbum Dei eſt inſtar ſeminis peregrini, quod ex noſtra natura non provenit. Opus habet animus cultura, nec alius ager eſt, quem tot operis arator curet. Imo vero ſæpius accidit ut impenſo omni labore, exhortatione, minis & reprehenſionibus, ſanctum hoc ſemen in corde hominis receptum, fructum non faciat. Maledictio enim Adamo in terram dicta, ut inſumto etiam labore ſpinas tribulosque proferat, alteri huic terræ generi, cordi ſcilicet humano, hæſit. Poſtquam optimis excultum eſt diſciplinis, procreat vitia, pravis ſcatet cupiditatibus, horretque malignorum affectuum ſpinis, & deprehenditur verum quod *Geneſ.* 6. dictum: *Omne figmentum, & cogitationes cordis humani, tantummodo malum eſt omni tempore.* 5. Et quemadmodum herbæ malæ, quæ inter ſata naſcuntur, ſuum frumentis alimentum & ſuccum ſubtrahunt, ita pravæ cupiditates malæque occupationes, Dei verbo, amorem & qui ei debetur cultum ſubducunt. Solicitius enim proprios fœtus nutriunt matres, quam alienos: jam vero vitia naturales hominum fœtus ſunt, & in hæc naturali quodam feruntur inſtinctu. Doctrinæ autem ſalutares & deſideria ſancta, non a natura, ſed a gratia divina proficiſcuntur. Cæterum, ut omne ſimile dicitur diſſimile, ita in hac ſatoris, ſementis ac frumenti ſimilitudine, cujus exigua pars in bonam cecidit terram, differentia quædam & diſſimilitudo adparet. Primo enim hæc parabola, loquitur de terra, quæ ante ſementem bona erat. Nullum autem cor hominis reperitur, quod non ante malum fuerit, quam in eo verbum cœleſte ſeminaretur. Omnes in univerſum homines ſunt ager malignus & fundus mendax.

Quicquid enim Sophiſtæ garriunt, de præparationibus atque diſpoſitionibus ad credendum in Chriſtum, mera fraus eſt. Niſi quis exiſtimare velit latronem cum Chriſto crucifixum, præparationes & diſpoſitiones habuiſſe credendi in Chriſtum, rapinisque & latrociniis comparationem adornaſſe ad converſionem ſuam. Difficulter reperias in Paulo Apoſtolo præparationem aut diſpoſitionem ad obſequendum Chriſto, quum, quantum poterat, Eccleſiam perſequeretur, juratus hoſtis Jeſu Nazareni & verbi ejus. Nemo ad Chriſtum venire poteſt, niſi ipſum traxerit pater. *Johan.* 6: 44. Deus inveniri ſe patitur ab iis, qui non quærebant ipſum. *Rom.* 10. Mortui ſumus, ait Scriptura, in peccatis, Mortui autem nec motum, nec diſpoſitionem, ad ſuſcitandum ſe habent. 2. Ex hoc diſcrimine aliud enaſcitur, ſcilicet, ſi agrum tuum bono ſemine conſeveris, bonum hoc ſemen terræ, cui committitur, terræ naturam non mutabit, neque eam uberem reddet. Verbum autem Dei in cordibus natura malis, receptus, ea reddet bona, fidemque in iis & amorem timoremque Dei plantabit. Obſervari etiam hæc diſſimilitudo meretur. Frumentum terræ injectum computreſcit & moritur, antequam creſcat & fructum ferat; ut Chriſtus dicit *Joh.* 12. *Amen, dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi vero mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Secus fit verbo Dei, in fidelium corde recepto. Non enim moritur, ſed vivum eſt & vivificans, teſte *Petro*, 1 *Epiſt.* 1: 23. *Regeniti eſtis non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per ſermonem Dei vivi & manentis in æternum.* In corde fidelium æternæ vitæ ſemen eſt. 4. Adde aliud diſcrimen, nimirum quod, qui ſeminat, is, ſereno & tranquillo aëre ſemen jacit. Si enim flantibus ventis id faciat, ſemen longius ab agro auferetur, &, qui ſeminat, ſpe ſua fruſtrabitur. E contra, qui Dei ſunt agricultores, jubentur hortari & inſtare tempeſtive & intempeſtive, & Evangelii doctrinam diſſeminare furentibus & ſævientibus ventis, quibus Satanas atque mundus impedire verbum prædicatum ſatagunt.

IX. SEMINATUM AD VIAM.

Matth. 13: 4. *Luc.* 8: 6. *Exiit ſeminator ad ſeminandum ſemen ſuum; & inter ſeminandum, aliud cecidit ſecundum viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli exederunt illud.* CHRISTI INTERPRETATIO.

tatio. *Matth.* 13: 19. *Marc.* 9: 15. *Luc.* 8: 12. Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecundum viam, ii ſunt qui audiunt, ſive omnis, qui audit verbum regni & non intelligit; deinde venit Diabolus & tollit ſermonem e corde eorum, ne credentes ſerventur. Eadem Christi verba paulo latinus exposita. *Semen eſt ſermo Dei*, divinitus revelatum, in Scripturas redactum, & per Apoſtolos aliosque Eccleſiæ miniſtros prædicatum: *Qui autem ſecundum viam* ſeminati, id eſt, qui ſignificantur portione terræ, quæ viæ proxima a prætereuntium pedibus calcatur & inſtar viæ vel ſemitæ induratur: *hi ſunt qui audiunt verbum regni*, verbum quo Dei regnum Eccleſia, augetur & regitur, *& non intelligunt*, nolunt intelligere, neque etiam poſſunt, corde ipſorum indurato, vel natura & conſuetudine peccandi, vel impunitatis ſpe aut pertinacia, vel cogitationibus Epicuræis, vel exemplis peccantium, vel denique dolis Satanæ, qui ſemen verbi in animum altius non immiſſum ex eorum corde ſurripit, ut fidei tandem ac æternæ ſalutis faciant naufragium.

X. Seminatum in petram.

Matth. 13: 5, 6. *Luc.* 8: 6. *Satore ſeminante alia ceciderunt in petram vel in petroſa, ubi non habebant terram multam; & ſtatim exorta ſunt, propterea, quod non habebant profundam terram; Sole autem exorto, ardore tacta ſunt, & propterea quod non habebant radicem & ſuccum, exaruerunt.* Christi interpretatio. *Luc.* 8: 6. *Matth.* 13: 20. Qui vero in petram ſeminati, ſive in petroſa, ii ſunt, qui quum audierunt, cum gaudio excipiunt ſermonem: ſed iſti radicem non habent, temporarii ſunt, qui ad tempus credunt, & facta tribulatione, & tempore tentationis ſcandalizantur, & abſcedunt. Christi Domini vebba dilatata. Qui in petram ſemen excepit, in partem agri lapidoſam & profunda terra carentem ſatus, eſt is, qui auditum Evangelii verbum continuo & cum gaudio excipit, hoc eſt, mox ut audivit delectatus illius veritate, pulcritudine, rectitudine, in animum recipit, probat, credit & in opera nonnulla velut herbam erumpit. Hoc enim ſibi vult, quod in parabola dicitur *continuo exortum*, quia ad illam primam delectationem, veluti teporem ſolis, mox geſtu, verbis factiſque, fructum aliquem videtur polliceri. *Sed iſti radicem in ſe non habent:* In fide & charitate non

ſunt

ſunt radicati, non fundati. *Epheſ.* 3: 17. inſtar ſeminis *non habentis terram multam*, quod intus latentibus petris, ſola ſuperficie tegitur. Nam affectio pietatis, addo, & fides eorum ſuperficialis eſt, neque intima cordis penetralia ſeu affectus mutati ſunt, ſed inſtar ſaxorum duri manent: *temporarii ſunt*, *ad tempus credunt*, dum, ſcilicet, ad votum res fluunt, ſed tempore tentationis a Deo deficiunt: tempore perſequutionis, ob veram religionem motæ, & in calamitatibus privatis aut publicis, quibus hominum pietatem ac fidem Deus tentat, *continuo ſcandalizantur*, incipiuntque dnbitare de veritate Evangelii, & doctrinam quam ſapientiſſimi potentiſſimique homines rejiciunt, blaſphemant & proſequuntur, confeſſoribus illius acerbiſſime afflictatis. Itaque deficiunt ab Evangelio, quia perſequutiones non exſpectarunt, ſed divitias, honores, voluptates, nonniſi terrenam ſibi felicitatem polliciti. Defectionem hanc ſequitur ipſorum pernicies; *propterea quod non habent radicem & ſuccum exareſcunt*: quia vera firmaque carent fiducia, qua Chriſto tanquam radice & vita ſua niterentur, & unde vitalem traherent ſuccum, neceſſe eſt ut penitus exareſcant & emoriantur.

XI. Seminatum in spinas.

Matth. 13: 6. *Marc.* 4: 6. *Luc.* 8: 7. *Aliud cecidit in ſpinas, idque enatæ ſimul ſpinæ ſuffocarunt, fructumque nullum tulit.* Christi interpretatio. *Matth.* 13: 22. *Marc.* 4: 18. *Luc.* 8: 14. Qui ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit, ſed ſolicitudo ſeculi hujus, & fallaciæ divitiarum, vitæque voluptates aliæ, ſuffocant ſermonem, ut maneat infructuoſus Christi explicatio fusius exposita. *Qui ſeminatus eſt in ſpinis*, id eſt, terra ſpinoſa figuratus, in quo ex parte terræ nihil deerat; neque enim vel prorſus induratus erat, ſicuti primus, neque prioris vitæ vitiis tanquam petris plenus, uti ſecundus. *Hic eſt*, *qui verbum audit:* ſupple, *& intelligit*, atque in animum immittit, ut profundas radices agat. Præfertur enim hic præcedenti; neque germinatio aut radicatio, aut culmus aliquis, ſed ſolus ei fructus deeſt. Nam *ſolicitudo ſeculi iſtius*, id eſt, rerum quarumlibet ad hoc ſeculum pertinentium; Marcus enim dicit, *vitæ voluptates aliæ*, vel *cupiditates*, *quæ in reliquis verſantur.* Sub his comprehenditur, quicquid anxii homines in hoc mundo, quaſi

quaſi innocenter conſectantur, præter regnum Dei, ut honores, ſplendores familiæ, lites pro temporalibus, voluptates, quas expreſſit Lucas; etiam divitiæ, ſed quia iſtæ generaliſſimum publico hominum ſtudio quæſitum, & minime agnitum impedimentum ſunt, hinc ſpeciatim addit, *& fallacia divitiarum*, id eſt, fallaces & ſeductrices divitiæ, quia blanda ſpe promittunt id, quod præſtare non poſſunt, quietam ſcilicet beatitudinem, cum tamen curis in acquirendo & conſervando, præſentem maxime turbent, futurum plerumque auferant. Porro hæc omnia ſpinæ ſunt, quia ſolicitudo rerum divinarum delinit animum, ſerenat, colligit; *ſuffocat verbum*, quia totus affectus vigor & conatus animæ in illa derivatur, & ita obruitur atque extinguitur affectus vitæ melioris. *Janſenius Comment. in Matth. c.* 13.

XII. Seminatum in terram bonam.

Matth. 13: 8. *Luc.* 8: 8. *Marc.* 4: 8. *Aliud cecidit in terram bonam, & enatum edidit fructum, aliud quidem centena, aliud vero ſexagena, aliud vero tricena.* Christi interpretatio. *Matth.* 13: 23. *Marc.* 4: 20. *Luc.* 8. 15. Qui autem in bonam terram ſeminati, ſunt, qui ſermonem audiunt, eumque recipiunt, & intelligentiam intendentes, auditum ſermonem in corde honeſto & bono retinentes, fructum adferunt per tolerantiam, alius quidem centena, alius ſexagena, alius vero tricena. Christi interpretatio dilatata. Bona terra eſt non ſua natura ſed cultu, verbi divini præconio, quod ſatum in humani cordis agrum ipſum emendat. In bonam terram ſeminati, id eſt, qui in terram bonam excipiunt ſemen, hi ſunt, qui auditum & intellectum *ſermonem cum gaudio recipiunt*, Auditum & non intellectum, nequicquam prodeſt: Ut igitur intelligatur. 1. Aſſidue meditandus eſt. 1 *Tim.* 2: 7. 2. Intellectus ſub obſequium fidei captivandus, 2 *Cor.* 10: 5. 1 *Cor.* 3: 18, 19. 3. Scopus verbi primarius, qui Chriſtus eſt, exactiſſime obſervandus. *Jeſ.* 5: 39. *Act.* 10: 43. *In corde honeſto & bono retinent.* Nec enim ſufficit audire & intelligere verbum Dei. Suſcipiendum etiam eſt corde & voluntate, ex quo renovatio & regeneratio ſequatur: Retinendum eſt. Suſceptio credentes facit, conſervatio perſeverantes & beatos. Sic *fructum ferunt* conſervantes *in patientia*, adverſis quoque tempeſtatibus, alii quidem centuplum, alii ſexa-

 cuplum,

cuplum, alii trigecuplum. Sunt enim inter ipſos renatos, alii alacriores, alii tardiores, & ratione munerum diverſorum, alii aliis fructuoſiores. Abſurda vero opinio *Hieronymi*, qui fructum centenum adſcribit Virginitati, ſexagenum viduitati, tricenum conjugio: quia non agitur hic de præmiis accipiendis in vita futura, (quod ille putavit,) ſed de fructibus in hac vita edendis, ut ita numerus certus pro incerto plurimo per ſynecdochen poſitus ſit.

XIII. SEMENTIS ELEEMOSYNA.

2 *Cor.* 9: 10. *Qui ſuppeditat ſemen ſerenti*, Deus, omnis boni dator, qui facit, ut pariat terra edatque ſemen ſatori, *& panem ad eſcam ſuppeditat*, largiatur vobis victum neceſſarium & ſufficientem, *& multiplicet ſemen veſtrum* facultates, quas pauperibus diſpenſetis, *& augeat fructus Juſtitiæ veſtræ*; fructus Eleemoſynarum, ut ditemini ad omnem benignitatem, ut pro vobis a pauperibus fiant, deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, ut habeatis theſaurum in cœlo. *Matth.* 19: 21. *& retribuatur vobis in reſurrectione juſtorum. Luc.* 14: 14. Eleemoſynæ vocantur *Juſtitia. Pſal.* 112: 9. *Diſpergit*, *dat egentibus*, *juſtitia ejus perſtat in æternum*, & צדיק, juſtus dicitur, qui benignus eſt, & largitur eleemoſynas, *Pſal.* 37: 25. *Puer fui, etiam conſenui, ſed non vidi juſtum ita derelictum, ut ſemen ejus quæreret panem.*

XIV. SEMEN PACIS.

Zachar. 8: 11, 12. *Nunc vero non ſum ut diebus prioribus ego reliquiis populi hujus*, adverſus & infenſus; *Dictum verisſimum* DOMINI, Dei *exercitum. Nam ſemen pacis eſt*, id eſt, ſeritur Bonum, ad felicitatem populi hujus tendunt omnia. *Vitis adit fructum ſuum, cœlique edunt rorem ſuum, denique facio ut poſſideant reliquiæ populi hujus omnia iſta.*

XV. SEMEO BENE FACTORUM.

Gal. 6: 7, 8. *Ne errate: Deus non irridetur. Quicquid enim ſeminaverit homo, hoc & metet. Nam qui ſeminat carni ſuæ, ex carne metet interitum: qui vero ſeminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam. Deus non irridetur.* Vocat illuſionem Dei, cum vel

vel annonæ caritas vel rei familiaris tenuitas prætenditur ab iis, qui beneficentiæ fontem erga Eccleſiæ Miniſtros obturant. Deus enim non patietur ſe derideri, ſed hujusmodi homines ſuo tempore puniet. Ideo hortatur ad beneficentiam, argumento petito ab utili: *Quæ ſeminaverit homo, hæc metet.* Sunt bona noſtra nobis data ſane etiam propter carnis noſtræ debilitatem, ſed non ut carnis noſtræ concupiſcentias perficiamus, atque in carnem ſeramus. *Qui in carnem ſeminat, Coccejus:* qui juxta carnis ſenſum & affectum operatur, & proſpicit tantum præſentis vitæ commoditates, nullo futuræ vitæ reſpectu, *ex carne metet corruptionem* & interitum. Nam caro corrumpitur & quicquid propter carnem comparatur. Colliget opes perituras, & nec ſibi nec poſteris ſalutares, denique accerſet ſibi mortem æternam. *Qui autem in Spiritum ſeminaverit, metet vitam æternam,* hoc eſt, qui omne ſtudium ſuum, & vires ſuas, & facultates ſuas, conſecraverit Deo, & illis uſus fuerit ad hoc, ut gratia Dei abundet, & charismata Spiritus amplificentur, is & conſequitur amplitudinem donorum ſpiritus, & cum ſpiritu vitam æternam. Liceat quoque his addere *Balduini* Paraphraſin: „ Vos, qui nullam Doctoribus veſtris exhibetis beneficentiam, ne temere prætendatis indigentiam veſtram. Deus enim, qui vires & facultates omnium novit, imponi ſibi non patietur. Igitur qui nimium parce beneficia contulit, is parcam quoque a Domino retributionem accipiet. Nam prout quisque ſeminat, ita metet. Qui juxta carnis ſenſum & affectum agit, vel ad cupiditatem carnis, & per avaritiam ſuis doctoribus negat, quæ ipſis deberi intelligit, is ex carne corruptionem metet periturus cum operibus ſuis. Qui autem juxta ſpiritus ductum & regimen vivit, ſeu in caſu jam propoſito, qui ex fide liberaliter & large de ſuis bonis tribuit ad conſervationem Miniſterii, is olim e ſpiritu, hoc eſt de ſpirituali ſuo ſtudio, metet vitam æternam: non in ſe ipſam ſimpliciter, ut Dei viſione ac beatitudine definitur, ſed ſub differentibus adjunctæ gloriæ gradibus, & quidem non ex merito ſuæ beneficentiæ, ſed gratuita Dei remuneratione, qua non tanquam debitor, propter perfectionem aut dignitatem operum, ſed ex miſericordi paternaque liberalitate, propter Chriſtum prœmiis ſpiritualibus & corporalibus

„ exornat, quamvis inchoatam, languidam, imperfectam, & im-
„ mundam, filiorum ſuorum obedientiam."

XVI. FRUSTRA SEMINANS.

Hoſ. 8: 7. *Quum ventum ſeminaverint, etiam turbinem metent.* Inanium operum calamitoſa merces erit. Culmus nullus erit ei: germen non efficiet farinam; ſi forte fecerit, extranei abſorbebunt ipſam, etiamſi germinet ſemen poſt ſationem. Et ſimile eo ſpectat, inquit Kimchius, quod parum res eorum ſuccedent, poſtquam ceperunt male agere, nec ſtabit bonum illud, nec ſortietur optatum eventum, ut germen, quod ad meſſem adoleſcit & farinam reddit.

XVII. SATA LUX.

Pſal. 97: 2. *Lux ſata eſt juſto & rectis animo lætitia.* Mens dicti: Præparatum eſt juſto, & iis, qui integri ſunt animi, multum gaudium. *Lux* gaudium denotat, *Eſth.* 8: 16. decorem lætificum, *Jeſa.* 60: 19. Vitam, *Job.* 3: 20. Opponitur ei luctus, *Jeſa.* 60: 20. *Lux ſata eſt:* Gaudium paratum eſt & reconditum, ut ſuo tempore, quemadmodum tritici ſemen ex agro, ex animo juſti & rectorum corde erumpat. Ut autem qui triticum ſerit, non parca, ſed plena manu ſpargit ſemina, ita ſemen in juſtorum gaudia exiturum, benigna & larga Dei manu mittitur. *Juſtum* Scriptura vocat eum, qui Deum timet, eique gloriam & laudem tribuit, qui ſtudioſe verbum ejus meditatur, aſſidue orat, veritatem colit, ſobrie caſteque vivit, in proſperis rebus humilis, patiens in adverſis. Inprimis vero juſtum pronunciat Scriptura, eum cui propter Chriſtum remiſſa peccata, quo ſenſu Paulus *Rom.* 5. ait, per unius hominis, Chriſti ſcilicet obedientiam multi facti ſunt juſti. *Rectus* corde dicitur is, qui vivit innocenter, & exercet ſeſe, ut intemerata conſcientia, & apud Deum ſemper, & apud homines, præditus ſit. Quo ſenſu etiam de Noacho dictum, quod fuerit juſtus & integer in ætatibus ſuis, qui ſecundum Deum indeſinenter ambulavit. *Gen.* 6: 9. Seritur vero lux ſive gaudium, quo perfruatur juſtus & rectus animo, cum in hoc, tum in futuro ſeculo. In hoc quidem, ſi liberalibus & honeſtis ejus laboribus Deus benedicit, victumque ei & liberis ejus largitur; ſi pacem exercet, & charitate concordi ſe comple-

complectitur ipſius familia, ſi liberi ejus corpore & animo vigent, maxime autem, ſi in timore Dei proficiunt. Porro delectatur juſtus operum contemplatione, quæ a Dei potentia, ſapientia, bonitate & gratia, manant. Idem & ſuis delectatur factis, ut Salomo dicit, *Prov.* 21: 15. *Lætitia eſt juſto facere, quod juſtum eſt.* Lætitia ei eſt beneficentiam exercere erga inopes, novit enim quod hilarem datorem diligit Deus, teſte Apoſtolo 1 *Cor.* 9. Volupe eſt juſto, ſi viderit nomen Dei celebrari & regnum cœlorum creſcere; ſi cultoribus Dei, & ſacra ejus venerantibus adjungatur, exemplo Davidis, qui *Pſalmo* 122: 1. *Lætor*, inquit, *de eo, quod dicitur mihi, domum Domini adeamus.* Efficitur lætitia, quoties orando in Dei colloquium venerit, inque ſinum Patris ſui ſuſpiria familiarius effuderit. Facit certitudo gratiæ, & fiducia, & ſpes præſidii divini, ut ingenti gaudio perfundatur Chriſtianus, *In eo enim*, inquit David, *lætatur animus noſter, quia nomini Sancto ejus confidimus. Pſal.* 33: 21. Quin & gaudio cumulatur, in ipſis, quas propter Chriſtum patitur, afflictionibus, & Spiritu S. ſolatium ſuggerente, crux dulce jugum ipſi redditur & onus leve. Hinc eſt, quod Jacobus eam lætitiam Chriſtianis omnibus commendat, *Epiſt. cap.* 1, 2. *Summa, gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.* Jam quod gaudium juſto ſatum quidem paratumque diximus, ſed quo nondum fruitur, fruiturus autem eſt in vita altera, id beatifica illa Viſio erit, *quum Dominus lux æterna ſpectabitur. Jeſa.* 60: 20. *Apoc.* 22: 5. *ineffabili gaudio corda noſtra impleturus. Jsh.* 16.

XVIII. Semen cum fletu ſatum.

Pſal. 126: 5, 6. *Qui ſeminarunt cum lacrymis, cum cantu metent. Qui portans jactum ſeminis indeſinenter iverit flendo, is omnino redibit, cum cantu portans manipulos ſuos. Qui portans jactum ſeminis*, id eſt, tantum ſeminis, quantum unico jactui ferentis triticum ſufficiat, *indeſinenter iverit flendo*: ob jacturam ſcilicet ſeminis, quod unum ex omni frumento reliquum habuit egentiſſimus agricola, flens & dolens; is cum gaudio reportabit uberem aliquando manipulorum meſſem. Recte obſervavit Piſcator, hæc verba gnomen vel ſententiam eſſe generalem, qua ſententia verſus præcedentis confirmetur a genere, quod ita natura comparatum eſt, ut agricola qui cum lacrymis ſevit, meſſis tempore ju-

bilet. Itaque, Gejero judice, ſignificatur, Pios poſt moleſtias in hac vita exantlatas, aut hic, aut in vita futura, larga perfuſum iri conſolatione. משך, interprete Chaldæo tractum ſive extractum denotat, quantum traha vehat in agrum agricola, & uti nos arbitramur, *jactum ſeminis*; quantum ſcilicet ſeminans ex vaſe vel linteo, manu in agrum jecerit. Senſus nominis petendus ex verbis *Amoſi 9*: 13. משך הזרע trahit ſemen, hoc eſt, ſpargit vel jacit.

XIX. GRANUM TRITICI MORTUUM ET FRUCTUM EDENS, CHRISTUS.

Johan. 12: 24. *Niſi granum frumenti ceciderit in terram & mortuum fuerit*, putrefactum & terræ calore reſolutum, *ipſum ſolum manet*, unum ſolum granum ſine fructu. Mortuum dicitur, non ob ejus interitum, cum vis vivifica potius ſe exerat maxime, quum in terra reconditur, ejusque calore & humiditate fovetur, ſed ob mutationem, qua fit radix fructiferi culmi. Apodoſin comparationis ſubaudiendam relinquit Dominus, quaſi dicat: Sic ego, niſi morerer, mecum neminem ad ſalutem perducerem. Nam, ut *Auguſtinus*, Chriſtus eſt granum illud mortificandum & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Judæorum, & multiplicandum in fide omnium populorum. *Luc. Brugenſis*, *Glasſius & Janſenius*.

XX. CORPORUM DEFUNCTORUM SEMEN.

1 *Cor.* 15: 37, 38. *At dicet aliquis: Quomodo ſuſcitantur mortui; quali autem corpore prodeunt? Deſipiens, quod tu ſeris, non viviſcit, niſi mortuum fuerit. Quod ſeris, non corpus oriturum ſeris, ſed nudum granum, ſi caſus tulerit tritici, aut alicujus ex reliquis ſeminibus. Quomodo ſuſcitantur mortui?* &c. Quærebatur hoc ab adverſariis & ſenſu humanæ rationis, cui abſurdum videtur & impoſſibile, ut corpus vel in terra, vel in aëre, vel aqua, vel igne, jam pridem corruptum, & in infinitas prope ſubſtantiarum ſpecies converſum, ad vitam redeat. Sic enim præcipua hæreticorum argumenta e ratione prodeunt, & σαφὴς ἔλεγχος τῆς ἀπιστίας τὸ πῶς περὶ θεοῦ λέγειν, quod Juſtinus ait: *O demens*, qui ad rationis tuæ captum divinæ potentiæ opera transformas. *Quod ſeris, id non reviviſcit, quin mortuum ſit.* Docet Apoſtolus corpora no-

ſtra in reſurrectione aliis qualitatibus dotatum iri, quam iis, quas nunc habent. Nudum granum ſeminatur, ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpicæ, ſine munimento ariſtæ, ſine ſuperbia culmi: exſurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & usquequaque veſtitum, quemadmodum Tertullianus eleganter explicavit. *Vſ.* 38. *Sed Deus dat* grano orienti *corpus, ut voluit, & ſingulis ſeminibus ſuum corpus.* Suum corpus vocatur, quia eſt ejusdem ſpeciei, quod naſcitur cum eo, quod ſerebatur. Sed Deus dat proprium corpus prout voluit, hoc eſt, pro ſua libertate, retenta, eadem ſpecie, externa tamen accidentia mutat, ita ut granum ſeminatum longe pulcrius, plenius, & fœcundius, prodeat, quam prius erat: ita & corpora noſtra eadem quidem numero reſurgent, ſed longe meliorem ſtatum conſequentur poſt reſurrectionem. *Vſ.* 42, 43. *Seritur corpus in corruptione, ſuſcitatur cum incorruptione, ſeritur fœdum, ſuſcitatur cum gloria, ſeritur omnium virium expers, ſuſcitatur cum virtute, ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* Docet Apoſtolus aliam fore conditionem corporum reſuſcitatorum, quam quæ in hac vita. Sunt autem quatuor conditiones corporum humanorum, in quibus hic fit oppoſitio. 1. Hac in vita ſunt corruptibilia, poſt reſurrectionem incorruptibilia. Intelligit autem corruptionem ſubſtantiæ & accidentium; nam in hac vita peccatis, & morbis, & morti, exponuntur, quorum omnium expertia tunc erunt. 2. Hac in vita ſunt fœda & ignobilia, in altera erunt glorioſa. Fœditatem autem intelligit quæ oritur ex corruptione. Inde enim ſunt corpora deformia, fœda, & nauſeam moventia, præſertim cadavera facta: Gloriam autem intelligit de fulgore, luce & ornatu, quem habitura ſunt poſt reſurrectionem. 3. Hac in vita infirma ſunt, in altera erunt potentia. Per infirmitatem intelligit ignaviam & torporem corporum, quem ſentiunt in vitæ actionibus & in morte, ubi neque vermes neque putredinem arcere a ſe queunt; per potentiam autem, agilitatem innuit ac valorem ad expediendas actiones cœleſtes absque defatigatione. 4. Hac in vita ſunt animalia, in altera erunt ſpiritualia. Animalia ſunt, quia vitam vivunt animalem, indigentia alimentis, ad conſervationem naturæ, & generatione, ad conſervationem ſpeciei. Spiritualia erunt, non reſpectu ſubſtantiæ; manebunt enim corpora; ſed expertia nutritionis

&

& generationis, & ſpiritibus cœleſtibus ſimilima, qui neque per cibum naturam ſuam, neque per generationem ſpeciem ſuam conſervant. *Matth.* 22. plena etiam Spiritus Sancti, & ad obeundas actiones ſpirituales maxime idoneas. *Balduinus ad* 1 *Cor.* 15. *p.* 538, 539.

XXI. SEMINA INFESTANS MUCOR.

Joël 1: 17. *Mucida facta ſunt grana ſub glebis ſuis, deſolata ſunt horrea, deſtructa granaria; quoniam exaruit frumentum.* בעשו פרדות lurido pallore mucent grana, vel ſata. Etiam Thalmudiſtis פעש per pe ſcriptum verbum, eſt muceſcere. Nam & Hebræi & Chaldæi has literas inter ſe permutant, in verbis בזר & פזר *diſperſit.* A בזר eſt ברזל ferrum, pro ברזר, a פזר autem ferrum Chaldæi nominant פרזל pro פרזר, reſch litera iteranda, in ל aliam ſcilicet liquidam tranſeunte. Sententia loci poſtulat, ut בעשו per verbum *mucere* explicetur. Putreſcunt grana nimiis imbribus; muceſcunt autem in ἀνομβρίᾳ, vaporibus halitibusque terræ ſolis calore provocatis, qui, quum humectandis granis non ſufficiant, rancido mucore obducta grana, & humore debito defecta, interimunt.

XXII. SEMEN IN AGRO VITIATUM.

Matth. 13: 24. *& ſeqq. Simile eſt regnum cœlorum homini, ſerenti bonum ſemen*, hoc eſt: Ita fieri convenit in regno gratiæ, quemadmodum ſe gerere ſolet Paterfamilias, qui bonum ſemen ſeminavit in fundo ſuo. Fundus, interprete Chriſto, eſt Mundus; bonum ſemen ſunt filii regni, ſunt plantæ quos cœleſtis Pater plantavit. *Vſ.* 25. *Quum autem dormirent homines*, quum negligentius agerent Eccleſiae, vel ipſarum doctores, *venit ejus*, qui ſevit, *inimicus*, Chriſti adverſarius, *& ſeminavit zizania*, lolii genus tritico haut diſſimile, ex tritico nimirum aut hordeo corrupto natum, *inter triticum*, inter bonum ſemen, inter filios regni, qui doctrinam Evangelii vera fide amplectuntur, *& abiit*, tam doloſe, tamque aſtute id peregit, ut ſuper facto deprehendi non potuerit. *Vſ.* 26. *Quum vero germinaſſet herba*, quum enata ſemina herbaſcerent, & ariſtæ emicare cepiſſent, *tunc apparuerunt zizania*, manifeſtata fuit infidelitas improbitasque eorum, qui ſe filios regni, id eſt, Chriſtianos ſimularunt. *Vſ.* 27. *Accedentes*

dentes autem ſervi Patrisfamilias, agri cultores Dei, 1 *Cor.* 3: 9. *dixerunt ei*, *Domine*, *nonne bonum ſemen ſeviſti in agro tuo?* Certe bonum ſemen in agro ſeveras, *unde ergo habet zizania?* Verbum tuum, quod eſt verbum veritatis, filios regni, primitias operum tuorum gignit, *Jacob.* 1:8. Unde igitur habet ager tuus infideles, improbos, hypocritas, ſanæque doctrinæ adverſantes? *Vſ.* 23. *Quibus ille*, *inimicus*, inquit, *homo*, Diabolus veritatis ac ſanctitatis hoſtis *hoc fecit*. *Servi autem dixerunt ei: Vis igitur*, *ut ea colligatum abeamus?* Vis curam geramus, ut malæ iſtæ herbæ exſtirpentur? *V.* 29. *Minime vero*, inquit ille, *ne forte legentes zizania eradicetis ſimul cum iis triticum.* Periculum eſt, quia lolium a tritico diſcerni vix poteſt, ne triticum ipſum relicto lolio evellatis; ne præcipitate lolii & tritici, fidelium & infidelium diſcretionem, ne fidelem, aut eum, qui fieri fidelis poſſit, intempeſtivo rigore perimatis. Qui hodie depravatus eſt, cras ad frugem redire & reſipiſcere poteſt. *Vſ.* 30. *Sinite utraque ſimul creſcere uſque ad meſſem*, ad judicii noviſſimi diem, *& præſtituto meſſis tempore dicam meſſoribus Angelis*, (*Matth.* 13: 41.) *Colligite primum zizania*, colligite ſceleratos & improbos & hypocritas, & quotquot ſcandalo aliis fuerunt, *& ligate ea in faſciculos ad exurendum ea*, agite cum ipſis, ut cum ſtramine & paleis, quæ colligata in caminum ignis projiciuntur, & conjicite eos in ſtagnum ignis, *Apoc.* 19: 20. *Triticum vero congregate in horreum meum.* Juſtos in regnum patris mei, in manſiones, quæ ſunt in domo patris mei, comportate.

XXIII. Seminans ventum.

Hoſ. 8: 7. *Ventum ſeminarunt*, *metent turbinem.* Ventum ſeminare dicitur, qui operam conſumit circa res leves & vanas. Hoc videtur innuere: Ex vaniſſimo ſuo labore, quem ponent in colendis idolis nihil aliud percepturi ſunt, quam damnum & calamitatem, velut ſi ſererent ventum, meſſuri tempeſtatem vel turbinem. *Druſ. Prov. Sacr. p.* 516. Congruum ſane ſimile de filiis hujus ſeculi. Hi, dum carni gratam & damnoſam voluptatem ſectantur, quid niſi ventum ſerunt? Ventus exterius quidem in æſtu oblectat refrigeratque, ſed vel cito abit, vel in turbinem violentum & noxium convertitur: ſic voluptas carnis, & quodvis peccatum, brevem carni oblectationem adfert, ſed perit cito, &

non niſi turbo, procella & tempeſtas iræ Dei, & damnationis æternæ ſubſequitur. *Pluet ſuper impios laqueos, ignem & ſulphur, & ſpiritum procellarum, partem calicis eorum. Pſal.* 2: 6. *Glaſſius Evangel. Exegeſ. Part.* 4. *p.* 1260.

XXIV. INJUSTITIAM SEMINANS.

Prov. 22: 8. *Qui ſeminat injuſtitiam*, id eſt, qui extendit manus ad iniquitatem, & opprimit innocentes, *metet vanitatem*, nullum operæ pretium conſequetur; *& ſceptrum excandeſcentiæ*, vel *furoris ejus*, injuſti, furorem & iram in ſubditos exercentis, *conſumetur*; peribit, ad nihilum recidet.

Sirac. 7: 3. *Fili, ne ſerito in ſulcis injuſtitiæ*, ne ſtudeas parare tibi viam ad opes, per alterius injurias & deprædationem, *& ſeptuplum eorum non metes*, id eſt, ne alii te etiam durius tractent, Deo provide ita res diſponente. *Sophocles:*

Εἰ δεῖν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ,
Δίκης γὰρ ἐξέλαμψε νῦν ὅσιον φάος.

XXV. SEMEN FALSUM.

Jeſai. 57: 4. *Annon eſtis nati defectione? ſemen falſum eorum, qui incaluerunt in lucis ſub omni arbore virente? Nati defectione*, filii apoſtatarum, *ſemen falſum*, ſive *falſitatis*; ex idololatria geniti, ſemen adulterinum, ut vocantur commate tertio, generatio adultera. *Matth.* 12: 39. cui opponitur *ſemen veritatis*, vel *fidelitatis*, id eſt, filii juſti *Jerem.* 2: 21. progeniti per ſermonem veritatis, ut eſſent primitiæ creaturæ ejus. *Jacob.* 1: 8. 1 *Pet.* 1: 22. *qui incaluerunt in lucis*, qui in lucis ſcortabantur, ſequuti Deos alienos.

CAPUT XIX.

DE FRUMENTO.

Dagan *frumentum a multiplicando dictum. Frumentum eſt, quod culmus extulit.* Schibboleth, *ſpica.* Frit *ſpicæ.* Habur, *frumentum pretio emendum. Spica, annonæ hieroglyphicum.* Carmel, *ſpicæ nomen. Spica, hebes telum. Spicæ in primitiis. Spicarum primitiis propheta honoratur. Spicilegium interdictum colono.*

no. In Sabbato deuteroproto fricata ſpica. Frumenti ferax terra. Frumentum juvenibus importans fœcunditatem, Evangelii doctrina. Generatio frumenti, ſimilis paulatim creſcenti gratiæ. Frumentum Judææ. Imbribus & rore frumenta proficiunt. Nive ſata, divinis autem promiſſionibus homines juvantur. Frumentis nocent pluviæ & æſtus. Pauper pauperem ſupprimens, ſimilis pluviæ everrenti. Eurus frugibus inimicus. Siccitas, uredo, & rubigo, ad pœnitentiam invitant. Rubigo deprecanda. Locuſta ſegetum peſtis. Gazam, Arbe, Jelek, & Chaſil, *locuſtarum genera. Mures quoque frumenta depopulantur. Frumenta Deo muneri oblata.*

I. Frumenti nomen hebraicum, ejusque etymon.

Generali nomine frumentum ab Hebræis dicitur *dagan*, a verbo דגה quod eſt multiplicari arceſſitum, quia ſeminatum cum magna copia & fœcunditate ad colonum redit. In ſegetibus frumentum eſt, quod culmus extulit, juxta *Varronem lib.* 1. *c.* 48. Culmus frumenti calamus a radice ad ſpicam. Iſidorus frumenta vocat, quæ ariſtas habent, fruges autem reliqua. Ariſta autem a Varrone dicitur, quæ ut acus tenuis longa eminet e gluma. Spicam Hebræi *Schibboleth* nominant, vocabulo quod Ephrajimitarum lingua ineffabile, eos interimendi cauſam dedit. *Judic.* 12: 6. Illud ſumma in ſpica jam matura, quod eſt minus quam granum, cacumen culmi una voce Varroni frit, Hebræis *Roſch Schibboleth*, caput ſpicæ dicitur *Job.* 24: 24. *Si extulerint ſe parumper, nulli erunt, & deprimentur; ſi plane omnes exſilierint: Ut frit ſpicæ ſuccidentur. Plane omnes*, vel, vere omnes, ut כי הוא כאיש אמת Nam ipſe fuit vir plane fidus. *Nehem.* 7:1. *Exſilierint.* Uſitata eſt hæc verbi notio, nec opus eſt, ut ab ea recedatur. *Frit ſpicæ* in ſegete prominulum, facile & nullo negotio defringitur vento, grandine, virga. עבור, eſt frumentum pretio de frumentariis mercatoribus emtum. *Joſu.* 5: 1. *Comederunt Jiſraëlitæ de annona terræ pretio coemta, poſtridie paſchatis, azymos panes, & toſtum igne, eo ipſo die. Habur* pretium rei ſonare, conſtat ex *Amos* 2: 6. ubi voci כסף, id eſt, argentum reſpondet. *Eo quod* בכסף *pro argento vel pecunia vendunt juſtum, & pauperem* בעבור *pro merce vel pretio calceorum.* Sic & מר עבר eſt myrrha,

merces, quæ tranſit ad emtorem. *Cant.* 5: 5, 13. & argentum עבר לסחר, quod tranſit ad mercatorem, quod permutari cum mercibus negotiatoris poteſt. *Gen.* 23: 16.

II. SPICA ANNONÆ HIEROGLYPHICUM.

Gen. 41: 23, 24. *Septem ſpicæ graciles, tenues, & aduſtæ Euro, quas in ſomnis vidit Pharao, deglutiverunt ſeptem ſpicas pingues & plenas. Aduſtæ Euro,* שדפות קדים arefactæ vento orientali, qui adurit fruges, *Ezech.* 17: 10. & 19: 12. & *Hoſe.* 13: 15. Eurus calidior eſt in illis regionibus, Ægypto noxius, urit atque deſiccat. Flat enim a vaſta Arabiæ ſolitudine. Interprerationem hieroglyphici habes verſibus dicti loci ſequentibus. ALTERUM Spicæ nomen eſt כרמל, quod, ut Siphra docuit conflatum nomen eſt ex רך־מל, tenero plenum. Proprie hoc notare volunt ſpicam recentem; nam & Septuaginta vertunt χίδρα νέα, tenera & novella tritici aut hordei grana, & Suidas χίδρα exponit τὰ εἰς τὴν χεῖρα λεπτυνόμενα ἀπὸ τῶν ϛαχίων σίτου καὶ κριθῆς. Tales diſcipuli Chriſti, quum Sabbato deuteroproto per ſata faceret iter, manibus fricatas comederunt, *Luc.* 6: 1.

III. SPICA HEBES TELUM.

Ob teneritatem ſpicæ obtuſum telum cum ea comparatur, *Pſal.* 58: 9. *Intentabit ſagittas ſuas improbus; ſed ipſæ, ut ſpicas præbebunt ſe,* id eſt, obtundentur atque hebetabuntur neminem læſuræ. *R. Salomo* verbum יתמוללו deduxit a *Pihelico* מולל, quod eſt ſuccidit, ſequutus, ut fere ſolet Chaldæum interpretem, qui reddit מתגזרין, id eſt, ſuccisæ.

IV. SPICÆ IN PRIMITIIS.

In primitiarum munere offerebatur etiam contuſum e ſpicis virentibus, *Levit.* 2: 14. *Si offeras munus primitiarum DOMINO,* Abib *ariſtam matureſcentem, igne toſtam, contuſionem* carmel, *ſpicæ virentis,* id eſt, ex ariſtis grana torrefacta & contuſa. *Levit.* 23: 14. *Panem autem,* & Kali *toſtas ariſtas, aut* carmel, id eſt, *ſpicas virentes ne comeditote, usque ad illum ipſum diem, usque dum attuleris oblationem Dei veſtri.* Textus hic tria conjungit, vetans quicquam eorum comedere, priusquam primitiæ Deo eſſent allatæ. Prohibetur autem non qualiscunque co-

meſtio

meſtio granorum excuſſorum, ſed præparatio in modum panis, aut cibi. Morale. Inculcat ſanctificationem bonorum terrenorum per gratiarum actionem & eleemoſynarum diſtributionem, quam præcipit etiam & commendat Lex de ſpicis quæ tempore meſſis excidunt, pauperibus in agro relinquendis. *Levit.* 19: 9.

V. Spicarum primitiis propheta honoratur.

2 *Reg.* 4: 41. *Spicas recentes in gluma ſua cum aliis primitiis, attulit Eliſæ vir quidam, veniens e planitie SALISÆ. In gluma,* בצקלנו dictus pro צלקון, nam צלק Chaldæis eſt *diffindere* per medium in duas partes. Gluma grani fumentarii hordei aut tritici eſt tunicula ſeu involucrum fiſſile in duas partes. Spica autem cum gluma ſua, ſunt ſpicæ non trituratæ, nec contuſae. Hæ ſacerdotibus offerebantur, ſed quia non erat in decem tribubus ordinarium miniſterium, bonus hic vir eas detulit ad virum Dei, Eliſam extraordinarium Dei miniſtrum; inque eo pietatem ſuam declaravit. 1. quod Baalitis iſta non contulit, 2. quod miniſtros Dei aleret, quamquam frugibus iſtis in publica fame, etiam ſuæ familiæ poterat ſubvenire.

VI. Spicilegium interdictum colono.

Lev. 1 : 9 *Quum metetis meſſem terræ veſtræ, ne prorſus demetito latus agri tui: neque ſpicilegium meſſis tuæ facito. Latus* vel *angulum:* Scribæ Judæorum definiverunt, minimum ſexageſimam meſſis relinquendam eſſe. Additur *capite* 23: *vſ.* 22. *Pauperi & peregrino relinquito iſta: Ego ſum Dominus, Deus veſter.* Hinc Hebræorum ſententia: *Qui non relinquit pauperibus Spicilegium, perinde ac ſi vi pauperibus ſua diripiat.*

VII. In sabbato deuteroproto fricatæ spicæ.

Matth. 12: 1. *Eo tempore ibat Jeſus Sabbato per ſata: Diſcipuli vero ipſius eſuriebant, cœperuntque vellere ſpicas & edere. Vellere ſpicas:* Τίλλειν ϛάχυας. Τίλλειν hoc Lucas interpretatur ψώχειν, fricare, quo ſenſu vox τίλλειν eſt apud Diodorum Siculum & in gloſſis, τιλμὸς ὀσπρίων. Vellere ſpicas in alieno agro licebat per legem, *Deut.* 23: 25. quæ non impunitatem, ſed jus ad factum concedit. Sed an Sabbato vellere ſpicas in alieno agro ac fricare

liceret, alia erat quæſtio. Lex Moſis interdicit Sabbato facere opus ſervile. In jure Pontificio Romano, cujus pars magna ab Etruſcis erat, Etruſci autem ab Ebræis acceperant: Ne famula opera patranto, nempe feſtis diebus. Sed apud Romanos uſus indulgentior multas exceptiones famulorum operum invenerat. Itaque apud Virgilium hæc ſunt ea jure Pontificio petita, ut nos *Macrobius* docet:

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus,
Fas & jura ſinunt; rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Hebræi tales exceptiones non admittebant, quippe gnari decreto Dei lapidatum hominem, quod lignatum iviſſet in Sabbato. Ac nominatim in Pandectis ipſorum, ſpicas confricare nominatur inter famula opera. Neque negat Chriſtus opus eſſe famulum, ſed ex circumſtantiis oſtendit, factum hoc diſcipulorum legis ſententia non comprehendi. Eſt ergo quæſtio τοῦ ῥητοῦ καὶ τῆς διανοίας, ſtatus ſcripti & voluntatis, ut hac de re ipſa agens *Tertullianus* loquitur. Hæc *Grotius*. Sabbatum, quo avulſas ſpicas fricarunt *Lucas* dixit Σαββάτον δευτερόπρωτον, *cap.* 6: 1. Quid autem vult ſibi hoc ab Evangeliſta nove dictum vocabulum? Magno aſſenſu celebrata eſt Scaligeri ſententia, qui cenſet Sabbatum deuteroproton vocari quaſi πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα, primum a ſecunda die, vel a craſtino paſchatis, in computo Pentecoſtes. Diſplicuit hæc ſententia Grotio, qui veriorem tamen non attulit. Tria enim conſtituit Sabbata, & illud, quod Feſtum ſolennius ſecundum anteceſſit, putat vocari δευτερόπρωτον; nam Sabbatum ante Feſtum tabernaculorum vocat primum, quod ultimum potius anni civilis dicendum erat. Meretur imprimis aſſenſum eruditorum Coccejus ſacrarum literarum non proletarius Interpres. Is mentem ſuam ſequentibus verbis expreſſit: In Sabbato deuteroproto, id eſt, Sabbato, quod præcedebat poſtriduanum Sabbati, quo Manipulus ſecundum legem offerebatur, & agitandus erat coram Deo, ante quem diem non licebat frugem ex agro comedere, *Lev.* 23: 10, 11, 14. Manipulus ex agro oblatus, & in Sanctuarium illatus, ſignificat Chriſtum, ut primitias ex mortuis.

mortuis. Debebat offerri poſtridie Sabbati, hoc eſt, die Solis. Hoc Sabbatum in lege conſtituitur poſt Paſcha. Chriſtus poſt Paſcha, hoc eſt decimum quintum Niſan, die Solis, ſeu prima Sabbatorum ſurrexit, &c. Ergo δευτερόπρωτον eſt πρότερον τῆς δευτέρας, hoc eſt antecedens poſtriduanum Sabbati, quo manipulus offerendus erat. Duplex igitur diſcipulornm Chriſti videbatur eſſe culpa, 1. quod molerent in Sabbato, atque ita opus facerent. 2. quod interdicta comederent. Defendit Chriſtus hoc in Sabbato factum opus, cum a Davidis facto, qui panes propoſitionis comedit, quibus veſci non erat ipſi licitum, tum ab opere, quod faciunt Sacerdotes in templo, non aliter atque profeſtis diebus opus fiebat ab hominibus in locis profanis. Nam τὸ σάββατον βεβηλοῦν eſt diem Sabbati ut profeſtum agere.

VIII. Frumenti terra.

Inſignitur hoc nomine terra Iſraëlitarum majoribus promiſſa, quod frumento maxime abundaret. *Deut.* 33: 28. *Habitet Iſrael ſecure ſolus, fons Jacobi in terra frumenti & muſti. Fons Jacobi*, id eſt, Jacobi poſteri, Jacobitæ. Fons pro rivo accipitur, ut *Pſal.* 104: 10. Qui emittis fontes per valles, ut inter montes ambulent. Rivus autem pro filiis, ut *Prov.* 5: 16. Diſpergantur fontes tui foras, in plateis rivi aquarum. Frumenti ferax terra etiam celebratur a Rabſace, Aſſyriorum duce, Aſſyria, *Jeſaiæ* 36: 17.

IX. Frumentum sacerdoti consecrandum

Opimum terræ frumentum, quod Hebraice *adeps frumenti* adpellatur, conſecratum dabatur S. Sacerdoti. *Num.* 18: 12. *Dixit Dominus Aharoni: Quemvis adipem olei, & quemvis adipem muſti & frumenti primitias Iſraelitarum, quas dederint DOMINO, do tibi.*

X. Frumentum a terra exauditum.

Hoſ. 2: 21, 22. *Erit die illa, ut exaudiam dictum veriſſimum DOMINI: exaudiam cœlos, & ipſi exaudiant terram. Et terra exaudiat frumentum & muſtum & oleum: & iſta exaudiant Jizrehelem.* Ex *Glaſſio* repetamus divini dicti intelligentiam, qui *Meditatione* 1. *ad Evangel. Marc.* 8. Hæc, inquit, verba catenulæ inſtar

inſtar ſunt & vinculi, quo tota rerum natura, cœlum & terra, ſupremæ cauſſæ, quæ Deus eſt quaſi annectitur, & omnia, quæ ex terra proveniunt, πρώτως & originaliter ipſi Jehovæ, ut primo motori & autori, adſcribenda eſſe oſtenditur. Hoc ad exprimendum proſopopœia inſigni utitur. *Exaudiam cœlos*, inquit, quaſi diceret, cœlum tacito quaſi me deſiderio invocat, ut ſibi pluvias emittendi, inferiora fovendi, & in illa influendi virtutem, concedere velim: age vero, id ipſum faciam; cœlum exaudietur. *Terra exaudiet frumentum*, muſtum & oleum, quaſi diceret, terræ naſcentia, frumentorum ſemina, vineæ & olea, tacito quodam voto terram matrem ſuam invocant, ut ſuccum ſibi & virtutem præbeat, ad creſcendum & producendum ſuos fructus, in uſum hominum; age id ipſum etiam fiet, exaudietur frumentum, muſtum & oleum. *Et iſta exaudient Jizrehelem*, quaſi diceret homines calide optant, ut ex terra ſibi proveniant ejusmodi germina & fructus; age, id ipſum fiet, Jizrehel exaudietur. Præcipue autem in hac gradatione ad primum & ultimum reſpiciendum eſt. Primum eſt Deus promittens. Ultimum eſt homo omnia accipiens. Inter hæc talis connexio eſt, quod hic recta Deum invocat, & Deus ejus preces exaudit, & ſic cætera ex benedictione & virtute Dei fiunt, quæ dicto loco, ut cœlo, terræ, ejusque naſcentibus adſcribuntur, quod & ipſa exaudiantur. Et obſervandum quinam illi ſint, qui a Deo exaudiuntur, & propter quos Deus mundo benefacit, producendo ex terra varias ſpecies. Sunt Jizrehel, hoc eſt electum Dei ſemen, populus ejus, pauci fideles, propter quos certum eſt cunctis hominibus a Deo bene fieri, mundumque ab exitio & conflagratione hactenus fuiſſe conſervatum.

XI. FRUMENTUM JUVENIBUS IMPORTANS FOECUNDITATEM.

Zach. 9: 7. *Nam quantum erit bonum ejus, & quanta pulchritudo ejus? Frumentum juvenes, & muſtum quod gignentes præbet virgines. Quantum erit bonum ejus?* Quid præſtabit aliis gentibus Iſraël? *quanta pulchritudo ejus?* quis erit decor & ſplendor ejus? *Gignentes præbet?* Pihelicum, cujus Kal eſt נוב germinabit fructum feret. *Frumentum & muſtum*, eſt doctrina Evangelii, quam & Chriſtus muſto comparat, *Matth.* 9: 17. cibus & potus, ad quem fruendum Sapientia invitat imperitos, *Prov.* 8: 4, 5. qui operatur

operatur agnitionem voluntatis divinæ cum omni ſapientia & intelligentia ſpirituali. *Col.* 1: 9. & fœcunditatem dat omnis operis boni. 2 *Tim.* 3: 17. *Juvenes & Virgines* dicuntur imperiti rudesque ſermonis juſtitiæ, *Hebr.* 5: 13. & qui adhuc ſteriles juſtitiæ fructum non tulerunt: Nihil enim virginitate ſterilius; fœcundati autem verbo divino fructus proferent Deo gratos.

XII. Generatio frumenti similis paulatim crescenti gratiæ.

Marc. 4: 28. *Terra producit non ſolum herbam, & ſpicam, ſed etiam plenum in ſpica frumentum.* In terram ſive agrum cordis humani ſpargitur ſemen verbi, quod receptum non ſolum efficax eſt ad edendum fructum, ſed etiam in actu non tantum primam herbam, ſed proceſſu dierum, ſi culpa hominis herba non exareſcat, culmum quoque & ſpicam, inque ea frumentum tandem ad maturitatem producit. *Schertz. in Hulzem. Brev. enucleato.*

XIII. Frumenti ferax Judæa.

Fructuoſiſſima hæc fuit, non natura, nam lapidoſam habuit terram & montibus frequentem, ſed cura quadam Dei peculiari agrorum ubertate facile aliis terris antecelluit. *Deut.* xi: 11, 12, 13. *Terra in quam tranſituri eſtis, ad poſſidendum eam jure hæreditario, terra montium & convallium eſt; ad pluviam cœli imbibit aquam. Eſt terra, quam Dominus Deus tuus curat: jugiter oculi Domini Dei tui intenti ſunt in eam, a principio anni usque ad finem ejus. Erit igitur, ſi ſerio auſcultaveritis præceptis meis, ut dem pluviam terræ veſtræ tempore ſuo tempeſtivam*, quæ decidit autumno, *& ſerotinam*, ſive vernam, quod Hebræi annum popularem ab autumno inchoabant. *Sic colligas frumentum, & muſtum tuum, & oleum tuum.* Hinc & montes fertiles frugum fuere, antequam averſus ab hac gente Deus in ſolitudinem Palæſtinam dedit. Notarunt hoc, qui ex Chriſtianis hæc loca perluſtrarunt. Ita ſcribit Maundrellus, obſervatque horridarum Neapolim inter & Lebonam rupium adſpectum, oculos animosque hominum imbecillium prima fronte percellere; cum hæc non videantur convenire cum fertilitate & amœnitate terræ hujus in Sacro codice celebrata; nec tanta incolarum copia, qui mercaturæ non dediti ſuis opibus & proventu terræ ali debuerunt, in hac regione ſuſtentari poſſe

videatur. Notat porro (quod & Lotovicus obſervavit in Itinerario Hieruſolymitano p. 148.) illos montes & rupes olim terra tectos fuiſſe & cultos; quod ex reliquiis lapidum per certas ſeries in illis diſpoſitorum, ut terram coërcerent, ne a pluviis raperetur in valles, & aliis indiciis liquet. Cultos etiam fatetur Ariſteas montes Palæſtinæ fuiſſe. Quumque in monte, qui multa latera & ſuperficies habet, plus ſegetum provenire queat, quam in campo, cujus una tantum eſt ſuperficies, & in locis ſiccis & petroſis, licet ad producendas fruges ineptis, oleæ & vineæ plantari queant, & magna copia apum in locis maritimis, quæ nec oleas nec vineas, nec frumentum producere apta erant, nutriri ſoleat, unde mel copioſiſſimum, uti *Joſephus lib.* 5. *c.* 4. de Bello obſervavit, & ipſe Maundrellus teſtatur, ſe odorem mellis in illis locis naribus percepiſſe, exiſtimat hanc difficultatem non debere labefactare auctoritatem Sacri Codicis. *Relandus p.* 310. Iſaci in Palæſtina ſementis מאה שערים centum frumenti menſuras, id eſt, centuplum reddidit, *Gen.* 26: 12 quod adeo pro ſummæ fertilitatis argumento proponit Chriſtus, ut terra ferat καρπὸν ἑκατονπλάσιονα, *Luc.* 8: 8. In Talmude imprimis frumentorum fertilis celebratur Chorazitarum ager, *Menach. fol.* 85. 1. Apud *Varronem de re Ruſtica libro* 1. *cap*, 44. ſunt, qui ad Garada, *lege Gadara*, Syriæ urbem (intellige Syriam Palæſtinam) dicunt, ex modio naſci centum.

XIV. IMBRIBUS FRUMENTA PROFICIUNT.

Pſalm 65: 10, 11. *Viſitas terram, & abundare facis eam, plurimum ditas eam Rivo Dei*, Jordane miraculis celebrato, *pleno aquarum*, omni tempore meſſis, *Joſ.* 3: 15. inſtar Nili amnis in Ægyptum exundantis. *Eccl.* 24: 29, 30. *Paras frumentum illorum, qui terram incolunt.* Relativum ſine antecedente, ut *Pſal.* 28: 8. *cum ita præparaveris eam*, *Sulcos ejus irrigando*, *deprimendo porcas*, ſeu liras *ejus*, porcis a pluvia deſidentibus; *imbribus diſſolvis eam*, imbribus ſiccas durasque lirarum glebas macerando, ut in molliores partes dilapſæ commodius ſolum ſegetibus præbeant, *germini ejus*, frumentis e terra germinantibus, *benedicis*, incrementum fructumque eis largiendo. Notæ: גדוד inciſum, ſciſſum, ſciſſura, a radice *gadad*, ſcidit, incidit. Significatur hac voce lira vel porca. Lira eſt ſcamnum ſeu editior aratro ſciſſæ terræ cumulus,

lus, inter duos ſulcos interceptus. Liras, inquit Columella, ruſtici vocant, easdem porcas, cum ſic aratum eſt, ut inter duos latius diſtantes ſulcos medius cumulus ſiccam ſedem frumentis præbeat. Idem de Ulpico: Habet, velut allium, plures cohærentes ſpicas, eæque cum ſint diviſæ, liratim ſeri debent, ut in pulvinis poſitæ minus infeſtentur hyemis aquis. Eſt autem lira ſimilis ei porcæ, quam in ſationibus campeſtribus ruſtici faciunt, ut uliginem vitent. ברביבים *Imbribus*. Imbre ſcilicet *ſerotino Jerem.* 3: 3. qui cadit ineunte vere, & *tempeſtivo*, qui deſcendit autumno. Pluviam triplicem recenſent Rabbini, primigeniam, medianam, & ſerotinam. Primigenia eſt, quæ cadit tertio Octobris; mediana, quæ ſeptimo; ſerotina, quæ decimo ſeptimo deſcendit. Sic fuit ſententia Rabbi Meir; At Rabbi Jehuda dixit: decimo ſeptimo, vigeſimo tertio, & primo Novembris. *Tannith fol.* 6. 1. Serotinus hic imber a Deo precibus efflagitandus eſt. *Zach.* 10: 1. *Petite a Deo DOMINO*, pluviarum Patre *Job.* 39. *pluviam tempore ſerotino*, tempore, quo frumenta veſtra ſpicantur, *a DOMINO efficiente fulgetra* חזיזי קולות fulgetra cum tonitruis, *Job.* 28: 26. *& dabit eis*, qui petunt, *pluviam imbris*, id eſt, largam aut denſam, ſicut dicitur, lutum cœni, id eſt ineluctabile. *Pſal*: 40: 3. *cuique herbam*, id eſt frumentum dabit in agro ſuo.

XV. Ros frumento utilis.

Gen. 27: 28. *Det Deus tibi*, inquit minori filio Iſacus, *de rore cœli, variaque pinguedine terræ & copiam frumenti ac muſti.* Cohibitus ros ſterilitatem infert. *Hag.* 1: 10. *Idcirco contra vos cohibentur cœli a rore, & terra cohibetur a frumento ſuo*, & David Gilböe montibus, in quibus Saul & Jonathan occubuerunt, male precaturus, ut ne rore cœlitus tingerentur, precatus eſt, ſterilitati agros Gilboënos devovens. 2 *Sam.* 2: 21.

XVI. Nive sata, divinis promissionibus homines, juvantur.

Jeſa. 55: 10, 11. *Nam, quum deſcendit pluvia aut nix de cœlo, rurſus illuc non revertitur, ſed inebriat terram, facitque ut pariat ipſa & producat: ut edat ſemen ſatori, & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egreſſum fuerat ex ore meo, non revertetur*

ad me vacuum, ſed faciet id, quo delector, & proſperabitur id, quod emiſero.

Nix de Cœlo. Sub inclinationibus cœli clementioris acquirunt arva a nivibus fœcunditatem. Nivibus operto agro non exhalat calor genitalis. Iccirco effœteſcunt terræ continuatis ſationibus, quoniam & abit in ſegetem materia; & cum ea ſpiritus vivificatores. Augentur autem magis poſt nivem ſata, quod radices majora ceperunt incrementa.

XVII. De, iis, quae noxæ sunt frumento.

Satis infeſta eſt pluvia. Pluvia everrens fruges comparatur cum paupere pauperem ſupprimente. *Prov.* 28: 3. *Vir pauper, qui opprimet tenues, ſui ſimiles, ſimili eſt pluviæ everrenti*, ſata cum terra ſua diluenti, quam ſtragem graphice deſcribit Poëta:

Sæpe etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes, ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti, ſata læta boumque labores
Diluit - - -

adeo ut deſit panis, ut ablato, unde vivat genus humanum, fame laborare cogatur. Hoc eſt quod vulgo dicitur: **Bauren zu verderben muß man bauren brauchen.**

Nec ſolum ex pluviis, ſed etiam ex æſtu & nimia ſiccitate frumenta pereunt, quando ſcilicet cœlum, cohibitis imbribus videtur ferreum & terra ænea. *Levit.* 26: 19. *Deut.* 28: 23. Cum, ut *Ecl.* 5. *Calphurnius canit:*

— eſt ſiccus ager, cum fervida tellus,
Cum rimoſa palus & multo torrida limo
Æſtuat, & fragiles nimius ſol pulverat herbas.

Hominum culpa malum hoc obtingit. Deus enim nunquam non promtus eſt, benignitatis ſuæ divitias in nos conferre, & naturam, quam hominum cauſa condidit, ad neceſſitates eorum procurandas impellere. Igitur ob peccata in Deum commiſſa clauditur cœlum, ut non ſit pluvia, ut 1 *Reg.* 8: 35. agnoſcit Salomo, Hebræorum Rex. Idem ex prophetis diſcere eſt. *Jerem.* 12: 4. *Quousque lugebit terra, & herba omnis agri arebit. Propter malitiam habitantium in ea, conſumtæ ſunt pecudes & volatile:*

Id

Id eſt, propter improbos & perfidos veniunt publicæ calamitates, peſtilentia ſævit, pluvia coërcetur, fruges & fructus terræ non proveniunt; animalibus & volucribus victus non eſt. Id pii cum improbis coguntur ferre. *Hagai.* 1: 10. *Propterea*, propter neglectum Dei cultum, *ſuper vos cœli cohibentur, ut nec ros decidat, terra ipſa*, quæ alias agricolarum ſpem non fallit, *cohibet proventum ſuum. Et proclamabo*, immittam *ſiccitatem ſuper terram*, ſuper quam oculos meos die noctuque vigiles tenere promiſeram: *& ſuper montes frugiferos, & ſuper frumentum, & ſuper muſtum, & ſuper oleum, & ſuper omne id, quod productura eſſet terra:* quin etiam *proclamabo ſiccitatem ſuper homines*, vires eorum æſtu & aëre morbido exhauſturus, *& ſuper unum quodque animal* propter aquæ & pabuli inopiam affligendum, *& ſuper omnem laborem manuum*, ſuper agros & prædia a vobis culta, ſuper hominum boumque labores.

XVIII. Eurus frugibus inimicus.

Gen. 41: 23. *Deinde, ecce, inquit Pharao, videbam in ſomnio meo ſeptem ſpicas graciles, tenues, aduſtas Euro.* Eurus in Ægypto & Palæſtina calidus ac tepens arefacit plantas, *Ezech.* 17: 10. & 19: 12. & *Hoſ.* 13: 15. In noſtris regionibus Eurus frigore ſuo adurit germinantes vineas, quod in Italia facit Boreæ penetrabile frigus.

XIX. Æstus et siccitas frugum pernicies.

Nach. 1: 4. *Increpans mare arefacit ipſum, & omnia flumina exſiccat Deus. Ab eo langueſcit* æſtu *Baſan & Carmel*, montes fertiliſſimi, frugum *etiam flos Libani langueſcit*, omni decore foliorum & florum ejus pereunte.

XX. Siccitas ad resipiscentiam invitat.

Amos 4: 7. *Etiam ego cohibui a vobis imbrem, quum adhuc tres menſes ſupereſſent ad meſſem; & demiſi pluviam ſuper civitatem unam, ſuper vero civitatem alteram non demiſi pluviam; Portio una compluta eſt, & portio, quæ non ſivit pluviam ſuper ſe deſcendere, exaruit . . . tamen non eſtis reverſi ad me, dictum veriſſimum DOMINI.* Super ſiccitatem, cibi penuria, uredine, erucis, peſte denique, & bello, populum preſſiſſe dicitur Deus, eaque re contu-

maces ad reſipiſcentiam ſolicitaſſe, verſibus laudati *capitis* 6, 7, 8, 9. Metuendum ſane, ne reſipiſcentiam prolatanti Wirtembergiæ noſtræ eadem mala omnia incumbant. Bellum quidem proximis abhinc annis vehementer nos afflixit. Anno autem, quo commentamur hæc, ſiccitate & ἀνομβρίᾳ tanta laboratum, ut pleræque fruges, ipſumque adeo fœnum, in montibus atque convallibus exaruerit. Sed & ab erucis ſilvarum hortorumque honos, folia pleriſque locis depaſta, triſtem ſpectantibus faciem reliquerunt. Metuendum, ne has calamitates & fames & peſtis ſequatur: ſiquidem hactenus immiſſæ pœnæ contumaciam noſtram abrumpere ſeriamque converſionem a benigniſſimo Deo tantopere efflagitatam excitare non potuerunt.

XXI. UREDINE ET RUBIGINE AD CONVERSIONEM DEUS SOLLICITAT.

Haggai 2: 17. *Percuſſi vos*, id eſt ſegetes veſtras, *uredine & rubigine, ac grandine totum opus manuum veſtrarum, & nullus apud vos ad me* revertitur, *dictum veriſſimum DOMINI.* Idem dicitur, *Amos* 4: 9. *Uredine vel uſtilagine.* Segetes hoc vitium occupat, quando venti orientalis frigore aduruntur, innoxio ſole. *Rubigo* evenit, quum ſegetibus in culmos ſurgere incipientibus & e vagina nondum erumpentibus, ſtatim ab ardore ſolis imbres incidunt, calore ſolis ſubito ſequente. Tam ſubita mutatione occultæ adhuc in culmis ſuis ariſtæ incaleſcunt, quo fit, ut combuſta grana in pulverem atræ fuligini ſimilem evaneſcant.

XXII. UREDO ET RUBIGO DEPRECANDA.

1 *Reg.* 8: 37, 38. Orat Salomon, Hebræorum Rex, ut uredinem rubiginemque a ſe deprecantis populi orationem Deus velit eſſe ratam, ſi ad Templum, ubi Arca fœderis & Altare poſitum, facie converſa precarentur.

Joel 1: 19. *Ad te, DOMINE*, aliis per improbitatem nullo metu perculſis, *clamo, quia ignis conſumſit habitacula deſerti*, ſeu loca herbifera, paſtorum magaria, *& flamma*, immodicus æſtus *inflammavit*, exarere fecit, omnes arbores agri.

XXIII. LOCUSTÆ SEGETUM PESTIS.

Exod. 10: 4, 5. *Inducturus ſum cras locuſtas in oram tuam. Quæ ope-*

operient ſuperficiem terræ, ita ut non poſſit quisquam videre terram: abſumentque reſiduum, quod evaſit, quod relictum eſt vobis a grandine, & abſument omnem arborem, quicquid oritur vobis ex agro. Locuſtas, τὸν *arbe* locuſtam numeroſam, & τὸν *chaſil*, bruchum, ut liquet *Pſal.* 78: 46. *Et dedit* brucho *proventum ipſorum, & laborem ipſorum locuſtæ-numeroſæ. Relictum a grandine*, id eſt, triticum & zeam, quæ grando non læſerat; quia in Ægypto ſunt ſerotina. *Quicquid oritur vobis in agro*, ramos fructusque arborum & herbas, quæ grandinis impetum evaſerant.

Nemo poterat videre terram. Adeoque ſolito erant graviores, quia numero ſuperarunt, quicquid unquam fuit uſpiam in uno loco locuſtarum.

Joel 1: 4, 10. *Reliquum ipſius gazam comedit locuſta-numeroſa, & reliquum hujus locuſtæ comedit bruchus, ac reliquum hujus comedit bruchus alius. Vaſtatus eſt ager, luget terra, quia vaſtatur frumentum, & evaneſcit muſtum, languet oleum. Vſ.* 2. *An fuit hoc temporibus veſtris, aut etiam temporibus majorum veſtrorum?*

Gazam, *arbe*, *jelek*, & *chaſil* locuſtarum genera ſunt, quæ Latinus ſermo non diſtinguit. *Gazam*, locuſta προσέκερις, ramos arborum, graminaque & ſegetes detondens vel morſu amputans. *Arbe*, locuſta quæ multitudine ſua omnibus aliis præſtat. Diſtinguitur a *ſotham*, *chargol*, & *chagab. Levit.* 11: 22. *Jelek*, locuſta, lingendo perimens ſata & fruges. *Chaſil*, locuſta, quæ quod reliquum faciunt cæteræ, id in univerſum conſumit. חסל enim eſt conſumere vel conſummare & tribuitur ipſi etiam *Arbe. Deut.* 28: 38. *An fuit hoc temporibus veſtris?* In Judæa ſcilicet. Eo enim, ſcribit Bochartus, hæc pertinent: *Audite ſenes & auribus percipite, omnes incolæ terræ*, ſupple Judaicae, de qua hic res eſt. Sic quum de Ægyptiis legitur. *Exod.* 10: 14. *Antea non fuerunt locuſtæ illis pares, neque poſtea futuræ ſunt*, hæc ad Ægyptum reſtringenda. Alioquin cum Joële pugnaret Moſes, & cum Moſe Joël. Cæterum de locuſtis quæ habet Joël ad literam ſumenda eſſe, non de hoſtibus Judæorum, contra quam ſentiunt nonnulli Patres, & ex Hebræis *Abarbanel*, hinc probat *Bochartus*, quod hoſtes cum locuſtis non conferantur, niſi ratione numeri ſeu multitudinis, ut Midianitæ & Amalekitæ, *Judic.* 6: 5. & *cap.* 7: 12. Sed & *Theodoretus*, qui, quæ ad literam in Joële intelliguntur, revera contigiſſe arbitratur.

XXIV. Fru-

XXIV. FRUMENTA MURES DEPOPULANTUR.

Mus Hebræis ex hoc argumento dictus עכבר, id eſt, עכר־בר turbans frumentum vel agrum, utrumque enim *bar* ſignificat.

1 *Sam.* 6: 5. Facere Philiſtæi jubentur aureas murium imagines, qui terram ipſorum corruperant. *Quum feceritis imagines* aureas *murium veſtrorum*, qui corrumpunt terram, & dederitis DEO Iſraëlis gloriam: fortaſſis allevabit manum ſuam a vobis, & a DIS veſtris, & a terra veſtra.

XXV. FRUMENTUM, MUNUS DEO OBLATUM.

Gen. 4: 3, 4, 5, 6. *Obtulit Cajin de fructu terræ munus DOMINO*, ſplendidius ſacrificium quam Abel, qui obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipe eorum. *Nihilominus nec ad Cajinum nec ad munus ipſius reſpexit Deus; quapropter accenſa eſt ira Cajino & cecidit vultus ejus*, præ invidia erga fratrem. *Tum dixit DOMINUS Cajino, quare accenſa eſt ira tua*, ob prælatum fratris ſacrificium? *& quare cecidit vultus tuus* ex invidia? *Annon, ſi bene egeris, acceptum habeo* te & ſacrificium tuum? ſin male; *pro foribus excubat peccatum*, obverſatur tibi peccatorum pœna; *& annon erga te* primogenitum *eſt propenſa voluntas ejus?* Abelis, *& tu dominari ei potes?* non eſt Abel animo a te abalienato, & ſalvum tibi dominium & jus primogenituræ eſt. Nota, הלא, *annon*, interrogandi adverbium a priori hemiſtichio repetitur.

CAPUT XX.

DE TRITICO.

Tritici genera. Laudatiſſimum Hebræis Schora *dicitur & adeps tritici. Triticum Minnithæ. Triticum pilo contuſum. Pilo piſta frumenta. Tritici ferax Canaanitis. Pugillus tritici verbum Dei. Sugæ baſſchoſchannim, Cant.* 7: 3. *Tritico comparantur electi. Chriſtus tritici granum. Progerminans triticum figura reſurrectionis. Triticum, Dei verbum. Sexageſima cori tritici offerenda Deo. Ob periculum eradicandi triticum, non evellenda zizania. Zizania deſcribuntur.*

I. TRI-

I. Tritici genera.

Tritici genera, ut *Theophraſtus* author eſt *libro* viii. *cap.* 4. *H. P.* ſunt plurima, & differentiæ magnæ. Aliud enim precox, aliud ſerum; & aliud auctu amplum multumque reddens; aliud jejunum quoddam parumque ferens, & aliud ſpicam grandiorem effundens; aliud parvam, & aliud diu in folliculo manens; aliud aptum brevi abſolvi, ut Africum, & aliud culmo tenui conſtans, aliud craſſo. Aliud item tunicis paucis, aliud multis veſtitur, ut Thracium. Quibus & trimeſtrium annumeretur & bimeſtrium, & ſi quod intra pauciores dies queat conſummari. Trimeſtria permulta, & ubique habentur, levia & parum fœcunda, unicalama ſunt & in totum infirma &c. Quod igitur aliis bonitate præcellit Hebræis שורה, princeps, præſtans, vel præcipuum dicitur. *Jeſa.* 28: 25. *Nonne quum æquavit agricola terræ ſuperficiem diſponit triticum præſtans.* Pollen, quod ex nobiliori tritico conficitur laudatiſſimum, ſive ſimilago eodem ſermone vocatur חלב חטים *Adeps tritici*, *Pſal.* 147: 14. Diſponens termino tuo pacem, adipe tritici ſatiat te. *Pſal.* 81: 17. Denique cibaturus fuiſſem eum adipe tritici, etiam ex rupe melle fuiſſem ſatiaturus, id eſt, facturus eſſem ut apum examina, quæ in rupibus mellificant ſuo eum ſatiarent melle. Adpellatur quoque adeps renum tritici, hoc eſt pollen optimum, maxime nutricium, granorum qui renum ac teſticulorum figuram referunt. *Deut.* 32: 14. *Dat populo ſuo Deus lac e grege cum adipe agnorum & ducum inter oves Baſanitidis, & hircorum cum adipe renum tritici.*

II. Triticum Minnithæ.

Ezech. 27: 17. *Tritico Minnithæ, & panace, melleque, & oleo, ac reſina, negotiabantur in commercio tuo*, Tyre. *Minnith*, urbs fuit ad fines Ammonitarum, qua ſeptentrionem ſpectant. *Judic.* xi: 33. Optimo tritico abundaſſe eam ex hoc intelligitur, quod triticuum ſuum ad nundinas Tyrias exportavit. Phœnicia quidem & ipſa tritici ferax fuit, & Aſeriticæ Tribui vicina, quæ pinguem, id eſt optime nutrientem panem præbuit. *Gen.* 49: 20. ſed incolarum multitudini proventus ille non ſuffecit. Nam & hodie videmus regiones quasdam frumentum ferre, ſed non quan-

tum ſatis eſt, & nonnullas ſibi quidem ſufficere, non vero in tantum frumenti feraces eſſe, ut inde exportari queat: alias vero tam diviti ejus proventu beatas eſſe, ut cum aliis quoque communicare queant. Sic Ægyptus, imperio Turcico, Ruſſia, Belgis & Anglis, qui frumentum in emporio Archangeli coëmunt; Polonia, iisdem Belgis magna illud copia ſuppeditat, qui Dantiſci id coëmptum non tantum propriis ſuis provinciis, ſed inſuper Hiſpaniæ & Italiæ impertiuntur, quanquam hæc etiam e Sicilia aliquid accipiat. Germania per Albim Hamburgum, & Oderam Stetinum, transfert frumentum ſuum. Genuenſes Bona, & Veneti Tuni ex Barbaria, & Helvetii ex Alſatia & Wirtembergia, ſibi proſpiciunt.

III. QUID חטים מכות 2 PARAL. 2: 10.

Ad verbum ſonat *tritica plagarum*, id eſt, tritica pilo contuſa. חטים pro חטי nomine integro in locum conſtructi poſito, ut in מים ברכים aqua genuum, *Ezech.* 47:4. Solebant veteres pilis pinſere & terere frumenta, unde etiam a terendo tritico nomen hæſit. *Plinius lib.* 18. *c.* 10. Piſtura non omnium facilis: quippe & Hetruria ſpicam farris toſti, piſente pilo præferrato fiſtula ferrata & ſtella intus denticulata, ut niſi intenti pinſant, concidantur grana ferroque frangantur. Major pars Italiæ ruido utitur pilo, rotis etiam, quas aqua verſet obiter & molat. Ibi Hermolaus: Præferratum pilum in molendo propterea vocatur a Plinio, ut a pilo ruido, (ſic enim ipſe vocat) diſtinguatur, ad molas ſcilicet, quas in aqua verſat, utili, nec tam, quod ſine ferro eſt, id nomen habet, quam quod aſperum impolitumque. *Servius ad illud Æneidos primo*,

Et torrere parant flammis & frangere ſaxo,

annotat: „Apud majores noſtros molarum non erat uſus; frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant. Et hoc genus erat molendi, unde & pinſores dicti ſunt, qui nunc piſtores vocantur." Pilo autem terebatur triticum putatoribus in Libano miſſum, ut ad eſum foret paratius. Igitur pro חטים מכות tritico pilis tuſo, 1 *Reg.* 5: 25. utpote parallelo, ſcribitur חטים מכלת, triticum cibi vel cibarium, quod pilo commolitum cibo vel eſcæ factum idoneum.

IV. TRI-

IV. Tritici ferax Terra Canaanis.

Triticum felicius provenit in pingui & profundo quam in macro & tenui fundo. Cujus rei cauſam diſquirit *Plutarchus Quæſt. Natur.* xv. *& Theophraſtus de cauſis Plant. lib.* 3. *c.* 29. Pingue vero ſolum habuiſſe Cananæam pluribus locis, nullum eſt dubium. Vocatur enim *Terra tritici*, *Deut.* 8: 8. & fertilitatem illius arguit ingens illa tritici vis & copia, quam Tyriis miſiſſe dicitur Rex Salomon, 1 *Reg.* 5: 11. *Dabat Hiramo Tyriorum regi Salomon in cibum pro familia ejus, de anno in annum tritici contuſi coros vicies mille*, id eſt, medimnos decies octies mille, acht zehen tauſend ſcheffel. Totidem promittit putatoribus Tyriis, cæſoribus arborum 2 *Par.* 2: 10. Ubertatis illius & copiæ documentum quoque habemus in quotidiano Salomonis victu 1 *Reg.* 4: 22. *Erat Cibarium Salomonis in dies ſingulos ſimilæ cori triceni, & farinæ cori ſexageni.* Similæ cori triginta, reſpondent medimnis viginti ſeptem, farinæ autem ſexaginta cori, quatuor & quinquaginta medimnis. Jam ſi ſimilam cum reliqua farina conjunxeris, qua ſingulis diebus utebatur Rex Hebræorum, medimnos colliges octoginta & unum. Laudatiſſimum triticum, ſi Thalmudiſtis credimus, penes כרזיים Corazitas provenerat. *Menach. fol.* 35. 1.

V. Pugillus tritici, verbum Dei.

Pſalm 72: 16. *Ubi fuerit pugillus tritici, in terra*, imo *in vertice montium, attolletur ut Libanus fructus ejus* tritici, *& florebunt*, qui *ſunt ex urbe ut herba terræ*. *Pugillus tritici*, id eſt, quantum tritici deferat pugillus. Plenitudo pugilli tritici. *Imo in vertice montium*, ubi minor fertilitas, quam in planitie convallium. *Attolletur*, ירעש ſublime feretur, ſublimis abibit, altius a terra ſe tollet. Sic de equo & locuſta ſubſultantibus & e terra ſe tollentibus uſurpatur verbum הרעיש *Job.* 39: 20. *vel* 27. *An facis equum exſilire inſtar locuſtæ.* Quin & רעש motum ſignificat altius ſeſe extollentis terræ. Extollitur autem ſive hinc inde libretur, ſive navigii in modum ex altera duntaxat parte inclinetur. *Qui ſunt e civitate*; אשר pronomen, ut ſæpius hic deeſt. *Florebunt ut herba*, avide germinabunt. Sensus est. Ubicunque verbum Dei, nobiliſſimum frumentum, *Jerem.* 23: 28. feretur,

in locis etiam non fertiliſſimis, ut Libanicæ arbores ſublime feretur credentium multitudo, & augebuntur ad immenſam multitudinis ſpeciem, qui ſunt e civitate Dei Chriſtiani.

VI. QUÆ MENS VERBORUM סוגה בשושנים CANT. 7: 3.

Venter tuus eſt acervus tritici, סוגת : סיגת בשושנים participium, alii ad acervum, alii, quod & nos fecimus, ad ventrale veſtimentum liliis acu pictum, retulerunt. Cogitandum vero an rectius verba hæc reddantur: ô ſepta liliis, id eſt, amicta veſtimento, arte phrygia ad pulchritudinem liliis undique picto. Significant lilia id, quod propter amœnitatem decorum, vel propter fragrantiam complacitum & acceptum eſt. Itaque hic denotet oblectationem, quam Chriſtus capit vel ex integritate fidelium, vel ex ipſius cognitione, quæ vocatur Chriſti bona fragrantia, odor ſcilicet quietus, hoc eſt, is, in quo acquieſcat. 2 *Cor*. 2: 14, 14. Nimirum, hæc illa veſtis eſt, de qua Paulus *Coloſſ*. 3: 12, 14. Induimini ut electi Dei, Sancti & dilecti, viſceribus miſerationum, benignitate, animi ſubmiſſione, lenitate, iræ cohibitione; Sufferentes alii alios, & condonantes vobis mutuo, ſi quis adverſus aliquem habuerit querelam; ſicut & Chriſtus condonavit vobis, ita & vos. Super hæc autem omnia induimini charitate, quæ eſt vinculum perfectionis.

VII. TRITICO COMPARANTUR ELECTI.

Luc. 3: 17. *Perpurgabit Chriſtus aream ſuam* (Eccleſiam Iſraëliticam, quæ area ipſius vocatur *Jeſa*. 21: 10.) *& congregabit triticum*, id eſt electos, *in horreum ſuum*, in cœlum, ut Chriſtus exponit, *Matth*. 13: 38, 39. *Paleam autem*, reprobos, exuret igni inextinguibili.

VIII. CHRISTUS TRITICI GRANUM.

Johan. 12: 24. *Amen, Amen, dico vobis; niſi granum tritici ceciderit in terram*, ſeminatum fuerit, *& mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, unicum ſcilicet & ſterile, & ſine fructu. Ut fructum faciat, corrumpi debet. Nempe & nucleus molliri, & dividi vel explicari debet, & caro illa ſpermatica ſubigi ac liquari,

ri, ut germen interius in novam plantam aſſurgat. Igitur germen quidem iſtud non corrumpitur, ut patet, ſed germinat ac vegetare incipit, & augeri, licet aliæ partes vere corrumpantur in gratiam germinis, cui famulantur. Et vero niſi ſpermatica illa caro lacteſceret, novus ille fœtus, cibo omni deſtitutus, prorſus areſceret; & niſi membranula chylum illum contineret ad inſtar ventriculi, ſtatim efflueret; niſi demum teſta vel nucleus ſeſe explicaret, nova planta emicare unquam non poſſet. *Honor. Faber*, *libro de Plantis Propoſ. 86: Si vero mortuum fuerit, multum fructum affert*, nempe pro uno grano plurima. Relinquit ſupplendam alteram ſimilitudinis partem, hoc, vel ſimili modo: Ita ego ſi mortuus fuero inſtar unici grani, meſſem ingentem, fidem & ſalutem omnium gentium prolaturus ſum.

IX. Progerminans triticum figura resurrectionis.

1 *Cor.* 15: 35, 36, 37, 38. *Sed dixerit aliquis, quomodo ſuſcitantur mortui? quali autem corpore predeunt? Deſipiens, quod tu ſeris, non viviſcit, niſi mortuum fuerit. Et quod ſeris, non corpus oriturum ſeris, ſed nudum granum, ſi caſus tulerit, tritici aut alicujus ex reliquis ſeminibus. Sed Deus ei dat corpus ut voluit, & ſingulis ſeminibus ſuum corpus.* Diluit, & falſam eſſe docet Apoſtolus opinionem eorum, quibus abſurdum videtur & impoſſibile, ut corpus vel in terra, vel in aqua, vel igne, jam pridem corruptum, & in infinitas prope ſubſtantiarum ſpecies converſum ad vitam redeat. Sic enim præcipua hæreticorum argumenta e ratione prodeunt, & σαφὴς ἔλεγχος τῆς ἀπιςίας τὸ πῶς περὶ τοῦ Θεοῦ λέγειν, quod *Juſtinus* ait. Reſpondet autem bifariam, primo increpatione, quod tam ſint ſtolidi, prodantque ſtultitiam ſuam, dum omnium acutiſſimi videri volunt; ſecundo, adducta ſimilitudine: *Deſipiens, quod tu ſeris, non viviſcit niſi mortuum*, quaſi dicat: quemadmodum ſemen conjectum in terram, & veluti ſepultum, non prius vivificatur, quam mortuum ſeu corruptum fuerit, & tum prodit multo nobilius, mutata qualitate, non ſubſtantia: ita corpora noſtra ſunt ſemen Dei, quæ non vivificantur, niſi prius ſepulta corruptaque, & tum prodibunt multo nobiliora, eadem ſubſtantia quidem, ſed mutata qualitate. *Quod tu ſeris, non corpus oriturum ſeris*, intellige ratione qualitatum, quia non tota

ſpica cum radice, caule, foliis, flore, & fructu ſeminatur: *ſed nudum granum*, quod germinans radices agit, & excreſcit in ſua ſubſtantia quidem, longe tamen pulcrius, præſtantius, uberius & copioſius. *Cyprianus in Expoſitione Symboli Apoſtolici.* Quod in ſeminibus, quæ in terram jacis, per annos ſingulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ Dei lege ſeminatur in terra, futurum non credis? Idem paulo poſt: Si quis diverſa ſemina ſpargat paſſim in terram, nonne unius cujusque ſeminis, quocunque loco fuerit ſatio, competenti tempore, ſecundum naturæ ſuæ ſpeciem germen producit, & culmum ſuæ formæ, ſuique corporis reparat? Ita ergo & uniuscujusque carnis ſubſtantia, quamvis varie & diverſe diſperſa ſit, ratio tamen ipſa, quæ ineſt cuique carni, immortalis eſt. *Prudentius in Exſequiis:*

Sic ſemina ſicca vireſcunt,
Jam mortua jamque ſepulta,
Quæ reddita ceſpite ab imo,
Veteres meditantur ariſtas.

X. TRITICUM DEI VERBUM.

Jerem. 23: 28. *Propheta, penes quem ſomnium eſt, enarret ſomnium; & penes quem eſt verbum meum, eloquatur verbum meum fideliter. Quid paleæ cum tritico? dictum-veriſſimum DOMINI.* Cum tritico Dei verbum idonee comparatur. Nam הבר Hebraicum tritici vocabulum a puritate dictum, quia puriſſimum & candidiſſimum panem præbet. Sermo Dei eſt puriſſimus. 2 *Sam.* 22: 31. *Pſal.* 119: 140. 2. Tritici granum nativam inſitamque naturæ ſuæ vim habet plaſticam, & ex ſua indole fructificat. Ita verbum DEI inſita ſeu innata eaque divina vi vivificat corda, convertitque & progenerat Dei filios. 1 *Pet.* 1: 23. 3. Triticum avide creſcit. Sermo Domini creſcit & multiplicatur. *Actor.* 12: 24. 4. Ut triticum corpus, ita verbum divinum alit nutritque animas. *Paleæ* ſunt hominum commenta vana, levia, ſterilia, venti ludibrium & ignis æterni pabulum.

XI. SEXAGESIMA CORI TRITICI OFFERENDA DEO.

Ezech. 45: 13. *Hæc oblatio eſt, quam offeretis, ſextam Ephæ e Chomere tritici; ſimiliter ſextam offeretis Ephæ e Chomere hordei.*

Jubet

Jubet dari miniſtris Dei ſextam partem Ephæ, quæ eſt ſexageſima pars cori ſive Chomer, quæ menſura reſpondet uni fere ex medio octavæ. Jſt von einem ſcheffel ein halber vierling. Morale: Requirit fructum fidei non tantum in Eleemoſynis, quæ dantur privatis, ſed etiam in impendio in Sanctuarium & miniſtros Sanctuarii, quam εὐποιΐαν etiam Apoſtolus *Hebr.* 13. ſacrificium appellat, quo colitur Deus. Ita *Rom.* 13: 6. dicit, propterea etiam tributa dari, nempe, ut Magiſtratus habeant, quo honorent bonum.

XII. Ob periculum eradicandi triticum non evellenda zizania.

Matth. 13: 25, 26, 27. *Quum dormirent homines venit inimicus* triticum ſerentis, *& ſevit zizania inter triticum, & abiit.* Quum vero germinaſſet herba, & fructum edidiſſet, tunc apparuerunt etiam zizania, quæ cum colligere vellent ſervi, ſimul cum tritico creſcere juſſit herus, ne ea colligendo ſimul eradicarent triticum. Videtur in Syria natum *Zizaniorum* vocabulum. Thalmudicis vocatur זונין *Kilaim cap.* 1. *hal.* 1. *Triticum & Zonin non ſunt ſemina heterogenea.* Ubi Gloſſator: *Zonin eſt ſpecies quædam tritici, quæ in terra mutatur, & quoad formam, & quoad naturam.* Zizania eſt lolium ſpica longiore, tritico in primordiis ſimilimum, & a tritico ægre diſcernendum. Gerit folia culmosque nodoſos, tritici tamen hirſutiora, & cum iis naſcitur, ſeminibus ipſorum corruptis, aut in deterius mutatis; quod fit, ut Galenus voluit, cum diutius tritici ſemen retentum eſt terra priusquam erumpat, vel, ut alii opinantur, ex nimia humiditate, aut calore nimio, vel ubi ſolum habet uliginoſum. Triticum in lolium, propinquam atque affinem congeneremve mutari ſpeciem, & viciſſim lolium abire in triticum, experientia firmatum eſt. *Vide Scaligerum in Theophraſti libros de cauſis Plantarum, pag.* 141. 148. 274. & ipſum *Theophraſtum* de ſpecierum mutatione differentem, *lib.* 11. Jam cum degenere tritico Chriſtus comparat malos Chriſtianos, ſive hypocritas, & prava docentes, qui habent formam pietatis, ſed vim ejus abnegarunt. 2 *Tim.* 3: 5. Hos cum ægre a veris Chriſtianis diſcernantur, eradicari vetat agri, id eſt, Eccleſiæ Dominus, ne cum zizaniis & triticum evellatur, vel lolium eradicetur, quod in triticum abiret, id eſt, ne

ne veri Chriſtiani pro falſis habiti, vel mali, qui in bonos mutari poterant, intempeſtivo zelo extirpentur. Exſpectanda igitur ſeculi conſummatio, & tempus, quo filius hominis mittet Angelos ſuos, qui colligent ex ipſius regno omnia offendicula, & eos, qui dant operam iniquitati, projicientque eos in fornacem ignis, ubi erit fletus ſtridorque dentium. *Vſ.* 40, 41, 42. videatur *Auguſtinus lib.* 2. *contr. Creſcen. c.* 30. Tolerentur præſentia mala, donec veniat beatitudo promiſſa. Suſtineantur a fidelibus infideles, & exortorum inter frumenta zizaniorum avulſio differatur, quantumlibet ſæviant impii. Melior eſt etiam in hoc tempore cauſa juſtorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto glorioſius coronantur. Vide etiam vindicias hujus loci *apud Dorſchæum Antichr. Theol. Judicio Erneſti de Euſebiis oppoſita fol.* 216. *ſeqq.*

CAPUT XXI.

DE SPELTA, HORDEO, ET PANICO.

Chuſſemeth, Zea vel ſpelta ab occultando nomen tenet, Sehora, hordeum, ab hirſutie. Hordei genera. Præſtantius cæteris Niſman, id eſt, inſigne dictum. Sationis tempus. Hordeum Ægypti grandine percuſſum. Hordeum equorum pabulum. Hordei quantum a Salomone cæſoribus arborum in Libano miſſum. Hordei loco mala herba. Sesqui chomer hordei dimenſum uxoris quindecim ſiclis comparatæ. Pugillus hordei quæſtus levis. Dochan non eſt milium ſed Panicum.

I. SPELTA.

Græcis authoribus Ζέα vel Ζειὰ, hinc apud Poëtas Ζείδωρος adpellata terra, quia zeam mortalibus donet. Hebraicum eſt כסמים *Ezech.* 4: 9. & כסמת *Jeſai.* 23: 25. *Quum æquavit arator agri ſuperficiem, diſponit triticum præſtans, vel hordeum inſigne, vel zeam* (ſive ſpeltam) *in termino ſuo*; in ſeiner Zelg / oder in ſeinem Eſch. Frumentum hoc adpellatum cenſetur a detonſione, quia כסס eſt tondere. Atqui non tondetur ſpelta. Dicendum ergo hoc vocabulum ſcribi per metatheſin literarum pro כמסים & כמסת derivatum a verbo כמס, reconditum eſſe,

Deut.

Deut. 32: 34. Tam provide enim granum ſpeltæ in putamina ſeu glumas ſuas natura recondidit, ut eas ne tritura quidem amittat. Duorum eſt generum; una ſimplex *Briza* monococcos, noſtratium Einkorn/ altera in geminis putaminibus grana bina juncta gerit, ob id dicoccos adpellata, noſtratibus Dinckel. Plusquam hordeum alit, ori grata. In panificia vero digeſta minus quam triticum alit. *Dioſcorides* zea univerſa ſua facultate quodammodo in medio eſt tritici & hordei: itaque, inquit Galenus, ex illis cognoſcatur. *Ezechiel c.* 4: 9. panem ſuum confecturus miſcere ſpeltam, triticumque & hordeum jubetur, fabis lentibus & milio, qui miſcellaneus panis ſignum fuit penuriæ & famis, quam obſeſſa urbis Hieruſolyma erat toleratura.

II. Hordeum.

Hebræis שעורה ab hirſutie vel horridis ſpicis nominatur. Eſt autem in hoc frumenti genere multiplex differentia. Nam, ut *Theophraſtus* memoria prodidit, ſpicæ aliis grandiores rarioresque conſtant, aliis minores frequentioresque, & aliis diſtantiores a foliis, aliis proximiores, ut Achilleis cognomine. Et hordeorum ipſorum aliud rotundius minusque, aliud oblongius majusque atque in ſpica rarius. Item aliud candidum, aliud accedens ad purpuram, quod & farinam reddere copioſius creditur; & contra hyemem & flatus, & in totum contra cœli mutationes candido validius eſſe videtur. Illud igitur hordeum quod reliquis præſtare creditum נסמן, id eſt ſignatum, inſigne vel optimæ notæ vocari meruit, *Jeſai.* 28: 25. Satio hordei, ut ſeges ad feſtum paſchatis matureſceret, fuit illico poſt medium menſis Marcheſchvan, id eſt, circa ineuntem Novembrem noſtrum. *Babylon. Berach. fol.* 18. 2. Audivit ſemen ad pluviam primam ſatum, grandine perditum. Ivit ille, & ſeminavit ad pluviam ſecundam, cumque omnium aliorum ſementum grandine periret, illius ſementum non periit. In quæ ſic *Gloſſa:* Pluvia prima erat decimo ſeptimo die, menſis Marcheſchvan, ſecunda, die ejusdem menſis viceſimo tertio, & tertia erat initio menſis Chiſlev. Cum ergo deſcenderet grando, illud, quod ad pluviam primam ſatum eſt, aliquanto jam obduruerat, atque ita a grandine eſt fractum; & ſatum ad pluviam ſecundam ob mollitiem ejus non frangebatur. Satum ergo ineunte jam hyeme

hordeum ac aêris clementia per hyemem creſcens, adventante paſchate ad maturitatem pervenerat; ita, ut ab iſto tempore (oblato tunc manipulo) initium ſumeret meſſis hordeacea. *Ligtf, Hor. Hebr. in Matth. p.* 319. 320.

III. HORDEUM ÆGYPTI GRANDINE PERCUSSUM.

Exod. 9: 34. *Linum & hordeum grandine læſum erat, quia hordeo erat calamus vel ſpica mutica, & lino culmus.* Nimirum, quia hordeum, poſt æquinoctium Septembri menſe ſatum, ſexto menſe in Ægypto metitur, initio menſis Niſan adparuit culmus, id eſt, ſpica erat mutica. Et Niſan ideo Abib dictus, quod ipſo hordeum ſpicaretur. *Exod.* 13: 4. Niſan vero, ut ὡς ἐν παρόδῳ hoc moneam, non ab eo, quod hoc menſe Reges ad bellum profecturi ſigna moverent, ſed a fuga & exceſſu Iſraelitarum ex Ægypto nomen obtinuit. Lino quoque dicitur ea tempeſtate fuiſſe culmus. Ei enim uliginoſis tractibus Ægypti limoſisque æquinoctio autumnali vel Kalendis Octobris ſato, non potuit non calamus ſurgere initio menſis Niſan. Seritur autem linum, ut Apulejo placet, ab Æquinoctio autumnali usque ad Arcturi exortum, qui fit pridie Nonas Januarias. Juxta alias vero a Kalendis Octobris, in exortum Aquilæ, qui eſt ſeptimo Idus Decembris.

IV. HORDEUM EQUORUM PABULUM.

1 *Reg.* 4: 28. *Hordeum & ſtramen in equos & angarios* Sitarchi Salomonis *afferebant ad locum, ubi erant, quisque pro ratione ſua.* Leguntur etiam in Homero equi

- - - κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι καὶ ὀλύρας.

hordeum album comedentes & avenam. Iliad. Θ. & Caligula Imperator, equum, quem, niſi mors interveniſſet, Conſulem creaturus erat, ut Suetonius refert, convivio admotum hordeo pavit.

V. HORDEI VICIES MILLE CORI CÆSORIBUS ARBORUM LIBANICARUM A SALOMONE MISSI.

2 *Paral.* 2: 10.

Vicies mille cori faciunt medimnos decies octies mille, achtzehen tauſend Scheffel. Habet enim Corus, qui & Chomer dictus,

ctus, nonaginta menſuras, quarum centum faciunt medimnum proxime, ut docuit *Haſenrefferus* noſter, *Commentario in Templ. p. 65.*

VI. Hordei loco herba mala.

Ijob 31: 39, 40. *Si vim terræ comederim absque pecunia, & animam domini ejus feci exhalare*, id eſt defatigaverim; *loco tritici prodeat ſpina, & loco hordei mala herba.* Mala herba vocatur באשה, voce a באש, Syriaco themate deflexa. Quæ hordeum maxime infeſtat mala herba eſt, quæ ex hordeo degenerat, Ægilops, id latinis dicitur feſtuca, Germanis Walch/ vel Walchgerſten. Herbulam eſſe tradit *Dioſcorides*, quæ folia habet tritici, ſed molliora, in ſummo capite, ſemina bina ternave rubra, e quibus ariſtæ quaſi capillaceæ exeunt. Ex hordeo Ægilopem mutari, ſicut lolium ex tritico, nimia uligine, teſtis eſt *Galenus lib.* 1. *cap. ult.* de alimentorum facultatibus, ubi ita ſcribit: In tritico quidem frequens lolium ſæpe invenitur; in hordeis vero reperitur ſed paucum. Quam autem Ægilopem appellant, ea in hordeis frequens invenitur, cum prima generatio vel incrementum ipſis non recte ſucceſſerit.

VII. Sesqui chomer hordei dimensum uxoris xv. siclis comparatæ.

Hoſe. 3: 1, 2. *Porro edixit DOMINUS mihi, iterum abi, ama mulierem, amatam ab amico, & adulterantem: Qualis eſt amor DOMINI erga Iſraëlitas, quum ipſi reſpiciant ad Deos alienos, & ament lagenas vini: Quum itaque comparaſſem eam mihi quindecim* ſiclis *argenti, & ſesqui chomere hordei, edixi ei, diebus multis deſideto mea cauſa, ne ſcortator. Amatam ab amico, & adulterantem*, vel quæ amata ab amico adulterabat: *qualis eſt amor DOMINI erga Iſraelitas*, qualem infidelitatem & perfidiam in Dominum edunt Iſraëlitæ. *Amant lagenas vini*, Hebr. *lagenas uvarum*, metonymice, pro vino in uvis contento, quod Deaſtris libent: *comparaſſem eam quindecim* ſiclis *argenti.* (Quando vocabulum כסף cum aliquo nomine numerali extat, notantur ſicli vel denarii argentei. *Gen.* 23: 16. Quindecim ſicli ſunt ſeptem thaleri imperiales cum dimidio, quod pretium cenſetur dimidium ejus, quo ſervum æſtimabant, *Exod.* 21: 32.) *& ſesqui chomere hordei*; Hebraice

braice, *Chomere hordei & letecho hordei*, Chomer, ut ſupra notatum, continet nonaginta menſuras: letech autem eſt ſemichomer, ſemichomer autem hordei facit xv. medimnos, 15 Scheffel gerſten. Quod pretium non datum eſt pro dote, quum jam ante ducta eſſet in matrimonium, ſed pro amore & victu, ut porro ſibi ſoli adhæreret.

VIII. PUGILLUS HORDEI QUÆSTUS LEVIS.

Ezech. 13: 19. *Prophanaſtis me apud populum meum pro pugillis hordei & fruſtulis panis.* Sacrilege abuſi eſtis nomine meo ad fallendum; eximium illud prophetiæ donum fœdaſtis, ut cedat in contumeliam Dei, & hoc tenua mercedula.

IX. PANICUM דחן DOCHAN.

Fuit in miſcellaneo prophetæ Ezechielis pane. *Ezech.* 4: 9. Frumentaceis ſeminibus annumeratur, folio, radice, culmo, milis per omnia ſimile, paniculis autem differt. Siquidem in Panico pedali longitudine panicula provenit, ad terram verſa, non ut in milio divulſa, ſed prædenſis compacta racemis, granis numeroſis hirſutisque. דחן nomen reſpondet Arabum دخن, quod Panicum eſſe, non ut alii volunt, milium, ex *Eben Beithare* & *Authore Camuſi*, manifeſtum eſt. *Vid. Velſchius de Vena Medinenſi cap.* VI. *p.* 179. Nec alio ſenſu apud Perſas accipi, conſtat ex *Gazophylacio Perſico Angeli a Sancto Joſeph*, *p.* 267.

CAPUT XXII.

DE LENTE CICERE ET FABA.

LENS iniquum primogenituræ pretium. Eſavi intemperantia, Levitas primogenituræ jus contemnentis, temeritas jurantis, ingratitudo. Primogenitura eximia prærogativa. Lenticula primogenituram vendere proverbium. Ager lentibus ſeminatus contra hoſtes ab uno ſolo homine defenſus. CICER frictum eſt Kali, 2 Sam. 17: 18. *Dibjonim non eſt ciceris fricti genus. Chorejonim obſcœnum verbum a Maſorethis cenſetur. Videntur eo vocabulo notari columbarum viſcera. FABA*, Phul *a ſeminis magnitudine adpellata.*

adpellata. Panis fabaceus. Ezechielis. Fabarum eſus Sacerdotibus interdictus.

I. Lens עדש Arabice عدس hadason, iniquum ΠΡΩΤΟΓΟΝΙΑΣ pretium.

Gen. 25: 29——34. *Coquente Jacobo juſculum veniebat Eſavus ex agro, ut erat feſſus & dixit Jacobo: ſine me largiter haurire, quæſo, de iſto edulio admodum rufo, nam feſſus ſum: idcirco vocatum eſt nomen ejus Edom. Dicenti vero Jacobo, vende jam hodie tuum jus primogenitorum mihi, dixit Eſav: Ecce ego propero ad mortem, quorſum ergo jus primogenitorum mihi? Et dicente Jacobo, jura jam mihi hodie, juravit ei. Sic vendidit jus ſuum primogenitorum Jacobo. Jacob vero dedit Eſavo panem, & juſculum e lentibus, qui comedit ac bibit, deinde ſurgens abiit: ſic contemſit Eſav jus primogenitorum.* Tria maxime in Eſavo notamus. I. Intemperantiam in cupiditate viliſſimi juſculi, quam his verbis prodidit הלעיטני נא מן האדם האדם הזה: Verbum הלעיטני, *Chaldæus* & *Samaritanus* reddunt, *multiplica mihi*, *R. Salomo* סמוך הרבה *ingere multum*, pro quo *Menachem* & *Abarbanel*, *in os ingere*, ingurgita, laſſitudine pene exanimato. At *LXX*, *Jonathan & Syrus: fac me guſtare.* Perperam ait *Noldius.* Nam, quid guſtus prodeſſet homini venatione & fame confecto? Habuit iſta gulæ intemperantia vituperationem. Non tamen in eo conſiſtebat ſimpliciter, quod in Eſavo Scriptura reprehendit. Si enim nihil aliud commiſiſſet, præter id, quod ex venatione rediens avide comedit lenticularum coctionem, non eſſet, quod nimias quis ei objiceret delicias. II. Contemtum primogenituræ, quæ quatuor inſignes habuit prærogativas. *Primo* enim primogenitus in fratres & familiam, inde a condito mundo, tenuit authoritatem. Ita enim Cajinum Abelis fratrem Deus alloquitur: *Erga te eſt appetitus illius, & tu ei imperabis. Gen.* 4 7. Itaque Iſacus filio Jacobo, quem deceptus putavit eſſe primogenitum, fauſta precaturus ait, Eſto herus fratribus tuis, & incurvent ſe tibi filii fratris tui. *Secunda* Primogeniti prærogativa gemina hæreditatis paternæ portio fuit, quod jus etiam divina lege confirmatum legitur *Deut.* 21: 17. *Eum, qui primogenitus eſt, filium exoſæ, agno-*

ſcito pater, dando ei portionem duorum ex omnibus, quæ præſto ſunt ei, nam is principium potentiæ ejus; ipſius eſt jus primogenitorum. Tertia primogenituræ dignitas fuit Sacerdotium in familia. Si Ruben Jacobi primogenitus non excidiſſet hoc jure per inceſtum, ſine dubio ad ipſius poſteros Sacerdotium perveniſſet. Conſtat enim Sacerdotio perfunctos fuiſſe primogenitos, usque eo, dum Levitas in Sacerdotium venire Deus voluit, quos in locum primogenitorum accepit. *Num.* 3: 46. *Quarta* primogenitorum prærogativa fuit benedictio paterna. Quæ cauſa fuit, quamobrem a fratre Jacobus ætatis prærogativam emeret, quam ut viam ſibi ad paternam aperiret benedictionem, eam ſcilicet quæ fuit Abrahami, ut in ipſo & ſemine ejus omnes gentes benedicerentur. Omnibus iſtis prærogativis cum privaretur Ruben, primogenitus Jacobi, jus illud in plures fratres diviſum eſt, ut docemur. 1 *Par.* 5: Judas enim principatum & promiſſionem ſeminis benedicti adeptus eſt, Levi Sacerdotium, Joſephus duplicem in diviſione terræ portionem obtinuit. Tam inſignes prærogativas, quum præ lenticula, viliſſimo cibo, contemneret Eſavus, quæ profanitatis atque levitatis ſigna non prodidit? *Quod præterea id facit etiam adhibito juramento, & interpoſito Dei nomine; id jam inexcuſabile erat, quod urgente quidem fame, inconſiderate tamen, ad pulmentum ruens, in id jam conſenſiſſet, ad cujus mentionem horrere debuit; ſed maximi ſtuporis indicium eſt, quod, cum exigitur juramentum, quod nunquam præſtari debet, niſi deliberato animo & re bene perpenſa, nec in negotio exili uſurpari, eundem ſtuporem retinet, & nomen Dei interponit. Acceſſit tertius ille gradus, quod ne quidem poſtquam cibo ſatiatus fuit, cogitavit quid feciſſet, itaque addidit obſtinationem.* III. Ab ingratitudine præterea non poteſt excuſari, quam non immerito *Chryſoſtomus* his verbis exaggerat, *Homilia L. in Geneſin:* Vendidit Eſau propter cibum dignitatem natura ſibi datam, atque ideo ingratus fuit, atque indignus ea. Hoc autem totum factum eſt ut illius demonſtraretur ingratitudo, & Dei oraculum adimpleretur. *Unde hanc exhortationem deducit:* Hæc igitur nos audientes diſcamus nunquam negligere dona a Deo nobis data, neque perdere magna propter parva & vilia. *Hinc abiit in Proverbium, lenticula primogenituram ſuam vendere, cum quis ſive in rebus divinis, & in his præcipue pretioſa vilibus mutat. Cujus uſus frequens eſſe poteſt, maxime quotieſcunque aliquis*

aut bonorum ſeculi cupidus, aut temporalium bonorum deſiderio allectus & hominum promiſſis ineſcatus ſalutis ſuæ curam abjecit, & a vera religione deflectit, quod multis in locis his calamitoſiſſimis temporibus nimis quam frequens eſt. Dic mihi, *inquit ad hunc locum Chryſoſtomus*, quare propoſito regno cœlorum bonisque illius ineffabilibus, ita in divitiarum cupiditatem inſanimus, & momentanea, & quæ non ſæpe usque ad veſperam permanent, perpetuis ſemperque duraturis præferimus? & quid hac dementia deterius eſſe poſſit? Hoc eſt ignorare, quid diſtent æra lupinis. Contrarium eſt id, quod a Socrate, in Phædro Platonis, Alcibiadi reſponſum fuit, quod lucri cupidus formam corporis forma mentis meliore commutare vellet, καὶ τὰ ὄντα χρύσεα χαλκείων διαμείβεσθαι, id eſt, & cum iis quæ vere aurea ſunt, ænea commutare. Quæ quidem fuit prudens commutatio Diomedis cum Glauco; hujus contra imprudens & ſtulta, qui ærea accepit arma pro aureis. *Talis fuit & Paſicyprus, Cypri Rex, qui ob luxum, egens talentis quinquaginta, Pygmato Citreæ regnum ac regionem, in qua regnabat vendiderat: qua recepta pecunia in Amathunte Cypri oppido, conſenuit. Nec diſſimilis Æthiops Corinthius, qui voluptatum ſtudio ac intemperantia mollis, cum Archia Syracuſas condituro, poſteaquam trajecit hæreditatem, quæ ſorte obvenerat, & qua Syracuſis potiturus erat, ſodali ob mellitam placentam conceſſit,* ut author eſt *Athenæus Dipnoſ. lib. 4. p.* 167. Idem accidit iis, qui rem pecuniariam augent, ſed cum famæ diſpendio; qui magiſtratus & dignitates aſſequuntur, ſed cum jactura bonæ mentis: lautam reperiunt fortunam, ſed amittunt animi tranquillitatem; admittuntur in amicitiam principum, ſed excidunt ab amicitia Chriſti. In ſumma quadrat in noſtros apoſtatas, ſi quis dicat, eos primogenituram ſuam lenticulæ coctione vendidiſſe; qui jus adoptionis filiorum Dei, & ſpem vitæ æternæ, commutarunt, cum amore & voluptate breviſſimorum & viliſſimorum bonorum. *Rivetus Exercitatione* XXVI. *in Gen.*

II. Pro defensione agri lentibus seminati solus contra hostes armis dimicat Schamma.

2 Sam. 23: 11. *Poſt Eleazarum, Dodonis filium, inter robuſtiſſimos Davidis fuit Schamma, filius Agæ, Hararites: quum congregarentur Philiſthæi in catervam, ubi erat portio agri plena lentibus,*

&

& populus fugeret a facie Philiſthæorum, ſtitit ſe in medio portionis, ut liberaret eam, percuſſitque Philiſthæos. Ita præſtit DOMINUS ſalutem magnam, hoſtium ſcilicet globum unius hominis manu fundendo. Oritur hoc loco difficultas. Nam 1 *Par.* XI: 13. legitur, *Ager hordeo plenus*, ex quo per literarum metatheſin & mutationem ר literæ in ד, *Capellus* factum ſuſpicatur עדשים. Sed nimis hæc enormia ſunt. Utrumque verum erat. In una enim agri portione ſeminatum hordeum, in altera lentes erant. Sed & hoc objiciunt; quæ defenſio hic Schammæ, eam 1 *Par.* XI: 12. Eleazaro tribui. Atqui nulla eſt verborum pugna, ſiquidem commiſſum eſt prælium in una agri portione, ubi erant hordea, quæ defendit Eleazarus, & in altera, ubi lentes, pro quibus ſtetit Schamma, ut in hunc locum *Junius* & *Buxtorfius* obſervarunt.

III. CICER.

Vocatur in Thalmude אפון, & חמצה, in Judæa notiſſimum, ut conſtat ex 2 *Sam.* 27: 28. ubi Galaaditæ & Ammonitæ inter cætera קלי, id eſt, *Hieronymo* interprete frictum cicer, attuliſſe dicuntur. Non facile huic verſioni calculum adjicient, qui ſciunt Hebræum *Kali* non ſignificare cicer, ſed fruges toſtas *Levit.* 23: 14. *Ruth.* 2: 14. 1 *Sam.* 17: 17: & *cap.* 25: 18. Tamen, inquit *Bochartus*, haut dubie recta eſt Hieronymi verſio. Ibi enim ad Davidem in deſerto fugitivum Ammonitæ & Galaaditæ attuliſſe narrantur triticum & hordeum, & farinam, וקלי & *Kali*, & fabas, & lentes, וקלי & *Kali*. Itaque in eodem verſu nomen *Kali* bis repetitum eſt. Et prius quidem, hordeo & farinæ junctum ſignificat toſtas fruges. Sed poſterius quod ſequitur, fabas & lentes, toſtum aut frictum aliquod tegumen ſonat, nempe frictum cicer. Nam cicer frigi aut torreri ſolebat. *Plautus in Bacchidibus:*

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum eſt cicer.

Horatius in Arte:

Nec ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor.

Et frictum Cicer hodieque قلي *Kali* Arabes vocant *Hieroz. Part.* II. *p.* 46. Expoſitionem hanc non rejicio. Quod autem vir doctiſſimus etiam vocem דביונים. 2 *Reg.* 6: 25. vertit in ciceris fricti genus,

genus, ideo, quod Arabes ſtercus columbinum cicer nominant, id probare vel ex hac ratione nequeo, quod vocabulum חרייונים a Maſorethis inter turpia & obſcœna vocabula cenſetur, & pro eo honeſte legunt דביונים, ut fuſius docui *Arcan. Kethib. pag.* 110. Significat autem *Chore-jonim foramina columbina*, hoc eſt columbarum exta, quæ perforata e corpore cibum & incrementa educunt: Et *Dibjonim* idem, quod דב־ביונים fluxus-in-columbis, id eſt, cibus qui per inteſtina columbarum effluit, vel fluxus columbarum adhuc viſceribus contentus. Idem vocis ſenſus fuerit, ſi dibjonim conſtare dixeris ex די־ביונים, id eſt, *quod in columbis*, inteſtina ſeu viſcera columbarum. Nec repudianda hæc interpretatio ob conjunctum די Chaldaicum, & Hebræum nomen יונים. Nam & in Chaldaico ſermone ים. terminationem pluralem uſurpari conſtat, Ezræ, Scribæ regis cœlorum teſtimonio, qui Chaldaica ſcribens pro מלכין ſcripſit מלכים *Ezr.* 4: 13. & Danielis, in quo אנשים, legitur pro אנשא, viri *c.* 7: 14. & אלפים pro אלפין mille *cap.* 7: 10. Narratur illa columbarum exta vel inteſtina, quæ quartam cabi partem impleverint, veniiſſe quinque ſiclis argenteis. Cabus eſt ſexta pars ſati. Nam ſex cabi faciunt ſatum. Habet igitur Cabus dimidium menſuræ; & quarta cabi eſt ſextarius, qui continet ſex ova; hoc eſt, octavam menſuræ partem, ein octal. Quinque ſicli argentei, ſunt thaleri imperiales 2¼. Locum igitur 2 *Reg.* 6: 25. ita verterim: *Exſtitit fames magna Samariæ ita ut . . . . quarta pars cabi, vel ſextarius inteſtinorum viſcerumque columbinorum*, (& ſecundum alteram lectionem, *fluxus columbarum adhuc viſceribus contentus,*) *venierit quinque ſiclis argenteis.*

IV. Faba, פול, Arab. فول phoulon.

Miſcellanei panis, quem *Ezechiel* propheta comederet materia fuit faba *cap.* 4: 9. Hebræis a magnitudine dicta, qua reliquorum leguminum ſemina multum ſuperat. פול enim deciſum ex integro נפול, cognatum eſt nomini נפיל, quod inſolitæ magnitudinis hominem ſonat. Hinc dictus eſt פול elephas; hinc ſecundo genitus Chami Africanæ gentis conditor, *Jeſa.* 66: 19. qui & Put appellatus *Gen.* 10: 6. Non eſt faba, quam noſtrates phaſeolum dicunt. Faba caule gaudet quadrangulo, firmo, concavo; folia conjugatim coſtæ mediæ in apicem excunti adnexa;

ſiliquæ erectæ, craſſæ, fungoſæ, ſemen maximum compreſſum, reniforme, oblongum, cum hilo magno in extremo. Phaſeolus autem caulibus ſuis ſcandit, folia gerit in communi pediculo terna, ſiliquæ longiuſculæ, cum ſeminibus grandioribus, quæ plerumque quadrupedum renibus ſimilia, alba præter umbilicum, qui tantum in iis nigricat. Reperiuntur & nigra, flava, cœrulea. *Rajus meth. plant. p.* 104. 107. *Matthiolus ad Dioſc. lib.* II. *c.* 98. & 101. Panis, quem Ezechiel ex fabis, hordeo, lentibusque & milio confecit, nec jucundus, nec facilis ad concoquendum fuit. *Dioſc. c.* 8. *lib.* 1. Faba inflationem excitat, ægre concoquitur, & tumultuoſa ſomnia facit. Galenus libro primo de alimentorum facultatibus: Inflat ex faba paratus cibus, quocunque modo apparetur, nec per quamvis longam decoctionem id vitii poteſt amittere. Qui effectum cibi animadverterit, quandam totius corporis tenſionem, quaſi a flatulento ſpiritu profectam ſentiet, maximeque qui ad hoc eſculentum non fuerit aſſuefactus. Hinc & in Hebræorum pandectis traditur, Sacerdoti magno veſpera, ſeu paraſceve diei expiationum, præter alios cibos interdictum fuiſſe eſum fabarum fractarum ſeu freſarum, idque ideo etiam, quod ſomnum inducant. In *tractatu Thalmudico Joma cap.* 1. *in Miſchna:* Veſpera diei expiationum non ſinebant Sacerdotem ſummum multum comedere, quia cibus ſomnum inducit. Ad quam Miſchnam legitur in Gemara Thalmudis Hieruſolymitani: Non ſinebant eum comedere neque lac, nec ova, nec lac, nec caſeum, nec carnem pinguem, neque vinum vetus, nec vinum conditum, ולא גריסין של פול ושל ערשים nec denique fabas freſas, vel lentes. Jubebatur autem Propheta ex fabis, milio lentibusque & aliis frugibus facto pane, qui viginti ſiclorum, hoc eſt quinque unciarum pondus non excederet, veſci, ut ſymbolica actione illa famem, quam CCC & XC diebus hoc eſt, XL menſibus toleratura eſſet Hieruſolyma, ſignificaret.

CAPUT XXIII.

De Lino.

Lini nomen. Lina fiſſa. Quid Happiſchta Gibhol? Exod. 9: 31. *Linum Dei. Lino & lana commixta veſtis, lege interdicta. A principe*

cipe fœmina tractatum linum. Cingulum lineum corruptum, Judaicæ corruptionis & abjectionis ſymbolum. Linum fumigans infirma fides. Lineus metientis funiculus. Sindon *ſive linteum. Linteamina Chriſti ſepulchralia. Lineæ ſacerdotum veſtes. Indutus ineis Chriſtus. Induti lineis angeli. Linum injuria fit melius, Chriſtianus calamitate.*

I. De Lini nomine.

Linum (cujus felix in Palæſtina proventus circa Lyddam præcipue & in campo Esdrelon fuit, *Vid. Reland. p.* 384.) Chaldeis כתן, vel כתנא, & Arabibus كتّان *Catanon* vocatur, quibus vocibus cognata Hebræorum כתנת tunica lintea, *Exod.* 28: 40. *Levit.* 10: 5. כתנת בד Tunica lini eximii. *Levit.* 16: 4. Lini commune vocabulum in Hebraico ſermone eſt פשתה, unde *Piſchthim* plurale, cujus cortices ſi interpretes audiamus, vocantur פשתי העץ lina ligni, pro ligna lini, per hypallagen nominis recti & regentis, *Joſua* 2: 6. Quid? ſi absque hypallage reddamus Cannabem lignoſam? Lini enim vulgo dicti parvulus cauliculus, dubito, an ligni mereatur nomen, potiore jure imponendum cannabis cauli, qui ramis late diffuſis arbuſculæ præbet ſpeciem; adeo, ut non deſint, qui, quemadmodum ex arborum ligno, ex illius ſtipite carbones faciant ad bombardarum pulverem parandum utiles, ut *Matthiolus* refert ad *Dioſcoridis lib.* III. *c.* 145. Hæc ligna in tecto ad radios ſolis torrendos Rahab diſpoſuerat, quos poſtea vulſellis hamisque ferreis ad uſum ſuum pararet. Fuerit igitur פשתה commune nomen lineariæ plantæ, ſive illius, ex qua lintea conficiuntur, hoc eſt lini & cannabis. Linum vero eſt vel vulgare, quod *Syrac.* 40: 4. ὠμόλινον, id eſt, crudum dicitur, quo paupertini homines teguntur; vel eximium & pretioſum, quod בד nominant Hebræi, ſpecialia nomina ſunt שש & בוץ. Linum eſſe *bad* arguat locus *Ezechielis cap.* 44: 18. ubi femoralia Sacerdotis vocantur מכנסי פשתים, quæ *Levit.* 6: 4. nominata מכנסי בד. Eſt autem *Bad* linum eximium, quod ad veſtium pretioſarum uſum veteres ſeparabant. בד enim ſolum & ſeparatum, & ut Græcis ſenioribus viſum ἔξαλλον ſonat. Igitur nomen hoc & byſſo imponitur, ut conſtat ex 1 *Paral.* 15: 27.

27. ubi geſtamen Regis David מעיל בוץ ſtola byſſina, vocatur, quæ 2 *Sam.* 6: 14. adpellata fuit אפוד בד ϛολὴ ἔξαλλ☉, ut Græci LXX. vel ut Symmachus interpretatur λίνον ἐξαίρετον. Ipſius בד hoc eſt *eximii lini vocabulo* comprehenditur שש & בוץ. *Scheſch* derivatum ex integro ישש vel שיש, quod candidum deſignat, quo colore ex eodem argumento dicta ſplendent שושנים lilia, שש marmor Parium, & ישש vir canus. Ita בוץ collectaneum eſſe obſervamus Arabici verbi باض *batza* vel *báda*, id eſt, ſuperavit albedine, & nominis بيض *baitzon*, & Hebraici בץ, cujus pluralis ביצים ova, quæ omnia manant a themate יבץ, quod in Arabismo ſervatum effari ſolet وبض *Wabatza* vel *Wabada*, inſtar ovi albus fuit. Duobus igitur vocabulis Byſſum deſignarunt Hebræi, idem plane ſignificantibus, ſed diverſa ætate uſurpatis. *Scheſch* uſurpatum ante Babylonicæ captivitatis tempora, a Moſe & Salomone; alterum *Butz*, a Chaldæis petitum, pro שש uſurpatum eſt a captivitatis tempore & deinceps, a Scriptore libri Eſther, & Paralipomenon, quem Esram eſſe volunt, & ab Ezechiele propheta. Item a Chaldæis interpretibus Onkeloſio & Jonatha, qui poſt Chriſtum vixerunt. Vid. *Thargum Onkeloſi, ad Gen.* 41: 42. *Exod.* 28: 4. Byſſus in Hebræorum terra, ac in Ægypto & Syria naſcebatur. De Hebræa Byſſo Pauſanias in Eliacis: Byſſus, quæ in Elide eſt, tenuitate non cedit ei, quam fert Hebræorum terra, ſed non eſt inſtar ejus ξανθὴ, ex candido aliquantulum rubricans, ut ovum recens. Byſſo perficiendæ officinas Hebræos ædificaſſe legitur priori Paralipomenon quarto, *vſ.* 21. In Beth-ſchean, ſive Scythopoli, veſtimenta linea tenuiſſima confecta fuiſſe, tradunt Rabbini *Hieruſol. Kidduſchin fol.* 62. 3. Ægyptiam byſſum a profanis authoribus celebratam, ex Ægypto aſportarunt in Arabiæ deſertum Iſraëlitæ, quam Deo jubente ad ornandum tabernaculum, & ad faciendas Sacerdotis Summi veſtes, conferebant. *Exod.* 25: 4. Jam quod *Proverb.* 7: 16. ſponda meretricis dicitur funiculo ſeu filo Ægyptio inſtructa, id de byſſo Ægyptia capiendum eſt. Caduris, inquit, inſtruxi ſpondam meam, variam emblematis, filis, id eſt, linteis Ægypti. Syriacam byſſum in nundinis Tyriis veniiſſe tradit *Ezechiel* 27: 16. *Syria negotiatrix tua, carbunculo, purpura, & phrygiano opere, byſſoque,*

ſoque, & ſericis, & cryſtallo, negotiabantur in nundinis tuis. Sericis Hebr. ראמות Ita reddunt *Aquila*, *Syrus*, & *Arabs*, probatque eam expoſitionem in *Lexico Caſtellus.* Hinc *Armoth* & *Armoſin* Gallis, Italis, Germaniſque, & Belgis, per literarum metatheſin dici, ſcribit *D. Majus Animadverſ. in Lex. Cocceji.* Sericum alii ab Hebræis משי vocatum volunt. Sed rationem nominis nullam afferunt. Itaque rectius *Meſchi* cum *Guſſetio* interpretabimur *lanam marinam*, ab extractione Hebræis dictam, quia e marium fundo ab urinatoribus extrahitur, unde illa πιννικῦ κολυμβήσεις. Creſcit enim 1. ut *Tertullianus de Pallio cap.* 3. tradit, in oſtreorum conchis, quorum nomen πίννη, unde & lana ipſa πίννινον vel πεννικὸν. 2. Colore aureo fulget in ovium velleribus ſummopere placens. 3. Tenuitate ſua & nitore commendatur, ea propter puellarum crinibus immixta. Tractari autem & aptari ſolet in lanæ morem.

II. Lina fissa.

Jeſai. 19: 9. *Erubeſcent artifices linorum fiſſorum, & tentores operum reticulatorum. Fiſſorum*, שריקות, Sericorum alii vertunt, quod juxta etymon vocis in Arabismo relictum, exponendum eſt fiſſorum. Significat enim شرق *ſcharaka*, fidit, & شرق *ſcharkon* fiſſura item lux radians per fiſſuram. A quo etiam שרק vitis adpellationem accipit, quia cortex vitis ſponte ſciſſus undique fiſſuris gaudet. *Plin.* 16. 31. A findendo dictum *lini genus ſeptuaginta* etiam Seniores voluerunt, qui *ſerikoth* hoc loco reddunt λίνον χιστόν. Niſi igitur fallor, linum ſciſſum vel ſciſſile, eſt cannabis, cujus culmi, antequam carminentur, manibus findi a diligentioribus fœminis ſolent, nec aliter cannabim tractant Mompelgardenſium & Baſileenſium fœminæ. Et videtur fiſſile linum propheta diſtinguere voluiſſe a lino candido nobiliore, infirmioris culmi; & a xylino Ægyptio, quod in lanæ morem tractatur. *Erubeſcent*, ſcilicet ob exſiccatos Nili rivos, quo malo non ſolum piſcatio, ſed & lini cultura & opificium lina texentium in Ægypto ceſſavit. *Operum reticulatorum*, חורי, nomen eſt collectivum, pluraliter explicandum. Non reddimus byſſum, quia byſſus non eſt ad retium uſum. Facit nobiscum R. *Salomon* & *Chaldæus*.

III. QUID HAPPISCHTA GIBHOL? EXOD. 9: 31.

Vertunt hic *Junius & Tremellius*, Linum & hordeum læſum erat grandine, quia hordei ſpica erat mutica, & lino culmus, pro quibus in margine habent: Hordeum erat culmus, & linum calamus. Ego vero: הפשתה גבעל reddiderim, *Linum orbiculatum erat*, hoc eſt, lini ſeminalis capſula erat orbiculata. Componitur enim גבעל ex nominibus גב עגול, id eſt, convexum rotundum. Gimel in compoſito reditura litera eliditur. גב autem, quod Coccejus etiam notavit, proprie vexum ſonat; עגול rotundum denotare, nemo ambigit.

IV. LINUM DEI.

Hoſ. 2: 11. *vel* 9. *Idcirco*, quia bonis meis abutitur mater Iſraëlitarum adultera, *rurſus intercipiam frumentum meum tempore ſuo*, a me deſtinato, *& muſtum meum tempeſtate ſua*, tempore idoneo; *eripiamque lanam meam & linum meum*, quæ liberaliter & gratioſe dederam, *tectura nuditatem ejus*.

V. LINO ET LANA COMMIXTA VESTIS, LEGE INTERDICTA.

Deut. 22: 11. *Ne induito veſtimentum varie-commixtum, lana ſcilicet & lino pariter. Varie commixtum*, שעטנז vocis ſenſum e contextu aſſequuti ſunt interpretes, de origine haut conveniunt. Ægyptiam & peregrinam eſſe plerique opinantur, nos Hebraicam dicimus. Componitur enim ex שע אטן זן, obductum filo meretricio vel heterogeneo. שע deductum a שוע, quod Chaldæis eſt obduci, vel ab Hebræorum שעה ejusdem ſignificationis. *Jeſai.* 32: 2. אטן formæ זקן congenerum & ἰσοδύναμον nominis אטין filum, uti congenera ejusdemque ſignificationis ſunt עתק & שתיק durabilis, אפל & אפיל obſcurus, יגע & יגיע defeſſus. Ipſum vero נז trajectis literis ſcriptum idem valet quod זן, a זנה ſcortatus eſt, derivato nomine, ut בן filius, a בנה ædificavit. Rationem hujus legis quod attinet, varias circa eam conjectando opiniones docti interponunt. Examinavit eas *Johannes Spenzerus lib.* III. *c.* 2. *de legg. Hebræorum ritualibus*, omnibusque rejectis, ſtatuit lanam linumque commiſcere in veſtitu Deum vetuiſſe, ut populum ſuum a Zabiorum ſuperſtitione

averteret.

averteret. Sed hoc argumento nihil ad veritatem nobis perſuaſit. Primo enim lana & lino permixtas veſtes geſtaſſe Zabios ſufficienti teſtimonio non probat. Nec id credere nos cogunt Majemonidis verba, qui ad unum veſtitum Zabios tradit tum plantas tum animalia adhibuiſſe. Poterant idem capitis decus, tiaras, ex laneis linteisque vittis aut tæniis conficere; Poterant togæ vel tunicæ exteriorem partem linteam, interiorem ſeu textum ſubdititium geſtare laneum ſeu pelliceum. Secundo, quomodo Zabiorum ſuperſtitione offendi potuerunt Iſraëlitæ in deſerto & Palæſtina degentes, quos amictos nunquam viſerunt, ac de quibus ne fando quidem quicquam audierunt, ſiquidem multis poſt latam legem ſeculis, ut Arabum libri teſtantur, ex orco prodierunt. Tertio, ſi nec Sacerdoti ſummo interdixit Deus veſtium heterogeneo ſtamine contextarum uſum, in ipſo templo, ubi coram omni populo munus ſanctiſſimum peregit, conſequens eſt hunc amictum nihil ſuperſtitionis habuiſſe & propter ſimilem Zabeorum veſtitum, plebi non fuiſſe interdictum. Toga certe Sacerdotis S. & pallium & amiculum laneum fuit, & byſſina fuit iisdem intertexta tela, quartam texti partem faciens, quod fateri nos cogit, inquit Spenzerus, non Joſephi tantum authoritas, ſed & Scripturæ veritas. Alia igitur adhuc quærenda eſt cauſa, propter quam veſtis populo vulgaribusque Sacerdotibus prohibita, ſummo Sacerdoti lege præſcribitur. Illam quadantenus aperuiſſe *Joſephus* videtur *Antiquit. Judaic. lib.* 4. *cap.* 8. ubi amictum lino lanaque contectum diſtinxiſſe tradit, a Plebe ſacerdotem, quod probarem ſi Sacerdotis nomine ſummum tantum Sacerdotem intelligeret. Vulgaribus enim Sacerdotibus amictus ille nusquam in ſacris permittitur. Vera & genuina legis ratio eſt, quam Flavius ignoravit, quod Summus Sacerdos dicto more veſtitus, debuit referre typum Jesu Christi, qui unicus Novi Fœderis Summus Sacerdos eſt. Lana illius veſtimentis humanitatem deſignat, quam veluti veſtem indueret immaculatus Dei agnus. Hyacintho vel cæruleo colore tinctus amictus, notat corpus, quod aſſumturus erat Dominus de Cœlo tam arcte ipſi uniendum, quam profunde lana imbibit hysginum vel cæruleum colorem. Purpura purpureum declarat ſanguinem, quo veſtem ſuam conſperſit, qui ſufficiens futurus erat ad ſalvandum. *Jeſai.* 63: 1. rubidus veſtibus ſuis, ut veſtimenta calcantium in torcularis

laris lacu. *ibid. vſ.* 3. Vermiculus cocci, ſeu coccineum bis tinctum, ſanguinem notat plus vice ſimplici, nimirum in circumciſione, in oliveto, in prætorio Pilati, & in Golgatha, fundendum; quo pertineant de injuria conquerentis verba: *Ego ſum vermis ac non vir, opprobrium hominum & contemtus populo. Pſal.* 22: 7. Byſſus torta, quæ ex hyacinthini purpureique & coccinei coloris laneo textu, candida refulget, innocentiam & integritatem Patientis inſinuat.

VI. A PRINCIPE FOEMINA TRACTATUM LINUM.

Prov. 31: 13. *Quærit lanam & lina*, proſpicit ſibi de lana & lino; *conficitque pro voluntate manuum ſuarum*, ſine moleſtia ſeu tædio, & prout ipſi placuerit filum denſius aut ſubtilius ducere, telamque in varias formas & multiplices uſus texere. *Vſ.* 22. *Cadurca*, veſtes ſtragulas, quibus lectus inſternitur, parat ſibi: byſſinum & purpureum eſt veſtimentum ejus.

VI. CINGULUM LINEUM CORRUPTUM, JUDAICÆ CORRUPTIONIS ET ABJECTIONIS SIGNUM.

Jerem. 13: 1, 2, 3. Comparatur populus cingulo, lumborum ornamento. *Nam, quemadmodum adhæret cingulum lumbis viri, ita fecerat Deus, ut adhæreret ei tota domus Iſraelis, & tota domus Judæ, ut eſſet ipſi populus, & ad nomen, & ad laudem, & ad ornamentum &c.* Iſtud cingulum, quod diſplicuiſſet, abſcondere jubebatur propheta in projectura petræ, juxta Euphratem, ut corruptum nulli eſſet uſui. Id quod ſignum fuit ejiciendi ex patria populum contumacem & idolis deditum, faſtusque ejus Babylonia captivitate comprimendi.

VII. LINUM FUMIGANS INFIRMA FIDES.

Jeſai. 42: 3. de Chriſto: *Linum fumigans non exſtinguet, donec protulerit ad judicium victoriam*, id eſt, donec Evangelii doctrina paſſim obtineat, quæ etiam *verſu* 18. dicitur judicium: *Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & judicium gentibus annunciabit. Linum*, id eſt, ellychnium, ut *Jeſa.* 43:17. *Exſpirabunt, ut linum extinguentur. Fumigans*, languentis flammæ linum, in quo etiamnum aliquis vivit igniculus. Æthiopicus interpres *Matth.* 12: 20. non reddit *linum*

linum fumigans, Linum quippe, quod in Æthiopia non ſeritur, ignotum Æthiopi fuit. Vertit igitur ጢሄ: *Suhy*, ſtercus vaccinum, cujus in aridis ac ferventibus locis contriti ea natura eſt, ut ſemel conceptus ignis late ſerpat & fumiget, vix unquam reſtinguendus. *Ludolf. Lex. Æthiop. p.* 143. *Fumigans linum* laudatis locis notat infirmam fidem, quæ & ἀπιϛία vocatur, in ordine ad robuſtam. *Non exſtinguet*, feret humaniſſime. Fides enim nec ſemper, nec in omnibus eſt lux ardens, ſed ſæpe linum fumigans tantum. Ita, niſi divertat a promiſſionibus Evangelicis, & merito redemtoris Chriſti, infirma quidem eſt ſed vera tamen, quam Dominus minime ſpernit. Interim pro ipſius incremento aſſidue orandum eſt.

IX. Lineus metientis funiculus.

Ezech. 40: 3. *Ecce virum*, *ſive aliquem cujus aſpectus erat ſimilis aſpectui chalybeo*, chalybi ad ſpeculi claritatem ac ſplendorem polito, *cum funiculo lineo in manu ſua*, cum amuſſi, *& calamo menſorio*, *ſive regula*. Illuſtris ille Architectus, eſt qui *Hebr.* 1. dicitur exſplendeſcentia gloriæ paternæ, Jeſus Chriſtus, amuſſis & regula, ſeine richtſchnur und richtſcheit / Dei voluntas eſt. Id enim rectum perfectumque cenſetur, quod ad hanc voluntatem dirigitur & commenſuratur. Agit omnia Deus ex conſilio voluntatis ſuæ. *Eph.* 1: 11. Ipſo dicente, ſeu volente, res fiunt, præcipiente exiſtunt. *Pſal.* 33: 9.

X. Sindon sive linteum.

Longe petita eſt a Clariſſimo *Golio* Sindon nominis appellatio. Repetit enim a Sindia. Eſt autem Sindia, inquit, quæ occidentem ſive aquilonem verſus terminatur Carmania, ſeu potius regione Macran, & Segiſtanæ deſerto, reliquas fere partes India, cujus etiam quædam ſuis terminis includit. Ad auſtrum vero ſive Africam, alluitur mari, quod inde Sindicum appellant, altera parte Perſico, altera Indico conterminum. Atque hinc forte ſubtilius lintei genus appellatur Sindon, ut quod magna copia inde exportari ſolet. *Notis in Alferganum*, *p.* 77. Sed, quid opus erat vocem Sindis vindicare, qua toties antiquiſſimi Scriptores Sacri tanquam vernacula utuntur? Si pretioſæ Sindones hodieque

e Sindia exportantur, id non derogat vel Palæſtinæ, vel in confiniis ejus poſitæ Judææ, quas pretioſis abundaſſe ſindonibus vel hoc arguit, quod Simſon xxx ſindones ſodalibus promiſit, ænigma ſuum ſoluturis, totidem non ſolituri ſodales ejus. Aliter Græci peccant, qui Sindones a Sidone urbe dictas crediderunt, quod inter merces in Græciam a Mercatoribus Phœniciis afferrentur, hanc ſententiam ſcriptura vocum refellente. סדין quippe per *Samech* ſcriptum & צידון per Tzade, urbis vocabulum per *Tzade* Linteum generatim dicitur, quo corpus velatur. Itaque nunc pro veſte accipitur virili, ut *Judic.* 14: 12, 13. nunc pro linteamine, quo lectus inſternitur, *Prov.* 31: 24. nunc pro bulla, ſive lineo puellarum indunento, *Jeſa.* 3: 23. nunc pro integumento, quo involvitur corpus ſepeliendum. *Matth.* 27: 59. Filorum tenuitas & mundities pretium Sindonis auxit. Pro pauperioribus viliores parabantur. Apud Plutarchum de fortuna Alexandri, miſer olitor Sindone amictus ad Alexandrum adducitur. Talem veriſimile eſt geſtaſſe juvenem, qui capto in Oliveto Redemtore, a milite comprehenſus, relicta Sindone nudus aufugit. *Marc.* 14: 51.

XI. LINTEAMINA CHRISTI SEPULCRALIA.

De linteis, quibus involutum fuit poſt pollincturam corpus Domini κατὰ λέξιν Evangeliſtæ non eadem omnes. Sindonis meminit *Matthæus cap.* 27: 59. *Accepto corpore Joſeph* ἐνετύλιξεν illud σινδόνι καθαρᾷ. Ita quoque *Marcus c.* 15: 46. & *Lucas cap.* 23: 53. Joannes vero ὀθόνια nominat: *Acceperunt corpus Jeſu & ἔδησαν illud* ὀθονίοις *cum aromatibus*, *cap.* 19: 40. *& cap.* 20: 6. præter Sindonem fuiſſe ſudarium, indicat his verbis: *Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit* ὀθόνια κείμενα, *& ſudarium, quod fuit ſuper caput ejus.* Hinc putant nonnulli, lintea ſepulcralia fuiſſe tria: brevius, quod ſudarium dicitur & caput velabat; longum quod Sindon vocabatur, & nudo corpori circumvolvebatur; & faſcias ſeu inſtitas ὀθόνια dictas, quibus Sindon coërcebatur, & manus pedesque ligabantur. Sane Athanaſius σινδόνα & ὀθόνια & σουδάριον quaſi diverſa nominat: Ἴδωμεν τέως δωροφοροῦντα τὸν Ἰωσὴφ καὶ τὸν Νικόδημον συντρέχοντα, σινδόνι καθαρᾷ, καὶ ὀθονίοις, καὶ σουδαρίῳ περιειλίσσοντας τὸν τοῦ παντὸς κύριον. Sed cum, qui meminere Sindonis, non nominent ὀθόνια, quique ὀθόνια expreſſerunt, taceant de ſindone, credibilius eſt idem

idem per Sindonem & othonia ſignificari. Nimirum, ut accurate tradit *Salmaſius*, ὀθόνη eſt linteum integrum. Ὀθόνην μεγάλην vocat Lucas in Actis. Heſychius: ὀθόνη, σινδὼν, ζώνη, τελαμών. Apud Homerum ὀθόνας interpretes exponunt ὑφάσματα λινᾶ. At Sindon vel ὀθόνη in partes ſeu faſcias ſciſſa facit ὀθόνια & κειρίας. Certe Judæi faſciis corpora mortuorum involvebant a pedibus usque ad fauces. Hiſtoria Lazari a Chriſto reſuſcitati hoc comprobat his verbis: καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις religatus pedes & manus inſtitis. Etiam verba ἐνειλίσσειν & ἐντυλίξαι in hiſtoria ſepulturæ Dominicæ adhibita, ſatis oſtendunt faſciatum Chriſti corpus fuiſſe; ſudarium, ab othoniis fuit diſtinctum. Nomen habet ab uſu, quia ſudor eo ſoleat abſtergi. Nonnus vocem appellat Syriacam, nec mirum, quia ut homo Ægyptius Latine neſcivit. Sudario ſepulchrali ſolum caput operiebatur. De Lazaro reſuſcitato Joannes, ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο, facies ejus ſudario erat ligata. Non magnum adeo fuiſſe linteum apparet ex *Act*. 19: 12. & ex variis apud τοὺς ἔξω appellationibus. Dioni in Nerone eſt σινδόνιον, quod ſudarium Tranquillo. Scholiaſtes Ariſtophanis σουδάριον veteribus notat eſſe, quod eſt lintei parvi genus.

XII. Lineæ sacerdotum vestes.

Munditiem cultus etiam in ſacrorum miniſtris amat Deus. Itaque veſtes lege præſcripſit mundas, & quarum maculæ ex facili tergerentur & lavarentur, veſtes, inquam lineas, tunicam tiaramque lineam, baltheum lineum, linea denique femoralia *Exod.* 28: 40, 42. De lineis Sacerdotum veſtibus *Scaliger Animadverſ. in Euſebii Chronol. p.* 178. Depoſitis laneis veſtibus lineas aſſumere Sacerdotibus præcipitur, quum ad functiones templi accingerentur, *Ezech*. 49: 17. Alioquin extra templum, cultu veſtis plebe non differebant, adeo, ut Sacerdotibus lineas induere non liceret, ne in templo quidem, ſive iis, qui propter ἐλάττωμα aut labem, aut ſenium, templo operari non poterant; ſive iis qui extra ἐφημερίαν ſuam erant. Miniſtrantibus enim tantum fas erat lineas induere, quas ſacris operati, in conditoriis ſuis aut arculis reponebant. *Joſeph. p*. 842. initio capitis: Τῶν δὲ ἀπὸ γένους ἱερέων ὅσοι διὰ πήρωσιν οὐκ ἐλειτούργουν, παρῆσαν τε ἅμα τοῖς ὁλοκλήροις

ἐνδοτέρου τοῦ γεισίου καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ γένους ἐλάμβανον μερίδας, ταῖς μὲν ἐσθήσεσιν ἰδιωτικαῖς ἐχρῶντο· τὴν γὰρ ἱερὰν ὁ λειτουργῶν ἠμφιέννυτο μόνος.

XIII. INDUTUS LINEIS CHRISTUS.

Dan 10: 5. *Sublatis oculis meis vidi, quod, ecce, vir quidam indutus veſtibus lineis aderat, cujus lumbi accincti erant auro Uphazi*, auro probatiſſimo. *Corpus ſimile Jaſpidi cryſtallizuſæ*, ſplendidum ac purum, *& vultus ejus ſimilis ſpeciei fulguris*, fulgore ſuo loca penetrantis omnia, *ac brachia ejus & pedes ejus ſimiles colori æris terſi*, brachiis erat robuſtis, pedibus firmis. *Sonus autem verborum ejus ſimilis ſono multitudinis*, tumultuantium ſcilicet aquarum. Chriſtus eſt, qui hic deſcribitur Sacerdotis inſtar veſtitus lineis, candida mundaque veſte, qua adumbratur Sacerdotis hujus ab omni labi immaculata vita. *Hebr*. 7: 26. Cingulum ejus aureum eſt veritas, corporis ſplendor ipſi unita Deitas: Vultus fulgurans, in loca omnia penetrantes oculi, etiam in receſſus pectorum acriter intendentes; brachia & pedes chalybei, robur & firmitatem; ſonus verborum, ſimilis ſono multitudinis, vel ſono multarum aquarum, *Apoc*. 1: 15. longe lateque audito, ſignificat verbum Chriſti, quod univerſum terraram orbem implevit; Sermonem veritatis, qui percrebuit per totum mundum *Col*. 1: 6. Evangelium prædicatum omni creaturæ, quæ ſub cœlo eſt. *Col*. 1: 23. *Conf*. *Agg*. 2: 6.

XIV. INDUTI LINEIS ANGELI.

Apoc. 15: 6. *Prodierunt e templo Dei ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas, induti lino mundo & ſplendido, & præcincti circa pectora zonis aureis*. Linum purum & ſplendidum amictus eorum eſt, qui rem divinam faciunt. Angelos autem deſignat puriſſimos & incontaminatos ſpiritus, πνεύματα λειτουργικὰ, eos, qui ſtant, *ceu miniſtri* in circuitu throni divini. *Apoc*. 7: 11. *qui præcincti circa pectora zonis aureis*, promti ſcilicet paratique ad exſequenda Dei judicia, & ad efficiendum verbum ejus. *Pſal*. 103: 20.

XV. LINUM INJURIA FIT MELIUS, CHRISTIANUS CALAMITATE.

Multis injuriis perficitur linum. Nam e terra evulſum in arctos faſces conſtringitur, ad ſolem torretur, in aquas mergitur, ſaxis

ſaxis opprimitur, rurſumque exſiccatur, frangibulo conteritur, ſtupariis malleis tunditur, ferreo pectore carminatur, in ſubtiliſſima fila contorquitur, ac rurſus petris alliditur, ſæpiusque lavatur. *Venerabilis Beda:* Byſſus de terra virens oritur, ſed per exercitationes longas & multifarias, amiſſo humore, ac virore nativo, ad decorem candidæ veſtis peducitur. Genuina virtus, lino ſimillima, quo pluribus injuriis exagitatur, tanto majore meritorum & excellentiæ incremento invaleſcit. *Novimus iis, qui diligunt Deum, omnia,* (etiam res adverſas,) *ſimul conferre ad bonum. Rom.* 8: 28.

CAPUT XXIV.

De bysso.

Scheſch, *byſſus & ſchechi, byſſinum. Veſtium regiarum velorumque Tyriorum materia. Velum S. Tabernaculi ex byſſo, hieroglyphicum carnis Chriſti. Velum adyti ruptum quid notaverit. Byſſus in Judæa parata. Byſſino pallio indutus ante arcam Domini procedens David. Mordecai veſtis byſſina. Byſſus ſanctorum juſtificationes.*

I. Schech byssus, vestium regiarum velorumque tyriorum materia.

Ezech. 16: 13. Literarum textualium שׁשׁי indicio, legebatur in ſacris codicibus שׁשׁ & שׁשׁי vel שׁשׁי byſſinum. Xylinum, id eſt, goſſypium, lanam in frutice natam, Junius & Tremellius interpretantur. Sed שׁשׁ omnino linum eſt, non lana, multi pretii, virorumque principum geſtamen. Eo Ægypti Præſidem Joſephum induit Rex Ægyptius *Gen.* 41: 4. Eodem ornabatur ſtrenua illa fœmina, cujus & purpureum veſtimentum fuit. *Prov.* 31: 22. & Hieruſolyma, quam cælorum Rex matrimonio ſibi junxit, *Ezech.* 16: 10. *Veſtiens te verſicoloribus, calceavi te ianthinis, & accingens te byſſo operui te lana-de-mari.* Ex ea byſſo, & quidem torta, opere textili, factæ ſunt tunicæ Aharoni & filiis ejus, eodem munere functuris, cidariſque & tiara ornamentorum, nec non baltheus & femoralia, *Exod.* 39: 27, 28. quin & pretioſiſſimus amictus, Pectorale ſacrum. *Exod.* 28: 5. Vela denique

navium, quibus luxum & opes ſuas oſtentarent, ex eadem byſſo phrygionico opere contexuerunt Tyrii. *Ezech.* 27: 7.

II. VELUM TABERNACULI EX BYSSO.

Velum, quod diſtinctionem Sanctum inter & Sanctum Sanctorum fecerat, ex byſſo torta & intertexta, cœruleæ purpureæque & coccineæ lanæ conſtitit. *Exod.* 26: 3. *Facies velum ex hyacinthino, & purpureo, & coccino dibapho, tortaque byſſo; opere artificioſiſſimo faciet illud, Cherubis refertum faciet artifex.* Velum hoc carnis Chriſti hieroglyphicum fuit, quæ ad inſtar byſſi candida eſt per innocentiam, cœrulea per ſanctitatem, coccinea & purpurea per ſanguinis meritum. Per hoc velum divinitas quaſi cooperta, quemadmodum Sanctuarii velo obtegebatur Arca fœderis, & præſentia majeſtatis divinæ in Propitiatorio. Per velum hoc electis omnibus ingreſſus patet in Cœlum, Dei ſanctuarium, ut Apoſtolus docet *Hebr.* 10: 19, 20. *Habemus libertatem ingrediendi Sacrarium per ſanguinem Jeſu, ea via, quam dedicavit*, aperuit, *nobis recentem*, novam, *& vivam vel* vivificam, *per velum, hoc eſt, per carnem ſuam*, ſeu humanam naturam. Quod velum vocatur מעשה חשב artificioſum opus, opere phrygionis elaboratum, id admirandam Sancti Spiritus potentiam indicat, quam in conceptione Chriſti exſeruit. Cherubis picturatum opere phrygionis, Chriſto præſentes ad ſervitium adeſſe Angelos notat. Suſtentatum quatuor columnis duriſſimi ligni Sittim, auro obductis, impoſitumque quatuor ſtylobatis argenteis, conſtantiam innuit promiſſorum de Chriſto, quæ fundantur, in Juſtitia, amore, & veritate divina. Nec abſque myſterio fuit, quod eo tempore, quo in Cruce Dominus exſpiravit Velum Sacrarii in duas partes a ſummo ad imum finderetur. *Matth.* 27: 51. Significatur enim ea ſciſſione, factam eſſe manifeſtam ad Sacrarium Dei viam. *Hebr.* 9: 8. & habere Chriſtianos ad ſanctuarium Dei, hoc eſt ad cœlum, liberum deinceps aditum, per ſanguinem Jeſu. *Hebr.* 10: 19.

III. IN JUDÆA FACTA BYSSUS.

Byſſum in Judæa factam paratamque conſtat ex 1 *Par.* 4: 21. *Filii* Judæ . . . *Lahda, pater Mareſchanorum, & familiæ gentis, artificis in byſſo, gentis Aſchbehæ.*

IV. BYS-

IV. Byſſus illuſtrium virorum geſtamen.

בוץ inſignium veſtium materia, Regibus imprimis convenerat במעיל·בוץ Paludatus byſſino pallio legitur ante Arcam Domini proceſſiſſe David. 1 *Par.* 15: 27. Levitis quoque a Salomone permiſſum, ut, quum Arca Hieruſolymis in adytum templi inferretur, quo ſplendidior eſſet actus, byſſo indui. 2 *Par.* 5: 12. Sic Mordecai, quem regio honore afficere voluit Ahasverus, egrediebatur a conſpectu regis, cum indumento regio, hyacinthino ex albo, coronaque aurea magna, & ſtola byſſina & purpurea. *Eſth.* 8: 15. In Divite, privato homine, reprehenditur, quod byſſo & purpura veſtiretur *Luc.* 16: 19. Tametſi enim peccatum non eſt veſtibus ſplendidioribus uti, aut de ſuo vivere lautius; delinquitur tamen in eo, ſi modus excedatur, & luxui tribuatur, quæ pauperum ſuſtentationi debita, aut ſi præ divitiarum ſuavitate negligantur cœleſtia.

V. Byſſus, juſtificationes ſanctorum.

Apoc. 19: 8. *Datum eſt uxori, quam ſibi Agnus adjunxit, byſſino puro ſplendidoque veſtiri. Eſt autem byſſinum juſtificationes Sanctorum.* Δικαιώματα ſunt juſtificatorum bona opera, & juſtitia Chriſti per fidem eis imputata.

CAPUT XXV.

Sponte natum.

Lex de ſponte natis: Legis ratio. Schabbath ſchabbaton, id eſt, Sabbatum magnum. Duobus continuis annis comedendum ſponte natum. Quare ſponte naſcituræ dicantur ſignum?

I. Lex de sponte natis, ejusque ratio.

L*evit.* 25: 4, 5. *Anno ſeptimo Sabbatum magnum eſto terræ, Sabbatum Domino Jehovæ ſacrum: agrum tuum ne ſeminato, & vineam tuam ne putato. Sponte natum ex meſſe tua ne metito: & uvas intermiſſæ tuæ vineæ, ne vindemiato. Annus ceſſationis eſt terræ.* Iterum *verſu undecimo: Jubilæus hic eſt, annus quinquageſimus*

geſimus eſto vobis : ne ſeminate neque metite ſponte naſcentia ejus anni, neque vindemiate uvas intermiſſarum vinearum ejus. *Sabbatum magnum*, Hebraice, *Schabbath Schabbathon*, requies quietis. *Sponte natum*, nullo jacto ſemine, ſine hominum cultura. *Intermiſſa tua* ſcilicet vineæ. Juxta Hebræum, *ſeparatæ tuæ*, id eſt, a qua te ſeparas, intermittens cultum ejus, ex lege mea. *Annus quinquageſimus*, Hebraice, *quinquaginta annorum*, id eſt, inter quinquaginta ultimus. Ratio legis, ut, *quemadmodum Lucæ Oſiandro viſum*, ſequentibus annis terra eſſet fertilior. Quod enim caret alterna requie, durabile non eſt: &, ut ſymbolum eſſet æterni Sabbati, hoc eſt, æternæ felicitatis, in qua ceſſabit maledictio, quæ nunc ferit hominem, ut in ſudore vultus cogatur, multo cum labore victum quærere: *vel*, *quod Hebræi apud Munſterum ſentiunt*, ut divites, cum in ſeptimo anno querantur, Quid edemus? aut quid bibemus? cogitarent neceſſitates pauperum, qui ſemper ſunt in illa anxietate, qui nunquam ſerunt aut metunt. De ſponte natis *Majemonides in Matth. anii. cap. 6.* ſcribit, nec Thrumam, (ſive primitias Sacerdotibus debitas,) nec decimam primam aut ſecundam, nec decimam pauperum, tradi fuiſſe ſolitam. In Ægypto tamen, ac in terra Ammon & Moab, ubi non obſervabatur annus requiei, datas fuiſſe decimas.

II. ANNIS DUOBUS CONTINUIS SPONTE NATUM.

2 *Reg.* 19: 29. & *Jeſai.* 37: 30, 31. *Illud autem eſto tibi hujus rei ſignum comedere vos hoc anno* (τὸ ſaphiach) *ſponte natum*, *itemque anno altero* ſchachis, *ſponte natum : anno demum tertio ſerite*, *ac metite*, *ac plantate vineas* ; *& comedite fructum earum.* Quod ſecundo ſementis factæ anno naſcitur ſine jacto ſemine, id *ſaphiach* nominatur, quod tertio ex quo ſementis facta, id in poſteriore Regum סחיש, apud Jeſaiam trajectis literis שחים, vocatum. Capelli expoſitio hæc eſt. Hoc autem erit tibi ſignum, (id eſt ſimile) quod hoc anno (Sabbatico) comedetis ſponte natum, (ספיח,) anno vero ſequente (שחים) ſponte-renatum, anno autem tertio ſerite, metite, plantate vineas, & comedite fructus earum. Nam, quemadmodum experientia didiciſtis, anno Sabbatico demeſſæ ſegetes, absque hominis ope, ſequenti anno in pauperum uſum protrudere novam meſſem, unde anno ſubſequente novæ ſpicæ renaſcuntur : ita & exiguæ veſtræ reliquiæ,

quæ

quæ campo demeſſo ſimiles ſunt, radices agent deorſum, & fructus ferent ſurſum. Scaliger locum vertit: Horno proventum frugum vetuſtum percipite; anno proximo iis, quæ ſponte naſcentur, veſcimini, tertio anno ſerite, metite & eorum proventu fruemini. Quod, inquit, eleganter a propheta Hebraice enunciatum eſt, id Latinus ſermo conſequi non potuit. Melius Græce dixerim & planius, τῆτες τῆς προσόδου τῶν καρπῶν φάγεσθε. εἰς νέωτα τῶν ἀσπάρτων καὶ ἀγεωργήτων. Τρίτῳ ἔτει σπείρατε, ἀμπελῶνας φυτεύετε, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ φάγεσθε. Quæritur quare de αὐτομάτοις & ſponte naſcituris dictum: *Illud eſto tibi ſignum?* Quomodo ſignum hoc erat, quod liberatione erat poſterius? reſpondet *Lucas Oſiander*: Paternæ ſignum providentiæ fuiſſe, quaſi diceret propheta: Erit tibi hoc ſignum, te paterne a Deo diligi, ipſique te ac populum tuum curæ eſſe. Tanta te complectitur Dominus benevolentia, ut non modo liberationem ab Aſſyriæ Rege promittat, ſed polliceatur etiam tibi tuisque ſufficientem victum, tametſi agri ab hoſtibus vaſtati, & ex parte propter metum hoſtis inculti ſint & relicti.

CAPUT XXVI.

De Messe.

Meſſis Hebræorum initium. Pentecoſte Feſtum meſſis triticeæ. Hordeaceæ meſſis initium circa Paſchatis Feſtum. Meſſis eorum, quæ ſerebantur vere, incidit in Auguſtum. Refellitur Grotius & Maldonatus. Statuta meſſis. Lex de non metenda meſſe anni ſeptimi. Reſpondetur Auguſtini dubio. Meſſis Evangelii prædicatione facienda. Meſſis divinorum judiciorum tempus. Meſſis conſummatio ſeculi. Meſſis a famelico rapta. Meta frugum tempeſtive collecta mors ſenis. Meſſis neglecta. In prædam ceſſura meſſis: Seges demeſſa exterminationis emblema. Meſſis Nili. Nilus Melas & Schichor dictus a nigredine. Semen Nili triticum. Meſſis beneficiorum compenſatio. Hamir & homer manipulus. Alümma merges, Gaddiſch meta frugum. Stans in medio merges venerationis Symbolum. Manipulus primitiarum. Chriſtus primitiæ reſurgentium. Oblatarum primitiarum cauſæ. Fructuum primitiæ

Sacerdotibus datæ. Fructuum decimæ: Decimarum genera. Cophinus æſtivorum fructuum figura exitii.

I. MESSIS HEBRÆORUM INITIUM.

A fructibus agrorum ad meſſem venio. Meſſis Hebræorum initium decima ſexta menſis Niſan, qui & Abib dicitur, factum eſt; meſſem hic intellige hordeaceam, quæ triticea, in Pentecoſten ſcilicet incidente, ſeptem hebdomadibus prior. *Exod.* 34: 22. *Ruth.* 1: 27. *Exod.* 9: 31. Audiamus de hoc argumento accuratiſſime diſſerentem *Conringium*, *Commentariolo de tempore meſſis Hebræorum*: Nonnulli inquit, haut dubitant, omnis meſſis initium in Pentecoſtes feſtum rejicere. Ita ſane diſerte docuit *Buxtorfius Synagogæ Judaicæ cap.* xv. nec obſcure ipſe ὁ θαυμάσιος *Grotius ad caput* 6: *vſ.* 1. *Lucæ*, & *Joannes Maldonatus ad caput Matthæi* 12: 1. ut alios quam multos nunc ſilentio prætercam. Verba Maldonati ipſa, quum ſint inſtructa non vanis rationibus, merentur hic legi atque expendi. Nec enim, inquit, die decimo quinto aut vigeſimo Martii, ſpicæ maturæ eſſe potuerunt. Quod enim quidam annotarunt, in Palæſtina eo tempore propter vehementem calorem ſegetes ſolitas matureſcere, fictum eſſe arbitror. Nam nec illi probare poſſunt, & nos poſſumus Scriptura experientaque refutare. Johannes enim teſtatur tempore paſſionis Chriſti frigus fuiſſe, & ſe homines ad ignem calefeciſſe: & feſtum primitivorum celebrabatum quinquageſimo die poſt Paſcha. Celebrabatur autem, ſimul prima falx in meſſem mittebatur. *Deut.* 16: 19. Non ergo poterant in feſto azymorum, id eſt, quinquaginta ante diebus ſegetes eſſe maturæ. Experientia vero docet, non ſolum in Palæſtinæ, ſed neque in multo calidioribus Africæ regionibus, ſegetes tam cito matureſcere. Contra Conringius: Pentecoſte fuit quondam Iſraëlitis *Feſtum meſſis*, non tamen omnis ſed ſolum triticeæ. Hordeacea autem meſſis incepit in terris illis jam circa Paſchatis feſtum. Quamvis nimirum tritici ſementis ſationem hordei antecedit, temporius triticea tamen matureſcit hordeum: atque ita in Palæſtina hordei meſſis tritico ſeptem hebdomadibus fuit prior; hæc autem cepit circa feſtum Pentecoſtes, atque ita menſe Majo, inque Julium fuit continuata. Etiam ſane alibi accurate diſtin-

ſtinguitur meſſis tritici & meſſis hordei. Illius *Gen.* 30: 14. *Judicum* 15: 1. 2 *Reg.* 12: 17. Hujus 2 *Regum* 14: 20. Certe hordeum non minus quam triticum, ſeverunt Iſraëlitæ autumnali tempeſtate, ideoque & hujus neceſſario fuit aliqua meſſis, & non ſine cauſa diſtincte meſſem triticeam Sacræ literæ memoraverunt. Inſtituiſſe vero illos etiam vernalem aliquam ſationem nonnullorum leguminum, milii aliorumque non poteſt forte dubitari, quia & illorum in agro creſcentium haut infrequens in ſacris literis ſit memoria. Sed & menſe Niſan non minus arare quam metere ſolitos Iſraëlitas patet ex iis verbis, *Exod.* 34: 21. *Sex diebus operaberis, at die ſeptimo ceſſabis, in aratione & meſſe ceſſabis.* Fuit proinde & horum meſſis. Et vero hæc demum meſſis ſolet incidere in menſem Elul ſive Auguſtum noſtrum, eſtque meſſis ultima, quam excepit Feſtum collectionis, menſe proximo Tiſri. Ut incomparabilem Grotium & alios, qui docent meſſem incidiſſe ferme in menſem Elul, deceperit ignorantia, vel negligentior conſideratio variæ & ſementis & meſſis, cum primis ejus hordei, cantherini olim Romanis dicti, quod autumno ſeritur, eſtque plurimis locis plane inſolens, aliis infrequens. Cum univerſim loquendo meſſis ceperit menſe Niſan, & finierit menſe Elul, usque ad Tiſri: ſive ceperit cum Feſto Paſchatis, & finierit cum feſto Collectionis; quo tempore jam omnia horreis ſolent claudi. Huic ſententiæ contrarius Maldonatus provocat quidem ad Scripturam pariter & experientiam, ſed fruſtra eſt. Teſtatur ſane Scriptura, tempore paſſionis Dominicæ, frigus nocturnum fuiſſe moleſtum, hinc vero non ſequitur, non potuiſſe matureſcere ſegetes. Et vero etiam in noſtris hiſce terris circa meſſem noctes interdum frigidiores eſſe ſolent, idque media æſtate. Deuteronomii porro, ad quæ Maldonatus provocat, verba, plane jugulant ipſius ſententiam. Non enim ibi dicitur, Feſto Pentecoſtes demum, falcem in meſſem mitti, ſed altero paſchatis die id fieri ſolere, atque ab illo die eſſe numerandas ſeptem hebdomades. Quod ſi a feſto Pentecoſtes debuiſſet initium fieri illius numerationis, debuiſſet illa inſtitui ordine retrogrado, ut quinquageſimus dies eſſet Paſchatis feria altera. At vero etiamnum ſolent Judæi numerare illos quinquaginta dies, ſed recto ordine, & facto initio a ſecunda illa Paſchatis feria. Joannes Buxtorfius capite xv. Synagogæ Judaicæ refert, in hunc

modum Judæos ſolere tunc orare: Benedictus tu Domine, Deus noſter, mundi Domine, qui nos præceptis tuis ſanctificaſti, nobisque, ut dies meſſis numeraremus, præcepiſti, hodie vero dies eſt primus: & ſolere indies illos ita pergere numerando. Pentecoſten porro fuiſſe feſtum Primitiarum dictum, verum quidem eſt, ſed non omnium primitiarum ἁπλῶς, ſolarum autem duntaxat triticearum, ceu jam ante oſtendimus. Fruſtra quoque Maldonatus ad experientiam provocat, & Africæ calores. Non enim ſeritur in Africæ calidioribus locis hordeum: illius autem, non tritici meſſem, in Niſan menſem nos conjecimus. Sed & videtur Maldonatus hordei illius, quod autumno ſeritur, juxta cum aliis uſum ignoraviſſe: quæ inſcitia in errorem præcipitavit virum cætera perſpicacis ingenii & judicii; utinam & minus maledicum! Videatur etiam *Bochartus Hieroz. Part.* 1. *fol.* 858.

II. STATUTA MESSIS.

Jerem. 5: 24. *Revereamur Dominum Deum noſtrum, qui dat ſeptimanas; ſtatuta meſſis ſervat nobis*, id eſt, ſtata meſſis tempora, quæ maturando tritico Deus conſtituit, ſeptimanas ſcilicet inter Paſcha & Pentecoſten interjectas. *Lev.* 23: 15. *Deut.* 16: 9. *Minutius Felix in Octavio*, *p.* 10. Ordo temporum ſtabili frugum varietate diſtinguitur, & autorem ſuum parentemque teſtatur. Ver æque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni maturitas grata, & hiberna Olivitas neceſſaria, qui ordo facile mutaretur, niſi maxima ratione conſiſteret.

III. MESSEM ANNI SEPTIMI NON METEBANT JUDÆI.

Exod. 23: 10. *Sex annis conſeres terram tuam, & colliges proventum ejus: Septimo autem quoque intermittito eam, & relinquito eam incultam. Levit.* 25: 45. *Anno ſeptimo Sabbatum otioſæ ceſſationis eſto terræ, agrum tuum ne ſeminato, & vineam tuam ne putato: ſponte natum ex meſſe tua ne metito &c.*

Quæritur hic, ſi anno ſeptimo neque ſatum neque meſſum in terra Hebræorum fuit, quid vel iſto, vel ſequente anno comederint? Reſpondent doctores Anno ſexto tantam frugum copiam Deo largiente terram effudiſſe, ut ſuffecerit tribus annis, ſexto ſcilicet ſeptimo & octavo. Idque eſt contra *Auguſtinum QQ. ad Lev.* 25. qui relicta expreſſa litera, ſeptimo anno conſeviſſe ait Iſra-

Iſraëlitas agros ſuos, ſed non meſſuiſſe; idque in gratiam pauperum, unde alias, inquit, comediſſent pauperes populi pro quibus erat annus iſte remiſſionis. Verum reſpondetur: Vitis, Oliva, & aliæ arbores etiam incultæ, fructum eis ferebant, deinde multa ſponte ſua terra genuit, multa denique ſparſim & temere per agros delapſa ſemina radices agebant.

IV. Messis Evangelii prædicatione facienda.

Johan. 4: 35. *& ſeqq. Vos quidem dicitis hinc ad quatuor menſes futuram eſſe meſſem. At ego ſic vobis dico: Erigite oculos, & rura adſpicite, ut jam alba ſint ad meſſem, & meſſor mercedem accipit, & ſator fruges congerit ad vitam æternam, ut ſator ſimul gaudeat & meſſor. Nam in hoc dictum comprobatur: alius eſt qui ſerit, alius qui metit. Ego vos miſi ad metendum, quod non laboraſtis: alii laborarunt, vos in eorum laborem invaſiſtis.*

Sic vobis dico: Non loquitur de meſſe agrorum, quæ toto quadrimeſtri aberat, ſed de meſſe ſpirituali, quæ per prædicationem Evangelii perficitur. Ut enim in meſſe ariſtæ reſecantur, & in aream delatæ triturantur: triticum vero in granariis ſervatur, donec inde depromtum in panes formetur: ita terreni homines per Evangelii falcem reſecti, in Domini aream, quæ Eccleſia eſt, colliguntur, & illic tum aſſidua verbi prædicatione, tum per crucem excuſſi a paleis reconduntur in horrea regni cœleſtis; ut Dei cibus fiant, qui hominum ſalutem eſurit. *Mercedem accipit:* Utitur mercedis nomine, non, quod Apoſtolorum meritis aliquid tribuat, ſed ut noſtro ſe ingenio accommodet, qui promiſſionibus ducimur, & ut Dei bonitatem commendet, qui ſua dona in nobis coronat, compenſatione non meritoria ſed gratuita. *Congerit fructum ad vitam æternam:* Nam & ſibi ipſi theſaurum vitæ æternæ colligunt fideles miniſtri, & ſimul multos alios Chriſto adducunt, qui proprius hujus meſſis fructus eſt. *Ut ſator ſimul gaudeat & meſſor:* Promittit, illos hujus gaudii fore conſortes, in quod jam olim Patres & Prophetæ ſancti ſunt ingreſſi. *Alius qui metit:* Sic tamen, ut hoc prioribus illis fraudi non ſit, quia nulla fit meſſis hujus tranſlatio ad alienos, ſed ad Deum fructus omnis refertur, cui Prophetæ æque ut Apoſtoli ſervierunt. *Alii laborarunt:* Prophetas & Patriarchas intelligit. Nam, ut ſementis laborioſior, & diuturniorem moleſtiam creat,

ita multo labore opus fuit, ut ſublatis falſis opinionibus, quibus ipſorum tempore mundus ſcatebat, aliqua pietatis ſemina in animis hominum plantarentur. Utitur autem laborandi verbo comparate, ſi Patriarcharum & Apoſtolorum collatio fiat. Nam alias & hi labores, & illi ſuas meſſes habuerunt.

V. MESSIS DIVINORUM JUDICIORUM TEMPUS.

Joel 3: 13. *In convalle Joſaphat ſedebo, ad judicandum omnes gentes undique*; dicens, *Immitte falcem, nam maturuit meſſis. In convalle Joſaphat*, hoc eſt, in convalle אשר בו יהוה ישפוט in qua Jehova judicabit, in convalle judiciorum meorum, in conſpectu Eccleſiæ. Non enim proprie nomen Jehoſchaphat accipitur, ſed juxta notationem ſuam. Spectat enim vaticinium hoc tam ad cladem, quam in terris adhuc commorantis Eccleſiæ hoſtes accepturi ſunt, quam ad magnum illum generalis judicii diem. Eos, qui ab hac interpretatione diſſentiunt refutavit Tarnovinus Commentario in hunc locum. *Undique*, vel circumcirca, circa convallem ſive Eccleſiam. *Mitte falcem.* Alloquitur Deus, judiciorum ſuorum adminiſtros, quos commate undecimo fortes ſuos vel robore valentes vocat, quo nomine imprimis inſigniuntur Angeli, *Pſal.* 103: 20. *Maturuit meſſis*, id eſt, quod ſequitur: *ampla eſt malitia eorum*, menſuram peccatorum impleverunt. Metaphora eſt ad ſcelerum maturitatem notandam plenitudinemque temporis divini judicii, ut *Apoc.* 14: 15. *& ſeqq.*

VI. MESSIS CONSUMMATIO SECULI

Matth. 13: 39. *& ſeqq. Meſſis eſt conſummatio ſeculi*, tempus, quo mundo finem faciet Deus: non, quod Autor Harmoniæ in Uſſerii Bibliotheca repertus, opinatur, finis αἰῶνος vel temporis illius periodi, quæ attingat finem quadraginta duum hebdomadum, inchoatarum circa annum Chriſti ſexcenteſimum, de quibus *Apoc.* 14: 2, 14, 15, 18. *Meſſores Angeli ſunt*; *ut igitur colliguntur zizania*, ut ſeparantur a tritico, id eſt, a filiis regni vel ab iis, qui ſunt ſub regno Chriſti, *& igni cremantur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet filius hominis ſuos Angelos, qui ex regno ſuo colligent omnia ſcandala*, ſecernent ab electis & fidelibus eos, qui vel doctrina vel vita aliis cadendi vel peccandi occaſionem præbuerint, *& qui faciunt iniquitatem*, פֹּעֲלֵי־עָוֶן iniquitatis

artem

artem factitantes, *& conjiciet eos in ignis fornacem*, in ſtagnum, ubi ardet ignis & ſulphur, *Apoc.* 21: 8. comburendos igni in extinguibili. *Ubi ploratus erit*, ex pœna intolerabili, dentiumque ſtridor ex indignatione & rabie. *Matth.* 3: 12.

VII. Messis a famelico rapta.

Job 5: 5. *Meſſem ejus*, quam in manibus tenere videbatur, & collecturum ſe ſperabat, *famelicus comedet*, *atque ad id-quod-e-ſentibus* factum ad ſpinea tuguria *recipiet eam.* Homines intelligit ſine lare, mendicabula intra conſepta ſpinea commorantes, de quibus & Ijob: *Inter virgulta rudebant*, *ſub urtica ſociabantur*, ſive, alter ad alterum, (ut a frigore muniretur,) ſe applicabat, προσεκολλήθησαν.

VIII. Meta frugum tempestive collecta, mors senis.

Ijob 5: 26. *Pervenies cum ſenio ad ſepulcrum*; *ſicut abit*, vel tollitur, *meta frugum tempore ſuo*, hoc eſt, morieris in vegeta & robuſta ſenectute, crudus & validus ſenex; tuo tempore, plenus & ſatur dierum, ſine cruciatu & dolore. Non abſimile *Pſal.* 102: 26. *Mors juvenis aut viri eſt*, *ut* σταχύων μὴ πεπανθέντων, *ſpicarum immaturarum nec veſcarum decuſſio.* Quare & in pœnis: *Pſal.* 55: 24. *Viri ſanguinum & doloſi non perducent ad dimidium dies ſuos.* 1 *Sam.* 2: 31. *Omnis educatio domus tuæ morientur viri*, hoc eſt, ipſo ætatis vigore, quod impletum 1 *Sam.* 22: 18, 19.

IX. Messis neglecta.

Prov. 10: 5. *Comportat in æſtate filius intelligens: Stertit in meſſe filius pudendus*, vel degener. Commendat his verbis diligentiam; attentionem induſtriam convenientem tempori, quo Deus prope eſt. Conferri cum his debent ad mentem parabolæ percipiendam talia, qualia ſunt *Hebr.* 2: 1. *cap.* 6: 11, 12. *Eſai.* 55: 6. Summa eſt, quemadmodum tempus colligendi in agro præterit, & ſegnem expectatio omnis fruſtratur; ita etiam regnum Dei & vocationem ad illud, & divinam patientiam præterire, ideoque omni ſtudio atque etiam βίᾳ rapiendum eſſe. *Matth.* XI: 12. Coccejus.

X. IN PRÆDAM CESSURA MESSIS.

Jeſaia 16: 9. *Super æſtivos fructus tuos, & ſuper meſſem tuam celevſma cadet.* Celevſma hoſtium ſcilicet meſſem tuam deprædantium. Nam & נפל eſt *irruit. Judic.* 7: 12. 1 *Reg.* 22: 20. *Jerem.* 48: 32. *Pſal.* 10: 10. *Job.* 1: 15. *&c.* Hinc R. Salomon in hunc locum, הידד קול שודדים ובוזזים Hedad vaſtantium & diripientium vox eſt. *Jeremias cap.* 48: 32. in ſimili argumento : על־קיצך ועל בצירך שדד נפל *Super æſtivos fructus tuos, & ſuper vindemiam tuam vaſtator irruet.* Atque ea moverunt, quo minus accederemus Tremellio, Belgicæ, Forero, Deodato & cæteris, qui ut concilient hæc cum verſu, qui mox ſequitur, exponunt : Et de æſtivis fructibus tuis celevſma concidet. *Noldius Notis ad Concord. pag.* 690. *n.* 1127.

XI. SEGES DEMESSA EXTERMINATIONIS EMBLEMA.

Jeſ. 17: 5. *Erit perinde* deportatio gentis, *ac ſi colligeret meſſor ſegetem, & brachium ejus ſpicas demeteret : denique erit, ut qui legit ſpicas in convalle Rephaimorum*, id eſt, Nihil de populo Iſraëlitico in terra relinquetur : tam diligenter eos auferet hoſtis, quam qui poſt meſſem legunt ſpicas ; quam qui in convalle Rephaim, Hieruſolymis vicina hoc faciunt, ubi propter legentium multitudinem, omnes meſſorum reliquiæ præripiuntur.

XII. MESSIS NILI.

Jeſa. 23: 3. *Per aquas multas* venit *ſemen Sichoris : Meſſis rivi eſt proventus ejus : Fuitque mercatus gentium. Per aquas multas*, ſive magnas, per Mare magnum ſeu Mediterraneum. *Venit*, ſubintelligitur enim בא participium, ut *Jerem.* 51: 25. Ecce ego venio contra te. *Semen Sichoris* eſt ſemen Nili, qui Schichor vel Siris dictus a Nigredine arenæ, Græcis Melas. *Semen Nili*, Triticum dicitur quod Nilo fœcundante agros provenit laudatiſſimum, limo vel arena ipſis immiſſa. *Meſſis rivi*, collective ; rivorum, ſcilicet Nili, quibus irrigantibus in meſſem exuberat Ægyptus. *Fuit mercatus*, Fuit emporium longe celeberrimum.

XIII. Messis: beneficiorum compensatio.

Gal. 6: 9. *Bonum facientes non defatigemur: tempore enim ſuo metemus, ſi non frangamur animo.* Hortatur ad indefeſſum benefaciendi ſtudium, Deumque ſiſtit remuneratorem. Hoc eſt, quod a liberalitate nos retardat, quia perire nobis putamus, quicquid datur. At, inquit Paulus, dum benefacimus ſementem facimus. Dives enim eſt Deus, qui beneficia egenis præſtita ſuo tempore largiſſime compenſat. Patientes igitur animo eſtote, fratres, usque ad Domini adventum. Ecce, agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patiente animo eum exſpectans, dum accipiat pluviam primorem, ſive *autumnalem*, & ſerotinam, *quæ meſſi propinqua ſegetes fœcundat promovetque. Jacob.* 5: 7.

XIV. Manipulus, עמיר hamir, vel עמר homer.

Derivantur hæc nomina ex radice עמר apud Arabes ſervata, quibus عمر *hamara* eſt colere, excolere; unde & Hamoræ ſeu Gomorrhæ vocabulum, quod eſt culta vel exculta regio. Totus enim Sodomæ & Gomorrhæ tractus, ut *Gen.* 13: 10. legitur, irriguus fuit, & ſimilis horto Domini, ſimilis terræ Ægyti, totus qua venis Tzoharem usque, antequam perdidiſſet Dominus Sodomam & Gomorrham. Eſt autem hamir vel homer, quod meſſor una vice deſecat, manipulus ſpicarum, qui excuſſus impleat menſuram homer, id eſt, decimam partem Ephæ. *Alümma*, eſt merges, ſpicarum major faſcis, ex manipulis compoſitus. גדיש dicitur meta frugum, vel acervus faſcium ex mergitibus congeſtus.

XV. Manipulus in aream congregatus securitatis emblema.

Mich. 4: 12. *Ipſi ignorant cogitationes Domini, neque intelligunt conſilium ejus eum congregare illos, velut manipulum in aream.* Junius: Congregare ipſas, ſcilicet gentes Tzijonis hoſtes, ideo quaſi fœnum congregare exponit de illis, qui congregantur, ut necenter & graviter puniantur. At ea mens prophetæ non eſt. De Iſraëlitis hoc accipiendum, quorum ſecuritati Deus proſpicit. Simile eſt illud *Ijobi* 5: 26. *Pervenies cum ſenio in ſepulcrum, ſicut abit meta frugum tempore ſuo.*

XVI. STANS IN MEDIO MERGES, VENERATIONIS INDICIUM.

Gen. 37: 7. *Videbam mihi*, ita fratres Joſephus alloquitur, *in medio agro mergites facere; & ecce, meus merges ſurgebat, & etiam ſtabat* immotus ſcilicet, ad veſtros faſces nec tantillum ſeſe inclinans. Sic ſtare in cœtu Deorum Deus dicitur *Pſal.* 82: 1. Sic Agnus Redemtor ſtabat inter quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores, qui prociderunt in conſpectu ejus, & celebrarunt per ſanguinem illius factam redemtionem.

XVII. MANIPULUS PRIMITIARUM.

Levit. 23: 10, 11. *Quum ingreſſi in terram, quam ego daturus ſum vobis, meſſuri eritis meſſem ejus; tunc offeretis manipulum frugum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem: Qui agitabit manipulum iſtum frugum coram DOMINO, ad acceptionem veſtri: poſtridie illius ceſſationis, agitabit eum Sacerdos.*

Manipulus ergo frugum, primitiæ meſſis hordeaceæ agitabatur coram Domino, poſtridie Sabbati Paſchatis, ſive decima ſexta menſis Niſan. Offerebatur cum agno anniculo perfecto, in holocauſtum juxta id quod legitur capitis laudati commate duodecimo. Sacerdos ſpicas in farinam comminutas cum thure & oleo adolebat Deo. Quod reliquum erat, in uſum Sacerdotii cedebat. Oblationis cauſæ erant: Prima ut admonerentur Iſraëlitæ de divino frugum beneficio, & orarent Deum pro benedictione ſuper meſſem. Secunda cauſa politica fuit, ut iſta ordinatione cogerentur legitimum tempus meſſis exſpectare. Tertia, ut ab eo die numeraretur Feſtum Pentecoſtes. Poſt oblationem manipuli permittitur eſus frugum, *Lev.* 23: 14. Chriſti reſurrectio dat nobis vitam & jus in omnes res Dei. Chriſti diſcipuli viſi ſunt contra iſtam legem peccaſſe, quod non tantum Sabbato manibus commolerent fruges de ſegete carptas, ſed etiam de iis comederent Sabbato; quod prius eſſet ſecunda, ſive die Sabbatum ſequente, qua oportebat manipulum offerri, quos Chriſtus defendit *Luc.* 6: 1. *& ſeqq.* Nam δευτερόπρωτον valet πρῶτον vel πρότερον τῆς δευτέρας, hoc eſt poſtriduani, ſequentis primam feſti aut Sabbatum. *Fag. & Cocc. d. l. & Ligtfoot. Hor. Hebr. in Matth. cap.* 12: 1.

XVIII. Primitiæ dormientium Chriſtus.

1 *Cor.* 15: 19. *Si in hac ſolum vita ſperamus in Chriſtum, miſerrimi omnium hominum ſumus. Nunc autem Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt factus eſt.* Chriſtus vocatur primitiæ dormientium, partim ratione meriti, quia ipſe primus & unus eſt, qui reſurrectione ſua nobis vitam acquiſivit, ac juſtitiam, *Rom.* 4. & ſic reſurrectionem noſtræ carnis ſanctificavit; quemadmodum olim primitiæ fruges cæteras; partim ratione dignitatis, quia reſurrectio Chriſti cæterorum omnium reſurrectioni anteferenda eſt, quemadmodum primitiæ frugibus cæteris. Hinc illud Pauli: *Chriſtus eſt primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primas tenens, Coloſſ.* 1: 18. partim etiam ratione ſpei noſtræ, quam in ipſo habemus de reſurrectione noſtra. Nam primitiæ frugum notant appropinquare meſſem, & reſurrectio Chriſti de paulo poſt futura reſurrectione omnium nos certos reddit. *Balduinus in h. l.*

XIX. Fructuum primitiæ ſacerdotibus datæ.

Num. 17: 12, 13. *Quodvis opimum oleum, & quodvis opimum muſti ac frumenti, primitias eorum, quas dederint Iſraelitæ DOMINO, do tibi. Primitiæ omnium, quæ fuerint in terra illorum, quas attulerint DOMINO, ſunto tuæ. Quisquis mundus erit in familia tua, comedet ex eis.* Conſiſtebat autem hæc immunditia, ut Lorinus ex Levitico & Numeris, genera ejus recenſet, in eo; ne quis tetigiſſet mortuum, vel oſſa ejus in agro reperta, vel ſepulcrum, vel tentorium mortui, vel animal diſcerptum a beſtia, vel morticinum: præterea, ne comediſſet animal immundum, vel ne hominem leproſum tetigiſſet, vel fluentem ſemine, vel mulierem menſtruatam: item, ut non introiviſſet, aut manſiſſet in domo leproſa, ne vitulam rufam immolaſſet, aut cineres ejus collegiſſet, ne caprum emiſſarium eduxiſſet in deſertum. Alia immunditia ſine contactu erat leproſi, ſeminiflui, menſtruatæ, verſantis in fluxu ſeminis multo tempore, denique nocturnam patientis pollutionem.

XX. Oblatarum primitiarum tempus.

Primitiarum tres oblationes fiebant. Prima in Paſchate, ſe-

cundo die in ſpicis. *Levit.* 23: 10. Secunda in Pentecoſte ex panibus. *Lev.* 23: 16, 17. *Num.* 15: 20, 21. Tertia in Scenopegiis, ex omni fructu terræ. *Deut.* 26: 2. TYPUS. Spicæ ſunt Veteris Teſtamenti, panes Novi, civium virtutes; omnes fruges, cœli, in æternum. Res offerendæ fuerunt, vinum, frumentum, oleum, poma, palmæ, hordeum, ficus, & talia, ut colligitur ex *Numer.* 18: 11. & *Deut.* 18: 3. FINIS erat Gratiarum actio pro liberatione ex Ægypto. 2. Profeſſio ſervitutis Deo debitæ. *Vid. Luc.* 1: 74. & *Tit.* 2: 14. *Joſ. Arnd. Manual. LL. lege* XIII.

XXI. FRUCTUUM DECIMÆ.

Decimarum varia traduntur genera. Decima prima Græcis ac Hebræis dicta fuit ea, quæ poſt oblatam Thrumam ex acervo frumentario deſumta, Levitis dabatur. Erat autem *Thruma*, ſi Scaligerum audiamus, quæ de fructibus jam elaboratis, id eſt, frumento vannato, oleo & muſto offerebatur, & ſolis Sacerdotibus cedebat. De hac, quæ prima vocatur decima, Levitæ pendebant aliam decimam Sacerdotibus, quam textus *Num.* 18: 26. vocat decimas ex decimis, & 2 *Chr.* 31: 6. decimam ſanctitatum. Quod reliquum colono poſt ſolutionem Thrumæ decimæque primæ fuit, de eo aliam detraxit decimam, deferendam vel Hieruſolyma, vel, ſi longior erat via, redigendam in nummos, unde oleum, muſtumque & victimæ emerentur Hieruſolymis, ex quibus epulum inſtrueret, & ad illud Levitas & Sacerdotes in atrio templi invitaret. *Deut.* 14: 24. Vocatur hæc decima ſecunda. Item, tertio quoque anno ſolvebatur decima, quam idcirco trietericam, & *Tobiæ* 1: 7. τὴν τρίτην δέκατην nominari volunt. De hac *Deut.* 14: 28, 29. A fine trium annorum depromito omnes decimas frumenti tui provenientis iſto anno, & relinques intra portas tuas, ut eas venientes Levitæ, quia non eſt eis pars aut poſſeſſio tecum, & peregrini pupillique & viduæ, qui ſunt intra portas tuas, comedant & ſaturentur. Ubi notare jubet Ameſius, quod *pro a fine* in Ebræo ſit מקצה in extremo vel extremitate, id eſt, in principio tertii cujusque anni; utraque enim rei extremitas קצה & מקצה dicitur. Sic *Deut.* 15: & alibi. Quia pauperibus & hæc cedebat πτωχοδεκάται dictæ Hieronymo ſunt, & Rabbinis : מעשר עני. Super iisdem fiebat con-

confeſſio juxta legem *Deut.* 26: 13. Formula confeſſionis in textu extat. Nempe ſacrificiis rite peractis & oblatis primitiis, diſceſſurus e regione templi ſtans, Deo grates agebat, pro liberatione ex Ægypto: deinde teſtabatur, ſe ex præſcripto attuliſſe decimas, denique petebat a Deo benedictionem ſibi domuique ſuæ, & Reipublicæ. Morale: 1. Ut ad conſervandum miniſterium & pauperes, bona noſtra liberaliter erogemus. 2. Et pro annua terræ fœcunditate Deo grati ſimus. 3. Ac coram Deo in talibus operibus ſincere ambulemus & puro corde.

XXII. כלוב קיץ, id est, cophinus æstivorum fructuum figura finis et exitii.

Amos 8: 1. *Sic oſtendit viſionem mihi Dominus, Jehova-Deus, quod ecce CELUB-KAJITZ cophinum ſeu fiſcum fructuum æſtivorum;* quumque dicenti, quid vides Amos? dixiſſem fiſcum æſtivorum fructuum; *dixit DOMINUS mihi:* בא הקץ, *advenit finis populo meo Iſraëli, non pergam amplius præterire ipſi.* Mercerus: Videt cophinum fructuum æſtivorum, qui jam plene maturuerunt, & quorum terminus venit, ut decerpatur, vel edendi vel aſſervandi cauſſa. Quod ipſemet Dominus prophetæ exponit, ſignificare jam in foribus eſſe hujus populi finem; velut maturuiſſe & ad ſummum excreviſſe eorum ſcelera, ut jam ultra ferre non poſſit Dominus, quin merita illis ſupplicia irroget, & ex terra ſua eos alio transferat. Viſionis ſignificatio poſita eſt in alluſione duarum vocum Hebraicarum, קיץ, quod æſtatem, & æſtivos fructus generaliter ſignificat, & קץ, quod ſignificat terminum. Hoc aliæ linguæ non poſſunt aſſequi. Ut ſub finem æſtatis terminus eſt fructuum, & tempus, ut colligantur, quum jam tota æſtate ſolis calore plane ſunt maturati, nec diutius in arbore aſſervari poſſunt: ſic venit, & in propinquo eſt tempus a Domino præfinitum, ut puniantur, quum menſuram iniquitatum impleverint.

CAPUT XXVII.

DE FRUCTUUM RETRIMENTIS, GLUMA, STIPULA, STRAMINE, ET QUISQUILIIS.

Glumæ, paleæ, ſtipulis, comparantur Improbi. Stipulæ collatæ cum rebus viliſſimis. Parturire torridum gramen. Parere ſtipulam. Stramen cum re debili & infirma comparatum. Stramen, doctrina falſa, & frivola. In ſterquilinio trituratum gentem denotat abjectam. Straminis copia celebratum Hephrajim oppidum. Quisquiliæ frumenti venditæ pauperibus. Stupa, imbecillitatis emblema. Σκύβαλα.

I. GLUMA מוץ MOTZ.

Gluma vel palea Hebræis dicitur מוץ, Græcis ἄχνη, Arabibus & Perſis كاه *cah*, unde ſuccini nomen *Cah-rabe*, id eſt, paleam trahens. Gluma eſt hordei vel tritici tunicula. *Varro de re ruſtica c.* 48. Spica ea, quæ mutilata non eſt in ordeo & tritico tria habet continentia: granum, glumam, ariſtam, & etiam primitus ſpica cum oritur, vaginam. Granum dictum, quod eſt intimum, ſolidum. Gluma qui eſt folliculus ejus. Ariſta, quæ ut acus tenuis, longa eminet e gluma. Gluma tropice vel rem ſonat leviſſimam, nullius ponderis, nullius pretii, vel hieroglyphicum eſt diſſipationis ac perſecutionis, vel velocis ac totalis interitus. Hinc ſequentium dictorum capias intellectum.

Pſal. 1: 4. *Non ita improbi ſunt, ſed ſicut gluma, quam diſpellit ventus.* Pii fructum ferunt juſtitiæ & probitatis, & in fide radicati calamitatum æſtu non opprimuntur, ſed fluentis gratiæ ſpiritusque divini refocillati, perpetuo virent vigentque. Impii contra, bonorum operum vacui & ſteriles, omni probitatis fructu deſtituuntur, pravorumque affectuum turbinibus inſtar leviſſimæ glumæ a vento impulſæ & disjectæ ad interitum aguntur.

Pſal. 35: 5. *Fiant quærentes* animam meam, *ut palea coram vento*,

vento, *Angelo Domini impellente*, id eſt, diſſipentur & inſectetur eos Angelus Domini & propellat, nec ſinat ullibi quieſcere aut hærere.

Job. 21: 18. *Sunt* improbi *ut ſtipula coram vento*, ludibrium venti, *& gluma*, *quam furatur* vel ſurripit, *turbo.* Florent, ſed ad tempus: Bonum eorum eſt inſtabile.

Jeſai. 29: 5. *Erit ut pulviſculus tenuis multitudo extraneorum tuorum*, *& velut gluma tranſiens multitudo violentorum*, *adeo erit ad momentum repente.* Pulviſculus hoſtium inſinuat innumerum numerum, gluma tranſiens velocitatem.

Jeſa. 41: 15. *Triturabis montes comminuesque*, *& colles tanquam glumam diſpones*, id eſt, conteres Reges principesque Medorum, exinanitos, regno ſcilicet & operibus eorum ablatis, & deflorata gloria.

Hoſe. 13: 3. *Idcirco ſunt ut nubes matutinæ*, *& veluti ros mane ſtillans*, *qui abit*, qui evaneſcit, *ut gluma turbine abrepta ex area*, *& velut fumus ex camino ſummo.* Hoc eſt, quantumcunque belli apparatum oſtentent Iſraëlitæ, is tamen omnis ut nubes matutina, ut ros matutinus, ut gluma turbine ſurrepta, ut denique fumus ſubito, vel, brevi tempore diſparebit.

Zephaniæ 2: 2. בטרם לגת חק כמוץ עבר יום ירו' Senſum prophetæ dubiis & obſcuris quorundam interpretum verbis expoſitum, nova verſione explicare conabor: *Antequam edatur decretum*, vos conſumendi, *antequam ut gluma tranſierit dies Domini*, dies furoris & oppreſſionis, de quo *cap.* 1. *verſu* 15. quum nondum invadit vos æſtus iræ Domini, quum nondum invadit vos dies iræ Domini, quærite Dominum, omnes manſueti terræ.

II. קש Stipulæ.

Ignis Stipularum conſumtionis eſt Symbolum. *Jeſ.* 5: 24. *Ut abſumit ſtipulam lingua ignis*, *& torridum gramen flamma deficit*, *radici iſtorum quaſi tabes inerit*, radix eorum, id eſt, opes & potentia eorum, quibus nituntur, *& flos ipſorum*, id eſt gaudium ipſorum, *ut pulviſculus abibit. Quia contemnunt Doctrinam Domini Dei exercituum*, *& ſermonem Sancti Iſraelitarum ſpernunt.* Sanctus Iſraëlis eſt Dei filius. *Exod.* 15: 7. *Furorem tuum immittis*, *conſumis eos tanquam ignis ſtipulam. Joel* 2: 5. *Equites current quaſi ſtrepitu flammæ ignis conſumentis ſtipulam. Obad. vſ.* 18. *Erit domus*

domus Jacobi velut ignis , & domus Joſephi in ſtipulam , ut accenſi in hos conſumant ipſos , neque erit ſuperſtes domui Eſavi , quia Dominus eloquitur. Nachum 1: 10. *Conſumentur velut ſtipula arida plane. Malach.* 4: 1. *Dies adveniet ardens tanquam fornax , quo erunt omnes ſuperbi & omnes facientes improbitatem ſtipula , & inflammabit eos dies ille venturus , ait DOMINUS , Deus exercituum, adeo , ut non relinquat eis* (qui Deum non colunt) *radicem aut ramum. Sapient.* 3: 7. *Tanquam ſcintillæ accendentes ſtipulam percurrent*, ſeu perficient curſum. Velocitatem habebunt majorem, quam ignis in ſtipula. Corpora enim eorum erunt cœleſtia, qualia quæ ſunt celerrime moventur. Ignis in ſtipula, proverbiale. *Zach.* 12: 6. *Grotius.*

III. STIPULÆ COMPARANTUR ETIAM RES VILISSIMÆ INANES AC LEVISSIMÆ.

Job. 13: 25. *An folium impulſum exagitares ? an ſtipulam aridam perſequereris ?* Folium impulſum , vel decuſſum , quod non poteſt iterum arbori ſuæ , unde vitam habuerat , uniri. Flectit Deum ad miſericordiam , per comparationem majeſtatis & potentiæ ſuæ , cum ipſius tenuitate & fragilitate. *Jeſai.* 33: 2. *Parturitis torridum gramen*, *parietis ſtipulam*, inani vos labore torquetis, conſilia vana agitabitis; *Spiritus veſter eſt ignis*, qui comedet vos. *Pſal.* 83: 14. *Deus mi , pone eos velut rotam* ; quæ aſſidue circumagitur, *ut ſtipulam coram vento* , qui pondere deſtitutam indeſinenter rotat, jactat, propellit & perſequitur. *Job* 41: 20. *Ut ſtipula reputantur* Leviathani , balænæ, *balliſtæ* lapides, *& ridet ad ſtrepitum pharetræ*, id eſt , nullis dimovetur & depellitur telis. כידון pharetram pilorum aut ſagittarum interpretatur Coccejus, ex collatione 1 *Sam.* 17: 6, 45. *Joſu.* 8: 18. *Jerem.* 6: 23. 42: 50. Eſt inter arva ad nocendum comparata eo loco , quo anus ſtrepit Goliatho a ſcapulis pendet. In manu Joſuæ eſt. *Jeſai.* 40: 24. *Principes , ut ſufflaverit in eos Deus , exſiccantur* velut herbæ teneræ, quas Eurus afflaverit , *ac turbo* quaſi ſtipulam tollit eos. *Jeſai.* 41: 2. *Dedit reges uti pulverem ante gladium ejus, & ceu ſtipulam impulſam ante arcum ejus.* Sic reddit *Noldius* , ſic *Chaldæus :* קדם חרבה קדם קשתיה *Kimchius & Ben-Melech*, נתנם האל כעפר לדוש לפני חרבו אברהם ונתנם כקש נדף לפני קשתו: & Ellipſin ꝫ ל agnoſcit *Glaſſius Philolo lib.* 4. *tr.* 1. *can.*

can. 5. Loquitur de Abrahamo & victoria ejus ſuper reges, *Gen.* 14: 14. quos imminuit inſtar pulveris, *Pſal.* 18: 43. ut non magis ei potuerint reſiſtere, quam palea vento. At Syrus & Ariæ Montanus: dedit ut pulverem gladium ejus, ut ſtipulam impulſum, arcum ejus; Male: Nam non Abrahami ſed hoſtium ejus arcus & gladius, fuerunt ut pulvis & ſtipula. *Nold. Annot. ad concord. Part.* 10. *Job.* 21:18. *Fiunt ut ſtipula coram vento, & ut palea, quam furatur turbo.* Hoc ſimile declarat impios non habere in terris ſtabile ſtabulum, celeriterque ad interitum abripi. *Jerem.* 13: 14. *Diſpergam eos ut ſtipulam levem, ad ventum deſerti*; hoc eſt præbebo illos ut leves ſtipulas, alicui potentiori diſpergendos per totum mundum. *Ad ventum deſerti*, quo loco ventus nullis obſtaculis impeditus, vehementius furit, vel ad ventum Auſtralem, qui eſt ſæviſſimus.

IV. Stramen cum re debili et infirma comparatum.

Job. 41: 18. *Reputat ut ſtramen* balæna *ferrum, ut lignum putre chalyben. Non fugat eum ſagitta, in ſtipulam vertuntur ei lapides fundæ.* Senſus: Nulla arma eam fugant vel facile violant.

V. Stramen doctrina falsa.

Jerem. 23: 28. *Propheta qui ſomnium habet, ſomnium enarrat, & qui ſermonem meum habet, ſermonem meum vere loquatur. Quid ſtramini cum tritico? ait Dominus.* Nihil commune habet doctrina vera cum falſa. Stramen homini alendo prorſus inutile eſt, contra triticum, corpori ſolidum præſtat alimentum. Stramen eſt inſipidum & faſtidium parit, cor non roborat, contra triticum jucundiſſime ſapit, & corpori noſtro vires adjicit. Ad hunc modum ſe habet doctrina Dei. Nam alimentum præbet animæ ad vitam æternam, ſapore ejus capiuntur omnes fideles, indiesque novis acceptis viribus creſcunt in gratia & notitia Domini noſtri & ſervatoris Jeſu Chriſti.

VI. Stramen et stipula figura vanæ frivolæque doctrinæ.

1 *Cor.* 3: 12, 13. *Quod ſi quis ſuper ædificetur fundamento hoc*, Chriſto, *aurum, argentum, lapides prætioſos*, doctrinam puram

 atque

atque ſolidam, cum Dei verbo conſentientem, *ligna*, *fœnum*, *ſtipulam*, doctrinam non quidem hæreticam, ſed minus ſinceram, aut frivolam ac ſuperſtitioſam, quales fere ſunt hominum conſtitutiunculæ. *Vſ.* 13. *Cujuſque opus manifeſtum fiet; dies enim*, quæ multa docet emendatque, *id declarabit: nam per ignem manifeſtabitur, ſi aurum, ſi argentum, ſi lapis pretioſius:* id eſt, ſi doctrina fuerit ſolida, invicta erit ignibus, ſi lignum, fœnum, ſtipula, igne conſumetur. *Vſ.* 14. *Si cujus opus manebit, quod ſuperædificaverit, mercedem accipiet*, laboris ſui fructum feret: *Si cujus exuſtum fuerit, jacturam patietur, ipſe vero ſalvabitur, ſed tanquam per ignem*, tanquam ſi ex incendio rebus omnibus exuſtis, ipſe ſalvus evaſerit. Διὰ præpoſitio accipitur pro ἐκ, ut 1 *Pet.* 3: 2. διεσώθησαν δι' ὕδατος, ſervati ſunt per aquam, vel ex aqua. *Vid. Nold. Concord. & Bald. in h. l.*

VII. Stramen in sterquilinio trituratum, gentem notat omnium abjectissimam.

Jeſai. 25: 10. *Triturabitur Moab, ut trituratur ſtramen in ſterquilinio.* Secundum literas Kethibi reddendum: *Ut trituratur ſtramen in aqua ſterquilinii*, vernacule, in der Miſtlachen. Stramen in lacunas viarum ab agricolis injectum, recte dicitur triturari. Si enim apud Orientales rotis plauſtrorum aut jumentorum pedibus facta trituratio, ſtramen aut paleæ in has lacunas conjectæ, id omnino patiebantur, quod in arca rotis plauſtrorum aut tribulis ferreis aut jumentorum pedibus trituratum triticum.

VIII. Straminis copia celebratum Hephrajin oppidum.

HEPHRAJIN oppidum fuit in terra Jiſraëlis, quod ut monent Kethibi literæ 2 *Par.* 13: 19. & עפרון, vocatur, Hebraico autem effatu עפרים, *Joh.* XI: 54. Ἐφραὶμ, *Joſepho de Bell.* IV. *cap.* 33. Ἐφραὶμ. Hinc Proverbium apud Thalmudicos, *Stramen infers in Ephrajim*; Simile quod apud nos jactatur, du trägeſt ſtrohgen Kornweſten. De eo *Menachoth fol.* 85. 1. Cum Moſes inciperet ſigna edere in Ægypto ante liberationem Iſraëlitarum, vulgo Ægyptii putabant, per magiam iſta fieri, quæ tunc in Ægypto mire vigebat. Accedentes ergo duo inſignes magi Jannes

nes & Mamre per ludificationem dicebant Moſi, Stramentum infers in Ephrajim, quaſi dicerent: Tune vis magicas artes in Ægypto oſtentare, ubi magia eſt celebratiſſima, & ubi longe nobiliores magi ſunt quam tu? reſpondebat ergo Moſe ſimili proverbio. *In urbem olerum olera importato.* Imo ubi rerum communiter copia eſt, eo res devehendæ plures. Nam eo hominum multitudo confluit, ut emant ſibi neceſſaria, tum etiam copia facit pretii vilitatem.

מפל־בר QUISQUILIÆ FRUMENTI.

DIE SPITZ UND HELWEN.

Amos 8: 5, 6. *Ecquando præterient Sabbatum ut aperiamus frumenti horrea? ut quisquilias frumenti vendamus.* Aphæremata, quæ alias vendi non ſolent, ſed jumentis aut avibus dari, non hominibus.

IX. Stupa imbecillitatis emblema.

Jeſai. 1:31. *Erat robuſtiſſimus quisque velut ſtupa.* Stupa, Hebræis a נער excutiendo dicta eſt, quod cortici lini proximum frangibulo excutitur.

X. ΣΚΥΒΑΛΑ.

Philipp. 3: 8. *Omnia damnum eſſe puto, propter cognitionis Chriſti Jeſu, Domini mei præſtantiam, propter quam omnium jacturam feci, eaque pro retrimentis habeo,* ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, *ut Chriſtum lucrer.* Σκύβαλα ſunt retrimenta vel purgamenta frumenti, quæ cum vannis aut ventilabris ſubjactantur, frumentum evannatur foras extra aream.

CAPUT XXVIII.

De Pane.

LECHEM nominis ſignificata explicantur. Sonat carnem, ſemen, fructum arboris, frumentum, victum ſeu cibum. Abbirim *Dei nomen.* Abbir, *eſt præſtantiſſimus.* Abbirim, *valentia curſu & viribus animantia. Verbo deeſt conjugatum. Pauperes onagris ſimiles.* Lechem *eſt panis, quo communiſſime alimur. Optimus in*

Aſeritide. ולהלחם 2 Sam. 16. *male explicatur a Bocharto per pugnandi verbum.* זחם *eſt averſari. Pane cor fulcitur. Baculus panis. Panis vocatur, quicquid ad vitam neceſſarium. Panis triticeus, hordeaceus. Miraculum Chriſti cibantis quinque millia virorum quinque panibus hordeaceis. Somnium Midianitæ de pane toſto hordeaceo. Panis genera. In his panis ſubcinericius.* Challa, *panis confoſſus.* Challoth, *panes facierum. Popana. Lagana, placentæ tenues. Liba.* Tſappichith, *placentæ latius diductæ. Panes punctati ſeu punctulis reſperſi. Panis azymus, panis afflictionis. Cum azymis paſcha comeſti typus. Cum azymis, uſitata Mincha. Azymorum primus dies. Azymorum ut paſchatis octo dies, diverſa initia. Fermentum peccato aſſimilatur. Infermentati ſunt renati. Fermentum a ſacrificiis removendum. Panes novi infermentati in feſto Pentecoſtes oblati Deo. Fermento ſimile Evangelii verbum. Fermenti vis pravum exemplum. Phariſæorum & Herodis fermentum.*

LECHEM NOMINIS VARIA SIGNIFICATA EXPLICANTUR.

Potiora hinc Scripturæ loca interpretari, quæ de communiſſimo cibo, e frumentis, videlicet piſto pane, agunt, ab inſtituto noſtro haut erit alienum. Quod priusquam facere aggredior, Hebraici nominis לחם varias notiones exponere viſum eſt. Hebraicum igitur vocabulum *lechem*, multiplici ſenſu accipitur.

I. LECHEM CARO.

Primo enim *Carnem* ſonat, ut *Levit.* 21: 6. *Sacerdotes filii Aharonis, quia igne abſumenda, Domini panem Dei ſui,* ipſi *offerunt, ideoque ſancti futuri ſunt.*

II. LECHEM JEHOVA.

Panis Domini dicuntur agni anniculi bini, uno quoque die in holocauſtum offerendi, cum munere & libamine ſuo. Munus erat decima Ephæ ſimilæ miſtæ, olei contuſi quarta Hinis. Libamen vero quarta hinis generoſi vini in agnum unumquemque. *Num.* 28: 1—7. Sacrificia cum fide oblata, ſunt veluti cibus Dei

Dei & potus, eique non minus grata quam homini, ob Chriſtum iis adumbratum.

III. Per lechem intelligitur semen.

Eccleſ. XI: I. *Projice panem tuum ſecundum aquas, nam multiplicantibus diebus,* (vel intra multos dies) *iuvenies eum.* Senſus eſt: Beneficentia erga indigos cito dabit fructum, cito compenſabitur, quemadmodum ſemen juxta aquas cito provenit. *Vid. Nold. Notis Concord. p.* 885. Eodem ſenſu accipitur *Jeſa.* 28: 28. *Panis* vero, id eſt, ſemen, *comminuitur, quia non in perpetuum pergit triturare eum arator.*

IV. Fructum sonat arboris.

Jerem. XI: 19. *Corrumpamus arborem* בלחמו *cum fructu ſuo & exſcindamus eum.* Parœmialis locutio; Jeremia figurate adpellato *arbore*, & doctrina ejus *fructu.*

V. Frumentum.

Pſal. 104: 14. *Facit Deus, ut germinet herbam ad hominum uſum, ut depromant frumentum e terra. Job.* 28: 5. *Terra ex qua prodit frumentum.*

VI. Cibum sive victum coelitus datum.

Sic *Manna* vocatur Panis, *Exod.* 16: 3, 4, 22, 23. quia Panis locum ſupplens, victum populo præbebat. Vocatur *Panis Cœlorum*, quod e cœlo vel aëre decidebat, *Pſal.* 105: 40. Pane cœlorum ſatiavit eos, vocatur denique juxta pleroſque interpretes, *panis fortium* ſeu præſtantium. *Pſal.* 78: 25. *Panem* אבירים, *fortium comederat quisque. Abbirim* R. Akiba ſumit pro Angelis, qui eo cibo utantur, refutatus ideo a R. Iſmaële. Alii nubes intelligunt, quibus robur tribuitur *Job.* 37: 18. Aliis dicitur panis Angelorum vel fortium, ſuperlativa locutione, pro pane excellentiſſimo, ut I *Cor.* 13: I. linguæ Angelorum dicuntur excellentes atque admirabiles. Alii genitivum Abbirim cum Auguſtino de cauſa efficiente interpretantur, & panem Angelorum vocant, quia miniſterio ipſorum fuerat præparatus; vel quod deſcenderat e cœlo, quod habitaculum eſt Angelorum; vel ex hypotheſi, quod eſſet Angelorum, ſi veſcerentur, aut dignus Angelis, ut

ait

ait Sà. Verum enimvero, Abbirim nunquam cœlum, & nunquam Angelos in Scriptura notat. Videtur ergo propius ad veritatem accedere Coccejus. Abbirim exiſtimans Dei vocabulum eſſe, qui cognato nomine dicatur אביר. Pluralem ꝟ אביר uſurpari ait, uſitata Scripturæ locutione, in qua Deus adpelletur *Kedoſchim* ſancti, עשים, factores ſeu conditores, Eljonin, excelſi, Bahalim Domini. Eodem certe loco, & in eadem voce permutantur אביר & כביר. Quod enim *Jeſa.* 10: 13. obvenit Chetib כאביר, id textualibus literis inſinuat כאביר, & marginalibus כביר, (caph, ante ſimilem initialem literam, ablato) & quia Chethib & Keri ejusdem ſunt ſignificationis, utraque vox vertenda, *ſicut-fortiſſimus*, *vel*, *ſicut præſtantiſſimus*; quæ verſio cum cæteris quoque textus divini verbis congruit. Inſtructiſſimos eorum deprædatus ſum, & dejeci ut fortiſſimus, vel præſtantiſſimus *bellator* habitatores. Præſtantem vero & excellentem ſonare *abbir* ex ſequentibus locis colligitur, ut 1 *Sam.* 21: 7. *Doeg Idumæus detentus coram Domino ampliſſimus Paſtorum, qui erant Sauli. Job.* 34: 20. *Admovetur excellentiſſimus ſine manu. Pſal.* 76: 6. *Dediderunt ſe in prædam præſtantiſſimi animo. Jeſa.* 46: 12. *Auſcultate mihi præſtantiſſimi animo. Thren.* 1: 15. *Conculcat omnes præſtantiſſimos meos Dominus. Jerem.* 46: 15. *Cur everritur quisque præſtantiſſimorum tuorum.* Reliquis locis אבירים præſtantiſſima curſu & viribus animantia equos ac tauros ſonat, ut *Jeſa.* 34: 7. *Juvenci cum tauris. Pſal.* 22: 13. *Tauri Baſanis cingunt me. Judic.* 5: 22. *Tunc obtuderunt calces equorum, præcitatis curſibus* obtuderunt caballos ſuos. Hac igitur ſignificatione ſi accipiamus nomen אבירים verſum Pſalmi in hunc modum interpretari licuerit: Panem præſtantiſſimorum ciborum vel eduliorum comedit quisque, id eſt laudatiſſimum, liberaliſſimum. Omittitur nomen conſtructum ex verbo conjugato facile eruendum. *Panem excellentium eduliorum edit quisque*; ac ſi legeretur in textu, להם מאכלים אבירים אכל איש. Sæpius autem juxta verbum ſuum deeſt nomen conjugatum, v. gr.

Foditis *foveam* contra amicum veſtrum. *Job.* 6: 27. *Mittor ad te gravi miſſione.* 1 *Reg.* 14: 6. *Ipſi quoque Semo natus eſt natus. Gen.* 10: 21. *Pariebant illis partus. Gen.* 6: 4. *Si genuerit quis centum genitos*, id eſt, liberos. Ut fuſius docui Diſſertatione de ſermone Scriptorum divinorum elliptico *p.* 383.

VII. Le-

VII. Lechem, cibus terra natus.

Cibum quoque ſeu victum denotat *Lechem* in ſequentibus dictis: *Job.* 3: 23. *Ante eibum meum gemitus advenit, & effunduntur velut aquæ rugitus mei.* Juxta Coccejum. Hoc dicit: Olim etiam cum ἐν ἀφθόνοις eram, nunquam cibum cepi ſine mille gemitibus & rugitibus. Ita plena eſt vita laboris, ægritudinis, ſolicitudinis, metus. Rugitus ſonora ſunt ſuſpiria & clamores, ſi non oris, certe cordis. *Vid. Pſal.* 38: 9.

Job. 6: 7. *Renuit attingere anima mea*, id eſt, non afficitur, non excitatur appetentia mea; *Iſta ſunt languores cibi mei*, id eſt, illius cibi appetitio elangueſcit mihi.

Job. 24: 5, 6. *Ecce* velut *onagri* pauperes *exeunt in opere ipſorum*, improborum, quærentes cibum. *Campus ei*, id eſt unicuique pauperum, *panis pro pueris*, cibum pro pueris ex campo petunt, herbas ſcilicet radices ac ſilveſtres fructus. *In agro farraginem ejus metunt*, *& vineam improbi vindemiant.* Expoſitio *Joh. Cocceji:* Pauperes vagos opera locandæ & victus quærendi cauſſa, comparat Onagris in deſerto, hoc eſt, Onagris deſerti. Illi autem inter opus improbi, quod faciunt, ſi habeant forte cibum (nam hic iniquitas minor gradu, illa quæ verſu undecimo,) at pueris tamen ſuis nihil lucrantur, ut eis vel panem dare poſſint; ſed illi dimittendi ſunt in campos incultos, ut herbas, radices, ſilveſtres fructus, & ſimilia colligant. Miror hic doctiſſimos Interpretes deſciviſſe a ſententia Junii, qui nobiſcum onagros de pauperibus explicat. Onagros eſſe immane pecus & ſævum, ut ſunt leones, urſi, lupi, non puto, annotatum eſt. Oppianus unam ipſorum crudelitatem novit in proprios pullos, quorum teſticulos admordeant præ Zelotypia. Interim animal hoc ab indomita libertate, indocilitate, bruto ingenio, victu ærumnoſo, ſed innocente, novit Scriptura: Ubi ultima nota in pauperes optime quadrat. Quoad victum enim Onagris non ſunt beatiores. Vide *Job.* 39: 5. *Gen.* 16: 12. *Hoſ.* 8: 9. *Jerem.* 2: 24. *Job.* XI: 12. 39: 9, 11. *Eſai.* 13: 14. *Pſal.* 104: 11.

Pſal. 147: 9. *Dat* Deus *jumentis pabulum ſuum*, *pullis corvorum, qui crocitant*, id eſt, alit cibo ſuo animantia, quæ homini ſerviunt, & quorum curam homines gerunt, tum etiam ea quæ nemo curat, de quo *Job.* 38. & 39. loquitur Deus.

Prov.

Prov. 27: 27. *Et quantum ſatis erit lactis caprini* , ללחם *ad cibum tuum* , *& ad cibum familiæ tuæ* , *& ad vitæ neceſſitates puellis tuis.*

Eccleſ. 10: 18, 19. *Pigritia interveniente attenuatur contignatio, & dimiſſione manuum perſtillat domus*, domus inquam eorum , *qui ad lætitiam parant panem* , *& vinum ut lætificet viventes* , *& quorum pecunia reſpondeat omnibus. Interveniente pigritia* , *vel in media pigritia* , ut בערבים ſonat *in media veſpera. Exod.* 12. בצהרים *in meridie* ſeu *in medio die* , *Gen.* 43: 16. *Quorum pecuniæ reſpondent omnibus*, id eſt eorum , qui pecuniam ſuam temere in res omnes impendunt , ac omnibus , ſine ratione , eam largiuntur.

Obad. verſu 7. *Cibi tui homines ponent vulnus ſubter te* , *cujus nulla erit intelligentia*, id eſt, homines , cibo tuo victitantes , tibi non animadvertenti ſupponent , quo vulneraberis. *Cibi homines.* Repetendum eſt nomen præcedentis inciſi , quod conjunctum cum בריתך & שלומך. *Noldius* exponit ; Panem tuum comedentes ponent ulcus ſub te. Amplificatio eſt miſeriæ & calamitatis Edomiticæ, dum fœderati & ſocii, hoſtes facti , vulnus augerent potius quam ſanarent.

Ut plurimum vero *lechem* panem ſignificat , qui conſtat farina & aqua inter ſe commixtis , ut craſſiore humore per calorem aſſumto, conſiſtant, atque maſticari & in corporis nutritivum cedere queant. *Plin.* XV. *Hiſt. Nat.* Sic accipitur *Gen.* 18: 5, 6. ubi fruſtum panis , quod reficiendis hoſpitibus Angelis promiſit Abrahamus, ex farina ſimilaginea, Sara ipſius Uxor, depſiſſe legitur. *Gen.* 49: 20. *Ex Aſere proveniet pinguedo panis ejus* ſive panis pinguiſſimus , id eſt , optimus , laudatiſſimus , רשן ושמן uber & pinguis, id eſt, laudatiſſimus, excellentiſſimus, uti laudatur *Jeſai.* 30: 23. qui alibi dictus, *Pinguedo terræ*, *Gen.* 27: 30. *&* 45: 16. *adeps renum tritici Deut.* 32: 14. Reddunt alii , panis ejus pinguis erit , ſenſu parum a noſtro abeunte ; at vero , ſi שמנה heic adjective ſumatur , diſcrepabit genere a voce לחם. Frugum feraciſſimam fuiſſe Aſſeritidem ex Flavio etiam Joſepho colligitur , qui Giſcalæ urbis Aſſeriticæ cives pleroſque ſcribit fuiſſe agricolas, atque in terreſtri fructu fortunas habuiſſe. Quod profecto ubertatis glebæ certiſſimum eſt argumentum. Fuit autem a Ptolemaide uſque ad Sidonem pone Phœnices Aſeritarum poſſeſſio.

2 *Sam.*

2 *Sam.* 16: 2. *Hi aſini ſunt pro familia regis ad inſidendum, & pro portando pane*, vel ex altera lectione, *& panis & æſtivi fructus, ut comedant pueri.* Clariſſimus *Bochartus Hieroz. Parte* 1. *p.* 189. exiſtimat ולהלחם ſonare ad pugnandum, idque de aſinis eſſe dictum, quod Maſorethæ mutarint rei novitate perculſi. Fuiſſe enim populos, qui ex aſinis pugnabant. Sed adprobari nequit hæc expoſitio, quia Keri והלחם punctis textualibus inſtructum non aliud Kethib in textu admittit, quam id, quod eadem vel cognata ſaltem gaudeat ſignificatione. Juxta Keri igitur reddendum: *Hi aſini ſunt pro familia regis ad inſidendum*; והלחם *& panis & æſtivi fructus* (quos portant aſini) *ut comedant eos pueri.* Juxta Kethib: Hi aſini ſunt pro familia regis ad *inſidendum*, ולהלחם & pro pane, id eſt, ut geſtent panem pro familia regis, & fructus æſtivi, ſunt pro cibo puerorum. Notetur etiam Kethib hoc alios requirere accentus nempe Rebiam præcedente Serrvo Munach, & ſcribendum eſſe, לרכב ולהלחם.

1 *Sam.* 16: 20. *Et accepit Iſai* חמור לחם *aſinum cum pane.* ב litera ante labialem aliam aufertur. Tametſi Aſinus panis dici queat, ut bubalus retis, *Jeſai.* 51: 20. alabaſtrum unguenti, *Matth.* 26: 7. Saccus panis, uter vini, amphora aquæ. Eadem phraſis in Soſibio Poëta tragico occurrit:

Ter in brevi die ἔσθει μὲν ἄρτον τρεῖς ὄνους.

Comedit pane tres aſinos, id eſt, trium Aſinorum onus. *Caſaub. lect. Theocr. c.* 12.

Job. 33: 20. וזהמתו חיתו לחם *Faſtidiat eum vita ejus, panem.* Trajectio eſt verborum, pro, faſtidiat illud, nempe panem vita ejus. Talis inverſio eſt 2 *Sam.* 15: 34. *Job.* 23: 12. *Luc.* 21: 1. *Pſal.* 9: 7. & 35: 7. & 69: 27. & 74: 3. & 87: 5. Simplicius tamen dixeris ו, *Vav Schurecatum*, in וזהמתו redundare. Nam velle cum Schmidio Pihel זהם mutare in Hiphil, ſeu in faſtidire fecit, dat quidem bonum ſenſum, *ita ut averſari faciat eum vita ejus panem*, ſed non memini exemplum זהם eſt averſari tanquam ſordidum. Quod ex Syro-Chaldaico & Arabico ſermone conſtat, ubi ſordes odorem fœtidum vel excrementum notat. Hæc *Noldius p.* 977. *notis ad Concord.* Non admodum a Schmidii mente diverto, qui omne verbum Pihelicum

per præbendi vel exhibendi verbum explicandum doceo in Inſtitutionibus Hebraicis *pag.* 168. *numero* 7½. Itaque vertam : *Præbeat eum vita ejus faſtidioſum panis.*

Pſal. 102: 10. *Cinerem tanquam panem comedo ; & potiones meas cum fletu miſceo.* Lugentium is mos fuit in cinere ſedere. *Jon.* 3: 6. *Luc.* 10: 3. *Eſth.* 4: 3. *Job.* 2: 8. vel cinere caput inſpergere, *Eſth.* 4: 1. *Judith* 4: 14. 2 *Macc.* 3: 47. Davidi igitur præ luctu in cinere vel ſedenti, vel eo caput inſpergenti, contigit ut cinere miſceret panem, ac parum exploratum haberet, pane an cinere veſceretur: vel dicere hoc voluit, in ſummas anguſtias animi adductum panis ſaporem tam non habuiſſe gratum, quam comeſti cineris.

Pſal. 104: 15. *Pane cor hominis fulcit Deus*, id eſt, ſuſtentat corroborat, quippe qui denſiorem ac diuturniorem alituram membris noſtris præſtat. Nam, ut ait Medicorum princeps Hippocrates, eorum, quæ celeriter nutriunt, celeres quoque fiunt excretiones & contra. Nam quæ tardius nutriunt, ſolidius robur afferunt, ut diutius ſine nova nutritione labores ſuſtineamus, quam ſumtis iis, quæ cito nutriunt quia brevi quoque tempore diſſipantur, deficiuntque. Suſtentari animum pane & fulciri ſæpius in Scripturis dicitur. *Accipiens*, inquit Abrahamus viatorum ſpecie divertentibus Angelis, *afferam fruſtum panis & ſuſtentate animum veſtrum poſtea progrediemini*, *Gen.* 18: 5. *Dixit pater puellæ genero ſuo Levitæ*, *fulci animum tuum fruſtulo panis*, *deinde abibitis. Judic.* 19: 5. Hinc iis, quos pane reficere & ſuſtentare deſinit Deus baculum ſeu fulcrum panis frangere dicitur, *Levit.* 26: 6. *Quum fregero vobis ſcipionem panis*, *& coquentes decem mulieres panem veſtrum in furno uno retulerint panem veſtrum diſtribuendum certo pondere : ſi comederitis*, *non tamen ſaturabimini. Ezech.* 4: 16. *Ecce ego fracturus ſum baculum panis Hieruſolymis*, *ita ut comedant panem pondere*, *ac cum ſolicitudine. Pſam.* 105: 16. *Advocans famem ſuper terram omnem ſcipionem panis fregit. Pſal.* 14: 4. *Comedentes populum meum*, *quemadmodum comedunt panem*, id eſt, tam facile, quam quis panem comeſt, cum eſuritione quotidie, ac ſine conſcientiæ morſu.

Matth. 4: 4. *Non ſolo pane vivet homo*, *ſed quovis verbo*, *quod egreditur ex ore Dei.* Vivere igitur pane dicimur. Hinc eſt quod חיים victum ſonat. *Prov.* 27: 27. Ad cibum familiæ tuæ ולחיים

& ad

& ad victum puellis tuis. At non ſolo; ſed quovis verbo, quod egreditur ex ore Divino, hoc eſt, quavis alia re, quam Deus pro immenſa potentia & liberrima voluntate ordinat & conſtituit, ut per eam vita hominis ſuſtentetur. Non enim vel hic, vel in Deuteronomio de animæ cibo ſpirituali agitur, ſed de ſuſtentatione corporis. Scribit *Chemnitius*, *ad h. l.* In Hebræo non legitur *Verbum*, ſed, *omne*, *quod egreditur de ore Domini*. Senſus eſt: Quod Deus miraculo Mannæ olim confirmaverat ſe ſufficientem victum daturum non tantum his, qui in tali genere vitæ verſantur, in quo panis facile parari poteſt, ut ſunt agricultura & aliæ id genus ordinariæ & vulgares vocationes Dei, ſed etiam his, qui cuivis vocationi Dei obediunt, etiamſi nihil minus videatur quam quod in eo poſſit ſufficiens victus parari. Nec tamen hic peccatum a Matthæo in citatione vel applicatione verborum Moſis. Nam in verbis *col motza'* ſubintelligendum nomen *dabar*, quod pro verbo vel re promiſcue ponitur.

VII. Victum omne in genere.

לחם ſeu panis vocabulum comprehendit ea quæ eſui, potui, cultuique corporis, quæque ad vivendum hominibus ſunt neceſſaria. Quæ in orationis Dominicæ petitione quarta a Deo petimus. *Matth.* 6: 11.

VIII. Panis triticens.

Optimus, Panis paratur ex ſimila, medulla farinæ triticeæ, סלת Hebræis adpellata. *Dodonæus Pempt.* 4. *lib.* 1. *c.* 3. Moliti tritici partes, aliæ tenuiores, aliæ craſſiores, & impuriores, quas inter ſe commixtas tota farina continet. Plinio puriſſima tritici farina eſt pollis, differens tamen a flore qui eſt ei candidioris tritici ſeu ſiliginis puriſſima farina; at pollen tritici alterius. Sed Celſo pollis impurior, & furfuracea pars farinæ.

Simila cum holocauſtis oblata muneri, *Num.* 6: 15, 19, 25. *&* 8: *vſ.* 8. ſignificat 1. offerentis animum a furfure imaginariæ ſanctitatis & juſtitiæ alienum, 2. fractum demiſſumque & contritum animum. *Pſal.* 51: 19. *Jeſa.* 66: 2. *&* *Jerem.* 57: 25.

IX. Panis hordeaceus.

Hordeum torrebant prius veteres deinde molebant, unde toſta

 polenta,

polenta, & panis hordeaceus minus alens, quam triticeus. Toſtum hordeum קלי Hebræorum lingua vocatur, 1 *Sam.* 25: 18. *Accepit Abigajil, quæ donaret Davidi, quinque ſata, toſti* hordei. 1 *Sam.* 17: 17. *Accipe pro fratribus tuis Epham toſti* hordei. *Ruth* 2: 14. *Porrexit Boazus Ruthæ toſtum* hordeum, hoc eſt, cibum ex hordeo toſto paratum *adeo, ut comederet ac ſaturaretur* 2 *Sam.* 17: 28. Barſillæum Gilhaditam legimus ad Davidem profugum attuliſſe triticum & hordeum, & farinam, & קלי, toſtum *hordeum*; & fabas, & lentes, & קלי, aliud toſtum *ex leguminum ſcilicet genere, id eſt, cicer toſtum ſeu frictum*, ut *Bochartus* ex Hieronymo & Hebræorum libris probare ſatagit, *Hieroz. Part.* 2. *p.* 46. Græci Interpretes *Kali* quod obvenit 1 *Sam.* 25: 18. 1 *Sam.* 17: 17. *Ruth.* 2: 14. extulerunt ἄλφιτον. Sunt autem apud *Hippocratem* ἄλφιτα hordei toſti ſeu fricti farina, & *lib.* 2. περὶ διαίτης, ἄλφιτα antiquus Criticus exponit κριθὴ πεφρυγμένη. Viginti panibus hordeaceis viros centum cibaſſe dicitur Eliſa, & eſui de his panibus ſuperfuiſſe. 2 *Reg.* 4: 42. *& ſeqq.* Tantæ autem formæ hos panes fuiſſe, ut ex unius vi genitali quinque viri ſatiari potuerint, id apparet, tum ex mirabundi miniſtri verbis: Quid adponerem tantillum centum viris? tum ex eo, quod Verbo Domini, tanquam miraculum, cibatio hæc adſcribitur: *Et dixit Eliſæ: Appone huic populo, ut comedant. Sic enim edixit Dominus, abunde & reliquum faciant. Quo apponente eis comederunt, & reliquum fecerunt ſecundum verbum Domini.* Illuſtrius eſt miraculum Chriſti, qui virorum quinque millia præter fœminas & pueros cibavit panibus omnino quinque ac duobus piſciculis. *Joh.* 6: 9, 10. *& ſeqq.* Proportione, ſi numerum cibatorum & cibi compares, nulla. Sed Chriſti nutrientis potentia, quæ naturæ viribus fieri non potuerunt, ea fecit poſſibilia. Comedunt omnes & famem ſedant, ac, quod miraculo maxime eſt, duodecim ſportæ fragmentorum ſuperſunt. De quinque panibus vix una ſporta poterat impleri, & de reliquiis, quas ad ſaturitatem paſta quinque millia hominum reliquerant ſportæ duodecim ſublatæ ſunt. Sed unde tot ſportæ in deſerto? Credibile eſt, inquit Janſenius, ſolum exprimi reliquarum menſuram, etſi ſportæ non adfuerunt: niſi malis in ſportis nonnullos ante vendidiſſe populo panes, initio confluxus.

Panis toſtus hordeaceus, quem ſomniavit miles Midianiticus

Judic.

Judic. 7: 13. ſignificavit Gideonem cum exercitu, qui vilis erat & exiguus ſi conferretur, cum copiis Midianitarum, ſicut panis hordeaceus vilis eſt comparatus cum triticeo. Quod panis eſt toſtus indicat Iſraëlitas a Midianitis hactenus nimis direptionibus vexatos. Montana expeditio panis illius celeri volutatione commode explicatur. Tabernaculi everſio cladem rei Midianiticæ deſignat.

PANIS GENERA.

Varia panis genera in ſacris literis recenſentur, ſuis quæque adpellationibus diſtincta. In his memoratur:

X. עוגה HUGA, VEL מעוג MAHOG.

Panis ſubcinericius, in calido cinere coctus, ἐγκρυφίας vel ἐγκρυπτὸς ἄρτος, quaſi abdititius vel occultatius, qui conficiebatur ex farina & oleo 1 *Reg.* 17: 12. Vitium capit a carbonibus, niſi vertatur. *Hoſe.* 7: 8. *Ephrajim eſt ut placenta non verſa*, id eſt, corrigi vitia ejus non poſſunt, inemendabili pravitate evadit deterior. Hic panis Angelis ac Dei filio propoſitus ad veſcendum. *Gen.* 18: 6. & a Sareptana Vidua Eliæ 1 *Reg.* 17: 13. eidemque ab Angelo, ut ejus cibi vi quadraginta dies totidemque noctes iter faceret ad montem Dei Horeb. 1 *Reg.* 19: 6, 8. עגות מצות ſubcinericia azyma coxerunt Iſraëlitæ e maſſa illa, quam extulerant ex Ægypto, quum nondum fermentata eſſet. *Exod.* 12: 39.

XI. חלה CHALLA PANIS CONFOSSUS.

Num. 15: 20. Confodiebatur autem vel pungebatur, ne bullaret. Conſtabat e ſimila tritici & oleo: itaque dicitur לחם שמן, panis olei vel oleoſus. *Exod.* 29: Duodecim *challoth* fuere panis facierum, quarum ſingulæ ex binis Ephæ decimis coquebantur. *Levit.* 24: 5. Epha autem continebat decem *homer*, *Exod.* 16: 37. & *homer* eſt menſura $43\frac{1}{5}$ ovorum.

XII. כונים CAVVANIM.

Popana *Jerem.* 7: 18. & 44: 19. Fœminæ depſunt maſſam ad faciendum *cavvanim*, reginæ Cœli. Græci retinent vocem Hebræam

χαυῶνας

χαυῶνας, quam Chryſoſtomus interpretatur πόπανα, & Junius in verſione, *ad faciendum popana*, ex Juvenalis Satyra ſexta: & in notis ſcribit: Vox Hebræa peculiaris eſt huic prophetæ, qua ſignificantur liba quædam ἔκτυπα, id eſt, certas formas expreſſas habentia, pro ratione Idolorum, quibus erant offerenda, quod genus liborum Romani & Ægyptii a Græcis, deſumta voce dixerunt popana, eo quod τῶ πόπων, id eſt, Deorum effigie inſignita eſſent, quibus offerebantur. Sic ibi. Πέμματα dixit Olympiodorus. Et quod Junius memorat de imaginibus Deorum in libis extantibus, idem ſcribit R. Salomo Jarchi ad hunc locum; idque verum putat Grotius. Ejusmodi placentæ Græcis ἀμφιφῶνες quoque & ἀμφιφῶντες dicebantur, a Sole & Luna, Euſtathio teſte, *Iliad. p.* 1165. quas accenſis circumdatas faculis deferebant.

XIII. רקיקים REKIKIM.

Lagana. Placentæ tenues ex ſimilagine in oleo frixa. *Exod.* 29: 2. *Lagana azyma mixta oleo, è ſimilia tritici facito ea. Levit.* 2: 4. *Lagana azyma mixta oleo in munere voluntario.* De tenuitate laganorum Acron Horatii interpres: Lagana ſunt quaſi quædam membranulæ ex farina & aqua. De olei mixtura Iſidorus: Laganum eſt latus & tenuis panis, qui primum in aqua, poſtea in oleo frigitur.

XIV. לבבות LEBIBOTH.

Liba, placentæ ſuaves, quaſi cordis refectoria dicas. Eſt enim Libum, dulciarium opus, e melle, farre & oleo. Perottus apud Martinium, Liba dictæ ſunt placentæ ex farre & melle, Deorum ſacrificiis aptæ. Cato etiam capite 76. de placentis agens, meminit farinæ, alicæ, aquæ, mellis.

XV. צפיחית TSAPPICHITH.

Congenerum verbum eſt Arabicum صفح *tſaphacha*, latus fuit. Igitur Tſappichith eſt panis aut placenta in latum diducta. Saporem habuit Mannæ ſimilem, *Exod.* 16: 31. *Et ſapor ejus ut placentæ mellitæ.*

XVI. נקדים NIKKUDIM.

Sonat hæc vox puncta ſeu maculas, quæ rei obtingant vel a vitio,

vitio, ut pani mucido Gibeonitarum *Joſu.* 9: 5. vel ab arte, ut, pecoribus Jacobi *Gen.* 30: 33, 39. Itaque huc referam panes quos Jeroboamus Rex Achiæ vati per uxorem plebeiam & ruſticam mulierem ſimulantem, dono miſit, punctos panes, vel maculis notatos, quas præbuerunt inſperſa panibus ſeſami, papaveris, vel melanthii ſemina. 1 *Reg.* 14: 3. Quemadmodum Orientis populi hodieque inſpergunt Panes ſuos melanthii ſeu nigellæ, ameos, ſeſami, & papaverum ſeminibus, teſte *Angelo a S. Joſeph*, *Gazophylacii pag.* 250. *Noldius notis ad Concord. Particular. num.* 1318. rejectis aliorum omnium ſententiis נקדים duras & aduſtas placentas reddidit, voce a verbo יקד *aduſſit*, derivata. Non poſſumus doctiſſimo viro ſuffragari, vel ob hoc unum, quod a verbo a joth litera inchoato nullum nomen deſcendit, quod formetur ad ſimilitudinem nominis נקוד.

XVII. Panis azymus panis afflictionis.

Deut. 16: 3. *Septem diebus comedito cum paſchate azyma, panem afflictionis*, qui ſcilicet te admoneat afflictionis Ægyptiæ, vel, *panem paupertatis*, quali pauperes veſcuntur, qui præ fame vel incommoditate fermentandi utuntur pane ſubcineritio, qui ſtatim fit & coquitur, neque expectant, dum fermentetur maſſa.

XVIII. Cum azymis pascha comestum.

Num. 9: 10, 11. *Cum azymis & herbis amaris, comedunto paſcha.* De *Merarim* ſeu herbis amaris egimus ſuo loco. Typus. Cum mortificatione, cruce, patientia, de Euchariſtia participare Chriſtianos, & in veritate ac ſinceritate ſine dolo ac nequitia carnis κοινωνίαν hujus cœnæ ingredi debere. 1 *Cor.* 5: 9, 10.

XIX. Cum azymis esitata mincha.

Levit. 10: 12. *Et commedite mincham*, ſeu fructus oblatos, *cum azymis prope altare.* ב litera ante מצות ἐλλείπει, non על, quod Noldius exiſtimavit, ante congenerem quippe Mem aufertur Beth. τοῦ על defecti ratio dari nequit. Vulgatus cum Anglicana, *abſque fermento*, quod, inquit Noldius, non probo. Nam, quamquam hic videri poſſet admitti tantum manducatio partium ſeu reliquarum Minchæ, tamen non eſt improbabile, præter Minchæ λείψανα adhibitos etiam cibos alios, & inter eos panes azymos,

mos, (quomodo ad agnum, *Exod.* 12: 8. *Num.* 9: 8.) ſicubi Mincha fami non ſuffecerat. In quo ſenſu confirmat me diverſitas numeri in מצות תאכל *Levit.* 6:9. & in אכלו המצות *Lev.* 10: 12. Nam ſi mincha ſola comedenda eſſet, potuiſſet in ſingulari dici מצה. *Notis ad Concord. p.* 1053.

XX. PRIMUS DIES AZYMORUM.

Qui *Matth.* 25: 17. vocatur πρώτη τῶ ἀζύμων, is fuit decimus quartus dies menſis Niſan *conf. Exod.* 12: 15. *collat.* 18. Sed hic incidit quæſtio inter doctos, quomodo Chriſtus potuerit prima azymorum comedere paſcha, & poſtridie crucifigi; atque eodem die Sacerdotes ſe parare ad comedendum Paſcha, ut dicitur *Johan.* 18: 28. qui ſequentem diem dicit fuiſſe magnum diem Sabbati, *Joh.* 19: 31. Quod videtur ſignificare Sabbatum & Feſtum in eundem diem incidiſſe. Hic quidam dicunt, Pontifices præ odio in ipſo die feſti, nempe 15 menſis Niſan, Chriſtum tradidiſſe crucifigendum. Cœnam autem, quam eo die comeſuri erant, abuſive vocari Paſcha. Alii dicunt Paſcha quidem ſecundum computum legalem incidiſſe in diem Veneris, ſed propter concurſum duorum Sabbatorum, feſtum tranſlatum fuiſſe in diem decimum ſextum ſive Sabbatum. Habentur enim a Rabbinis certæ regulæ, quibus feriis ſeptimanæ quædam feſta non celebrentur; & cauſam putant, ne continuandis feſtis diebus, quibus opus facere non liceret, incommodum accideret in ciborum corruptione & cadaverum putrefactione. Sed vereor, ut ſatis probari poſſit, tempore Chriſti paſſi jam illum morem obtinuiſſe; quippe cum in Thalmude multi loci reperiantur, quibus fit teſtatum, quod illum concurſum dierum non vitaverint. Vide noſtrum *Sanhedrin pagina* 10, 11, 12, 13. Igitur, cum inde liqueat, apud Judæos diverſimode potuiſſe conſtitui Νȣμηνίαν, vel ſcilicet ſecundum computationem Aſtronomicorum in die conjunctionis luminarium, vel ſecundum phaſin, eamque teſtimoniis comprobatam novæ lunæ propter interdictionem Senatus, & ſi id eveniret, fuiſſe ſolitum, ut cœna paſchalis bis comederetur, a religioſis, atque utrumque fieret recte & legitime. Plusquam probabile eſt, tempore paſſionis Chriſti Kalendas menſis Niſan conſtitutas fuiſſe a Senatu in die φάσεως, poſtridie conjuctionis, atque ita utrumque eveniſſe, ut & Chriſtus

ſtus legitimo tempore comederet Paſcha, ac figuram Agni paſchalis in Sacramentum cœnæ commutaret; & rurſus eo ipſo die ac tempore, quo legitime Agnus paſchalis mactabatur a cœtu, ſecundum indictionem Senatus, ipſe figuram veterem impleret. *Coccejus ad h. l.*

XXI. Azymorum sicut paschatis octo dies.

Sciendum octo dies Azymorum fuiſſe, item octo Paſchatis. Sed diverſa habent capita. Nam prima Azymorum eſt XIIII. nox menſis Niſan: ultima eſt XXI. nox ejusdem menſis. *Exod.* 12: 18. Propterea Joſephus ſcribit, per octo dies ἄζυμα a Judæis obſervari. Ὅθεν, inquit, εἰς μνήμην τῆς τότε ἐνδείας ἑορτὴν ἄγομεν ἐφ' ἡμέρας ὀκτὼ, τὴν τῶν Ἀζύμων λεγομένην. Evangeliſtæ quoque τὴν πρώτην τῶν ἀζύμων dicentes, quartam decimam Niſan intelligunt. Prima autem Paſchatis eſt XV Niſan, ἱερομηνία & feſtivus dies, in quo opus non fiebat. Ultima dies Paſchatis antiquitus erat octava Azymorum, hoc eſt XXI. Niſan, a lege inſtituta, quæ erat & ipſa ἱερομηνία & dies ἄπρακτος. Sed annis ante Chriſtum plusquam trecentis, Judæi religione duorum Sabbatorum continuorum, eam diem, a lege in XXI Niſan definitam, in XXII. traduxerunt, atque celebritatem paſchatis ἑπταήμερον a lege inſtitutam, ipſi ὀκταήμερον conſtituerunt. Unde tria ſolennia hactenus habent, quæ per octo dies obeuntur, πάσχα, σκηνοπηγίαν, ἐγκαίνια. Objiciunt igitur nobis Judæi, Chriſtum paſſum non fuiſſe in ſolenni paſchatis. Quia, inquiunt, majores noſtri nunquam celebrarunt Paſcha in, ב׳ ד׳ ו׳, hoc eſt, feria ſecunda, quarta, ſexta. Sed craſſa & ridicula eſt objectio. Nunquam enim intelligimus Chriſtum paſſum ἐν πρώτῃ τοῦ πάσχατος, ſed ἐν πρώτῃ τῶν ἀζύμων, in qua Agnus mactabatur; Fruſtra igitur objiciunt, ea die Chriſtum paſſum non fuiſſe propter duas cauſſas, propter ב׳ ד׳ ו׳ nimirum, item propter ſolenne paſchatis. Nam die feſto, inquiunt, non licebat accuſare, condemnare, ſupplicio afficere, angariare, ſepelire. Hæc opponere eſt plumbeo gladio jugulare. Nam ἡ πρώτη Ἀζύμων, in qua Meſſias crucifixus, non erat dies Feſtus, ut ex lege conſtat, neque Judæi ipſi negabunt. Quare verum Paſcha, & verus Agnus mactatus eſt prima Azymorum, in qua & typicus quoque immolatus. Sed mirum, Judæos hodie in tanta rerum etiam earum, quæ ad Judaiſmum pertinent, igno-

ignoratione verſari, idque propter multa veteris conſuetudinis ſcita nunc deſita: quæ nimirum nefas eſt alibi, quam in templo Hieruſolymitano obire. Hodie enim in XIIII. nocte Niſan fermentum quidem inveſtigant. . . . Cætera vero quæ olim pertinebant ad ritum mactandi agni, & alios ritus atque obſervationes, ipſi hodie tranſtulerant in noctem XV, quam *haggada*, hoc eſt, διήγησιν vocant. Igitur ἐν πρώτῃ τῶν Ἀζύμων, feria ſexta Jeſus & omnes Judæi immolarunt, & manducarunt agnum, quod dicitur θύειν πάσχα. Eadem die & feria, nempe luce, quæ eam noctem ſequuta eſt, Chriſtus crucifixus. Dies enim Hebræorum civilis, hoc eſt, νυχθήμερον dividitur in עֶרֶב & בֹּקֶר. In priore parte Agnus typicus, in altera verus Agnus immolatus. Nocte ſequenti poſt crucifixionem cepit feria VII, circiter tempus Sepulturæ Dominicæ. In illam feriam ſeptimam incurrebat etiam ſolenne Paſchatis. Ea eſt, quam primam Paſchatis vocant Judæi יום ראשון של פסח. Evangeliſta autem σάββατον μέγα, quia tunc duo Sabbata in unam diem concurrebant; Sabbatum ſcilicet ordinarium & ſolenne paſchatis. Hæc *Scaliger de emend. Tem. p. 265, 266.*

XXI. INFERMENTATI CORINTHII.

1 *Cor.* 5: 7. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Vetus* fermentum peccatum appellat, quod, ut in primo parente cepit, ita ex illo in omnem poſteritatem propagatum, nobiſcum concipitur & naſcitur, ut quæ hora eſt ortus noſtri, ea peccato quoque nos infectos & contaminatos videat. Pulcre vero peccatum fermento comparat. Ut enim fermentum res eſt parva & nullius pretii, & tamen vi mirifica totam maſſam penetrat: ita peccatum primo intuitu leviculum quid videtur, at ſemel admiſſum totam hominis naturam pervadit & occupat, eumque coram Deo plane aceſcere facit. *Sicut eſtis azymi, vel infermentati.* Renati ſunt ἄζυμοι imputatione juſtitiæ Chriſti, & inchoatione novæ obedientiæ, ita ut nihil ſit in ipſis condemnationis, *Rom.* 8. In hoc enim conſiſtit vera ipſorum perfectio, quod tecta ſunt ipſorum peccata merito Chriſti, quodque Deo ſervire incipiunt non coacte, ſed libero ſpiritu. Manet autem in ipſis fermentum peccati, quoad materiale, hoc eſt, manent deſideria prava, quæ contra animam militant, quibus

reſiſtere

reſiſtere jubentur, 1 *Petr.* 2: 11. *Rom.* 6: 12. & hic expurgare vetus fermentum, *Vſ.* 6. quod fit quotidiana pœnitentia. Quamdiu enim vivis, pecatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis: ſaltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet, inquit *Auguſtinus*, *Tract.* 41. *in Johannem.* Et hoc eſt, non habere peccatum, reum non eſſe peccati. *libro* 1. *de nupt. & concupiſc. Balduin. ad laud. locum.*

XXIII. Fermentum in Paschate interdictum Judæis.

Exod. 12: 18 19. *Primo menſe, quarto decimo ejus menſis, veſpere comeditote azymos, usque ad diem vigeſimum primum ejusdem menſis veſpere. Septem dies vetus fermentum ne reperitor in domibus veſtris: nam quisquis comederit fermentatum, utique exſcindetur illa anima ex congregatione Iſraelis, tam peregrini, quam indigenæ regionis.* Huic legi obtemperantes Judæi liberationis ex Ægypto memoriam quotannis refricabant, ne tanti beneficii ſenſum ex eorum animis, ulla deleret ætas. Et cum maximi momenti fuerit, ad ejus obſervationem, ſub graviſſima exciſionis pœna omnes adſtringebantur. Pœna ſimilis irrogata ei, qui circumciſionem rejecerat, nam & ipſe exſcindebatur e populis ſuis, quia irritum fecerat Dei fœdus. Metu igitur triſtiſſimæ pœnæ in hodiernum Judæi in decima quarta nocte Niſan, ſollicitiſſime fermentum inveſtigant, ut, ſi quid reliquiarum ejus inveniatur, id protinus aboleatur, ne quod ejus veſtigium extet. Cui rei obeundæ habent vetuſtiſſimam formulam in hæc verba conceptam, כל חמירא דאיכא ברשותי דלא חזיתה ודלא בערתה לחוי בטיל וחשיב כעפרא דארעא: Omne fermentum, quodcunque hic eſt in poteſtate mea, quod neque vidi, neque abolevi, nullum eſto, tanquam pulvis terræ exiſtimator.

XXIV. Fermentum a sacrificiis removendum.

Lev. 2: 11, 12. *Nullum opus, quod offeretis DOMINO, conficitor fermentatum.* Morale. Fermentum aëre intus concepto intumeſcit, & attollitur farinæ maſſa, quod ſuperbiæ & faſtus præbet ſymbolum. Odit enim Deus omne ſuperbum. Superbis obſiſtit, ſubmiſſis autem dat gratiam. 1 *Petr.* 5: 5. Deinde fermen-

mentum oritur a corruptione. Significatur ergo, in oblatione animum offerentis purum eſſe debere & incorruptum, & mores ſinceros, atque cavendum eſſe malitiæ & nequitiæ veteris hominis fermentum. 1 *Cor.* 5: 6, 7, 9. Fermento dicto Levitici loco annumeratur Mel. Nam & ipſum fermentandi vim habet. Primis enim diebus fervet ſeque purgat, vigeſimo die coaleſcit, mox obducitur tenui membrana, qua fervoris ipſius ſpuma concreſcit. Nullum igitur fermentum in hilaſtico Sacrificio oblatum fuit, quia ſcilicet debebat eſſe ſine peccato. Contra ſacrificium laudis etiam a peccatoribus accipit Deus, ſed propter Chriſtum, & ut juſtificatis. Voluit enim docere, ut exiſtimat Coccejus, lex, eos, qui Deo gratias agunt, debere imprimis confiteri peccata ſua: vel, ut nos exiſtimamus, docere voluit, Deum celebrantes animos fervere & ardeſcere, efferri gaudio & dilatari. *Rom.* 12: 11. *Eſtote ferventes ſpiritu. Pſal.* 28: 7. *Exſultat animus meus, ut cantico meo celebrem eum. Vid. Luc.* 1: 47. *Jeſai.* 60: 5. *Pſal.* 119: 32.

XXV. PANES NOVI FERMENTATI IN FESTO PENTECOSTES OBLATI DEO.

Levit. 22: 17. *Ex habitationibus veſtris affertote panes agitationis duos, duarum decimarum Ephæ, e ſimila ſunto, fermentati coquuntur; Primitiæ ſunt DOMINI.* Panes illi primitiarum proprie ſacrificium non erant, utpote confecti ex ſimila fermentata. Gratiarum enim actionem ſpectabant, ob feliciter peractam meſſem. Igitur ceu aliæ primitiæ dabantur Sacerdotibus, quorum uſibus deſtinati erant. Ad manipulum frugum, qui in feſto paſchatis cum anniculo integro in holocauſtum DOMINO offerebatur, *Lev.* 23: 12. obligata erat Univerſitas populi, ad novos autem panes, ex plebe ſinguli. Senſus myſticus: Primo, duos populos Judæos ſcilicet & gentes a Spiritu S. in Novo Teſtamento ſanctificatum iri. *Actor.* 10: 44, 45. deinde duplicem caritatem Dei & proximi in primitiis Spiritus Sancti ab utroque oblatam in ἀπαρχάς. 1 *Cor.* 16: 15. *Rom.* 8: 23.

XXVI. COQUI VETANTUR OBLATIONUM FERMENTATÆ RELIQUIÆ.

Lev. 6: 10. *Ne coquitor fermentatum; dedi illud, ut ſit pars filiorum*

liorum Aharonis ex meis igne abſumtis : res ſancta ſanctarum eſt, ſicut peccatum, & ſicut reatus ipſe, id eſt, ſanctiſſima res, ab omni uſu & ritu profano maxime ſeparata, ſicut ſacrificia pro peccato & reatu. Ratio, quod pars ejus in Domini offertur incenſum. Deo autem fermentum offerri nefas erat. Locus agit de ſimila oblata, cujus pars cedebat Sacerdotibus.

XXVII. Fermento simile evangelii verbum.

Luc. 13: 20, 21. & *Matth.* 13: 3. *Cui rei aſſimilabo Regnum Dei? Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier indidit in farinæ ſata tria, usque quo fermentaretur tota. Regnum Dei*, Verbum Evangelii, Sceptrum regni Meſſiani, quo regitur Eccleſia. *In farinæ ſata tria*, in Epham, quæ menſura continet tres unius modii quartas, drey Vierling. Tantum enim farinæ cum fermento miſceri ſolebat, ut apparet ex *Gen.* 18:6. *Jud.* 6: 19. 1 *Sam.* 1: 24. Symbolum eſt orbis in tres partes eo tempore diſtributi, quæ verbo Dei replendæ erant. Juxta authorem Harmoniæ Evangelii in Uſſerii Bibliotheca repertæ, intelligi poſſunt tria Chriſtianismi tempora, ſcilicet ſtatus inſtitutionis ante apoſtaſian, ſtatus deſtitutionis in Apoſtaſia, & ſtatus reſtitutionis poſt apoſtaſian.

XXVIII. Fermenti vis: pravum exemplum.

2 *Cor.* 5: 6. *An neſcitis, quod parum fermenti totam maſſam fermentat?* Reprehendit Apoſtolus deſidiam Corinthiorum argumento a periculoſo. Nam, ut parum fermenti totam penetrat maſſam, ſic unius ſcelerati pravum exemplum non raro magnam Eccleſiæ partem corrumpit, ni mature obviam eatur. Videmus hic ergo 1. quantopere vitandum ſit hominum malorum conſortium, quo plurimi delectari conſueverunt. 2. Quam cavendum, ne doctrina verbi peregrinæ cujusdam traditionis mixturam ſubeat. Sic enim cohærent omnes articuli fidei, ut unius depravatio reliquorum corruptionem certiſſime conjunctam habeat. *Gal.* 5: 9. *Parum fermenti totam maſſam fermentat.* Carpit Paulus Galatarum inconſtantiam, quod a libertate Chriſtiana deſciverint ad ritus Moſaicos. Poterat obverti, nihil aut parum nocere ejus generis ritus quosdam introducere, præſertim, cum id faciat ad pacem Judæorum & gentilium. Reſpondet figura proverbiali,

verbiali, quaſi diceret. Si ex hypotheſi loquendo, levis eſſet error veſter, certum tamen eſt, hunc ipſum ſemel admiſſum latius ſerpere, & occulta ratione totam Evangelii doctrinam pervagari, ut uno poſt alterum capite vitiato, cognatæ ſubinde partes velut contagio vitientur. Tam indiſtracta eſt connexio articulorum fidei, ut impoſſibile ſit adulterari unum, quin illico affines articuli depraventur. Uſu venit idem in moribus, dum a parvis initiis horrenda ſcelera plerumque prodeunt. *Mutheſ. ad q. l.*

XXIX. FERMENTUM PHARISÆORUM ET HERODIS.

Marci 8: 15. *Videte ut Phariſæorum & Herodis fermentum caveatis.* In *Matthæi cap.* 16. pro Herode Sadducæi ponuntur, quorum opiniones Herodem foviſſe, ſcelerata ejus vita declarat. Fermentum Phariſæorum ſunt humanæ traditiones, & prava doctrina de juſtitiæ propriæ fiducia. Illam comparat Paulus fermento. Primo enim, ut fermentum miram inficiendi vim habet, ſic doctrina mala feliciter ſerpit, & ſeſe inſinuat. 2. Fermentum calidum & frigidum eſt, ſic etiam falſa doctrina, & qui eam fovent. *Apoc.* 3: 15, 16. 3. Ut idem acidum eſt, ſic falſa doctrina homines in conſpectu Dei aceſcunt, & corrumpuntur. 4. Ut putrida eſt fermenti natura, ita putridum, quicquid extra verbum Dei affertur. 5. Ut fermentum novo ſapore maſſam imbuit, ita hæreſis Eccleſiam. 6. Ut fermentum latenter id efficit, ita clanculum & hæreſin ſerpere experientia teſtis. *Mutheſ. ad Matth.* 16.

CAPUT XXIX.

DE PANIBUS FACIEI.

Panum faciei diſpoſitio. Duplex tegumentum menſæ cui panes impoſiti. Panes facierum Evangelii verbum adumbrant. Iidem res ſanctiſſima: Quo ſenſu dicantur profani?

I. PANUM FACIEI DISPOSITIO, TEGUMENTUM ET MENSA CUI IMPONEBANTUR.

Levit. 24: 5, 6, 7. *Accipiens ſimilam coques ex ea duodecim collyras, duarum decimarum* (Epha) *eſto unaquæque collyra: quas diſpones*

diſpones duobus ordinibus, ſenas in ordinem quemque, ſuper menſam puram coram Domino: & imponito cuique ordini thus purum (in acerra) *ut ſit unicuique pani inſuffimentum Domino. Unicuique pani.* Duodecim fuiſſe acerras a duodecim Principibus tribuum oblatas conſtat ex *Num.* 7. & hic verſu quinto totidem panes præcipitur duobus ordinibus in menſa diſponi, ac illis imponi thus: Quare nos non panes panibus impoſitos, ut plerique intelligimus, quorum ſummo duæ tantum acerræ fuiſſent imponendæ, ſed ſingulas acerras ſingulis panibus. *Junius & Tremellius ſuper h. l.*

Num. 4: 7, 8. *Super menſam (Panum) faciei expandunto veſtem hyacinthinam; impoſitis ei ſcutulis ejus & acerris ſcopulisque & ſcutellis tegmenti, & panis jugis ſuper eam eſto. Deinde expandentes ſuper hæc veſtem coccineam dibapham; tegent illam tegumento e pellibus coloris hysgini.* Græci vocem תכלת reddunt *hyacinthinum* aut ἰάνθινον. Aliis melis vel taxus, Bocharto Hierozoici Parte prima hysginus placuit color.

II. Panis facierum typus verbi Evangelii.

Significat Panis faciei Verbum Evangelii, in quo proponitur Jeſus Chriſtus, Vitæ Panis, *Joh.* 6: 48. *Faciei* dicitur, quia Sacerdotibus & populo ad ſpectandum propoſitus. Sic ad Dei verbum, neceſſe eſt, reſpiciat Miniſter verbi & populus. Itaque precandum: *Retege Deus, oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua. Pſal.* 119: 18. *Beatus, qui meditatur in legem Domini die nocteque. Pſal.* 1: 1. Panis faciei dicitur *res Sancta Sanctarum*, id eſt, res ſanctiſſima & panis ſanctus, 1 *Sam.* 21: 6. ita Evangelium eſt verbum Sancti Iſraëlis, quod & recipientem ſanctificat. *Joh.* 17: 17. *Sanctifica eos*, Pater, *tua veritate; ſermo tuus veritas eſt.* Dicitur *Panis jugis. Lev.* 24: 8. Eccleſiæ perpetuus cibus, perpetuum alimentum, eſt Dei verbum: utpote Verbum vitæ, ſine quo non vivitur. *Panis memorialis*, *Lev.* 24: 3. ut innueretur, Deum ſemper memorem eſſe promiſſionum in verbo ſuo factarum. *Fieri non poteſt, ut exciderit ſermo*, id eſt, promiſſio Dei. *Rom.* 9: 6. Parabatur e ſimila, puriſſima farina. *Lev.* 24: 5. Nimirum totus Dei ſermo purgatiſſimus eſt. *Prov.* 30: 5. 2 *Sam.* 22: 31. *Dicta Domini dicta pura ſunt, argentum purgatum in catino lectiſſimo terræ, defæcatum* ſepties. *Pſal.* 12. Cibus fuit ſuaviſſimus. Quid ſuavius Dei verbo? Quam ſuavia ſunt palato

lato meo judicia ſermonis tui, ô Deus! ſuaviora melle ori meo: *Pſal.* 119: 103. Propoſiti panes duodecim, ut meminerit populus ad ſingulas tribus eos pertinere. Myſtice id notavit prædicandum eſſe Evangelium omni populo. *Apoc.* 14: 6. *Vidi alium Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut euangelizaret incolis terræ, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo.* Imponebantur menſæ aureæ a Sacerdotibus: ita Dei verbum a miniſtris Eccleſiæ: Menſa aurea eſt, quovis auro pretioſior fides, quæ verbum recipit & cuſtodit. 1 *Petr.* 1: 7. *Pſal.* 119: 72. Singulis Sabbatis reponebant novos & recentes. Singulis Dominicis diebus, etiamnum a Miniſtris Eccleſiarum Evangelii πρόθεσις iteratur, & in populi memoriam Dei verbum revocatur. Ad fidei enim firmitatem ſoliditatemque facit, fidei articulos crebro repetere. *Philip.* 3: 1. Eadem, fratres mei vobis ſcribere, me quidem non piget, vobis autem tutum eſt, ἀσφαλές ἐστι. Quod phialis aureis ſupra panem faciei impoſitum thus, id ſignificat, meditationi verbi conjungendas eſſe preces. Thus enim præcum eſt ſymbolum, *& phialæ aureæ plenæ ſuffituum ſunt preces Sanctorum. Apocal.* 5: 8. Menſæ facierum imponebatur tegmen e pellibus melium, vel e pellibus ianthino colore tinctis, poſt expanſam veſtem totam hyacinthinam ſuperne. *Num.* 4: 7. quo notatur verbum Dei ab omni injuria ſolicite cuſtodiendum & aſſervandum eſſe in honeſto & bono corde. *Job.* 23: 12. *Luc.* 8: 15. & qui illud diligunt latere in tutela & præſidio Dei. *Pſal.* 119: 114. Latebra mea & ſcutum meum es; in verbo tuo expectationem habeo.

III. PANES PROPOSITIONIS REMOTI, QUO SENSU DICANTUR PROFANI?

1 *Sam.* 21: 1, 6. *Quin imo hic panis quodammodo profanus eſt, quandoquidem hodie ſanctificavit quis alium in vaſe*, id eſt, in menſa. Locum obſcurum vocant Tigurini & Malvenda. Ceremonia tamen nota eſt ex *Levit.* 24: 5. ubi jubentur Sacerdotes quolibet Sabbato in aurea menſa apponere panes calidos: & eos duodecim binis ordinibus impoſito thure puro ad ſuffitum. Remoti autem illi panes poſt ſeptiduum a Sacerdotibus & non aliis potuerant comedi. Ut ita, quod bene notat Abendana, *poſt thus incenſum ſuper iis*, ad communis ſeu profani panis rationem redierint;

rint; ſaltem in neceſſitate. Nam Chriſtus, qui vocat eos ἄρτους προθέσεως in lege rituali excipit neceſſitatem, propter quam David contra fecerit. *Matth.* 12: 3, 4. Ergo David vult dicere: Panem, quem Sacerdos reſpondet ſe habere, quodammodo eſſe profanum; quandoquidem hodie conſecratus fuit alius, ejus loco in menſa poſitus, & hic ab uſu ſacro remotus. Verſiones contrarias huic expoſitioni refutat *Noldius Annot. ad Concord. pag.* 978.

CAPUT XXX.

ΑΡΤΟΣ ΕΠΙΟΥΣΙΟΣ.
Matth. 6: 11.

De origine nominis ἐπιούσιος *diſſidentes Doctorum ſententiæ. Reddunt alii tranſubſtantialem, alii conſubſtantialem, accipientes de Pane euchariſtico: Alii ſtatutum & ſufficientem: Nos convenientem ſeu congruum. Diſcrimen expoſitionis ejus, quæ legitur, apud Suidam, & noſtræ. Scaligeri objectio diluta.*

Dici non poteſt, quam in explicanda voce ἐπιούσιος æſtuaverint Interpretes. Et primum quidem de ipſius origine inter ſe diſſident atque diſcordant, aliis illud derivantibus ab ἐπιοῦσα participio verbi ἔπειμι, venio, ſuccedo, ſequor; unde apud Demoſthenem ἐπιοῦσα ὥρα & Syneſium ἐπιοῦσα ἡμέρα, craſtinus dies: aliis vero ex participio maſculino verbi ἔπειμι ſuperſto, ſum ſuper, item congruo, convenio, ut περιούσιος venit a περιών, & ἐθελούσιος ab ἐθέλων. Qui priorem originationem tuentur illis ἐπιούσιος ἄρτος eſt vel panis adventitius, acceſſorius, ſuperveniens, qui ſpirituali noſtræ neceſſitati velut adjicitur atque ſupervenit, vel eſt panis craſtinus; hinc petere ἄρτον ἐπιούσιον in diem hodiernum, ipſis eſt poſtulare panem craſtinum nobis hodie dari, vel ut neceſſaria per omnem vitam ſuppeditet, quotidie nobis, quantum opus eſt largiendo.

Qui alteram vocis probant expoſitionem, originem ejus ad ἐπὶ præpoſitionem & verbum εἰμὶ, ſum, referentes, expoſitionibus plurimum inter ſe diſſident. *Hieronymus* ἐπιούσιον expreſſit

ſuper ſubſtantialem, in partes ſuas vocans Symmachum, qui ἐξαίρετον, id eſt, præcipuum vel egregium reddit, quod ſit ſuper omnes ſubſtantias & univerſas ſuperet creaturas, panis vivus, qui de cœlo deſcendit. *Comment. in Matth. c.* VI. Ambroſius transſubſtantialem intelligit eum, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulciat. Alius apud Marium Victorinum tranſtulit conſubſtantialem panem, Chriſtum intelligens ejusdem ſubſtantiæ vel ὁμοούσιον Patri. Sunt, qui ſonare ἐπιούσιον volunt panem ſubſtantiæ corporis noſtri convenientem, & ad tolerandam ſuſtentandamque vitam neceſſarium. Athanaſius Chriſtum vult nos docuiſſe in hoc ſeculo petere ἐπιούσιον ἄρτον, τοῦτ' ἔστι τὸν μέλλοντα, futurum, cujus primitias habemus in hac vita, carnem Domini ſumentes. Panem innuit Euchariſticum. In hanc enim opinionem plerique veterum diſceſſerunt, ut Ambroſius libro quinto de Sacramentis, Cyrillus Hieruſolymitanus oratione myſtagogica quinta, Auguſtinus in epiſtola centeſima viceſima prima ad Probam, & ſæpius alibi, *Iſidorus Hiſpalenſis de Offic. Eccleſ. lib.* I. *cap.* 18. itemque plures alii e Patribus, quos longo ordine recenſet *Joh. Phil. Pfeiffer, Exercitatione de Epiuſio* §. IV. Sed eſt omnino, ut recte etiam Caſaubonus indicat, illa de cœna Domini interpretatio, ſi verum fateri volumus, longe petita & minus ſolida; ſicut firmis rationibus probat Abulenſis in ſextum Matthæi caput, quæſtione tertia. Propius ergo ad Chriſti mentem accedit verſio *Moſis Amyraldi*; *Panem noſtrum ſtatutum atque ſufficientem conditioni noſtræ, da nobis, prout in diem cuique noſtrum convenit. Exercit. in Orationem Dominicam, pag.* 368. Attamen ſatis accurata hæc verſio non eſt. Quamvis enim Aguris mentem ſatis digne & diligenter exprimat, qui לחם חק panem ſtatuti, ſeu demenſi ſui, qui ipſi conveniat, a Deo petit, tamen vim vocis ἐπιούσιον verſione illa non exprimit, nec ad originem ejus reſpexit, ſive ab ἔπειμι ſuperſto, ſive ab οὐσία eam duxerit. חוק, enim nec ſubſtantiam ſonat, nec quod ſuperſtat aut futurum eſt. Nos igitur ad poteſtatem & originem vocis reſpicientes, quartam Dominicæ orationis petitionem ita vertendam eſſe cenſemus. *Panem noſtrum convenientem (ſeu congruum) da nobis hodie.* Da congruum ſive accommodatum vel corpori noſtro alendo, vel convenientem τοῖς ὑπάρχουσι, bonis & facultatibus, vel conditioni & ſtatui

ſtatui noſtro. Differt ab interpretatione noſtra illa *Suidæ & authoris Etymologici Magni*, qui ἐπιούσιον ἄρτον vocant ἐπαρκοῦντα τῇ οὐσίᾳ, & *Theophilacti*, qui ἐπούσιον reddit τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν αὐταρκῆ, & Varini, cui ἐπιούσιος ἄρτος, ὁ τῇ ἑκάστῃ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων, cuique ſubſtantiæ noſtræ conveniens. Hi enim terminationem vocis ἐπιούσιον notáre putant *ſubſtantiam:* nos vero exponimus *exiſtentem*, & ἐπιούσιον ἄρτον, eum, qui ſit congruus, conveniens, accommodatus. Non dimovet nos a ſententia Scaliger, qui negat ab οὐσίᾳ vel ab εἰμὶ ſubſtantivo verbo derivari poſſe ἐπιούσιον, tunc enim inquit, dicendum fuiſſet ἐπούσιον, non ἐπιούσιον. Mihi vero 1. potior hac ratiuncula eſt, tot Græcorum Patrum authoritas, qui ἐπιούσιον congenerum nomen τῆς οὐσίας habuerunt. 2. Illius expoſitionem non ferunt verba Chriſti, omnem de craſtino curam prohibentis. Neque vero verba ſunt *Amyraldi*, hic dicendum eſt, poſtulari hodie panem qui reponatur in craſtinum diem. Quum enim Chriſtus vetet nos eſſe ſolicitos de die craſtino, & doceat unicuique diei ſufficere ſuam κακίαν, hic ſecum ipſe pugnaret, jubens ut cogitationem & ſolicitudinem noſtram in craſtinum diem injiciamus. Quin etiam in verbis Chriſti hæc eſſet vel abſurditas vel incommoditas, quod in hac petitione nihil pro hodierno die poſcentes, una craſtini diei ſolicitudo nos teneret. Nam ſi ita locutus eſſet, τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν σήμερον, καὶ τὸν ἐπιούσιον, δὸς ἡμῖν σήμερον, intelligeremus voluiſſe eum, ut hodierni primum, ut rei natura fert, deinde craſtini diei rationem haberemus; nimirum, ut hodie impetremus id, quod in hunc diem & in ſequentem ſufficere poſſit. At, cum dicit, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, clarum eſt, eum ita noſtros animos inſtituere, ut neglecto & tacito hodierno die unum craſtinum reſpiciamus. Quod alterum illud Chriſti præceptum, *Ne eſtote ſoliciti de craſtino*, &c. ita invertit, ut dies craſtinus in locum hodierni, hodiernus in locum craſtini ſubſtituatur. Nam pro eo, quod vetuerat nos eſſe ſolicitos de craſtino, hic nos jubet in craſtinum proſpicere, &, quum permiſiſſet cuique hodierni diei vexationem atque κακίαν omni ope amoliri, hic diem hodiernum vult inſuper haberi, nihil quod neceſſitati ejus ſubveniat, in hac precatione poſtulari præcipiens. 3. Non exigere hoc Græci ſermonis conſuetudinem, ut ſemper ἐπὶ ante vocalem Jota in compoſitis elidatur, ſed promiſcue

etiam in eadem voce exprimi vel excludi, arguit verbum ἐπόπτομαι, quod eodem ſervato ſenſu permutatur cum ἐπιόπτομαι inſpicio. Hæc differens *Amyraldus* ab ἐπιουσίω & a vocibus καθ' ἡμέραν removet non ſolum futuri & craſtini ſignificationem, ſed etiam omnem a Chriſtianis futuri & craſtini curam. Placuit ipſi cum *Theodoro Beza* alienum æquipollentibus verbis καθ' ἡμέραν & σήμερον affingere ſenſum, vertendo *in diem*, & contendere, quod Syrus reddit כל היום id proprie eſſe ut *in dies*, vel ut *in diem*, hoc eſt, prout cuique diei conſentaneum eſt, adeo ut propter diurnum uſum nihil ſuperſit. Jure igitur expoſitione hac reprobata καθ' ἡμέραν vertimus *quotidie*, vel *ſingulis diebus*, atque ad Chriſti mentem a Deo recte precamur: *Panem noſtrum convenientem*, (ſeu congruum) *da nobis quotidie.* Neque talis oratio adverſatur Chriſti præcepto craſtini curam prohibentis. *Matth.* 6: 34.

CAPUT XXXI.

Panis eucharisticus.

Pane in Sacramento cœnæ cur ſit uſus Dominus noſter. Sacerdotis conſecratione panis non mutatur in corpus Chriſti. Panis & corporis Chriſti; fideliumque & Chriſti κοινωνία.

I. Pane in sacramento coenæ cur usus sit Dominus noster.

De Euchariſtico pane duo maxime in disquiſitionem venerunt. Unum cur in cœnæ Sacramento Panis Chriſto placuerit; alterum, an panis, quem edere jubemur, conſecratione Sacerdotis in ſubſtantiam corporis Chriſti tranſeat. Ad primum reſpondetur, Pane uſum eſſe in Cœnæ Sacramento Dominum 1. ut impleret, quod in Veteri Teſtamento per Mannam eſt præfiguratum, ut conſtare poteſt, ex 1 *Cor.* 10. quem locum & Calviniani pro identitate Sacramentorum Veteris & N. Teſtamenti urgent. 2. Uſus eſt pane propter arctiſſimam fidelium & corporis Chriſti unionem & conjunctionem. Ut enim cibus & potus, panis & vinum, tranſeunt in ſubſtantiam nutriti, ita Chriſtus adhibere

hibere voluit panem & vinum, ut ſymbola corporis & ſanguinis ſui, ut indicaret arctiſſime nobis uniri corpus & ſanguinem, & longe arctiori modo, quam per verbum. 3. Uſus eſt pane & vino ad umbrarum remotionem. Sane, ſi Chriſtus noluiſſet corpus ſuum nobis communicare, aut ſanguinem exhibere in cœna, non abrogaſſet agnum paſchalem; non ſelegiſſet nova ſymbola, panem & vinum; quia Agnus paſchalis longe evidentius præfigurabat mactationem Chriſti in cruce, & ſanguinis fuſionem quo illinuntur poſtes cordium noſtrorum; at abrogavit agnum paſchalem, panem vero & vinum ſelegit, quæ apertius non repræſentant, ut oſtenderet umbræ ſucceſſie corpus. *Oſiander*] *Animadverſ. in Turretini tres libr. Elenct. Theol.*

II. Sacerdotis consecratione panis non mutatur in corpus Christi.

Ad ſecundum reſpondetur, Sacerdotis conſecratione panem in corpus Chriſti non mutari, tum quia Paulus panem dicit κοινωνίαν corporis Chriſti. Ubi autem eſt duarum ſubſtantiarum κοινωνία, ibi utraque adhuc adeſt, abſentis enim & tranſubſtantiati nulla eſt κοινωνία, nulla communicatio: tum, quod vel maxime notandum, quia Paulus in hoc prioris ad Corinthios decimo & ſequenti capite, quinquies, quod cum corpore comedendum præbetur, appellat panem, etiam poſt conſecrationem, ut doceat panem adhuc adeſſe; tum, quod ſacræ literæ corpus Redemtoris noſtri non aliqua Sacerdotis conſecratione, ſed ex Maria Virgine natum docent.

III. Panis et corporis Christi fideliumque et Christi ΚΟΙΝΩΝΙΑ.

Cætero idem panis, qui κοινωνία corporis Chriſti dicitur, quocum arctiſſime fideles uniuntur, fideles admonet de κοινωνίᾳ & unione ſpirituali inter ipſos factæ, quamvis ad ſubſtantiam ſacræ cœnæ non pertineat, de qua Paulus: *Quoniam unus eſt panis, unum corpus multi ſumus: nam omnes ex eodem pane participamus vſ.* 17. Hanc ſpiritualem κοινωνίαν ponit ut effectum Sacramentalis κοινωνίας, hoc eſt, participationis corporis ac ſanguinis Chriſti, quæ quaſi medium illud eſt, per quod fit ſpiritualis conſociatio cum membris Eccleſiæ, & conjunctio cum Chriſto. Nec inter fru-

ctus ſalutaris manducationis, poſtremus eſt, fraterna animorum inter communicantes conjunctio. Quemadmodum enim unius panis, multa ſunt fragmenta, ita unius corporis myſtici multa ſunt membra, quæ uno cibo paſta, unitatem etiam atque concordiam ſummis viribus alere debent. Hinc eſt illa graviſſima vox D. Auguſtini: Qui accipit myſterium unitatis, & non ſervat vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. *Vid. Balduinus ad* 1 *Cor.* 10.

CAPUT XXXII.

DE PANE PER TROPUM DICTA.

Panis anguſtiæ. Panis lacrymarum. Triens Logi. Panis dolorum. Panis improbitatis. Panis ſapientiæ. Panis clandeſtinus. Panis falſitatis. Panis mali oculi. Panis lugentium. Panis in regno Dei. Panis vitæ.

I. PANIS ANGUSTIÆ.

1 Reg. 22: 27. *Cibate eum pace in anguſtia, & aqua in auguſtia.* ב litera poſt ם labialem congenerem in Hebræo ablatum, in verſione haut negligendum fuit. Itaque & Chaldæus paraphraſtes repoſuit: Cibate eum pane, qui erit in Afflictione. Simile illud *Jeſ.* 30: 20. *Dabit vobis panem in anguſtia, & aquam in anguſtia*, id eſt, pane, non ad ſaturitatem, ſed ad neceſſitatem tantum.

II. PANIS LACRYMARUM.

Pſal. 80: 6. *Cibas eos pane lacrymarum, & bibendum præbes eis de lacrymis triental.* Ita reddit Junius. *Panis lacrymarum* eſt, quem lacrymantes comedunt. Triental, Hebr. שליש plerique poſt Kimchium accipiunt pro menſura magna. Atqui *Jeſaias cap.* 40: 12. parvam intelligit. Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas? & cœlos Spithama expendit? aut comprehendit ipſo *Schaliſch* pulverem terræ? Ludovicus quidem de Dieu, *Schaliſch* in ſatum vertit, *Quis Menſus eſt ſato pulverem terræ?* At cum minimas hic propheta memoret menſuras, pugillum & Spithamam, magis conſentaneum eſt veritati, eum per *Schaliſch* minorem ſato menſuram

ſuram intelligere. Minima autem aridorum, quæ quantum tribus tantum digitis comprehendatur, contineat. Nobis igitur in hunc modum Jeſaiæ dictum exponere placuit: Quis cœlos Spithama extendit? quis comprehendat tribus digitis terræ pulverem? Quæ ex Pſalmo allata ſic interpretor: *Potitandum das eis cum lacrymis trientem*, trientem ſcilicet *Logi*, minimæ aridorum menſuræ. Trientem logi dicimus, ut Latini *trientem libræ*, *trientem pedis*, continentem tres octavas menſuræ, drey octal/ quantum ſcilicet potus in prandium viro ſufficiat. Fuerit igitur *Schaliſch*. Trientem Logi capiens poculum, id quod in prandiis vulgo repoſitum, & verba: *Potitandum das eis cum lacrymis trientem logi*, hoc volunt: Poculum ſeu potum, quo uti quotidie ſolent, lacrymis profuſis temperas.

III. Panis dolorum.

Pſalm 127: 2. *Fruſtra (ſint) vobis, qui ſummo diluculo ſurgunt, qui tarde ſedent, qui veſcuntur pane dolorum: Firmum dat dilecto ſuo* Deus, *ſomnum*. *Qui veſcuntur pane dolorum*, veſcuntur pane cum dolore & moleſtia. *Firmum dat*, Hebraicum כן varie explicant pro adverbio vel conjunctione accipientes. Originem trahit a *firmandi* verbo. In *Niphal* enim נכון eſt *firmari*, ſtabiliri, ut 1 *Reg*. 2: 46. Thronus Davidis erit נכון firmus coram DEO. Ut luna thronus ejus *firmus erit* in ſeculum. *Pſal*. 89: 38. In *Hiphil* eſt firmare, ſtabilire. Dominus in cœlis *ſtabilivit* vel *firmavit* thronum ſuum *Pſal*. 103: 19. Ad *ſtabiliendum* להכין illud regnum & fulciendum. *Jeſa*. 9: 6. Itaque כן ſignificat etiam firmum & ſtabile, & ſomnus firmus eſt, qui anxietate animi curisque inutilibus ac vanis non interrumpitur.

IV. Panis improbitatis.

Prov. 4: 27. *Nam veſcuntur pane improbitatis & vinum injuriarum bibunt*, id eſt; victitant ex male partis & ex rapto, & per injuriam acquiſitis. Non ſunt contenti ſorte ſua, & a benedictione divina non exſpectant vitæ neceſſaria ſubſidia, neque iis, quæ habent cum gratiarum actione ſobrie utuntur, neque ea liberaliter per charitatem erogant, ſed ventri ſuo ſerviunt.

V. Pa-

V. PANIS SAPIENTIÆ.

Prov. 9: 5. *Venite, veſcimini de pane meo, & bibite de vino, quod temperavi.* Offert Sapientia venientibus ad ſe cibum & potum, ad vitam, ſatietatem & lætitiam. Et jubet eo veſci, & eum bibere. Cibus is, eſt id, in cujus communione juſtitia & vita tenetur. Idemque eſt potus, quatenus ſitim aufert & lætificat. Cibus eſt ipſa Sapientia, quatenus vivit, & rurſus quatenus mortua eſt. *Vid. Johan.* 6: 33: 57. *Coccejus.*

VI. PANIS CLANDESTINUS.

Prov. 9: 17. *Aquæ furtivæ ſuaves* quidem *ſunt, & panis latebrarum, amœnus; ſed ignorat ille expertes vitæ ibi eſſe, in profundiſſimo ſepulcro invitatos ab ea*, a muliere ſtolida. *Aquam* hic accipio, ut in illo, *Ab aqua aliena abſtine*, nempe pro re venerea, ut dicat, Venus furtiva dulcis eſt. Eadem ſententia expreſſa Pindaro, his verbis, γλυκύ τε κλεπτόμενον μέλημα κύπριδος. Poterit extendi ad quævis illicita, juxta illud

> γλυκεῖ ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος,
> *Dulce pomum, quum abeſt cuſtos. Seneca Oetæa.*
> *Illicita amantur, excidit, quicquid licet.*

In quam ſententiam & *Ovidius* cecinit,

> *Quicquid ſervatur cupimus magis, ipſaque furem*
> *Præda vocat.*

Et

> *Quod licet ingratum eſt, quod non licet acrius urit,*

Et

> *Nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata.*

Panis latebrarum ſuavis, idem ſenſus, qui commatis præcedentis. Panis occultus, qui clam & in occulto editur, quoque palam veſci non licet, ſapidior, hoc eſt, quæ non licent gratiora ſunt. *Druſius in Prov. Sacris.*

VII. PANIS FALSITATIS.

Prov. 20: 17. *Suavis eſt viro panis falſitatis, ſed poſtea impletur os ejus ſcrupis. Panis falſitatis*, id eſt, cibus dolis, mendacio & per-

perverſitate partus. Æquipollent enim nomina שקר מרמה & רמיה *Pſal.* 109: 2. & 120: 2. & *Jerem.* 9: 7. Item עולה *Jeſ.* 59: 3. & כזב *Jeſa.* 28: 15. *Poſtea impletur os ejus ſcrupis.* Cupiditatem ejus ſpe fallente ac deludente, moleſtiam ſentit ac damnum. Es bekömt ihm wie dem hund das graß.

VIII. Panis mali oculi.

Prov. 23: 6. *Ne veſcitor cibo, quem dederit malignus oculo, id eſt, invidus.* Abſtine te, quantum honeſte potes, a menſa hominis ſordidi, nimiumque tenacis ac reſtricti, qui, ut Poëta canit,

Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.

Nam, quemadmodum timet uti bonis ſuis, ita cruciatur cum videt alios iis utentes; &, licet aliquando invitet convivam ad edendum aut bibendum, non tamen bona fide, nec ex animo hoc facit. Id Salomo indicat per hæc verba, *Comede & bibe dicet tibi, & cor ejus non eſt tecum. Druſ. Prov. Sacr. c.* 3.

IX. Panis lugentium.

Hoſ. 9: 4. *Non libabunt Domino vinum, nec ſuavia erunt ipſi quæ libantur: ſacrificia eorum perinde ut panis lugentium erunt, quo quicunque veſcuntur polluuntur: Nam panem ſuum pro ſe quisque (retinebit.)* Non veniet in ædem Domini: *Tarnovius: Non libabunt Domino vinum,* quia offerunt ut bibant, *neque dulceſcent*, ingrata erunt, quia ab illis offeruntur, a quibus non debebant; *Sacrificia eorum* exulum omnia, ſunt *illis ut cibus lugentium. Deut.* 26: 14. *Gen.* 35: 18. qui tum erant ex mortuo immundi, *Num.* 19: 11, 16. *Hagg.* 2: 14. vel inepti prohibebantur ſacrificare, quia Deus in lætitia volebat ſacrificantes coram ſe comparere, *Deut.* 12: 7. 12: 19. & 14: 23. Cœnæ itaque a lugentibus mortuorum ſepulturis adhiberi ſolitæ, ut videre eſt *Jerem.* 16: 7. *Ezech.* 24: 17. *Tob.* 4: 18. *Sir.* 7: 35. & 30: 19. ad levandum luctum, quas Græci hic vocant ἄρτον πένθους, Hieronymus ex aliis νεκρόδειπνον, Athenæus etiam συγκόμιστον δεῖπνον, Latini, ut quidam volunt *parentalia*, non poterant ob luctum ulla præbere Sacrificia, Deo grata, quia erant contra legem. At talia habebuntur, quæ in exilio offerent Iſraëlitæ. *Quicunque comedunt ipſum*, talem cibum

bum lugentium, *polluuntur*, *quia cibus eorum*, caro aut panis oblatus *pro anima ipſorum*, ſeu, pro ipſis, quum offeratur ab immundis, *non venit* debito aut legitimo modo, nec ita, ut gratus habeatur *in domum* & congregationem *Jehovæ*. Templum enim Dei poſt & in captivitate nullum erat, ubi offerrent ſacrificia.

X. PANIS IN REGNO DEI.

Luc. 14: 15. *Beatus*, *qui edit panem in regno Dei*, qui cœleſtibus & æternis animum reficiet deliciis, reſurgentibus juſtis. Confirmat Chriſtus hominis dictum, ſed ſtatim cauſam aperit, quare Judæis a regno Dei rejectis, ea ſorte gaviſuræ ſint gentes.

XI. PANIS VITÆ.

Johan. 6: 35. *Ego ſum*, inquit Chriſtus, *Panis vitæ*, quo vivitur æternum; *qui veniet ad me*, per fidem, *non eſuriet*, aſſequetur ſaturitatem illam æternæ vitæ, *&*, *qui credit in me*, *non ſitiet unquam*, in ſalutis negotio nihil unquam deſiderabit. *Auguſtinus Tract.* 25. *Qui venit ad me*, inquit, hoc eſt, quod ait, *&*, *qui credit in me:* & quod dixit, *non eſuriet*, hoc intelligendum eſt, *non ſitiet unquam.* Utroque enim ſignificatur, illa æterna ſatietas, ubi nulla egeſtas.

CAPUT XXXIII.

HERBÆ SPINOSÆ, TRIBULUS, CARDUUS, URTICA.

Dardar, *ſpinoſa herba & foliata*, *cujus generis tribulus. Ononis hippopheos. Kimoſch*, *ſpina capitata*, *cujus folia interdum*, *caput & caules ſemper*, *armantur ſpina*, *ut Chamæleon*, *branca urſina*, *carduus benedictus*, *labrum Veneris. CHARUL*, *herba*, *quæ ſpinoſas & mordaces habet lanugines*, *ut urtica: Nominis iſtius etymon & formatio. Vivere urticis eſt tenuiſſimo uti victu. Myrtus inter urticas*, *Iſraël: Item vir bonus inter improbos. Nominis Dardar & Kimoſch etymon. Mimſchak locus derelictus.*

Tria ſpinoſarum genera herbarum in Scripturis reperio. Primum eſt דרדר, quod præter ſpinam, folium etiam habet, minime ſcilicet ſpinoſum, ut Ononis, tribulus, hip-

hippopheos. *Vid. Salmaſ. Exercitat. Plin. p.* 279. Ononis vel anonis, ramos habet fruticoſos, dodrantales, aut majores, frequentibus geniculis vinctos, cavis alarum multis, capitibus rotundis, foliis tenuibus, puſillis, ad rutæ aut prætenſis loti folia accedentibus, ſubhirſutis, odoratis, non injucunde olentibus. *Dioſc. l.* III. *c.* 18. In ramis ſpinas habet Ononis, appoſito folio rutæ ſimili, tota caula foliatum in modum coronæ: ſequitur a frugibus, aratro inimica vivaxque præcipue. *Plin. l.* 21. *c.* 16. Tribulus, qui ſpinam in capite, ſive fructum aculeatum gerit, foliis aculeo deſtitutis, ille intelligitur, cui folia portulacæ tribuit *Dioſcorides lib.* IV. *c.* 14. vide Matthiolum, qui eum vidiſſe ſe ſcribit Venetiis in maris litore, prope divi Nicolai ſacellum. Comment. ad laudatum locum. De *Hippophae* modernis ſcriptoribus ignoto, Dioſcorides poſt *Theophraſtum* agit *lib.* IV. *c.* 156. Legitur *Dardar*, *Gen.* 3: 18. Spinam & tribulum (ſive ononida) proferto tibi terra. Tribulum verterunt etiam LXX. & Paulus *Hebr.* 6: 8. *Hoſe.* 10: 8. *Succidentur excelſa Avenis*, id eſt, Bethelis, (quæ & Beth-aven vocata propter vitulos Jeroboami ibidem cultos, *Hoſe.* 4: 15.) *peccatum Iſraelis*; *ſpina & tribulus*, (vel Ononis) *aſſurget ſuper altaria ipſorum.* Secundum genus קמוש קימוש & קמשונים eſt capitatum, cujus folia ſaltem interdum, & caput & caules rigidioribus ſpinulis armantur, ut Chamæleon, acanthus ſilveſtris ſive branca urſina aculeata, carduus benedictus, eryngion, dipſacus ſeu labrum Veneris, & carduus Mariæ. Legitur *Kimoſch Jeſa.* 34: 13. *Deſideratiſſima loca pro argento Ægyptiorum Chamæleon, vel dipſacus poſſidebit*: ſpina adunca (qualis ruborum eſt) in tentoriis ipſorum *ſurget. Prov.* 24: 31. *Juxta agrum pigri tranſivi, & juxta vineam dementis, ecce autem aſſurrexerant in eo toto chamæleones*, dipſaci & cardui aculeati, & hujus *generis ſpinæ.* Tertium genus חרול ſive חרולים, quod lanugines habet ſpinoſas & mordaces, ut urtica. Dicitur חרול pro חררול, ad formam חלחול, quod eſt urbis vocabulum; extrita litera ח repetenda, factum חרול. Excuſum vero חרחול, alternitatis gratia ſic ſcriptum pro חרחור, (quod *Deut.* 28: 22. aduſtionem ſonat, & *Ezræ* 2: 15. viri nomen.) Sic כרמל Hebræi dicunt pro כרמר, & ערעל pro ערער nudatus, & ערל præputiatus pro ערעל. Vide Inſtitutiones noſtras, pag. 549. & 550. Ab urendo autem dicitur urtica, ob lanuginem,

nem, quæ tactu tantum levi pruritum puſtulasque confeſtim adusto ſimiles gignit. Arabes ea de cauſa urticam nominant *Binthol-nari*, filiam ignis. Negat quidem *Samuel Bochartus*, *Job*. 20: 7. חרול dici urticam, quia minor ſit, quam ut ſub illa homines congregentur. Sed falſa nititur interpretatione particulæ תחת, quam ſub vel infra notare putant. Nimirum, ſugit doctiſſimum virum תחת idem etiam, quod בין *inter* ſonare poſſe. Ut hoc ſenſu acceperunt Aben-Ezra, Pagninus, Vatablus, Forerius, Hiſpanienſis & Tigurina *Jeſa*. 10: 4. igitur & *Noldius* ex eadem mente interpretatur: *Abſque me*, id eſt, meo denudatus auxilio procumbet vel incurvabitur quisque INTER vinctos. *Not. Concord. p.* 927. *&* 1062. Hunc ſequutus, locum Jobi in hunc modum reddere non dubitaverim. *Inter ſtirpes rudebant* hominum viliſſimi; inter *urticas urebantur*; quas legebant ut famem depellerent, qui cibus pauperum erat. Itaque vivere urticis apud veteres accipiebatur pro apparatu tenui. *Sic Horatius.:*

- - - *abſtemius herbis*
Vivis & urticis - - -

Diocles Caryſtius libro primo de tuenda valetudine ſcribit, elixari hæc ſilveſtria, betam, malvam, lapathum, fungos, urticas, tubera, apud *Athenæum libr. ſecundo Dipnoſ. pag.* 61. & apud eundem Chryſippus monuit: Ne comede unquam olivam, ſi urticam habeas hyemis tempore, libro quarto. Legitur & חרלים *Prov.* 24: 31. *Juxta agrum pigri tranſivi*, . . . *& ecce tegebatur ſuperficies ejus urticis*, *& Sophon.* 11. 9. *Ut vivo ego, dictum veriſſimum DOMINI, Dei Iſraelis exercituum, Dei Iſraelis: Moab tanquam Sedom erit, & Hammonitæ ut Hamora, locus relictus urticæ*, id eſt, deſolationi & ſolitudini. Chaldæis urtica vocatur חלפא, ut in proverbio: אסא דקאי ביני חילפי אסא שמיה ואסא קרו ליה: Myrtus ſtans inter urticas, myrtus eſt nomen ejus, & myrtum vocant eam. *Sanhedrin fol.* 44: 2. Iſraëlitæ etiamſi peccaverint, tamen vocati ſunt Iſraëlitæ, & id manſit nomen ipſorum. Pii, bonique & docti, etiamſi calumnias improborum ſuſtineant, tamen manent pii & vocantur tales. Monet nos urticæ etymon, ut etiam originem דרדר & קימוש aperiamus. Dardar dicitur a libertate, quod ſit a cultu & uſu omni libera herba. קימוש vel קמוש pro מיקוש trajecta, ut ſolet, ſibilante & labiali litera, congenerum habet ממשק, id eſt, *locus relictus*. Sic autem adpellatur

car-

carduus & quæ cum carduo affinitatem habent herbæ, quia propter inutilitatem exſtirpationi & protritioni relinquuntur.

CAPUT XXXIV.

Aloe vulgaris aculeata.

Aloë arbor & herba. Arbor ab Iſidoro, herba per Dioſcoridem deſcripta. Indigenæ Aloës ſuccus nullus & inutilis. Aloës arboris a recentioribus deſcriptæ lignum triplex: Præſtantiſſimum, quod in arbore medium, Tambac vel Calambac vocatur. Aloë ad curandum Chriſti corpus allata vulgaris fuit.

Aloës nomen a veteribus vel pro arbore vel pro herba aculeata adhibebatur. Iſidorus de Arboribus aromaticis: Aloë in India atque Arabia gignitur, arbor odoris ſuaviſſimi ac ſummi. Lignum ipſius vice thymiamatum adoletur altaribus, unde & nomen tenuiſſe videtur. De Aloë aculeata hæc tradit Dioſcorides: Aloës folium ſcillæ ſimilitudinem habet, craſſum, pingue, modice latum, rotundum, retrorſus pandum. Folia gerit curta, quæ utrinque ex obliquo longioribus intervallis ſtriantur & in ſpinulas deſinunt. Caulis emittitur non diſſimilis antherico: flos albus: fructus haſtulæ regiae cognatus. Gravi tota eſt odore & guſtu amariſſima: Radice una ceu palo in terram depacta. Succus qui hodie ex India Orientali, America & Arabia, in Germaniam importatur, durus, ſed friabilis tamen, & partim reſinoſus, partim gummoſus eſt. Odorem refert myrrhæ, color varius plerumque tamen rubicundus ſeu rufus. Et craſſis foliis, ut ſcribit Schurzius, vel ut alii opinantur ex radice exprimitur, qui poſtquam per ſubſiſtentiam clarus factus, ſuper lento igne ad ſpiſſitudinem coquitur & exhalatur. Ab hinc tenuibus pelliculis excipitur, aliorſum transmittendus, de quo plura *Joannes Rajus Hiſt. Plant. p.* 1196. Aloë, quæ in hortis Germaniæ colitur, item quæ in maritimis Apuliæ & Hiſpaniæ, faciendo ſucco eſt inutilis. Jam Aloës arbor, unde Agallochum, ut apud M. Bernh. Valentini deſcribitur, Olivæ haut diſſimilis, rubrum fructum inſtar ceraſorum gignit, & triplex caudicis ac radicis lignum habet: Unum quod immediate ſub cortice apparet, prorſus ni-

grum; ſolidum ac valde ponderoſum, nigrum ebeni lignum æmulatus, ob quem colorem Luſitanis Pao d'Aquila, lignum aquilæ vocatur. Alterum paulo eſt levius, multis venis ornatum, inſtar corrupti uſtique ligni apparens. Tertium medius nucleus eſt, ſive lignum pretioſum de Tambac ſeu Catambac. Horum prius interdum ſub nomine Aſphalathi reperitur, alterum Agallochum noſtrum eſt ſive Xylaloës; tertium vero usque eo rarum eſt, ut auro æquiparetur, ac nusquam niſi apud Magnates reperitur, quibus ab Indiæ Orientalis regibus tanquam inſigne munus mittitur. Cujus generis fuerit Aloë, quam *Joannes* 19: 39. Nicodemum ſcribit ad pollingendum Domini Jeſu corpus attuliſſe, de eo inter doctos diſceptari video. Plerique omnes Aloën vulgarem ſive medicam intelligunt, ſolus Salmaſius arboream ſeu aromaticam, tribus maxime rationibus adductus, quas inter prima, quod apud Joannem aromatis & unguentis annumeratur, vulgarem autem aloën inter aromata nemo recenſeat, minime odorificam. Secunda, quod in Scripturis Aloë tribus aut quatuor locis juncta cum myrrha ſemper notet aromaticam. Tertia quod nec Ægyptii ad condienda defunctorum corpora eam requiſiverint. Sed argumenta hæc tanti ponderis non ſunt, ut a recepta nos ſententia dimoveant. Non primum, quia Vulgaris Aloë odorem refert proximum myrrhæ. Videatur *Valentini Hiſt. Simplic. p.* 259. Hæc tamen ideo a pollinctura corporis Chriſti non excluditur. Nec ſecundum, quia rationibus idoneis in Cedri majoris conſideratione evicimus, *Ahalim* & *Ahaloth*, quæ in Vet. Teſtamenti libris junguntur, non eſſe Aloën aromaticam. Nec tertium, denique, eo quod, ut ipſe fatetur Salmaſius, aliter Judæi, aliter Ægyptii, defunctorum corpora curarunt. Ad unctionem vero & pollincturam eorum vulgaris Aloë comprimis valuit, quia amaritudine, non ſecus atque myrrha, vermibus & putredini contumaciter reſiſtit, in eum quoque finem ut incorrupta corpora ſervaret, uſurpata. Id quod Meſue teſtatur de Vulgari Aloë ita ſcribens: Vindicat a putredine, addita Myrrha, non modo viventium ſed etiam defunctorum corpora.

CAPUT

CAPUT XXXV.

De arundine generaliter.

Kane quid ſonet? Quæ ſit arundo, quid calamus, quid culmus? Fera arundinis. Arundo ventis agitata ſimilitudo inconſtantium. Scipio arundineus infirmum & periculoſum præſidium. Arundo quaſſata, infirmiorum imago. Arundo marceſcens hieroglyphicum excidii. Arundineæ naves emblema celeriter tranſactæ vitæ. Ebe, *navem ſignificat*, Ijob 9: 26. *Naves arundinaceæ & papyraceæ Ægyptiorum. Mel arundinum pro hodierno ſaccharo accipit Voſſius.*

I. Kane, quid sonet? Quæ sit arundo, quid calamus, quid culmus?

קנה, קָנֶה, latiſſimæ ſignificationis vocabulum nunc arundinem, nunc calamum, alibi etiam culmen denotat. Arundo proprie eſt, quæ dictis generibus craſſior & longior, cui inniti queas, *Jeſai.* 36: 6. quæ comparatur oſſi, quod a cubito ad digitos usque protenditur, vel a cubito ad ſupremum ſcapulæ, *Job.* 31: 22. Humerus meus inde a ſcapula cadat, & brachium inde a calamo (vel canna) frangatur, quæ elephanto latibulum præbeat, *Job.* 40: 21, vel 16. *Sub umbris cubat, & in latibulo arundinis vel cœno.* Marcellinus libro 22. Inter arundines celſas & ſqualentes nimia denſitate hæc beſtia cubilia ponit. Ælianus libro nono capite 56. Æſtate elephanti inter ſe craſſo perfunduntur cœno, quo vim caloris depellunt, quæ refrigeratio ipſis gratiſſima eſt. Calamus gracilis tenuisque, & fiſtulæ fere, & ſcripturæ aptus. Culmus, minor calamo, qualis a radice ad ſpicam attollitur in frumento. *Gen.* 41: 5. Redormiſcens Pharao ſomniavit ſecundo; Ecce autem ſeptem ſpicæ aſſurgentes culmo uno, pingues & bona forma. Quoniam arundo ad amnes & uliginoſo naſcitur ſolo, *Jeſai.* 35: 7. in arido naſcitura miraculoſæ refectionis & refocillationis Symbolum eſt. *In caula Draconum, in cubili eorum gramen erit cum arundine & junco*, id eſt, in aridis ſiccisque locis gramen naſcetur, & quæ alias in aquis tantum pro-

prodeunt, arundo & juncus. Quibus verbis Deus auxilio ſolatioque privatis gratiæ ſuæ ubertatem promittit.

II. Fera arundinis.

Pſal. 68: 31. *Increpa*, vel perde, *feram arundinis*, *cœtum taurorum*, *cum vitulis populorum*: *eum*, *qui conculcantem ſe præbet pro fruſtis argenti*: populos, *qui bellum affectant.*

Feram arundinis, id eſt, in arundineto inſidiantem, ut in Niloticis arundinetis Crocodilus, ut Leones aliæque feræ in arundinibus Lacus Samachonitis, de quibus in itinerario Palæſtinæ Borcardus. Intelligit Pſaltes occultos Eccleſiæ hoſtes: Per *coetum taurorum* aperte populum Dei oppugnantes, per *vitulos populorum*, gentes nondum quidem formidatas, ſed ad eandem ferociam & crudelitatem ſe parantes, & imbecilles quidem, ſed protervas. *Qui conculcantem ſe præbet pro fruſtis argenti* is dicitur, qui mercede militat, ut olim Syri ab Hammonitis conducti contra Iſraëlitas, 2 *Sam.* 10: 6. & ſpe divitiarum & honorum adducti vaſtant Eccleſiam.

III. Arundo ventis agitata inconstantis et animo vacillantis similitudo est.

Matth. 11: 7. *Ad quid ſpectandum egreſſi eſtis in ſolitudinem? arundinem vento agitatam?* An putaſtis a ſententia ſua dimotum Johannem, mutaturum eſſe teſtimonium, quod palam coram populo ad Jordanem mihi dedit? Patet hinc quanta ſit virtus in Miniſtro conſtantia, a qua ſcilicet prima Johannis commendatio ſumitur.

IV. Arundo agitata, adversis jactati symbolum.

1 *Reg.* 14: 15. *Percutiet DOMINUS Iſraelem*, agitans *quemadmodum agitatur arundo in aqua.*

V. Scipio arundineus infirmum et periculosum præsidium.

2 *Reg.* 18: 21. *Eſai.* 36: 6. *Ecce fiduciam habueris in ſcipione arundinis iſtius quaſſatæ*, *in Ægyptio*, *quo ſi quis innixus fuerit*, *intrans volam ejus perforabit eam*; *ita eſt Pharao rex Ægypti omnibus fiduciam habentibus in ipſo.* *Ezech.* 6: 7. *Habitatores Ægypti*

ſunt

ſunt ſcipio arundineus domui Iſraelis. Quum prehendunt illi te manu quaſſaris, & findis eis totum humerum, quumque innituntur tibi confringeris, eisque totos lumbos cohibes. Coccejus: quumque recumberent in te, frangebaris, & feciſti ipſis conſiſtere, (vel ſtupere) *omnes lumbos.* Arundineus baculus non modo non ſuſtinet innitentem, verum etiam manum penetrat ac vulnerat. Ægyptus igitur & Ægypti rex baculus arundineus dicitur, cujus fiducia bellum ſuſcipiebatur & futurum prædicitur; ut is confractus non ſolum non fulciat innitentem, verum etiam manum illius pertenebret. Non admodum abludit ab illo, quod *Eraſmus* retulit, Ficulneum auxilium. *Chiliad. f.* 533.

VI. Arundo quassata infirmorum imago.

Jeſai. 42: 3. & *Matth.* 12: 20. *Arundinem quaſſatam* (Electus, quem benigne accipit anima Dei) *non confringet, & linum fumigans* (ſive ellychnium lineum) *non extinguet. Juxta veritatem*, fideliter, *proferet judicium* oris Dei, id eſt, legem ſeu doctrinam divinam. Senſus: Meſſias mentes afflictas & fide debiles, & ad exitium propendentes non peſſundabit, quin potius ſolatio refectos leniſſime mitiſſimeque tractabit, & præditos ſcintilla aliqua pietatis aut fidei, veluti moribundos fovebit & excitabit. Quod exemplum & Miniſtri imitari debent.

VII. Arundo marcescens hieroglyphicum excidii.

Jeſa. 19: 6. *Quæ retro meabunt flumina, exhaurientur; & exareſcent aggeribus muniti rivi: arundo & alga langueſcent.* Retro meabunt, האזניחו *quæ retro mearunt*, ה pro אשר uſurpatum, א autem ſtat loco ה characteriſtici. *Vide Inſtitutiones noſtras p.* 545. *num.* 62. Notetur etiam intranſitivum verbum האזניחו, cujus Cal, nempe זנח repulit, rejecit, activum eſt. *Aggeribus muniti rivi.* Hebr. יארי מצור Ægypti rivos explicat *Bochart. Geogr. Sac. port.* 1. eodemque nomine contendit Ægyptum vocari, 2 *Reg.* 19: 24. & *Mic.* 7: 12.

VIII. Arundineæ naves hieroglyphicum vitæ celeriter transactæ.

Ijobi 9: 25, 26. *Dies mei velociores fuerunt curſore; aufugerunt, non ſunt experti bonum. Transmearunt cum navibus arundineis*, id

 eſt,

eſt, citiſſimis; *ſicut aquila involans in eſcam.* Per אבה quod nos arundinem interpretamur, fluvium Arabiæ vel Armeniæ intelligunt Aben-Ezra, Jarchius, & alii, per quem naves irent velociſſime. Etiam Golio Lexici *pag.* 2. أبي *Abbaj* ſunt duo fluvii, quorum alter prope Cuſam, alter in Waſith Babyloniæ. אניות אבה. Chaldæus tranſtulit דטעינין מגדיא *oneratas pretioſis*; Hieronymus, *poma portantibus*. Aliene, inquit Coccejus, Probat igitur R. Levi ſententiam, qui אבה ſonare idem putat, quod רצון, quæ feruntur ut volunt, quæ ſecundo vento labuntur, ὀριοδρυμοῦσαι. Verum voluntatem ſeu benevolentiam tribuere vento & remige actis navibus, eſt verbis loqui duriter tranſlatis. Bochartus igitur ab Arabico أبي *accinxit ſe*, nomen אבה derivat, vertitque illud in naves actuarias, quod ipſum tamen, ni fallor, longe petitum. Recte autem in Arabum ſermone, Jobi vernaculo, nominis originem quæſivit, in quo collactanea obveniunt أباء *Aba'on*, & أباءة *Aba'athon*, quæ arundinem & arundinetum ſonant. Unde & nos recte, ut opinor, interpretati ſumus, *transmearunt dies mei cum navibus arundineis.* Pulcherrima fugacis vitæ ſimilitudine, quæ & Autori Sapientiæ placuit, *cap.* 5: 9. *Tranſierunt illa omnia . . . tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus quum præteriit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam itineris ejus in fluctibus.* Ad navium vero celerem curſum aptiſſimæ ſunt quæ ex arundinibus, e quarum genere & Papyrus eſt, compinguntur. Talibus Indi navigabant: Indicas arundines circa Aceſinem adeo craſſas & magnas eſſe, ait Theophraſtus, ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι, ut vulgo limborum vicem præſtent. Iſtiusmodi lintrium creber etiamnum apud Indos eſt uſus, in fluminibus, ac deſcribuntur a variis, Garcia ab Horta, Chriſtophoro a Coſta, aliis. In Zeilan ſi Scaligerum audimus, tam capaces arundines, ut ex iis parent monoxyla, ſicut apud nos e populo. *Scal. Exercit. contra Cardanum* CXLVI. *pag.* 423. Tales ſunt cannæ, quæ in ripa Gangis proveniunt tantæ magnitudinis, ut ab homine ulnis ambiri nequeant. Craſſitudo corticis eſt dodrantalis, diſtantia vero internodiorum hominis æquat ſtaturam. Sic lintres iſtos deſcribit Nicolaus de Comitibus, Venetus,

netus. Atque has quidem arundinum, quæ usquam terrarum reperiantur, longe maximas eſſe exiſtimat *Voſſius.* Nam quod Strabo ex Oneſicrito prodit, arundines apud Indos reperiri, quarum altitudo ſit ducentorum cubitorum, diameter vero aliquando cubitorum duodecim, id omnino fabuloſum eſſe cenſet *Voſſius*, *Obſervationibus ad Pomponii Melæ lib.* III. *p.* 269. Ex toto vero atque ſolido papyro navigia texebant Ægyptii. Theophraſtus de Papyro: καὶ γὰρ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ. quod Plinius repetit *lib.* VI. *c.* 22. Strabo διαπλέκινα vocat Nili navigia e Papyro texta, in Ægypti rebus: Pactone in Inſulam tranſivimus. Eſt vero pacton ſcapha ex pluribus compoſita fuſtibus, non diſſimilis navi papyraceæ.

IX. Mel arundinum.

Cant. 5: 1. *Carpſi myrrham meam cum aromate meo; comedi ſaccharum meum cum melle meo*, id eſt, delector fructibus horti mei. Ita *Coccejus.* יער enim ſilva eſt, & mel ſilveſtre, quod ſponte manat. Quale eſt, quod legimus 1 *Sam.* 14: 25, 26, 27. ubi dicitur *Jabarath haddebaſch.* Favum vertunt authores, mel acœton dixit Plinius, id eſt, carens ſedimento. Quia vero יער etiam arundinem caricemque notat Chaldæis, *idemque Arabibus trajectis literis vocatur* يراع *Jara'on*, & يراعة *Jara'athon*, & *arundinetum* يروع *Jaroution*, ex eo poteſt probabiliter confici Salomonem intelligere mel arundinis, id eſt Saccharum; Namque illud dicitur Ariano μέλι καλάμινον. *Strabo lib.* II. εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων ὅτι ποιοῦσι μέλι μελισσῶν μὴ οὐσῶν. Dioſcorides: Σάκχαρ(ον) εἶδ(ος) μέλιτ(ος) ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότ(ος), καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων. Porro quum dicit in Cantico ſponſus, יערי עם דבשי אכלתי edi *jahar* meum cum melle, quia עם præpoſitio in membro præcedenti duas jungit ſpecies, vero conſentaneum eſſe judicat Coccejus, ſi dixerimus eas & hic jungi. Si, inquit, quum יערת דבש conjunguntur, prius notat τὸ κηρίον ſive cereas cellulas, quando יער & דבש ſeparantur, & de utroque dicitur eſus, non video, quomodo per prius intelligi poſſit κηρίον. Non errare, qui mel arundinum pro hodierno Sacchare accipiunt hoc argumento probat Voſſius, quod quæcunque veteres

 de

de arundine Saccharifera & Saccharo dixere, illa omnia conveniant arundini, unde hodie etiamnum Saccharum exprimitur, non autem mannæ aëriæ aut ſaccharo Tabaxir. Nec obſtare *Primo* huic ſententiæ, quod Cannæ ſaccharinæ hodiernæ non ultra tres quatuorve ſurgunt cubitos; quæ niſi a ſatione præciderentur, ut fit cannis Maderæ quotannis, vel ſexto a ſatione menſe, ut in Inſula S. Thomæ, ſed paterentur eas adoleſcere, non ad decem tantum cubitos, verum ad majorem excreſcerent excelſitatem: ut cannæ ſaccharinæ, quæ in ripis Argentei fluminis ſponte ſua proveniunt ad arboream magnitudinem. Nec *Secundo* juxta Voſſii opinionem, diſcrepaverit veterum Saccharum ab hodierno, quod antiquum Saccharum juxta teſtimonium Dioſcoridis, Plinii, & Galeni, gummium & Salis inſtar concretum, in arundinibus reperiretur, cum hodiernum liquidum ſit, & non niſi frequenti coctione denſetur & cogatur. Verum, hic quoque errare eos ait. Utrumque enim cognoviſſe veteres, & liquidum & concretum. Liquidi meminiſſe Varronem Atacinum, & *Lucanum*, cum dicit,

Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.

E tenerioribus cannis, Voſſii verba ſunt, ſaccarum olim æque atque nunc exprimebatur, quamvis ars cogendi ſuccum in panes necdum comperta eſſet. Illam enim ſero Indi invenere, a quibus didicerunt Arabes & Sinenſes, ut ipſorum teſtantur hiſtoriæ. At vero in majoribus cannis ſuccus iſte ſponte ſua ſolis ardore cogebatur; quod hodie quoque fit apud utroſque Indos, præſertim in arundinibus, quæ non ſucciduntur. Nec *tertio*, eodem judice, juverit eos, argumentum, quod adferunt, autores veteres non meminiſſe ſucci arundinei ſub nomine Sacchari, ſed tantum Sacchari concreti. Quod enim nullam liquidi mentionem faciunt, ideo contigit, quia ſuccus iſte, ad ipſos non deferebatur liquidus, ſed demum a Sole coctus & arundinibus adhærens nucis avellanæ magnitudine; ut & Plinius ſcribit, & hodiernis conſtat experimentis. *Quarto* refutatum ab ipſo quod objiciunt, in hodierno Saccharo omnia his contraria reperiri, quæ Dioſcorides veteresque alii ſalutaria ei tribuerunt. Siquidem hodiernum Saccharum inimicum ſit ſtomacho, inteſtinis, hepati; conſtipet ventrem, ſitimque efficiat. Verum, inquit, qui ita de virtute & facultate

ſacultate ſacchari pronunciant, nullam obſervant differentiam inter crudum ſuccum, & ſemel, bis vel aliquoties coctum; inter liquidum denique, & jam vel modice condenſatum, vel inſigniter durum. Roborat vir doctus aſſertum ſuum Julii Landi teſtimonio, qui diu in illa S. Thomæ inſula exul ab aula Romana vixit. Is igitur, Arundines inquit, incolæ maturas & recentes comedunt mane jejuni voluptatis gratia, ac etiam his de cauſis, ut inquiunt, quod ſolvunt ventrem, jecur refrigerant, ſitim auferunt, albos etiam faciunt dentes. Nimirum res eſt ſuaviſſima, neque cum ſacchari arundinibus, quæ Romæ venundantur, comparanda. Puerperæ etiam utuntur offa ex pane primùm torrefacto, deinde in ſucci arundinum ultima coctura poſito. Superaddunt vitellos, quod is cibus amiſſas vires maxime reficiat, ac ſtomachum & inteſtina recreet ventremque paullatim molliat.

CAPUT XXXVI.

Calamus aromaticus.

Calamus aromaticus non veterum acorus: non eſt radix. Natale ejus ſolum India, Sabæorum terra, & Parthia. In Syria eum naſci Theophraſtus autor. Notatur Strabo. Me-merom ſive Lacus Samachonites. Dan cum calamo aromatico in nundinis Tyriorum. Calami aromatici duo genera.

I. Calamus aromaticus, non veterum acorus: non est radix.

קנה *Ezech.* 27: 19. & קנה בשם, calamus aromaticus, Arabice قصب الذريرة *Kaſab aldharira*, non eſt, quem *acorum* veteres dixerunt. Nec enim vel calamus vel canna eſt acorus, ſed merus juncus, cujus radix tantum ad medicinæ uſum redundat, nec odorem diffundit ut calamus aromaticus, qui & procul venientibus afflatur, nec oleis olim additus fuit, ut calamus Mendeſio, Rhodino, Samſuchino, Suſino Cyprioque & cinnamomino, nec pretio ſe commendavit, & ex propinquo potuit peti. Non opus erat Judæis ad eum potiundum, vel

 ad

ad Indos navigare vel profectionem in Arabiam facere, εἰς πέρατα τῆς γῆς. Propior enim erat Colchis, & Galatæ, ubi optimum provenire acorum tradit Dioſcorides libro primo, capite ſecundo. Propior item Pontus & Creta Palæſtinæ proxima, ubi acori radices optimæ proveniunt: *Plinius lib.* XXV. *cap. ultimo*: Optima, inquit, Ponticæ, dein Galaticæ, mox Creticæ. Sed primæ in Colchide juxta Phaſin amnem & ubicunque in aquoſis. Creticæ candidiores Ponticis. Non eſſe radicem calamum aromaticum, ſed tenues inque genicula diſtinctos cauliculos, extrinſecus albicantes, levem ſpongioſamque medullam in ſe continentes, convolutis araneæ telis haut diſſimilem, acris cum grata amaritie permiſti ſaporis, odorisque egregie aromatici, conſentiunt hodie principes Botanicorum. *Hermannus*, *Charaſius*, *Pometus*, *alii. Valent. Hiſt. Simpl. lib.* 2.

II. CALAMI NATALE SOLUM.

De calami natali ſolo diſcrepant authorum ſententiæ. In India natum nemo ivit inficias. Nam & hodie in maritima regionis Coromandel ora, quæ Indiæ intra Gangem ad dextram Gangetici ſinus reperitur; unde genuinum ſe petiturum ait Herbertus Jäger, Indiæ literatæ Epiſtola ſexta. Quod autem Salmaſius extra Indiam naſci eum negat, & ideo ſolum dici a nonnullis Arabicum & Syriacum contendit, quia ex India in Arabiam & Syriam advehebatur, id Clariſſimo Bocharto judice falſum eſt; cum & Moſis ævo jam fuerit notus, ejusque adeo mentio fiat *Exod.* 30: 22. neque veriſimile Indiam Judæis aut vicinis gentibus jam fuiſſe tum apertam. Unde non ſine ratione in Arabiæ parte aromatifera illum quoque provenire cenſet, quam *Dionyſius Periegetes verſu* 937. odorem exhalare dicit,

Ἠ θύου, ἢ σμύρνης, ἢ εὐόδμου καλαμοῖο,
Aut thuris, aut myrrhæ, aut odorati calami.

Ac proinde hunc Arabicum vocat Plutarchus, nec non Plinius & Theophraſtus, ſibi non conſtantes. Et inter Sabæos creviſſe eum docent *Agatharchides* & *Diodorus libro* III. *p.* 125. & *Strabo lib.* XVI. Idemque ex textu Jeſaiæ conſtat, ubi terra longinqua, idem eſt, quod Saba in priore membro: Quod eodem exemplo Sabæi vocantur gens longinqua, *Joël* 3: 8. *Confer Matth.*

12:

12: 47. ubi Sabæorum regina veniſſe dicitur e terræ finibus quia Sabæi extimas ad meridianum Oceanum terras occupant: Soli Parthia calamum aromaticum vindicaſſe videtur Golius Notis in Alferganum, & quidem ei tantum ſolo, in quo Nukawend oppidum. Hic, enim ait, provenire, & vix alibi قصب الذريرة *Caſab aldharira*, (qui inde culmi Parthici nomen meruerit) ſed ita, ut non ante percipiatur fragrantia, quam ultra vicinum montem عقبة الركاب *Hakne arracâb* nomine perlatus fuerit. Eſt autem Nukawend ut Jacutus aſſerit magnum Parthiæ oppidum, quod, ad Auſtrum ab Hamedan in medio Parthiæ ſita urbe, diſſidet 14. paraſangis ſuper monte collocatum, teſte Ibn Haukel; ubi tamen nec fluvii deſunt nec horti, & quidem tam præſtantium fructuum copioſe feraces, ut deportari in Aſſyriam ſolerent. Urbs totius Parthiæ antiquiſſima cenſetur, & quaſi Noah habuerit conditorem, primo dictam fuiſſe ferunt نوح اوند *Nouh avvend*, id eſt, Noahi opus; atque inde commutatis inter ſe ſimilibus literis ح & ه lenitatis ergo, factum eſſe نهاوند *Nahawend*. Ubi recte addit Abulfeda, quod ſolent, ubi quid minus eſſe veriſimile videtur والله اعلم *At Deus veri eſt ſcientiſſimus*. Porro in Syria calamum odoratum naſci *Theophraſtus* auctor eſt *lib.* IX. *c.* 17. *Hiſt. Plant.* Calamus, inquit, & Juncus odoratus trans Libanum montem inter ipſum Libanum & monticulum aliquem valle minima exeunt, (non, ut quidam dixere inter Libanum atque Antilibanum,) inter quos campus ampliſſimus & pulcherrimus, quem Aulonem appellant. Qua vero calamus & juncus proveniunt, lacus in amplius ſpatiatur, juxtaque eum paluſtribus ſiccatis iſti aſſurgunt: occupant locum plus quam triginta ſtadia. Virides nequaquam eſſe videntur, ſed ſicci: forma vero nihil ab aliis differunt. Locum ingredienti protinus odor aſpirat, non tamen longius ſpirat, ut quidam referunt: ſed in Arabia aſpirationem agri odoratiſſimam eſſe inter omnes conſtat. Hunc Theophraſti locum Plinius ita reddidit: Calamus quoque odoratus in Arabia naſcens communis Indis atque Syriæ eſt, in qua vincit omnis a noſtro mari centum quinquaginta

quaginta ſtadiis. Inter Libanum montem aliumque ignobilem, non (ut quidam exiſtimavere) Antilibanum, in convalle modica juxta lacum, cujus paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ſpatio ſtadiis calamus & juncus odorati gignuntur: nihil ergo a cæteris ſui generis differunt aſpectu. Sed Calamus præſtantior odore ſtatim e longinquo invitat, mollior tactu, meliorque, qui minus fragilis & qui aſſuloſe frangitur. Calami Syriaci & Vegetius meminit, & in Cœle Syria creſcentis, Strabo libro XVI. ſic ſcribens: Irrigatur Cœle Syria a fluminibus per regionem fœcundam, & omnium rerum feracem delabentibus, præſertim a Jordane. Lacum habet λίμνην, ἣ φέρει τὴν ἀρωματίτα σχῖνον καὶ κάλαμον; qui aromaticum juncum & calamum fert. Habet etiam paludes. Lacui nomen eſt Geneſaritico. Atqui Geneſaritico lacui, nulla ſunt paluſtria in quibus calami gignantur. Aquæ enim ejus a Judæis cenſentur puræ Hieruſol. Aboda Zara *fol.* 42. quia ſimiles labentibus ſeu fluvialibus aquis. Et lacus ipſe a Fl. Joſepho dicitur λίμνη γλυκεῖα καὶ ποτιμωτάτη, dulcis potuique imprimis idonea. Nimirum confundit Geographus Lacum Geneſaritidis cum Samachonite, qui & *Me merom* dicitur *Joſu.* 11: 5, 7. Hujus enim paluſtria, arundinibus juncisque plena, ſolis ardore exſiccata, feris animantibus latibula præbere, ſcribit in Itinerario Terræ Sanctæ Borcardus. Non autem negaverim trans Libanum in Syria & in lacu Samachonite vel Aquis Merom proveniſſe calamum. Verum quia ex longinqua terra accerſebant, quo Deum honorarent Iſraëlitæ, ut conſtat ex verbis *Jerem.* 6: 20. *Quorſum mihi thus e Saba advenit & calamus odoratus præſtantiſſimus e terra longinqua.* Ad multa quidem præprimis ad olea, & unguenta utilem fuiſſe exiſtimo Syriacum & Samachoniticum calamum, & in Tyriis nundinis a Danæis venditatum, ut Ezechiel memorat *cap.* XXVII. Sed viribus, & odore, & pretio, longe inferiorem. Danæos intelligo, qui ab Aſſyriis traducti, exulum Iſraëlitarum loco habitarunt urbem Dan, quæ & Leſchem, & Cæſarea Philippi, appellata fuit. Urbis vocabulum a propheta metonymice ponitur pro civibus, ut in illo *Matth.* 3: 5. *Exivit ad Johannem tota Hieruſolyma:* Fuerit igitur Theophraſti Syrius, & Strabonis Judaicus calamus e viliori genere. Quod diſcrimen etiam notavit Scriptor ille Perſicus, qui, ut refert Epiſtola tertia Indiæ literatæ *Herbertus Jager* de calamo in hunc modum diſſerit: *Haſab*

Ezzarira,

Ezzarira, hoc eſt, calamus aromaticus eſt arundo elegans, craſſitie juncum ſcriptorium præter propter æmulans, quandoque etiam tenerior.

III. Calami aromatici duo genera.

Duplicis autem generis eſt, cujus una ſpecies ut herba vel caulis ſeſami, attamen brevis, ſpithamam circiter longa, vel paulo altior eſt. Altera vero lævis & plana, ulnam fere ſuperans, ſaporis amari & acris, coloris gryſei aut ſubfuſci, intus telæ aranei inſtar apparens, ſi diffringitur; quæ de montibus Kilub, & e regionibus Indiæ adfertur & Berkinah' vocatur. Altera ſpecies herbæ ſeſami non abſimilis, in apicibus ramuſculorum ſemen habet inſtar cicerum, folliculo incluſum; Sed hæc nec acris, nec amara eſt, ſimiliterque ex India proficiſcitur, ſed non tam valida, ut prior. Cæterum, ne quis ſuſpicetur etiam in regiis Hieruſolymorum hortis olim prodiiſſe aromaticum calamum, quia *Cantici* 4: 13, 14. propagines Sulamitis dicuntur nardus, & crocus, & calamus odoratus, notandum eſt quod calamus hic non proprie, ſed figurata locutione deſignet fructum Spiritus Sancti, odorem ſcilicet ſuavem in naribus Domini. Itaque & reliqua per ſimilitudinem dicta, & cum ellipſi *caph* particulæ intelligenda: Propagines tuæ, ſoror mea, ſponſa mea, id eſt, fructus, quos in te Spiritus Sanctus producit, ſunt ut mali punicæ, tanquam pomarii, *gratæ*, cum fructu rerum pretioſarum, ut cypri cum nardis, *pretioſæ*; ut nardus & crocus & calamus odoratus & cinnamomum cum omnibus arboribus thuriferis, ut myrrha & agallocho cum omnibus præſtantiſſimis aromatum, *fragrantiſſimæ*.

CAPUT XXXVII.

De אגמון arundine gracili et scirpo.

Agmon arundo gracilis aquatica, infirmitatis Symbolum: Item incurvati & inconſtantis animi imago. GOME, ſcirpus vel juncus. Cœni, humor, junci alimentum, ut gratia divina hominum conſervatrix. Navibus junceis navigatum mare ab Ægyptiis atque Æthiopibus. An, quod Mater Moſis in arca juncea filium

 expoſuit,

expoſuit, *conveniat cum fide*, *quam Paulus dilaudat* Hebr. 11: 23.

I. AGMON ARUNDO GRACILIS ET AQUATICA.

אגמון per metatheſin literarum dicitur pro גמאון, id eſt, bibulus. Nam הגמיא eſt bibendum vel ſorbendum dare *Gen.* 24: 17. *Job.* 39: 24. itaque & papyrum arundini cognatam *Lucanus* vocat bibulum *lib.* 4.

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Nec enim ſatis arundini ex palude vel amne, qua quieſcit aquas bibere, quum & pluvias deſideret. *Plinius lib.* IX. *cap.* 16. *de piſcibus :* Modicis imbribus gaudent aluntur que. Quippe & harundines, quamvis in palude prognatæ, non tamen ſine imbre adoleſcunt. Ab eodem themate Arabes, arundinetum vocant اجم *agamon*, & اجمه *agamathon.* Hæc arundo eſt, quam Dioſcorides phragmiten ſeu vallatoriam, gracilem, candicantem, & vulgo cognitam, & Theophraſtus χαρακίαν vocat. Hæc, inquam, in ſacris Agmon appellata. ex. gr. *Ijob* 40: 26. *An applicabis* agmon, *arundinem balænæ naſo?* id eſt, an ligabis arundine naſum ejus, arundine ſcilicet per branchias in os trajecta, ut minutos piſces conſtringunt piſcatores. Arundo autem ligaminibus apta, *Plinius decimo ſexto libro*, *capite* 27. ubi de his agit, quæ præter ſalicem ſunt utilia ligaturis : Et betulæ & harundo fiſſa, & harundinum folia reciſiſque aculeis rubi, alligant.

II. ARUNDO INFIRMITATIS SYMBOLUM.

Jeſai. 9: 14. *Exſcindet Dominus ex Iſraële caput & caudam*, *ramum & harundinem die eodem*, id eſt, perdet principem inter ſuos virum, & humilem ſive contemtum, nec non validum & infirmum, eodem tempore. Simile quod legitur *Jeſai.* 19: 15. *Non exiſtet in Ægypto opus*, id eſt, nullum conficietur negotium, *non erit*, *quod faciat caput vel cauda*, honorabilis vel contemtus, quod faciat *ramus vel arundo*, fortis aut infirmus.

III. ARUNDO FIGURA INCURVATI.

Jeſai. 58: 5. *An hujusmodi eſſet jejunium*, *quod eligo*, *dies*, *quo affligit*

affligit homo animum ſuam? an incurvare ut arundinem caput ſuum? Liquet hinc papyrum non eſſe Hebræorum *Agmon*, Papyrus e-nim ſtat erecta nec incurvat caput ſuum. Perſtringit autem Deus ſuperſtitioſos geſtus hypocritarum, caput incurvantium quaſi macie & viribus confecti, & ut humilitatem oſtentent.

IV. Arundo animi inconstantis imago.

Matth. XI. *Quid exiiſtis in deſertum ſpectaturi? arundinem a vento agitatam*, id eſt, hominem arundinis inſtar fluctuantem, ingenii parum firmi, ancipitis & temporalis.

V. גמא góme, scirpus vel juncus.

Septuagita in Verſione hujus nominis non conſtant ſibi. *Jobi* 8: 11. πάπυρος reddunt, *Jeſai.* 18: 2. כלי גמא ἐπιςολὰς βιβλίνας, & *Jeſai.* 35:7. ἕλη, id eſt, paludes. Probo Vulgatum, qui *ſcirpum* vertit, *Exod.* 2: 3. *Jeſai.* 8: 11. vel juncum, *Jeſai.* 35: 7. Juncus caule eſt levi, viridi & in mucronem faſtigiato, alba intus medulla. Semen fert in ſuperiore caulis parte, e latere prodiens racemoſum, ſubrubrum. Gignitur tum in mari, tum in paluſtribus, nec in fruticum, nec in veprium cauliumque, neque in herbarum, aut alio ullo quam ſuo genere numerandus. In arca juncea expoſitus a matre Moſes, *Exod* 2: 3. *Cum non poſſet amplius efficere, ut eſſet abſconditus, accipiens ei arcam junceam oblivit illam bitumine & pice, poſitumque in ea puerulum expoſuit in alga juxta ripam rivi.*

VI. Coeni humor junci alimentum, ut gratia Dei hominum conservatrix.

Job. 8: 2. *An attollitur juncus absque cœno?* ſenſus: Ut juncus niſi humorem atque ſuccum cœni imbibat, exareſcit, ſic homines cito pereunt ſi gratia vel ope divina deſtituuntur.

VII. Navibus junceis navigatum mare.

Jeſai 18: 2. *Mittenti per mare legatos & inſtrumentis junceis*, vel ſcirpeis, id eſt, naviculis e ſcirpo contextis, *per ſuperficiem aquarum.* Juncorum ſcirporumque uſus multiplex fuit. In deſerto arenoſo, Tribui Simeonis ad Auſtrum contermino, tuguriolum ſuum habuit S. Hilarion, quod junco & carice texerat, de

quo

quo Hieronymus in vita Hilarionis. Junco Græci ad funes utebantur *Plin. lib.* XIX. *cap.* 2. Sic Thalmudici triplices memorant funes, ex junco, ex rimine, & ex lino. Ægyptiis non minus quam papyrus, & Hiſpanis ſpartum ad calceamenta in uſu fuit: cum junci, quorum feraciſſima eſt Ægyptus, teſte *Plinio lib.* 21: 18., in funes, ſtrata, corbis atque adeo calceos, æque commode ac ſpartum Hiſpanicum, compingi contexique valeant. Fiſcellas etiam e junco contextas legimus apud *Tibullum lib.* 2. *Eleg.* 3.

Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Storcas factas e ſcirpo vel junco, quæ humi ſternabantur, ne lapides aut pavimentum polluerentur, ſcribitur in Succha, Thalmudico tractatu *fol.* 20. Præterea uſus junci ad maſſas fuit marinas, vitilium elegantiam, lucernarum lumina, præcipue medulla. Maxime vero apud Æthiopes olim & Ægyptios ad navigia propter catadupas, cataractas, & periculoſa vada, tum quod leviores eſſent, tum quod adverſis fluctibus ſcopulisque, quibus Nilus abundat cederent, ac non diſſilirent, aut frangerentur. Heic, opinor, ſupervacaneum non erit expedire quæſtionem, quæ de matre Moſis ad ripam fluminis in arca juncea exponente filium a nonnullis mota. In diſquiſitionem ſcilicet venit, an hoc factum reſpondeat fidei, quam parentibus Moſis tribuit D. Paulus, & fortitudini aut conſtantiæ, qua dicuntur, non metuiſſe edictum Regis. *Hebr.* XI: 23. Dubitationem inter alios accurate ſuſtulit *Rivetus.* „ Exiſtimo, inquit, non eſſe de iſtorum parentum fi-
" de aut conſtantia judicendum ex hoc facto ſimpliciter conſide-
" rato; ſed de facto potius ex eorum fide, præſertim a Spiritu
" Sancto conteſtata. Nollem igitur, quod nonnulli viri docti
" faciunt, pronunciare, fidem eorum; quam antea, dum illum
" occultarunt domi, teſtati erant, fuiſſe labefactatam, aut cha-
" ritatem imminutam, aut illos redarguere neglecti officii, ad
" quod naturæ lege tenebantur, aut quod nimio metu fuerint ſu-
" perati, contra Pauli teſtimonium. Agnoſcendum quidem eſt,
" multa hic eſſe extraordinaria, nec quorumlibet eſſe eadem ten-
" tare, quæ hic facta legimus. Sed cum nusquam Scriptura
" hoc factum damnet, & omnia hæc ſingulari Dei providentia

" fuerint gubernata, conſilia etiam parentum Moſis eidem etiam
" providentiæ non tantum deputamus; ſed præterea cum fidei
" nomine commendentur, quicquid hic fecerunt Spiritus divini
" afflatu & gubernatione eos feciſſe cenſemus. Nam etſi fides
" in Deum recumbere debeat, ita ut ſalutem noſtram, & no-
" ſtrorum Deo, cui curæ eſt, commendandam eſſe noverimus
" & committendam; prudentia nihilominus fidei comes eſſe de-
" bet, & omnia, quæ poſſunt legitime fieri tentanda ſunt, ut
" nos a periculo, cum noſtris eximamus. Teſtimonium hoc
" quod *non metuerunt edictum regis*, ita debet intelligi, non quod
" omni metu vacui eſſet; metuiſſe enim teſtatur occultatio filii
" & expoſitio. Sed quod minarum aut pœnarum metu, non
" fuerint adducti, ut aliquid contra conſcientiam commiterent. I-
" taque puerulum non temere fluvio exponunt, ſed vaſi bitumina-
" to impoſitum in loco ſtagnante, & in carectis eum collocant,
" in quibus minus erat periculi; hoc enim ſignificat Moſes, cum
" dicit, poſuiſſe eum matrem *baſſuph*, ad ripam fluminis, ita, ut
" mater clam noctu mammam ei potuerit præbere, commode
" arca ex ſtagnante loco & carecto in terram adducta; qua de
" cauſa noluit eam in ipſum flumen imponere, in quo abrepta
" fuiſſet, non ſine infantis promto & præſenti periculo. Sed
" in junceto manebat in uno eodem loco, non fluctuans. De-
" inde appoſuit ſororem cuſtodem, ut exploraret, quid pue-
" ro accideret, quod argumento eſt, non omnem abjeciſſe ſpem
" de ejus ſalute, quin potius hoc extremum tentaſſe ſervandi fi-
" lii medium, ex ſpeciali quodam ductu Spiritus. Quæ omnia
" etiam comprobavit eventus. Manere tamen debet in his ſin-
" gularibus factis regula: legibus, non exemplis vivendum; quia
" quamvis extraordinaria hæc non damnentur, non tamen in ex-
" emplum ſunt rapienda, quia non omnes eodem Spiritu ducun-
" tur. Damnandi certe forent, ſi aliter infantem potuiſſent ſer-
" vare, nec majori diſcrimini eum exponere. Sed retentus do-
" mi ſi diutius fuiſſet, juſtus erat metus ne in exploratorum ma-
" nus incideret, quibus eum non potuiſſent eripere. Retinue-
" runt quantum potuerunt, nec ſine magna cura & proviſione
" expoſuerunt. *Commentar. in Exod. p.* 746.

CAPUT XXXVIII.

De ערות papyro, alga, et spargano.

Haroth *nullam cognationem habet cum* Oroth, *id eſt*, *herbis.* Haroth *papyrum ſonat*, *in paluſtribus Ægypti natam. Rivus in S. Scriptura Nilus adpellatur. Papyri uſus. Ægyptii papyrophagi. Papyriaceæ naves. ALGA vel fucus marinus non eſt mulierum purpuriſſum vel radicula. Algæ & ulvæ differentia.* Suph *non eſt papyrus. SPARGANIUM Achu. Rejicitur Græcorum verſio*, *& eorum qui* Achu *pratum reddunt. Achu vaccarum pabulum*, *Græcis* βȣ́τομον. *Sparganii deſcriptio. Achu*, *vox Ægyptia. Sparganium luto deficiente marcidum*, *felicitates hypocritarum deſignat facile evaneſcentes.*

I. Haroth papyrus.

J*eſai.* 19: 7. *Papyri juxta rivum*, *in ora rivi*: *& omnis ſementis rivi areſcet*, *depelletur*, *non erit amplius.* Vocem ערות, qui gramineta vel olera verterunt, ſynonymon eam putarunt nominis אורות, ſed lapſi ſunt per errorem, quia ע litera, licet gutturatis annumeretur, cum א nunquam permutatur, eaque de cauſa ejusdem ſignificatis vocabulum non conſtituit. Propius ad verum acceſſerunt *Junius* & *Tremellius*, qui *papyrum* reddunt. Interpretationis rationem audire ex ipſis juverit. Papyri vocem, inquiunt, plerique pro virentibus rebus accipiunt ex inepta accommodatione loci alterius: ſed nos tum notatione & forma vocis, tum antitheto in altera parte hujus verſiculi poſito, adducimur, ut interpretemur βύϐλον ſive papyrum. Nam vocis etymon & forma accedit ad alterum nomen, quo ſignificatur *cutis*; quia papyrus Nili in multas cutes, ſive coria, & plagas (ut artifices vocant) diſſecabatur arte. Vox vero antitheta oſtendit, hoc loco agi de rebus inſativis, quas producit Nilus, cujusmodi eſſe papyrum (ut carentem ſemine) teſtatur *Plinius libro* 13. *Naturalis Hiſtoriæ*, *cap.* 11. Accedit huc, quod Papyrus una fuit ex præcipuis opibus Ægypti, quarum detrimenta commemorantem prophetam non eſt credibile papyri oblitum fuiſſe, qui algam

gam & juncum nominaverit. Papyrum naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, ubi evagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ craſſitudine triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens, ſemine nullo. *Plin. lib.* XIII. *cap.* II. Propheta papyrum in rivo, id eſt in Nilo, (quo nomine & Jeremias eum vocat *cap.* 46. *vſ.* 7.) exarituram prænuncians, inauditum indicat æſtum & ſiccitatem, & quæ hanc ſequitur, ſterilitatem ac famem, & inopiam rerum, quæ ſunt ad vitam neceſſariæ. Papyri enim maximus in Ægypto uſus fuit. Ex papyro chartam conficiebant, cujus uſu maxime humanitas vitæ, & memoria *eo tempore* conſtabat. Papyrum & ex ea panem comedebant Ægyptii, ex eo papyrophagi dicti Scholiaſtæ Æſchyli; fructu etiam veſci ſoliti, & radice, licet exigui nutrimenti, narrante Ebn-Seraphione *Simplicium capite centeſimo primo.* Quamvis *Dioſcorides lib.* I. *c.* 125. tantum ἀποχυλίζοντας καὶ ἐκπτύοντας τὸ διαμάσσημα, ſuccum exſugentes & reliquum commanſum exſpuentes deſcribat. Ex toto & ſolido papyro navigia texebant. Unde papyraceæ Nili naves Plinio & Solino. At ex cortice interiore ſive libro funes, veſtes, vela, & cætera texabantur. In Nilo naves etiam ex papyro, & ſcirpo, & arundine fieri teſtis *Strabo libro* XVII. & toties a nobis laudatus *Plinius lib.* VI. *cap.* 22. De byblo, quæ papyrus per Synecdochen vocata *Lucanus lib.* III.

Nondum flumineos Memphis contexere libros
Ceperat - - - -

II. סוף SUPH, ALGA VEL FUCUS MARINUS.

Exod. 2: 3. *Poſitum in arca ſcirpea puerulum expoſuit mater in alga juxta ripam Rivi.* Alga eſt, quæ Theophraſto Φῦκος θαλάσσιος, Fucus marinus. Aliud Φῦκος, quo utebantur mulieres purpuriſſandis genis. Hæc radicula Syriaca, quod ῥίζιον Græcis abſolute dicitur, radicula Latinis. Fucos fruticibus annumeravit. *Plinius lib.* 13. *cap.* 23. Ad plantarum ſubmarinarum genera *Rajus* refert, quæ ſubſtantiæ mollioris ad herbam accedunt. Aliis igitur gramina, folia, aliis folliculos tribuit, alia ab his magnitudine diſtinguit, nec bullata, nec διχότομα. *Methodo Plant.*

pag.

pag. 4. Algæ etiam ſpecies Matthiolo videtur, quæ & ulva dicitur, hoc ſaltem diſtincta, quod hæc paluſtris, lacuſtris, fluviatiliſque, illa vero tantum in mari proveniat, juxta vulgarem verſiculum.

Alga venit pelago, ſed naſcitur ulva palude.

Sed fallitur vir doctiſſimus, quia alga ſeu fiſcus tam in alti maris fundo, quam in litoribus maris & amnium provenit. Videatur *Druſius Quæſitis per ep. p.* 2062. De alga litorum accipienda verba *Exodi* 2. *Expoſuit eum in alga, juxta ripam Rivi*, in ſtagnantis ſcilicet Nili parte, ne defluentium aquarum ventorumve impetu per alveum fluminis raperetur. Hieronymus בסוף reddidit *in papyrione*, Arabs Erpenianus, *in papyro*, Jonathan Chaldæus interpres, *in medio papyrorum*, Septuaginta vero *Jeſai.* 19: 6. ipſum סוף πάπυρον extulerunt. Nulli iſtorum adſtipulari poſſum, propter verba, quæ leguntur *Jonæ* 2: 6. de Jona ad ima marium in balænæ viſceribus delato: סוף חבוש לראשי *Suph alligabatur capiti meo, vel ſupra caput meum.* Papyrus enim nec in fundo marium creſcit, nec ut herbarum tenera ſeu tenuia folia, capiti hominis circumvolvi, nec inter ſe vinciri aut conſtringi poſſunt. Ut igitur hic apud Jonam de papyro *ſuph* non acceperunt interpretes, ita nec in Exodo papyrum reddere debebant.

III. אחו SPARGANIUM.

Gen. 41: 17: 18. *Dixit Pharao Joſepho: In ſomnio meo ecce me adſtante ad ripam Rivi* (ad Nilum) *Ecce, inquam, ex Rivo aſcendentes ſeptem vaccas pingues carne, & pulcras forma, quæ paſcebant in ſparganio.*

Ijob 8: 11. *& ſeqq. An attollitur juncus absque cœno? augetur ſparganium absque aquis: Adhuc exiſtens in virore ſuo, quum nondum decerpitur, tamen ante omne gramen areſcit. Ita ſunt ſemitæ, omnium obliviſcentium Dei: nam exſpectatio hypocritæ perit.* Vocem אחו varie verterunt. Nullas tamen verſiones minus locum mereri credendum eſt, quam eas, quarum autores nec ſibi ipſis conſtant. Talis Græcorum eſt, qui *Geneſ.* 41: 2. *Achu* ὄχθην, id eſt, ripam, & Jobi octavo πάπυρον verterunt, nec tamen vel ripa hic accipi poteſt, quia ripa non eſt, quæ ut herba augeatur aquis, neque iſthic papyrus, quia gramina arundinacea noxia pecori, pinguedini ejus nihil conferunt. *Hieron Welſchius de Ægagropilis*

gropilis p. 29. Sed nec ii, qui pratum interpretantur laudatis locis verſionem ſuam applicabunt. Pratum autem vertere viſum eſt Munſtero, Druſio, Vatablo, Mercero, aliis. Cautius egerunt Tremellius, Piſcator, Coccejus, qui ulvam vel paluſtre gramen utrobique vertunt. Certe boum ſeu vaccarum pabulum fuit Achu, ſicut dicitur: *Ecce vaccas pulcras, & pingues, quæ paſcebant in Achu.* Itaque rectiſſime Vulgatus qui carectum & caricem vocat. Nos parum ab eo diſſentientes βȣ́τομον, id eſt, ſparganium eſſe arbitramur. Illud enim, ut ipſa vox inſinuat, boum eſt pabulum. *Heſychius*: Βȣ́τομον, φυτὸν βȣσὶ διδόμενον τροφῇ, οἷον χόρτος. *Suidas*: Βȣ́τομον φυτάριον παραπλήσιον καλάμῳ ὅπερ ἐσθίȣσιν οἱ βόες. Latinis ſparganium vocatur, & gladiolus paluſtris. Folia enim habet, ut Dioſcorides ſcribit, gladioli, ſed arctiora, fructum in pitulas echinatos conglobatum. Naſcitur in ripis, in paludibus humidisque pratis atque in veteranis exundantis Rheni aquis. Caſpar Bauhinus tria ejus genera recenſuit; Sparganium ramoſum, non ramoſum, & minimum. *Achu* videtur eſſe nomen Ægyptium. In ſermone enim Abeſſinorum Æthiopum, qui multa veteris Ægyptii reliquias habet, *Acha*, ſignificat boves ſive vaccas. *Luc.* 14: 19. Non abs re autem Vulgati verſionem, qui caricem expoſuit aliis prætulimus. Βȣ́τομον quippe ſeu ſparganium pro carice habent Lobelius, & Zwingerus in Herbario, nec non Germani cum Anglis, quorum illi ſparganium *Bur-red*, hi Großried / Schwerthel ried, & Leuſchried / nominant. Quod attinet ad ſenſum dicti Jobæi, non eſt, quare aliquid addamus ad ſimplicem & perſpicuam Beati *L. Oſiandri* explanationem. *Quemadmodum juncus & gramen*, (juxta nos ſparganium) *creſcunt, & quidem ſatis velociter, dum lutum & aquam habent, ſed his deficientibus ſponte marceſcunt & areſcunt, etiamſi nemo decerpſerit: ita etiam felicitas impiorum (qui Deum corde non timent, etiamſi hypocritarum more coram aliis honeſtam ducere vitam videantur,) comparata eſt, ut concidat & quaſi areſcat; ita, ut eo ipſo tempore, quo maxima fortunæ ſuæ incrementa ſperant, ſubito omni ſpe ſua fruſtrentur.* Antequam fiunt, quod fieri volunt, nihil fiunt.

CAPUT XXXIX.

DE FUNGIS.

Recenſentur variæ nominis Pekuhoth *interpretationes. Omnibus aliis antefertur ea, quæ eſt fungos exponentis Kimchii. Fungorum eſus noxius. Colliguntur ex vite agreſti vel ſilveſtri aliisque ſtirpibus.* Peckahim, *non ſunt colcynthides. Vox illa idem denotat, quod* Bekarim 2 Chron. 4: 5. *Fungi ſunt Chriſtiani ἐφήμεροι.*

I. PAKKUOTH SUNT FUNGI AGRESTES, QUORUM ESUS NOXIUS.

1 Reg. 4: 39, 40. *Egreſſus quidam in agrum ad colligendum olera, invenit vitem agreſtem, cellegitque ex ea fungorum agreſtium plenam veſtem ſuam, & veniens conſciſſas poſuit in olla pultis, non enim noverat. Poſtea infuderunt hominibus, ut comederent; ſed fuit, comedentibus illis ex ea pulte, ut clamantes ipſi dicerent, mors eſt in olla, Vir Dei, & non poſſent comedere.*

פקעות, Author Aruch parvorum peponum referre ſpeciem ait. Rabbi Nathan in Concordantiis exponit צורות כדור, figuras ſphæricas. LXX. reddunt τολύπην ἀγρίαν, quod Suidam ſequuti Junius & Tremellius aliique, vertunt ſilveſtrem colocynthida. Alias τολύπη Græcis authoribus dicitur, quod pili vel glomi in modum figuratum ſphærulam refert. Cui expoſitioni reſpondere videtur Chaldaicum פקיעא, quod Buxtorfio & Rabbinis glomus & convoluta fila, ut פקעות, glomi, & פקעת, globus, *Chagiga fol.* 121. *Kelim cap.* 17. *Buxt. Lex. Thalm. fol.* 1791. Nata hæc nomina ex verbo פקע, quod geminam habet ſignificationem, *primo* eſt circumire, unde & הפקיע conglomeravit, *ſecundo*, eſt findere, unde ſignificatum accipiunt פקעה & פקועה fiſſura. *Cholin fol.* 69. Solus *Kimchius* interpretatur fungos, quem ſequendum eſſe exiſtimo. Sive enim פקעות hoc loco a fiſſuris fiſſam dixeris ſtirpem, ſive a glomo ſphæritidas appelles, utraque etymologia fungis conveniet. Quicquid enim inter pileolum atque pediculum fungi expanſum, maximam ejus partem

partem conſtituit, id in lammellas textorio pectini non abſimiles fiſſum atque diſciſſum eſt: niſi quod in fungis lamellæ in orbem diſponuntur, quæ in pectine juxta rectam lineam ordinatæ. Glomos autem referunt, quos Ruellius ſcribit, a neto fuſorum glomere fuſios a nonnullis adpellari. Guſtatis fungis velut a peſtifero cibo abhorrebant prophetarum filii, exclamantes: *Mors eſt in olla, Vir Dei.* Fructus enim fere ſunt letiferi & perniciales. Ex *Antiphanis fabula* hæc citat *Cephiſodotus Iſocratis diſcipulus:*

Ἐγὼ γὰρ ἄν τι τῶν ἡμετέρων φάγοιμι
Μύκητας ὠμοὺς ἂν φαγεῖν δοκῶ,
Καὶ ϛρυφνὰ μῆλα κ' ἔι τι πνίγοι βρῶμά τι.

Ego namque rerum veſtrarum ſi quid comedo,
Crudos mihi fungos comeſſe videor
Et acerba mala, & ſi quis alius ſtrangulat cibus.

Prodeunt e terra fungi pauci edules; ſuffocant multi, quamobrem per jocum ait *Epicharmus:*

Οἷον αἱ μύκαι ἄρ' ἐπιϛκληκότες πνιξεῖσθαι.

Emaciati ac ſtrigoſi velut fungis ſtrangulabimini.

Nicander in Georgicis, qui ex fungis letiferi ſint recenſet his verbis:

\- - - - - ἐχθρὰ, δ' ἐλαιης,
Ῥοιῆς τὲ πρίνου τὲ δρυὸς τ' ἀπὸ πήματα κεῖται,
Οἰδαλέα (σύκολλα) βάρη πνιγόεντα μυκήτων.

\- - - - - *noxia oleæ,*
Punicæ, ilicis, quercus purgamenta jacent,
Tumidi, glutinoſi, malefici, ſtrangulantes fungi.

Eparchides narrat Euripidem poëtam aliquando in Icarum peregre profectum mortua in agro fœmina cum liberis, duobus ſcilicet adultis maribus & una puella, fungorum peſtilentium eſu, & cum prole ſtrangulata, hoc epigramma compoſuiſſe:

Ὦ τὸν ἀγήραντον πόλον αἰθέρος ἥλιε τέμνων,
Ἆρ' εἶδες τοῖον δ' ὄμματι πρόσθε πάθος!

 Μήτερα

Μητέρα παρθενικὴν τε κόρην δισσοὺς τε συναίμους
'Εν ταὐττῷ φέγγει μοιριδίῳ φθιμένους.

O Sol, qui ſempiternum cœli verticem peragras,
Adeone indignum facinus oculis tuis ante hac perſpexiſti,
Matrem virginem filiam & fratres duos conſanguineos
Eodem die fato correptos.

Athenæus Dipnoſoph. lib. 12. *p.* 61.

Porro & hoc inveſtigandam, quare laudato loco fungi vocitentur agreſtes. Collegit quidam, inquit ſacræ hiſtoriæ ſcriptor, ex inventa vite agreſti fungorum agreſtium plenam veſtem. Agreſte alias a ſativo diſtingui ſolet. Sativos autem fungos ignorant Botanici. Neque huc pertinet, quod de lapide Lyncurio, vel Lynceo vulgari voce dicto memorant, ex quo fungos Neopolitani producunt, præcidentes in eſum, alio ſubnaſcente toto anno, reſtibili fœcunditate. *Tabernæmont. lib.* 3. *fol.* 836. Verum & ſilveſtri, id, quod in agro provenit, & hortenſi, quod in horto, ſæpe opponitur. Sic in ſacris literis diſcriminantur arbores agri & arbores ſilvæ, eodemque modo diſcernuntur fungi ſilveſtres & agreſtes. Notum quippe fungorum alios in campis pratisque naſci, alios in arboribus provenire mitibus, ut in olea, punica, fico: alios denique in ſilvis, ut quæ in fago, ilice, robore, quercu, & piceis prodeunt, teſte *Plinio lib.* XXII. *cap.* 23. De pratenſibus apud *Flaccum Catius*:

- - - *pratenſibus optima fungis*
Natura eſt, aliis male creditur.

Serm. II. *Sat.* 4. Narravit mihi, qui vineam meam coluit, diligens atque peritus agricola, etiam in vitibus multoties reperiſſe ſe fungos, ne in labruſcis vel agreſti vite id factum miremur.

II. PEKUHIM NON SUNT COLOCYNTHIDES, SED IDEM QUOD BEKARIM.

Collactaneum nominis פקעים, eſt & פקעים quod plerique Interpretes reddunt per *cucurbitas*, quas, ut notum eſt colocynthidas Græci vocant. Factum id 1. *Reg.* 7: 24. quem locum ita interpretati ſunt: *Colocynthides autem ſubter labium ejus circumqua-*

que

que duobus ordinibus colocynthides fuſæ in fuſura ejus. Sed Colocynthides non eſſe *Pekahim* ex notione conſtat cognati nominis פקעות, cujus genus & forma ſignificationem haut mutat. Deinde ex labruſca & ſilveſtri vite, non poſſunt enaſci colynthides vel cucurbitæ, neque adeo de iſtis legi. Imprimis autem ei expoſitioni adverſatur locus Parallelus 2 *Chron.* 4: 5. ubi pro הפקעים, in omnibus codicibus legitur הבקרים, quæ vox utique colocynthides ſonare nequit. Sunt, qui corruptionem textus heic ſuſpicati *bekarim* corrupte ſcribi putant pro *bekahim*, Kimchius autem voce *Pekahim* notari exiſtimat omnis generis figuras extantes, & propterea boves etiam deſignare. Neutrum probo; quia פקעים & בקרים literis quidem diſcrepare, re autem & ſenſu convenire video. Utrumque nomen fungos fiſſuris frequentibus inſignitos innuit. Et Pekahim quidem ventrem fiſſus notare fungos ſupra oſtenſum; Bekarim vero vim ejusdem vocis rependere conſtat ex Arabum ſermone, in quo بقر *bakara* eſt findere, & بقير *bakiron*, ventrem fiſſus. Unde etiam liquet ratio, propter quam & boves Hebræis adpellantur Bekarim, quia ſcilicet non eſt aliud animal in jumentorum genere, cui magis fiſſæ diviſæque ſint ungulæ. Vertamus ergo locum 2 *Chron.* 4: 3. hoc modo: *Similitudo fungorum* (vel boletorum) *ſub eo*, id eſt, *ſubter labium lacus fuſi, undequaque cingentium eum in decem cubitos circumdantium lacum circumquaque erat: qui fungi per duos ordines erant fuſi in fuſura ejus*, id eſt, non erant appoſititii, ſed fuſi cum ipſo lacu. Pariter interpretemur comma duodevigeſimum 1 *Regum cap.* 6. *Ad cedros domus intrinſecus erant inciſi fungi apertique flores: omnia erant cedrina, nullus lapis conſpiciebatur. Fungi etiam incidebantur cedris domus intrinſecus*, hoc eſt in ſuperficie cedrinarum tabularum, quibus latera templi contabulaverat Salomo, fungorum ſpecies incidebatur.

III. Fungi sunt Christiani ΕΦΗΜΕΡΟΙ.

Notare hi fungi poſſunt eos, qui viſibili Eccleſiæ ſeſe applicantes ſpeciem quandam præbent plantarum Domini, & exornare fidelium cœtus videntur, ſed fungorum inſtar ſubito e terra naſcentium, radicem non habent. Ad tempus credunt & tenta-

tionis tempore deſciſcunt, & ἐφήμεροι vel unius noctis filii cum ſint, vita & ſalus eorum non eſt diuturna.

CAPUT XL.

DE PLANTIS PALÆSTINÆ,

QUAS IN SACRIS LITERIS HAUT OBVIAS AUTORES ALII COMMEMORARUNT.

AGNUS CASTUS, vulgo herbariorum dictus, Latinis ſcriptoribus vitex, Græcis Lygos, naſcitur ad ripas Jordanis ut ex αὐτόπταις audivit *Relandus*, *Palæſtin. pag.* 274.]

ALATERNUS, ad arboris magnitudinem aſſurgit, longis nec craſſis admodum nec late patentibus ramis. Virgæ ejus lentæ flexuque faciles, exterior cortex porracei coloris, cuticulam tegit flavam, quæ lignum & ipſa complectitur. Folia fert craſſiora in ambitum inciſa, nigricantia ingrati acerbique ſaporis. Floret nullo ſequente fructu. *Tabernæmont. lib.* III. *pag.* 770. *Relandus Palæſt. p.* 379.

ALOE. Fuere, qui traderent in Judæa ſuper Hieruſolymam metallicam ejus naturam: ſed nulla magis improba eſt, neque alia nigrior eſt, aut humidior. *Plin. Hiſtor. Natur. lib.* XXVII. *cap.* 4.

AMBRA JORDANIS. כיפת הירדן *R. Salomo Commentario ad Kerithuth fol.* 78. *& Gloſſator ad Kerithuth fol.* 6. dicit eſſe herbam, quæ creſcat ad ripam Jordanis. Addita, ut Majemonides tradit, ſuffimento ſacro. *Kele Hammikdaſch cap.* 2. *fol.* 178.

ANGURIA. vel Citrulli, Cucumerum ſpecies, duriores longe vulgaribus, nec tam facile labem corruptionis ſentiunt. Notæ earum, ut Tournefortius apud Rajum tradit, ſemina peponis ſimilia, nulla tamen in margine elata linea, in carne media latitantia. Certius autem diſtinguitur per folia profunde diſſecta. In terra ſancta naſci ſcribit *Relandus Palæſt. pag.* 374.

ARBUTUS ſive UNEDO arbor eſt cotoneæ malo non diſſimilis, tenui cortice, cujus fructus pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo. Maturus aut flavet aut rubeſcit: in eſu acerofus

roſus, ſtomacho adverſatur, capitisque dolorem movet. *Dioſ.* I. 137. Conſpicitur etiam in Judæa. *Relandus Palæſt. pag.* 379.

Arundines, ripam Jordanis ita obſident, ut per ea fluminis aqua vix poſſit conſpici. Ita *Maundrellus* narrat *pag.* 137. & duas ripas Jordanis diſtinguit, unam hanc, quæ ipſas fluvii aquas contingere ſolet, alteram ſtadii intervallo inde remotam, ad quam Jordanes, quum maxime ſe extulit, olim pertigit, quando leones & alia animalia in arundinetis latitantia ſedes mutare coguntur, *Jerem.* 49: 19. De la Valle tradit, ſe in iſtis arundinetis diu oberraſſe, licet equo inſidentem, quum accedere vellet ad aquam Jordanis, & equitem in eis latere poſſe, ne conſpiciatur.

Baaras, Syr. בערא אשא ardens eſt ignis. Nomen radicis in Valle Machæruntis natæ, de qua *Fl. Joſeph. Bell. Jud. lib.* VII. *cap.* 23. Vallis, qua civitas a Parte ſeptentrionali cingitur, quidem locus Baara adpellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem aſſimilis eſt colore, circa veſperam vero veluti jubare fulgurans, accedentibus eamque evellere cupientibus facilis non eſt: ſed tam diu refugit, nec prius manet, quam ſi quis urinam muliebrem vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quin etiam tunc ſi quis eam attigerit, mors certa eſt, niſi forte illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo ſine periculo, qui talis eſt. Totam enim circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terra ſit conditum; deinde ab ea religant canem: illoque ſequi eum, a quo relegatus eſt cupiente, radix quidem facile evellitur, canis vero continuo moritur, tanquam ejus vice, a quo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim poſtea accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium eſt. Nam quæ vocantur dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, vivis immerſa, eosque necantia, quibus ſubventum non fuerit; hæc cito, etiamſi tantummodo admoveatur ægrotantibus, abigit. Neſciunt Botanici, quo nomine Græcis olim Scriptoribus herba radicis venerit. *Ruellio* Nyctegreton eſſe videtur. Nyctegreton, inquit, inter pauca miratus eſt Democritus, coloris ignei, foliis ſpinæ, nec a terra ſe attollentem præcipuam in Gedroſia. Eruitur poſt æquinoctium vernum radicitus, ſiccaturque ad lunam triginta diebus, ita lucens noctibus.

bus. Magos Parthorumque reges uti hac herba ad ſuſcipienda vota. Eandem vocari Chenamychon, quoniam anſeres a primo conſpectu ejus expaveſcant. Ab aliis Nyctilopa, quoniam e longinquo noctibus fulgeat. *De nat. ſtirp. lib.* II. *c.* 143. Aliis Ruta Selenitis vel Lunaria minor dicitur. *Vid. Tabernæmont. Part.* I. *fol.* 424. *Jonſtonus* eandem eſſe ſuſpicatur cum Aglaophotide ſeu Cynoſpaſto terreſtri Æliani, Marmaritide Democriti, Cynocephalea & Oſiritide Appionis, Moly Homeri, & Pæonia Galeni. *Hiſt. Nat. lib.* x. *pag.* 81. Iſtam de Moly Homerico ſententiam rejicit *Matthiolus Epiſtol. lib.* II. *pag.* 99. ea de cauſſa quod *Homerus in Odyſſea*, Moly ſui radicem nigram eſſe ſcribit, his verſibus:

> Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος,
> Μῶλυ δέ μιν καλέουσι Θεοί.

At Joſephus Baaræ radicem flammeo colore niteſcere aſſerit, adeo ut circa veſperas videatur veluti jubar fulgurans.

BALANUS MYREPSICA, cujus glans unguentaria dicta, & Myrobalanon, in Palæſtina gignitur. *Bellon. lib.* II. *cap.* 61. *&* 78.

BALSAMI PARADISUS, Hierichunti & Balſami Paradiſus eſt, quæ planta aromatica eſt & fruticoſa, cytiſo & terebintho perſimilis. Ejus corticem ſcindentes ſuccum in vaſis excipiunt, tenaci lacti perſimilem. Suſceptus autem in conchis coagulatur. *Strabo lib.* XVI. *Geograph.*

BALSAMINA MAS. Pomum mirabile & Hieruſolymitarum. *Vid. Caſp. Bauhin. ad Dioſcorid. pag.* 885.

CANNÆ MELLIS. Regio, quæ urbi Tyro adjacet plurimorum fontium aquis irrigua & fœcunda hortis, variique generis arboribus ac frugibus ſcatet, atque cannarum mellis, unde Saccharum colligitur, copiam habet. *Tyrius lib.* XIII. *Belli Sacri.* Cannis mellis abundat Jericho. *Saligniacus Tom.* 9. *cap.* 5.

CAPPARIS, ſpinoſus frutex, *Relandus Palæſt. pag.* 523. Videntur, mihi Scriptores Sacri, qui ἐξ ἀκάνθων Chriſto coronam eſſe paratam notant, non voluiſſe rhamnum indicare; (quod Petro Bellonio viſum eſt, qui circa Hieruſolymas non invenit alium fruticem ſpinoſum, ſi cappares paucas excipias, quam rhamnum.) Nam ſcripſiſſent illi ἐκ ῥάμνου, non ἀκάνθων. Alii putant

tant ex arbore acacia ſactam hanc coronam, quia illa arbor veteribus ἀκάνθη dicitur κατ' ἐξοχὴν. Sed tunc ἐξ ἀκάνθης ſcripſiſſent, non ἀκάνθων. Fuerint itaque ſpinæ aliæ & forte ipſæ illæ cappares ſpinoſæ, quas Bellonius ibi creſcere notavit, aut aliæ minores, quæ inter ſegetes creſcunt.

Cardui domestici. Eorum copia fuit in valle Bethnetopha, ſive Netopha, quæ urbs prope abfuit a Bethlehemo. Illi enim *Ezræ* 2: 22. ſubjungitur. *Thalm. Schevi cap.* 9.

Cepæ. Aſcalonenſium regio præcipue cepas fert. *Strabo lib.* XVI.

Cicer. Multum in Judæa & vicinis locis, quo cibo vix quicquam vilius. *Bochart. Hierozoic. Part.* II. *pag.* 47. *&* 48.

Citrus. In agro Hieruſolymitano reperiſſe ſe prodit *Rauwolphius* Citria, Limonia, & Aurantia mala. *Itiner. cap.* 21. *pag.* 136. Teſtantur idem in Verſionibus Chaldaicis antiquiores Judæi, qui in tabernaculorum feſto cum ſpathis palmarum & ſalicibus citria geſtaſſe mala Iſraëlitas perhibent. Pro verbis enim *Levitici cap.* 23: 40. *Peri Hetz hadar*, Onkelos in verſione ſubſtituit, פרי אילנא אתרוגין *fructum arboris citrorum*, eodemque modo interpretatur Jonathan, & author Thargum Hieruſolymitani; niſi quod תרוגין ſcribunt loco *Ethrogin*. *Joſephus* quoque *Antiquit. lib.* III. ſcribit Hebræos in patria (poſt exitum ex Ægypto) conſtitutos, feſtumque tabernaculorum celebrantes, victimas Deo ſolitas incendiſſe, & ſimul pro gratiarum actione ſacrificaſſe, manibus interim geſtantes ramos myrti, ſalicis, & palmæ, καὶ τῆς περσέας προσόντος addito Perſeæ malo. Malum autem Perſeæ vel Perſicum, idem heic quod Medicum. *Vid. Athenæus lib.* III. *Dipnoſoph. fol.* 83. Adſtipulantur Joſepho & Paraphraſtis Chaldaicis, doctores Thalmudici. Scriptum eſſe, inquiunt, פרי עץ הדר, hoc eſt arbor, cujus fructus eſt pulcher; ſed lignum non eſt pulchrum. Quænam autem eſt, niſi malus citrea? Si dicas eſſe malum Punicum, fructus ejus eſt pulcher, ſed lignum non eſt pulcrum. Si dicas carrubium; lignum ejus eſt pulcrum, ſed fructus non pulcher. R. Simeon ben Jochai dicit, Arbor, cujus fructus eſt pulcher, & cujus lignum pulcrum, ſapor ejus fructus ſimilis ſapori ejus ligni, ejus lignum ſimile ejus fructui, & ejus fructus ſimilis ejus ligno, quænam eſt hæc arbor? Malus citria. Vocatur *Hetz hadar*, ait L. Levi, שדר quia manet in arbore ab

uno anno in alterum. R. Tanchuma dicit, Aquila vertit *hadar*, voce *hidor* : nam eſt arbor, quæ creſcit ad aquas. Jam autem quænam arbor eſt, quæ creſcit ad omnes aquas? Malus Citria. Videatur *Thalmud. Hieruſol. in Succ. fol.* 53. *col.* 2. & *Thalmud. Babylon. in Succa fol.* 35. Majorum ſuorum placita ad hanc uſque ætatem venerantur Judæi, quoties Feſtum Succoth celebrant, malo citreo, termitibusque, & ramis, in Levitico memoratis, nunquam non utentes.

CISTUS. Dioſcoridi eſt frutex in ſaxis emicans, ramoſus frondoſus, nec præaltus, folio circinatæ rotunditatis, hirſuto, guſtu acerbo. Flos maſculo Puniceus, fœminæ candicat. Apud Plinium frutex eſt ciſtus major thymo, foliis ocymo. Duo ejus genera: Flos maſculo roſaceus; fœminæ albet. Naſcitur in Palæſtina. *Bellonius* II. *Obſerv.* 81.

COLOCASIA. Narrat *Stephanns de Urbibus* Herculem oraculo monitum, ut ortum verſus proficiſceretur, uſque dum flumen inveniret, & herbam illic creſcentem colocaſiam, quæ vulneri illius medelam afferret. Veniſſe autem ad flumen Belum, qui juxta Ptolemaidem (*quæ Acco Hebræis*) labitur, & illam herbam ibi inveniſſe. *Claudius Salmaſius in Exercit. Plin.* Plinius hanc, quam Stephanus deſcribit colocaſiam, eſſe dracunculum oſtendit.

COTYLEDON, Romanis Umbilicus Veneris, folium habet acetabuli figura orbiculatum, & imperſpicue concavum, cauliculo brevi qui e medio profilit, & in eo ſemen, radice olivæ modo rotunda. Plinius; Herbula eſt, inquit, cauliculo tenero, puſillo, pingui folio, & concavo, ut coxendices. Naſcitur in maritimis petroſisque viridis, radice olivæ modo rotunda. Provenire in Palæſtina teſtis *Bellonius Obſerv.* II.

CYCLAMINUS, folia habet hederæ, purpurea, variæ in quibus ſupra infraque albicant maculæ, caule nudo, quaternos digites æquante; floribus in eo purpureis, roſarum effigie, radice nigra, & aliquantum lata, ut rapum videri poſſit. In Judæa gigni cyclaminum teſtis *Bellon.* II. *Obſervat.*

CYPRUS arbor, Aſcalone Judææ gignitur. *Plin. lib.* XIII. *cap.* 23.

EPITHYMON. Conſtat hoc, ut Serapio ſcribit, e ſeminibus, flore, & petiolis parvis atque fragilibus, eſtque calidum

ſapore

ſapore acri. Semen ejusdem rubet. Virtus autem plantæ ipſius thymi facultatibus ſimilis, niſi quod thymus illa imbecillior, cujus & genus dicitur. Optimum Cretenſe eſt aut Palæſtinum. *Welſchius de Vena Medinenſi pag.* 255.

Foeniculus Vulgaris, & Palæſtinæ non ignotus frutex. *Relandus Palæſt. pag.* 379.

Glans unguentaria. Fructus eſt arboris myricæ ſimilis, magnitudine avellanæ nucis. Naſcitur in Arabia, Petra oppido ſecus Judæam. *Dioſcorides* iv. 154.

Gramen. *Joſeph. lib.* 3. *de Bel. c.* 2. Dulces per Samariam & Judæam ſupra modum aquæ ſunt, bonique graminis copia, præter alias earum pecora lactis abundant.

Hedera. Planta eſt qua terram Canaanis Iſraëlitarum genti determinavit Joſua. *Gloſſa ad Peſach* iii. 2. Cibus caprarum. *Schabbath fol.* 128. 1. *Bereſch. Rabba ſectione* 31.

Hyoscyamus. In Syria & Arabia & orientalibus Ægypti lateribus ad mare Rubrum & Iſthmum ipſum plurimo ſcatent hyoſcyamo. *Scaliger Evercit.* cxl. *pag.* 447. Pileum Summi Sacerdotis aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos *daccharus*, apud Græcos hyoſcyamus appellatur. *Joſephus Antiq. Jud. lib. cap.* 8.

Ilex minor, coccum gignit, granum infectorium, quod naſci in exiguis arbuſculis ad Lacum Galilææ, quod Mare Tiberiadis vocatur, refert Bellonius & ex eo Dodonæus.

Lentiscus, Foliis eſt Myrto æmulis, octo ex uno pediculo prodeuntibus, pari exortu, graveolentibus, pinguibus, friabilibus, & in obſcurum virentibus, in ambitu tamen rubent, ſicuti & quibusdam venulis. Perpetua fronde viret. Cortice eſt ſubrufo, lento, tenaci, flexibilique. Ex hac arbore Maſtiche manat. Quæ ad nos comportatur in Chio tantum, Ægei maris Inſula provenit, ex domeſticis ſolum lentiſci plantis, vulnerato quotannis arboris trunco. Fluit enim inde maſtiche, & in terra circumpavita concreſcit. *Matthiol. ad Dioſcor. libri* i. *cap.* lxxv. In Palæſtina Lentiſcus, teſte Bellonio, ſponte naſcitur.

Ligustrum oleæ foliis circum ramos ſimilibus arbor, optimum naſcitur in Canope & Aſcalone. *Dioſc.* i. 197.

Marum vulgare a thymo foliis majoribus, verticillis ſeu flo-

rum capitulis lanuginoſis & odoris vehementia differt. Floribus in ſummis caulibus & ramulis in capitula habitiora, congeſtis cum thymo & ſerpillo convenit, non cum thymbra, ut voluit Tournefortius, quantum quidem ego diſcernere poſſum. *Rajus Methodo plantarum pag.* 60. *num.* 8. Naſcitur in Palæſtina. *Bellon.* II. *Obſervat.*

MYROBALANUS. *Gabriel Fallopius de medic. purg. ſimpl. cap.* 33. Species myrobalani plures ſunt, & ſeptem poſſem ex Serapione enumerare, ſed quinque tantum ſunt in uſu in officinis. Nec multum aliter *Ebn ſina lib.* II. *ſimplicium his verbis:* منه الاصفر &c. Aliud (Myrobalanorum genus) flavum, immaturum eſt, aliud nigrum Indicum, perfecte maturum & pinguiſſimum, aliud Cabulenſe & omnium maximum, aliud Senenſe, parvum & leve. . . . . . Etiam in Prodromo hiſt. gener. Plant., quam olim promiſerant *Johannes Bauhinus, & Joh. Henricus Cherlerus lib.* II. *pag.* 7. nominatur Myrobalani ſpecies nova, & in ipſa Hiſtoria paucis ab hinc annis Ebroduni in lucem emiſſa *lib.* II. *cap.* 19. fuſius deſcribitur, e Palæſtina tamen, non Sinis, accepta dono Rauwolphii, quondam noſtri. *Velſchius de Vena Medinenſi. cap.* x. *pag.* 252. *&* 253. Ex earum aliquo genere, ut opinor, fuit illa Joſephi myrobalanus, quam in planitie Hiericuntina natam prodidit *lib.* IV. *Bell. Jud. cap.* 27.

NARDUS, quam in Palæſtina provenire ſcribit Bellonius, eſt Pſeudonardus. Veteribus enim dilaudata nardus nec in Judæa, nec in Syria, ſed in India ſolum orta. *Vid. Matthiolus ad Dioſcor. lib.* I. *cap.* 6. Pſeudonardus ubique naſcens fruticat folio craſſiore, carnoſo, anguſto, colore languido in candidum vergente, frequentibus ſpicis in ariſtas ſparſis, floſculis cæruleis vel candidis. Gaudet apricis & petroſis, tanta ſuavitatis fragrantia, ut omnes flores odoris jucunditate provocet, qua dote veſtibus inſeritur. Perpetua coma caneſcit; exitu veris Junio & Julio ſpicatur. Seritur vel avulſo ramo, vel viviradice. *Ruellius pag.* 288. *lib.* II. *cap.* 7.

OLEAGNOS vel Eleagnos Theophraſto, frxtex eſt aquatilis, amerinæ folio, ſed molli, lanuginoſo, flore populi albæ, verum minore, fructu nullo. Natura ei, quæ vitici, cujus etiam ſpecies videri poteſt. *Ruellius pag.* 1212. Naſcitur in Palæſtina. *Relandus pag.* 379.

ONI-

Onitis. Origanum, quod in Sapore cunilam æmulatur, plura genera in medicina habet, & Onitin vel Praſion appellant, non diſſimile hyſſopo. *Plin. lib.* xx. *cap.* 17. In Palæſtina gignitur. *Relandus pag.* 379.

Origanum heracleoticum folium habet hyſſopo non diſſimile, diviſam vero radicem. Ex hac cauliculi naſcuntur, quæ in ſummitate in ſpicas deſinunt ſampſuci ſimiles, niſi quod florem gerant purpureum. *Tabernæmontanus lib.* 2. *pag.* 59. Herba eſt Palæſtinæ. *Bellonius Obſervat.* 11.

Persea. Τὸ μῆλον τῆς Περσέας, in ſcenopegiorum feſto geſtata, ut *Joſephus* memorat *lib.* III. *Antiquit.* Perſeam non eſſe Perſicam noſtram ex *Theophraſto* ſatis liquet, apud quem *lib.* 4. *de Plant. Hiſtor. cap.* 2. Perſea traditur Arbor Ægypti, aſpectu magna, formoſaque; folio, flore, ramo, totaque figura, potiſſimum pyro vicina, niſi quod altera folio perpetuo, altera deciduo eſt. Fructum abunde parit, omnique tempore perficit; quippe novus anniculum ſemper occupat. Maturitas anniverſariorum afflatu conficitur: reliquum crudiorem auferunt atque recondunt. &c.

Platanus, Montis in Samaria nomen, niſi fallor a Platanorum dictus frequentia, quem nonnulli montem Gerizim eſſe putant. *Bereſch. rabba*, *ſect.* 32. *Medraſch ſchir*, *cap.* 4: 4.

Porrum capitatum, קפלוט. Certa majoris porri ſpecies, quæ in terra Iſraëlis creſcebat. *Maaſer ſcheni cap.* 2. *col.* 2. Gloſſator diſtinctum ait fuiſſe a vulgari porro. In Thargum Jonathæ *Kaphluteja* ponitur loco החציר *Num.* XI. 5.

Prunus in Palæſtina ſponte naſcitur. *Bellonius Obſerv.* 11. In Fructibus illius Palma datur, ut Galenus inquit, Damaſcenis, quæ ſicca ex Syria Venetias importantur.

Rosa hierichuntina, quam ad nos deferunt ii, qui ad ſepulcrum Chriſti peregre proficiſcuntur, ab indocto Monacho nomen adepta eſt. Ut enim Bellonius aliquo in loco oſtendit, non circa Hiericuntem, ſed in deſertis Arabiæ, in ripis maris Rubri ex arena creſcit. Deſcriptionem ejus vide in *Valentini Hiſtor. Simplic.* 1. *pag:* 78. §. 5.

Rapa. De magnitudine rapæ in terra Iſraëlis legitur in *Thalm. Bab. Kethub: cap. ult. fol.* 111. 2. quod vulpes in ea nidificarit, id eſt, eam excavarit, luſtrumque ſuum in ea fecerit,

relicto adhuc ſexaginta librarum Tzipporienſium pondere.

RUBIA, Græcis Erytrodanon. Radix rubra eſt ad tingendum accommodata, alteraque ſilveſtris eſt, ſativa altera, qualis in Thebana Galilææ & Ravennæ in Italia naſcitur.

RUTA SILVESTRIS. In Judæa eam provenire ſcribit *Bellon.* II. *Obſervat.* Ruta admirabilis magnitudinis viſa eſt Macheruntі, quod olim fuit munitiſſimum Judææ oppidum. De illa *Joſephus lib.* VII. *Belli Jud.* ita ſcriptum reliquit: Erat in ipſa regia Ruta ſtupendæ magnitudinis. A nulla enim ficu vel celſitudine vel magnitudine vincebatur. Ferebant autem eam inde ab Herodis temporibus perſeveraſſe: manſiſſetque ulterius profecto, ſed a Judæis qui locum cæperunt, exciſa eſt.

SALVIA, vulgaris herba nec Palæſtinæ ignota. *Bellonius Obſerv.* II.

SCAMMONIUM natione Syriacum & Judaicum, deterrima habentur, gravia, denſa ervi farina & tithymalo vitiata. *Dioſc.* IV. *c.* 165. Scammonium ſuccus vocatur ex herba Scammonia.

SIDERITIS, aliqui Heracleam vocant, folia habet marrubii, ſed longiora, ad frondem quercus aut ſalviæ accedentia, minora tamen & aſpera, caules edit quadratos, dodrantem altos, aut etiam majores, in quibus per interſtitia orbiculatæ vertebræ, ut in marrubio ſpectantur. *Dioſc.* IV. *c.* 29. Sideritidis hujus papaverisque & napi, in Judæa & alibi notiſſimarum vulgariumque herbarum, mentionem facit *Joſephus* in deſcribendo hyoſciamo, *Antiq. Jud. lib.* III. *cap.* 9.

SMILAX ASPERA, folia periclymeni, ramulis exilibus, multis, paliuri modo aculeatis. Repit per arbores ambiendo eas ab imis ad ſummas usque. Ex pediculo fere madido, & iulus quidam gracilis & convolutus pampini modo emittitur, flore candido, lilium olente. Semen in racemis labruſcæ modo cohæret, rubro colore cum ematuruit, guſtu leniter mordaci, radice craſſa, prædura. Locis paluſtribus & aſperis enaſcitur. In Judææ plantis recenſuit. *Relandus*, *Palæſt. pag.* 379.

STACHYS, frutex marrubii ſimilitudinem refert, paulo tamen longioribus foliis pluribusque, præterea modice hirſutis, duriſque, jucundi odoris. Virgulæ in eo ab una radice plures exiliunt, candidiores quam marrubium. Verticillato florum ambitu & orbibus ſpicarum caules cingentibus coronatur, unde & ſtachys

ſtachys Græce dicta putatur. *Ruell. lib.* III. *cap.* 58. In Palæſtina naſci teſtis *Bellonius* II. *Obſervat.*

Tamarisci creſcunt ad ripam Jordanis, ut referunt αὐτόπται. *Relandus Palæſt. pag.* 274.

Thymbra. De ea *Plinius lib.* XIX. *cap.* 8. Thymbram vero, quæ ſit cunila. Hæc apud nos habet vocabulum & aliud ſatureia dicta in condimentario genere. Seritur menſe Februario, origano æmula. Naſcitur in Judæa. *Bellon.* II. *Obſervat.*

Thymum ab omnibus cognoſcitur, ſurculoſus frutex, exilibus foliis, multis & anguſtis circumdatus, capitulis in cacumine, flore purpuraſcente, refertis. Naſcitur etiam in Palæſtina. *Bellon. Obſerv.* II.

Tragoriganum, Fruticulus eſt ſilveſtri ſerpillo ſimilis, vel origano tam ramo quam foliis: Sed quibusdam in locis ſoli conditione lætius & habitius invenitur, latiore folio, glutinoſum: alterum macilentius, foliis exilioribus, molliuſculis, quod aliqui Praſion vocare maluerunt. *Dioſcor.* Naſcitur & hoc in Palæſtina. *Bellon.* II. *Obſervat.*

Trifolium asphaltites, ſeu bituminoſum, cujus hanc deſcriptionem dedit Dioſcorides: Trifolium, quod alii Aſphaltion vocant, frutex eſt, qui ſupra cubiti altitudinem attollitur, virgas habens tenues, junceas & nigras, unde ramulares annaſcuntur appendiculæ, in quibus terna ſingulis germinationibus exeunt folia, loto arbori ſimilia. Iis recenter enatis rutæ odor in eſt, ubi autem adoleverunt bitumen olent. Florem edit purpureum; ſemen quadantenus latum, ſubhirſutum, antennæ modo corniculum gerens. *lib.* III. *cap.* 106. Gignitur in Palæſtina, *Bellonius Obſerv.* II.

Ziziphа, Arbor eſt pruno paulo humilior, caudice contorto, cortice ſcabro, viti fere viniferæ ſimili. Materie oxyacanthæ proxima, radicibus firmis ac ſolidis. Spinis ubique fere riget, longis, lævibus, firmis, acutiſſimisque, colore ex nigro rufeſcente, quemadmodum & rami, e quibus juncei quidam proceſſus exeunt colore pallido, tenues, ſparti modo, lenti, ac flexiles, ſpithama longiores, in quibus utrinque per intervalla folia exeunt, ut in fraxino & ſorbo, impari tamen exortu oblonga, non magna, firma, ut in clematide, quam vincam pervincam vocant, & ſenſim per ambitum ſerrata. Flores a foliorum exortu

tu naſcuntur pallidi ac muſcoſi, e quibus baccæ exoriuntur olivarum inſtar, primum virides, deinde ſubalbicantes, poſthac aureo colore, &, cum ad ultimam venerint maturitatem rufeſcentes. Pulpa in præmaturis dulcis evadit, & guſtui non ingrata. Matthiolus in primum *Dioſc. cap.* 137. Annumeratur a *Bellonio* arboribus in Palæſtina ſponte naſcentibus *lib.* 11. *Obſerv.*

ZYGIS. *Ruellius pag.* 512. Serpilli duo ſunt genera. Sativum Plinio non ſerpit, ſed ad palmi altitudinem increſcit. Pinguius voluntarium, id eſt, ſilveſtre quod privatim ZYGIS vocatur, non repit humi, ſed rectum exilibus ramis & lignoſis attollitur, foliis rutæ oblongioribus & anguſtioribus, flore guſtu acri, odore jucundo. Hortenſe ſampſucum imitatur, odore coronamentis quæſitum: quod, ubicunque terram attigerit, illico radicatur, ipſumque ſe propagat, folia & ramos fundens origani candidiores tantum. Plantis Terræ Sacris accenſetur in *Relandi Palæſtina pag.* 379.

CAPUT XLI.

THALMUDICARUM PLANTARUM GENERA JUDÆORUM MAGISTRIS NOTA.

ABIES, שנא, *Schabbath folio* 129. 1. Hebraicum תדהר per שנא explicatur in *Roſch haſchana fol.* 1. *Baba Battra fol.* 80. ubi Rabbi Salomo Gallice dici tradit *Sap*; *Sapin* autem Gallis eſt Abies.

ABSYNTHIUM, אגרנא pro Hebr. לענה *ap. Jonath. Deut.* 29. 17.

ALLIUM SILVESTRE, שומנית *Kilaim cap.* 1. Græcis Elaphoſcorodon adpellatur, Allium Caninum Trago, aliis Ampelopraſſon.

ANETHUM, שבת. Syr. ܫܒܬܐ *ſchebetho*, & Perſice شبت, de cujus decimatione diſputant doctores Thalmudici *Oketzim, cap.* 3. *Mahaſer cap.* 14.

ASPARAGUS, אספרגוס, Vino indebatur. Vinum aſparaginum pulcre conducit cordi, & optimum eſt oculis. *Berachoth fol.* 51. *c.* 1. ירפוזין aſparagus hortenſis. *Thalm. Schebi. cap.* 9. *initio.*

AVE-

AVENA, שבולת שועל, id eſt, ſpica vulpis. *Peſach. fol.* 31. 1. *in Miſchna*, & *Pirke Aboth cap.* 4.

BETA vel BLITUM, סלקא, *in Baba Metzia* &c.

BUXUS, תאשור פקטינון, id eſt, Theaſchur eſt lignum pyxinum, id eſt, buxus. *Jeſai.* 41: 19. Rectius ſcriberetur פיקסינון.

CALTHA CROCATA, ſive lutea, Crocus ſilveſtris חלות הריע in *Nidda fol.* 51. 2. κνῆκος *Dioſcor. lib.* IV. *cap.* 190. Flos croco ſimilis, quo utuntur in opſoniis.

CANNABIS, קנבוס vel כנבוס *Kilaim cap.* 2.

CAPPARIS, צלף. Triplices fert fructus אביונות baccas, קפריזין putamina, ולולבין & ſpatulas. *Gloſſa ad Schabbath fol.* 30. 2. Hinc alibi: Tzelaph decimas dat dactyliorum, baccarum & corticum. Hinc celebre vinum Capparinum, Capparis etiam vocatur נצפה arbor & fructus, *Berach. fol.* 20. *c.* 2.

CARTAMUM, ſive Cnicus officinarum, טופח, leguminis albi, duri, rotundi, genus, quod קרטמון Medicis vocari ſcribit *Majemonides.* Verius tamen *Bartenora & Bahalaruch*, Arabum جلبان *Gelban*, piſorum quoddam genus pronunciant, quod decoqui & in potum adhiberi potuit. *Velſch. de Vena Medin. c.* 7.

CAULIS vel Braſſica, כרוב, *Thrumoth cap.* 10. Idem & כרבא. Dixit R. Tachalipha קלח של כרוב Caulem braſſicæ reliquit nobis Pater noſter, in quem per ſcalam aſcendebamus & deſcendebamus. *In Kethub fol.* 111. 2.

CEPA SILVESTRIS, Cepula, בצלצול *Kilaim cap.* 1.

CERINTHE, קרינטון Thalm. Hieruſ. *Kelaim c.* 5. in *Gemara*, *Schoſchannath hammelech*, cujus in Miſchna mentio, eſt Cerinthon. Eſt autem Cerinthe herba folio candido, incurvo, cubitalis capite concavo, mellis ſuccum habente. Horum floris aviſſimæ ſunt apes, atque etiam ſinapis, quod miremur, cum olivæ florem ab his non attingi conſtet. *Plin. H. N. lib.* XXI. *c.* 12.

CINARA, קינרס Carduus ſativus. *Kilain cap.* 5.

CICER, חמצא *Jebamoth fol.* 63. *c.* 1. *Cholin fol.* 52. *c.* 1. vel חפצי *Cholin fol.* 52. 1. שובין ciceres leves, quaſi levigati. *Kilaim cap.* 3.

CINNAMOMUM Cibus caprarum fuit, ſi Judæorum credimus ſomnio, dum ſcilicet terra Iſraëlis adhuc in ſuo flore & vi-

gore erat. *Thalm. Hieruſol. Pea cap.* 1. & in *Medr. Cantici* 4. 14.

CITRUS, תרוג vel אתרוג Citrus & Citreum, Medicum pomum, quo adhuc ſingulis annis utuntur Judæi in feſto tabernaculorum, cum foſciculo iſto, de quo *Levit.* 23: 40. In Alexandrum Regem, orta ſeditione in feſto ſcenopagiorum conjecta fuiſſe Citria, *lib.* XII. *c.* 21. *Antiquit. Jud.* teſtatur *Joſephus.*

COLOCASIA, קולקסיא, *Thalm. Hieruſol. Schebi cap.* 2. *in fine.*

COLOCYNTHIS, cucurbita ſilveſtris 2 *Reg.* 4: 39. פקעי חקלא colocynthides agreſtes. כנגר colocynthis, *in Aruch.* בנגר in *Gemara.*

CORIANDRUM, כוסבר In *Thargum Hieruſol.* Scribitur etiam כסבר & כוסברתא.

CORNUS. אוג Arbuſti cujusdam ruber fructus qui & editur & ad tingenda coria Cordubana adhibetur. Arabice אלסומק. Vulgo, ut quidam ſcribunt dicitur קורנליו *Cornelie. Thaba Pea. cap.* 1. *& c.* 3. *Demaj. cap.* 1. *Mahaſeroth c.* 1.

COSTUS, קושט *Kerithuth fol.* 6. 1. Coſtus & gingiber ראשי בשמים præcipua dicuntur aromata. In Thargum Jonathanis ſcribitur כשת *Exod.* 30: 34. poſitum loco שחלת quod Onkeloſio redditur טופרא, id eſt Onyx. Radix Ceſti guſtu fervens, odore eximio, frutice alias inutili. *Plin. lib.* XII. *c.* 12.

COTON vel Goſſypium, צמר גפן *Kilaim cap.* 7. *Ramban* exponit per Arabicum קוטון goſſypium. *Bartenora* addit arborem eſſe ſimilem viti.

COTONEUM vel CYDONIUM MALUM, פריש *Thalmud. Succa fol.* 31. Synonymon: חבושא, *Kethub fol.* 60. *c.* 2.

CROCUS, זעפרנא *Jonath. Lev.* 15: 19. Synonimon כורכם & כורכמא Crocus ſilveſtris קורטמי *Schabbath f.* 110. *c* 1. Crocus ſpinarum מוריקא דחוחי quo curatur morbus, qui vocatur דלדיא *Gittim fol.* 70. 1.

CUCUMIS, קטא *Num.* XI: 1. in *Jonatha* & *Thargum Hieruſolymitano.* ירקות חמור Olera aſini. *Ramban* Arabice exponit קתא אלחמאר Cucumeres aſinini.

CUCURBITA, דלעת Cucurbitæ דלועין a prominente craſſoque & laxo ventre. Arabibus دلع eſt prominere. טרווא eſt cucurbita, quæ ad ſemen ferendum relinquitur. *Schabbas f.* 109. 2.

DIPSA-

Dipsacus carduus ſativus, virga paſtoris, חוטרא רעיא. In Miſchna adpellatur אבוב רועה Fiſtula Paſtoris. In Gemara autem explicatur חוטרא יחידאה, Virga ſolitaria, ramulis deſtituta, Arabice الراعي. Quod in Commentario *Maſſecheth Schabbath cap.* 14. *Miſchna* 3. Rabbi Obadias Bartenora fiſtulam paſtoris arborem adpellarit, quæ ſolitaria creſcat, nec ramos habeat, id neque polygono, neque aliſmati, nec denique dipſaco convenit, ut imperitiam rei herbariæ ſatis oſtendat.

Eruca, herba, גרגלא *Schebiith cap.* 9. Perſis quoque جر جرجر adpellatur Eruca.

Faseolus, שעועית Kilaim initio, & *Thalm. Hieruſol.*

Faba Ægyptia, פול מצרי *Gellius lib.* 1. *c.* 11. ex Ariſtoxeno refert, nullo ſæpius legumento Pythagoram uſum, quam fabis, quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim alvum & lævigaret.

Ficorum ſpecies alborum & optimorum, בנות שבע, *Mahaſeroth cap.* 2. In *Bereſchith rabba ſect.* 15. ſcriptum, Arborem illam, de qua primi parentes comederunt fuiſſe ברת שבע talem ficum, & ſic adpellari, eo quod intulerit ſeptem dies luctus in mundum. בנות שוח ficus albæ; quæ tribus quibusque annis ad maturitatem aliquam in ſilvis proveniunt. *Demai* in principio. שיחלים, alias תיחלים fici, qui non matureſcunt, ſerotinæ. *Gittin fol.* 57. 1. רימלין, ſpecies ficuum minus præſtantium. *Thalmud Hieruſol. Kethub cap.* 5. *fol.* 30. 2. שיתין, ficuum malarum ſpecies. *Thalm. Erub. fol.* 18. 1. *Demai cap.* 1.

Foenum græcum, תלתן. Herba, quæ ſiliquas producit corniculis ſimiles. *Mahaſeroth cap.* 1. *Kilaim cap.* 2.

Fraxinus, מילה, Μελία, cujus fructus vocantur מילין & uſum præbent gallæ ad atramentum *Peſachim* 53. 1. *Erubin* 13. 1.

Hedera, חציב חצוב *Schabbas fol.* 128. 1. יבלא vel יבלית Bahal Aruch. *Aboda Sara*, *fol.* 28. 1. *Kelim cap.* 3.

Heliotropium, ארני *Schabbas fol.* 35. *col.* 2.

Jasminum. *Gloſſator ad Berach. fol.* 42. 2. סמלק eſt Jasmin in lingua Arabica; herba, cui tres ordines foliorum ac unicuique ordini tria folia. Affine eſt, inquit Buxtorfius, Græcorum Σμίλαξ.

ISATIS, אסטים vel סטים ſine Aleph. *Bahal Aruch* explicat per Indicum, & Arabicum *Nil*, & Syriacum *Mariko*, Iſatis eſt quam Latini Glaſtam nominant, de quo *Dioſcorides lib.* 2. *c.* 215. & *Cæſar libro* 5. *de Bello Gallico:* Britanni glaſto ſe inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.

LACTUCA, חסא. Bartenora in *Peſach cap.* 2. notat eſſe Arabicum. Rabbinis dicta חזרת. Perſis خس *chas. Bocharto* dicitur lactuca capitata ab הזר circuire, הזור ſphæra, חזרר pomi ſpecies. Item carduus á figura capitis. *Hieroz. Part.* II. *p.* 603.

LASERPITIUM, חלתית, herba, cujus ſuccus vocatur Laſer medicum ſive Syriacum. In officinis vocatur Aſa fœtida, ut & Aruch explicat. *Vid. Miſchna Schabb. fol.* 140.

LAURUS, ערא. *Gittim fol.* 69. 2. ערנים lauri. *Baba bathra. fol.* 83. *col.* 1. Perſis etiam vocatur غار *Gar.*

LEDUM, ladum, ladannum, ciſti genus.

LUPINUM תרמוס vel תורמוס Græcis Θέρμος, leguminis genus amariſſimum, quod non niſi ſepties decoctum & elixum amarorem amittit, incipitque dulceſcere. *Medraſch Ruth, cap.* 1. *Bereſchith rabba ſect.* 11. *col.* 41. Synonimon גרומיתא *in Vajikra rabba ſect.* 9.

LUPULUS, נשותא idem cum המלון *Schabbath fol.* 107. *col.* 2. כיסי lupulus ſilveſtris, qui creſcit inter ſpinas neque conducit ad cereviſiam. *Metzia fol.* 42. *col.* 2.

MAJESCH, מייש. Reſpondet Arabum ميس *Maiſon*, arbori ex qua doſſuariæ ſellæ parantur, vel vitis magnæ generi, ut Golius expoſuit. In Bereſchith Rabba Rabbi quidam vocem Dudaim ſignificaſſe dixit מיישין. Alii nihil definiunt.

MALOBATHRI FOLIUM, פילון Buxtorfius: Ego puto פילון eſſe Græcum φύλλον, quatenus ſynecdochice ſignificat Malobathri folium. *Plinius lib.* 12. *c.* 26. Dat & Malobathron Syria folio convoluto, &c.

MALVA, חלמית. *Kilaim, capite primo.*

MANDRAGORA, יברוח. Eadem Perſis & Arabibus يبروح Inepte ergo violas interpretantur. *Sanhedr. fol.* 99. *col.* 2.

Marum album, מרווא הורא pro hyſſopo, eſt Majoranæ ſpecies. *Bochart. Hieroz. p.* 587. 589 *Part.* 1.

Menta, אמיתא. Alias vocatur נ׳ניא & מנתא & אמנתא ad *Oketzim, cap.* 1. *Gloſſa.*

Morus arbor, תות, plur. תותים mora ſeu fructus Mori.

Muscus, שוכא, lanugo arborum ex qua facta ellychnia. *Schabbath* 2. *initio.* לכש, muſcus cedri, ibidem. סיב Muſcus creſcens, & ſe circumvolvens circa palmam, ut volvulus circa vitem, *Gloſſa ſuper Erubin fol.* 58. *col.* 1.

Napus, נפוס Rapa rotunda מין צנון ſpecies raphani. *Kilaim cap. primi initio.*

Nasturtium, שיחלים. Herba cujus ſemen decimatur, Arabice dicta חבאל שאר *Mahaſ. cap.* 4. *Rabbi Salomo* exponit per Gallicum *Creſſon. Erub. fol.* 28. 1. *Joma fol.* 18. *col.* 1.

Nuces Avellanæ, בוטנין *Onkelos Gen.* 43: 11. aut laudatiſſima nucum ſpecies. Ita dictæ vel a בטנא ventre, vel בוטנא quod tumorem ſignificat.

Olivæ pinguis ſpecies אברוטי *Berachoth fol.* 39. *col.* 1. Olivæ oleum præ copia effundentes. שפכונין, *Thalm. Pea, cap.* 7. Olivæ mediocris ſpecies, ſic dictæ, quod oleum intra ſe contineant. *Berachoth fol.* 31. 1. *& Kelim cap.* 17.

Palma, דקלא fructus ſunt cariotæ, ex quibus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen. Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Judæa, nec in tota, ſed Hierichunte maxime. *Plin. lib.* 13. *cap.* 4. קשבא Palmæ genus. *Baba Kama, fol.* 58. 2. Aruch ſcribit eſſe Palmæ Perſicæ ſpeciem, pretioſiorem quam Palæſtinæ. אהינא Dactylus immaturus *Metzia fol.* 113. 2. כופרי Dactyli parvi. *Berach, fol.* 36. 2. *Kama, fol.* 59. 2. אחיני דטוביינא Dactyli Tubianæi. Qui Tubianæ creſcunt: ubi fructus palmarum vix ad maturitatem perveniebant.

Papaveris capita vel ſemen, פרגין: *Talm. Schebiith, cap.* 20. *& Roſch Haſchana, fol.* 13. 2.

Pastinaca agreſtis, חומתי. *Gittim, fol.* 61. 1.

Pepo, Melo, melopepon, אבטיח.

Persica mala, אפרסקין. *Schabbath fol.* 41.

Pirum, אגס, plur. אגסים pira

Pistacium, פסתקא, *Gittin, fol.* 69. *cap.* 1. *& Thalm.*

Hieruſ. Kilaim cap. 1. *& Mahaſeroth cap.* 1. *& Demaj. cap.* 2. *initio.*

PISUM. אפון. In *Thalmude Hieruſolymitano.*

PLATANUS, פלתאנוס Montis in Samaria nomen, quem Gerizim quidam eſſe putant. *Bereſch. rabba, ſect.* 32. *Medraſch ſchir cap.* 4. *vſ.* 4.

POLYTRICHON, פוליטריכון de quo *Plinius lib.* XXII. *cap.* 21. *& lib.* XXV. *cap.* 11. *Thalm. Hieruſol. Schabbas, cap.* 14.

PORRUM כרש, porri כרישין *Kilaim cap.* 1. כרשי שדה. Porrum agreſte, כרשי גנה hortenſe. Synonimon כרתין porri. Porrum capitatum vocatur קפלוט. In terra Iſraëlis natum diſtinguebatur a vulgari porro. *Mahaſer ſcheni, cap.* 2. *Betza fol.* 17. *col.* 2.

PORTULACA, חלגלוגא. Bartenora ſcribit Arabice vocari رجله, id eſt, Portulaca, Raſchio etiam vernacule eſt *pourpier,* & רגילה pro portula accipitur *Schebijth cap.* 7.

PERSICUM MALUM אפרסק. *Succa fol.* 10. *col.* 1.

PRUNUS, כשף *Schabbath fol.* 23. 1. omnia Gummia bona ſunt ad atramentum, ſed gummi, quod manat ex pruno præſtat omnibus. פגעין pruna; *Schabbath fol.* 144. 2. Exprimunt in Sabbato pruna & mala cydonia. דורמסקין pruna Damaſcena. *Berach. fol.* 39 1.

PULEGIUM, יועזר R. etiam Salomoni eſt *Poley,* quod aliis quidem viſum eſt Potnag vel Potnak adpellari, *Schabbath fol.* 109. 2. Sed verius forſan Pulegium סיסין dici arbitrabimur. Nam & a Gloſſatore Gallice vocatur פוליי (ita enim ſcribendum, non פולייל) id eſt Pulioth, Hiſpanice Polejo, & quam Thalmud corporis ſalubritatem ei tribuit, homini adfert. *Aboda ſara fol.* 29. 1. *& Gittin fol.* 69. *col.* 2.

RAPHANUS, חמא *Peſach, fol.* 116. 2. Synonymon, פוגלא *Beroſchith Rabba, ſect.* 67.

RAPUM לפת ſeu לפתא. *Schabbath fol.* 50. *col.* 2.

RUBIA TINCTORUM, קוצה *Schabbath fol.* 68. *cap.* 1.

SALIX, אחוונא. Synonymon בינא, *Gittin f.* 68. 2. צפצפה Salicis genus vile naſcens inter montes. *Ezech.* 17: 5. אידן Salix, cui lanugo adhæret. *Schabbath capitis* 2. *initio.* Hac lanugine lychnos Sabbatinos incendere prohibitum.

SAM-

SAMSUCUS vel Samſuchum. שימשוק *Schabbas fol.* 109. 2. Majorana ſeu Amaraci ſpecies.

SECALE, שיפון Germanice Rocken / Speltam Aruch vocat. Græce σίφων adpellatur, quæ alias αἰγίλωψ. *Thalm. Kilaim initio.*

SERIS, Intybum, Intybus הינדיבי Bartenora ſcribit eſſe Arabicum, & idem quod עולשין.

SESAMUM, שושמא Genus frumenti Indici æſtivi, vel leguminis unde præſtans oleum. *Sota fol.* 3. *cap.* 2.

SILIQUA, חרוב vel חרובה *Schabbas fol.* 33. 2. Siliquæ intemperati ac vitioſi ſunt ſucci præter Palæſtinas ſive Hieruſolymitanas, quæ Syriacis meliores. *Velſchius de Vena Medinenſi cap.* VII. *pag.* 178. Dixit Rabbi Chanina cum aſcenderem ex Babylonia Hieruſolyma accepi cingulum meum & cingulum filii mei & agaſonis mei, iisque colligatis cinxi truncum ſiliquæ, arboris terræ Iſraëlis, nec tamen ſuffecerunt. *Bemidbar rabba*, *ſect.* IX. *fol.* 232.

SORBUS, זרדתא Arbor frondoſa & umbroſa. *Peſach.* III. *col.* 2. Quinque umbræ ſunt malæ: Umbra palmæ ſolitariæ, umbra capparis, uubra Scorti, umbra navis, & umbra Salicum. Synonymon עוזרדא *Erubin. fol.* 34. *c.* 2. *Kilaim cap.* 1.

SYCOMORI FRUCTUS, גמזז Aliter vocatur בנות שקמה filiæ Sycomororum, in Demaj ab initio. Arabice גומיזה eſt Sycomorum.

SUBER, שעם Pantoffel holtz. *Joma* 78. *col.* 2.

VICIA, כרשין leguminis genus. *Berachoth fol.* 32. *col.* 1. Synonymon. הינדא *Bechor. fol.* 37. 2.

ULVA, CARECTUM אחוא reſpondet Hebr. אחו *Gen.* 41: 2. ſcribitur & אחונא Thalm. Hieruſol. *Berach. c.* 6. *fol.* 10.

URTICA, שוברא quæ alias dicitur פתילת המדבר ellychnion ſilveſtre, quod ex ea ſiccata poſſit ellychnium fieri. *Schabbath fol.* 20. 2. Aruch interpretatur Ferula.

ZIZANIA זונין Ramban: Species eſt tritici quæ naturam in terra ſua mutat.

ALKARTZINA, Arabicum eſt nomen, atque ut Majemonides & Bartenora ſcribunt, idem ſonat quod חרחבינים Herbæ amaræ ſpecies cujus olim uſus fuit in feſto Paſchatis, *Peſachim f.* 31. 1. Eſt Eryngium, Hiſpani eam vocant ſpinulam Abrahami, &

& Abulabas ſe vidiſſe ait prope Hieruſolyma. *Vid. Bochart Hieroz. Part.* 1. *p.* 607.

CAPUT XLII.

PLANTÆ THALMUDIS QUAS GLOSSARUM SCRIPTORES NEC GRÆCO, NEC ARABICO, NEC VERNACULO NOMINE INTERPRETATI SUNT.

אברתא : *Thalmud Schabbath fol.* 128. 1. An eſt Abrotanum?

אדרא : Arboris eximiæ ſpecies. *Schindlero*, arbor ferens lanam, reſpiciens, ni fallor, ad vocem אודרא, quæ lanam & muſcum ſignificat.

אפסקטין : Fructus arborei certi cum cortice. *Thalm. Demaj. cap.* 2. *& Mahaſeroth cap.* 1.

איצא : Herba, cujus uſus, quum viret valet ad obturandas aquas. *Gittin fol.* 69. *col.* 2.

בנגרי : Herba, unde fit decoctum contra ſerpentum & ſcorpionum ictus. *Thalm. Schabbath fol.* 109. 7.

דמוע : ſpecies herbæ, quæ carduis annumeratur. *Thalm. Hieruſol. Kilaim cap.* 5. *in fine.*

גולמיש : Fruſtum ligni Golemiſch. *Jonath. Numer.* 1 : 6.

הומלין : Fruticis odoratæ ſpecies. In Gemara vocatur כשות *Kethub fol.* 60. 2.

הזם : In Aruch & Gloſſa Thalmudica, explicatur מין סנה ſpecies rubi.

הורר : Pomum ſilveſtre. Cenſentur תפוח & חורר heterogenea. *Thalm. Kilaim cap.* 1.

חלבץ : Herba, cujus radix ova repræſentantibus bulbis conſtat. Forte eſt Ornithogalum, inquit Buxtorfius. Compoſitum quippe videtur ex חלב lac, & ביצה ovum, quia flores lacteos, id eſt, albos, & radices habet rotundas, quæ ova referunt.

חנון : vel יחנון, Herba, quam ovibus in nares ingerunt ut ſternutent, & vermes e cerebro ejiciant. *Schabbath fol.* 54. 2. *in Miſchna.* Forte eſt helleborus, Veratrum &c.

חלף : Juncus ſtoreis conficiendis aptus. *Kelim c.* 17.

חרנונא : Herba juxta ſpinas creſcens. *Schabbath fol.* 110. *c.* 2. An Eringion vel Aſter Atticus?

כוורנקא : vel אכורנקא Arboris ſpecies lata ramis & umbroſa, ſub qua ſedilia extruuntur. An Platanus? *In Gemara Tahanith fol.* 14. 2.

כנרא : Nomen arboris, cujus umbra ſcribitur noxia, in *Peſachim fol.* 111. 2. *Athenæus lib.* xiv. meminit arborum, quas Connaros vocat. كنار *Conaron* Perſis eſt fructus loti. Sed umbram loti noxiam nuſquam lego. Potius id nomen Taxo vindicem, quam Narbonæ tam præſentis eſſe veneni tradit *Dioſcorides*, ut ſi qui dormiant ſub ea, aut in ejus umbra ſubſideant, lædantur, & ſepenumero moriantur, *lib.* iv. *cap.* 75. Id quod Seſtius authore Plinio in Arcadia quoque evenire ſcribit. *lib.* xvi. *cap.* 10.

לוק : Ceparum genus ut Majemonides explicat in *Pea*, *cap.* 6.

נאנד : Species oleris. *Thalm. Hieruſolymit. Erubin. cap.* 3.

נץ החלב : Flos lacteus. Herba, quæ ſuccisa emittit lac *Schebiith*, capite, in quo agitur herbarum decimatione.

נרגיל : Genus junci, aut viminis unde funes, quibus metiuntur, *Erubin. fol*: 58. *col.* 1.

עקרבנים : Oleris genus amari, cujus folia ſcorpionibus ſimilia. *Erubim cap.* 2. Si pro foliis, ut forſan debuit, ſemen ſcripſiſſet Thalmudiſta, Hakrebanim fuerint Scorpioides, cujus ſemen caudæ ſcorpionis gerit effigiem. *Dioſc.* iv. 187.

עססיות : Leguminum ſpecies. *Schabb. fol.* 18. *c.* 2. *& Thalmud. Hieruſ. Beka fol.* 51. *c.* 1. Recenſetur cum Lupino: לא תמלא אשה קדרא עססיות ותירמסין Ne impleat mulier illam Haſſijothis & Lupinis. Ervum intelligam, cujus ſemen hominum ex cibis prorſus damnatur, eſt enim & inſuaviſſimum & pravi ſucci. Simile in hoc lupinis, quorum ut *Galenus* ſcribit, *libro* 1: *de alimentorum facultatibus*, dura & terreſtris ſubſtantia eſt, quo circa neceſſario concoctioni repugnat & craſſum gignit ſuccum. Et *libro* vi. *ſimplicium medicamentorum*: *Lupinus*, inquit, editur coctus, multis ante diebus maceratione in aqua amaritudinem deponens, fitque tunc nutrimentum ſucci craſſi.

פינקריסין : Fructus ſpecies. *Thalm. Hieruſolym. de Sabb. c.* 3.

קרמולין : Species oleris vel herbæ. Libera eſt a decimis. *Thalm. Hieruſol. Schebiith cap.* 2. *in fine & Nedarim cap.* 7. *initio.*

: קונביות Species herbarum. *Thalm. Hieruſ.* & *Peſachim fol.* 30. *c.* 1.

: תחלא Naſturtium תחלי חורתא naſturtium album. *Schabbas fol.* 109.

: תרובתור Braſſicæ ſpecies. *Thalmud Kilaim initio.*

CAPUT XLIII.

STIRPIUM THALMUDICARUM PERINCERTA VEL IGNORATA RECENTIORIBUS RABBINIS INTERPRETATIO.

: אלווס Aloës inter cedrorum genera a Rabbinis numeratur, in *Bereſchith Rabba*, *ſect.* 15. Alii tamen corallium eſſe tradunt.

: אלמוגים Hebræorum plerique corallium interpretatur, quum tamen non ſit veriſimile ad operas adhiberi potuiſſe ad quas adhibuit Salomo; præterea *Almugim* ex Libano petebantur, ubi nulla corallia.

: בוטמא. Hoc nomine Onkelos interpretatur Hebræum אלה quercus. Elias putat Butma vocari Titianus in *Thalmud Roſch Haſchanna fol.* 23. *c.* 1. explicatur in Gloſſa vernaculis אולם Ulmus. بطم *Botm* Perſæ & Arabes Terebinthum nominant.

: בלוטה : בלוט ita vertunt Thargumiſtæ Hebræum nomen אלון. Alii Ulmum. Alii Caſtaneam, quæ Arabice ac Perſice dicitur שך בלוט Rex quercum. بلوط الملك quercus regia vel Fagus regia. Nec etiam Perſæ aliter quam بلوطه Fagum nominant.

: גרגרוניות Sunt qui Ceraſa, alii coriandrum vertunt; Aruch herbam eſſe ſcribit, qua delectantur Cameli.

: גופנין In Gemara explicatur Vites ſerotinæ. *Bahal Aruch* & *Bartenora* labruſcas, *Majemonides* oleris ſpeciem eſſe tradit

: דרן Videtur eſſe Oleæ nomen. *Thalm. Hieroſ. Roſch Haſchana*, *fol.* 58. *c.* 1.

: הנדקוקי Gloſſa Thalmudis exponit per גורגרוניות. Judæi communiter iſto vocabulo Perſica poma vocant. *Erubin.* *f.* 28. *c.* 1.

c. 1. *&c.* In Gloſſa exponitur Coriandrum.

: הירדפנין Species herbæ amaræ, cujus uſus etiam fuit in eſu Paſchatis *Thalm. Peſach. fol.* 39. *c.* 1. Beſtiis venenum letiferum, innoxia homini. *Majemonides* in *Cholin cap.* 3. In *Thargum Jonathanis* reſpondet Hebræo ערמון, id eſt Platanus. Vocant etiam *Hirdophnin* lignum ſive arborem, qua Moſes edulcavit aquas amaras. *Exod.* 15: 25. R. Joſua dixit: Hoc fuit lignum ſalicis. Rab. Eliezer, fuit lignum oleæ, quo nullum eſt amarius. R. Jehoſua filius Calvi, Fuit lignum Hirdophne *Schamoth Rabba Sect.* 501.

: חלוגלגא Portulaca, *Joma fol.* 18. *c.* 2. *Schebiith cap.* 9. Ita explicat *Raſchi* & *Bartenora*; aliis eſt *Pourcelaine*, aliis Artemiſia, aliis fraga vel mora rubi. *Buxt. Lex. Thalm. fol.* 755.

: חלפי דימא Spica Nardi vel Nardus, ut vult *Gloſſator ad Berachoth fol.* 43. qui idem in *Gittim fol.* 68. 2. explicat Carcophyllon. Alii Libanotidem ſive Rosmarinum eſſe contendunt.

: חמס : הימוס. Aliis eſt Zinziber, aliis Cinnanomum. *Oketzim* 3. *Nidda fol.* 51. 1.

: ירבוס Aſparagus *Schebijth cap.* 9. *Succa fol.* 39. 2. ubi in Gloſſa dicitur eſſe herbas, quarum ſapor ſit ſimilis Sapori vitium. Alii volunt eſſe fœniculum.

: לטום quod reſpondet Hebræorum לוט, *Gen.* 37: 25. Alii ſtacten, alii maſtichen redunt.

: כפרין Cypri *Cant.* 4: 13. Quidam camphoram exponunt, Bahal Aruch Gariophyllum.

: מרוא Hyſſopus. *Schabbas* 109. 2. Gloſſator exponit שלויא Salvia. Scribendum eſt מרוא quod nomen ſonat marubium, ut Perſarum مرو *Maru.*

: נרקום : נרקים ſcribendum per ס literam נרקים נרקוס, id eſt Narciſſus. In Aruch parvo explicant Salvia.

: סיאהן Herba Arabice dicta פידרג ut ſcribunt *Majemonides* & *Bartenora in Schebijth cap.* 8. *&* *Oketzin cap.* 2. *Bahal Aruch* explicat פולישו, quod poteſt eſſe folium, vel Polium, vel pulegium, quæ ſunt herbarum nomina. Idem, ait quosdam explicare סוסימפרו quod puto eſſe Siſymbriam. *Buxtorfius lex Thalm. fol.* 1413. Equidem haut dubito Siſymbrium interpretari. Sunt enim, ut tradit Dioſcorides duo Siſymbrii genera, unum mir-

thæ hortenſis ſimilitudine, odoratum latiore folio: alterum, quod alii cardaminam, alii SION, (סיאה) Latini Sium appellant, a ſimilitudine ſcilicet Sii, quod & riguis gaudet, & iisdem in locis, quibus Sion provenit. Sion juxta *Dioſc. lib.* II. 28. in aquis invenitur, frutice pingui, recto, foliis latis, oluſatro ſimilibus ſed minoribus & odoratis.

: סיגלין *Gemara: Siglin* eſt viola odorifera, cui ſunt tria folia. *Schabbath fol.* 50. 2. Malunt alii ſigla ſonare lilia, alii mandragoras.

: ססמגור Cedri genus corruptioni obnoxium, *Joma fol.* 9. R. Salomo ſcribit eſſe genus tineæ vel teredinis cedræ infeſtæ, cedrum quaſi ſerrans, a סר & מגר.

: ערל Oleris genus inſtar raphani. *Oketzim cap. ult. Bahal Aruch* alios dicit Satureiam reddere.

: עולשא vel עולשין. In *Aruch* parvo vertitur Körbleinkraut/ Chærephyllum vel Chærefolium. In Aruch magno ſcribitur quosdam explicare criſpigno Italice; Latine, cicerbita, ſonchus, (qui Germanis eſt Haſenköhl). In *Gemara Hieruſolymitana* rectius exponitur per Τρώξιμον, quod Latinis eſcaria ab eſca, id eſt intybum, Endivien.

: עכוביתא Pro ערער in Thargum ponitur. Kimchi ſcribit eſſe vigultum, cujus fructus exterius eſt ſpinoſus, interius edulis: Bartenora, eſſe herbam aculeatam, plenam ſpinis, quæ in Bibliis vocetur דרדר, vernacule carduus. Alii dicunt *Accobijoth* eſſe *Kotz*. Majemonides contendit eſſe ſpeciem ſpinarum & Arabice vocat אלמקלוב. Mallem interpretari Silybum, quod *Ebn Sina* Syris עכבות dici affirmat. *Vid. Velſchius de Ægagropilis, pag.* 38. Silybon autem lata ſpina eſt, folia ferens Chamæleonis albi. Hæc recens cum ſale oleoque cocta eſtur. *Dioſc. lib.* IV. *c.* 153. *Bochart. Hieroz. Part.* II. *p.* 605, 606. *&c.*

: ערקבל Herbæ amaræ genus, cujus uſus olim in feſto paſchatis fuit *Erubin fol.* 23. *in Miſchna*, & in *Gemara* in fine *ejusdem capitis fol.* 26. *col.* 2. Quid ſunt *Arkablin?* Muſcus implexus palmæ, ſive luxuries ramuſculorum ex radice excreſcens. *Bahal Aruch*, legit ערקבנין; ut legitur quoque in *Schebiith cap.* 7. In parvis *Miſnajoth* Venetis ſcribitur עקרבנין & exponitur eſſe herbam cujus folia ſimilia ſint לעקרב ſcorpioni. *Buxt. Lexic. Thalm. fol.* 1676. Videtur hoc nomine vocari Scorpioides vel Telephium

Dio-

Dioſcoridis. Scorpioides a *Dioſcoride lib.* IV. *c.* 187. dicitur herbula foliis paucis, ſemine caudæ ſcorpionis effigie. Quam autem pro ſcorpioide *Matthiolus* poſuit herbam, Telephium Dioſcoridis eſſe cenſet *Caſpar Bauhinus*; & Scorpioides ob ſiliquas ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis reflexas dici poſſe. *Notis ad Matthiolum p.* 895.

: קורנית Origanum. Bahal Aruch cenſet eſſe hyſſopi ſpeciem. *Thalm. Schebiith cap.* 8. Sic Majemonides *in Oketzim cap.* 2. Jarchius exponit vernaculo שדריאה *Satureja. Buxt. Lex. Thalm. fol.* 2142.

: שוטין Aſparagi agreſtes *Schebiith cap.* 9. *initio.* Alibi explicant fœniculum.

: שוצרין Oleris genus, Gallis ארניקא, quod quid ſit cum ignariſſimis ignoro. Ferunt & arboris eſſe genus, quod *Schautzerin* appelletur, cujus ramis utebantur in tegendis ſcenis.

: תיארה vel תיעה Laſeris ſpecies. *pag.* 975. *Part.* 1. *Bochart. Hieroz.*

: תמר Vinacea. *Mahaſer. cap. ultimo. Buxt. Lex. fol.* 2602.

: תמכא : תמכתא Rabbi Salomon vocari ait Marubium. Majemon ſpeciem Intybi hortenſis facit Aruch קרד"ו. *In Thalm. Hieruſ. cap.* 2. *Peſach.* In Gemara autem explicatur per Gingidion, herbulam ſilveſtrem paſtinacæ ſimilem, radice ſub amara, cujus uſus & eſus tempore Paſchatis. Alii palmæ muſcum reddunt. Nos, inquit *Bochartus* Parthenium, quia edule eſt & guſtu amarum, & ab Afris *Thamcath* dictum in Auctario Dioſcoridis, in Plinio Thamnacum, in officinis Tanacetum, *Bochart. Hieroz. p.* 606. *Part.* 1.

: תאלין Palmæ parvæ & novellæ. *Baba bathra fol.* 69. *col.* 2. Alibi dicitur certa ſpecies arborum קדחו בה תאלי Creſcebant in eo arbores, Gloſſa: אילנות, *Metzia fol.* 109. 1.

: תרד, Thalmudicis eſt Beta. *Bochart. Hieroz. Part.* 1. *pag.* 975.

CAPUT XLIV.

De Plantis Syriæ.

Syriæ vocabulum veteres Judææ & Palæſtinæ dederunt. *Strabo libro* XVI. *Geograph.* Syriæ partes a Cilicia & Amano inci-

piendo ponimus Comagenam, & eam, quæ Seleucia Syriæ adpellatur: poſtea Cœle-Syriam, ſive Caram; Syriam in mediterraneis ultimam, Judæam in ora Phœnices. Nonnulli totam Syriam in Cœleſyros & Phœnicas partiuntur, hisque dicunt quatuor nationes eſſe permixtas, Judæos, Idumæos, Gazæos & Azotios. *Plinius Hiſt. Nat. lib.* v. *cap.* 12. Juxta Syria litus occupat, quondam terrarum maxima & pluribus diſtincta nominibus. Namque Palæſtina vocabatur, qua contingit Arabas, & Judæa, & Cœle, dein Phœnice, & qua recedit intus, Damaſcena. Igitur, qui Syriæ plantas recenſuerunt, Syriacarum nomine non raro & Judaicas comprehendunt. Qua de cauſa placuit, ex veterum Scriptis Syriacarum ſtirpium herbarumque colligere nomina, eaque Alphabethico ordine digeſta lectori meo proponere.

A.

ABROTANUM plurimum in Cappadocia gignitur, & Galatia Aſiatica, atque in Syria Hierapoli. *Dioſcor. lib.* III. *cap.* 25. *Oribaſius lib.* XI.

ABSINTHIUM. In Meſopotamiæ deſertis, tradit Xenophon in primo ἀναβασ. campos abſinthii plenos late patere in æquoris modum, eſſe & fruticeta quædam aromatum inſtar fragrantiſſimi odoris, ſed arborem omnino nullum.

ADIANTHUM Syriacum. *Tabernæmontano, & C. Bauhino notis ad Dioſcoridem* memoratum.

ALCEA arboreſcens Syriaca deſcribitur a *Johanne Bauhino, Tom.* 2. *p.* 956.

ALHANNA Syria planta, quæ Græcis Κύπρος, Latinis liguſtrum. Naſcitur & Aſcalone. *Dioſcor. lib.* I. *cap.* 107.

ALKALI herba, Arab. اشنان *Aſchnannon*, inde cineres optimi conficiuntur, naſcitur in Auranitide, Syriæ regione. *Golius Lex. fol.* 114.

ALUGO الوج, ſpecies herbæ τῆς ܡܚܠܨܬܐ *mochletzaton*, quaſi liberatricis, ita dicta quod ſerpentum noxis mirifice medetur. In Syria provenit, foliis coriandro ſimilibus. *Beith. ap. Golium Lexic. p.* 138.

AMARACUM. Diocles medicus & Sicula gens adpellavere, quod

quod Ægyptus & Syria Sampſuchum. *Plin. H. N. cap.* XI. *lib.* XXI.

Amomum. *Strabo lib.* XVI. de Meſopotamia: Regio paſcuis læta eſt ac germinibus, adeoque etiam fert, quæ ſemper virent, & de aromatibus amomum. *Virgilius* de Syrio.

Non thalamis Syrio flagrans accepit amomo.

& in *Bucolicis:*

- - - *Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.*

Aſſyrium ponit poëta pro Syrio.

Anchusa Syriaca. *Vid. Salmaſius Exercit. Plin. p.* 808. B.

Androsaces, herba eſt amara, tenues ſpargens juncos, ſine foliis, folliculos in capitulis habens. Gignitur in Syriæ maritimis. *Dioſcor.* III. 137. *&* *Plin. lib.* XXVII. *cap.* 4. *Oribaſius lib.* XI.

Angabar, انجبار Planta ſcanſilis, rubis ſemet implicans, in Euphratis ripa frequens. Folia velut Medicæ, ſed pulverulenta habet: caules utcunque rubentes, & vi ſtiptica præditæ. Ex earum corticibus exprimitur ſuccus rubicundus, qui cum ſaccharo paratur ad ſanguinis profluvia. Quia ex Syria ſolet afferri Perſis aliisque انجبار شامي Angabar Syriacum dicitur. *Golius Lex. pag.* 167.

Apocynum latifolium, Syriacum incanum, erectum, floribus umbellatis minoribus, obſolete purpuraſcentibus, ſiliquis rectum. *Jac. Cornuti Plantar. Canadenſium nondum editarum hiſtoria p.* 91. *Obſervat. Veſlingii de Plantis Ægyptiis.*

Aron apud Syros Lupha vocitatum folia emittit Draculi ſed longiora, &c. *Dioſc. lib.* II. *c.* 167. *Oribatius lib.* XI.

Arundo Syriæ. *Plinius Hiſt. Nat. lib.* XXIV. *cap.* XI.

Aspalathus, aliis Eryſiſceptron, naſcitur in Iſtro, Niſyro, Syria, & Rhodiorum Inſula. *Dioſc.* I. 19.

Athle aut Tamariſcus Syriaca. *Welſchius de Ægagropilis, pag.* 38.

B.

Beta Sicula ſeu Syriaca, platinevros, alba. *Moriſon. Hiſtor. Plantar.* 2i 596.

Brya

BRYA ſilveſtris. In Syria & in Ægypto copioſa hæc eſt, cujus infelicia ligna appellamus. *Plin. lib.* XIII. *c.* 21.

C.

CADYTAS. Eſt in Syria herba, quæ vocatur Cadytas, non tantum arboribus, ſed ipſis etiam ſpinis circumvolvens ſe. *Plin. lib.* XVI. *cap.* 44.

CALAMUS ODORATUS in Arabia naſcens communis Indis atque Syriæ eſt. Inter Libanum montem aliumque ignobilem (non, ut quidam exiſtimavere Antilibanum) in convalle modica juxta lacum, cujus paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis calamus & juncus odorati gignuntur. *Plin. lib.* XII. *c.* 22.

CANNÆ circa Tripolim Syriæ. *Rauwolf. Itinerario pag.* 53. *& Golius Notis ad Alferganum pag.* 284.

CARDAMOMUM optimum eſt, quod ex Comagene, Armenia Boſphoroque devehitur. *Dioſcorid. lib.* I. *cap.* 5.

CARDIACA Syriaca, Urticæ ſpecies. *Tabernæmont. p.* 261, 262. *lib.* II.

CARDUUS LACTEUS. *Dioſcoridi* Leveacantha, vulgo Carduus Mariæ. Hujus, inquit *Caſp. Bauhinus*, eſt & altera ſpecies ex Syria allata a *Rauwolfio*, & a *Camerario* Carduus lacteus Syriacus dictus. *Additionib. ad Dioſcor, p. m.* 503. I. 38, 39.

CEDRUS in Ægypto ac Syria, ut *Theophraſtus* & *Plinius* narrant, reges inopia Abietis Cedro ad claſſes feruntur uſi.

CINNAMUM. In Syria gignitur & Cinnamum, quod Caryopon appellant. Hic eſt ſuccus e nuce expreſſus, multum a veri Cinnami ſurculo differens, vicina tamen gratia. *Plin. lib.* XII. *cap.* 28. *circa finem.*

COCTANA, ficus ſunt parvæ ex Syria, de quibus *Martialis libro quarto Epigrammate* 68.

> *Antipolitani nec quæ de ſanguine thymni,*
> *Feſta rubet, nec quæ coctana parva gerit.*

COMACUM. *Plin. lib.* XII. *c. ult.* In Syria gignitur & Comacum, quod caryopon appellant, Græce Κώμακον, aromatis ſpecies eſt, cujus cum caſia & Cynamomo meminit Theophraſtus, quæ ex Arabia & India afferebantur.

COSTUS

Costus Syriacus tertii apud *Dioſcoridem* generis, gravis eſt colore buxeus & odore feriens. *lib.* 1. *cap.* 15.

Cyperus, præſtantiſſima eſt graviſſima, denſa, plena non fragilis, aſpera, odorata cum acrimonia quadam. Talis eſt quam Cilicia & Syria mittit. *Oribaſius*. De Syriaca agit & *Dioſcorides lib.* 1. *cap.* 3.

Cyperi eſculentæ. Zelem mons eſt, prope Scharezour, in quo eſt planta ſeminis ac floris expers, in cujus radicibus ſub terra conditis baccæ ſunt expanſæ, dulces, παρορμῶντες εἰς συνȣσίαν. Sunt autem hæc tubercula, Iben Beithar, & Malajeſa aliisque teſtibus, eadem quæ حب العزيز baccæ exquiſitæ & ſuaves dictæ; nempe dulcichinii vulgo ſive cyperi eſculentæ & dulces, a *Dodonæo* deſcriptæ, *lib.* 2. *cap.* 15, Oſcitantia & error eſt putantium baccas illas provenire prope Schareſchourum tantum, cum in Syria, Ægypto, Mauritania, notiſſimæ ſint. *Golius in Notis ad Alferganum*, *p.* 229.

D.

Dracunculus, Luf a Syris dicitur, Lupha *Dioſcoridi*, Arus *Plinio*.

E.

Elacomeli, ſponte naſcitur in Syriæ maritimis, quod Elæomeli vocant. Manat ex arboribus, pingue, craſſius melle. *Plin. lib.* xv. *cap.* 7.

Elathe. Laudatur Ammoniaca maxime, mox Ægyptia, dein Syriaca, duntaxat in locis ſitientibus odorata. *Plin. lib.* xii. *cap.* 28.

F.

Faba ſpinoſo caule naſcitur & in Syria Ciliciaque & in Torone Chalcidis lacu. *Plin. lib.* xviii. *cap.* 12. Gignitur & hæc Faba in Syria & Cilicia: ſed in illis regionibus fructus haut matureſcit. *Athenæus lib.* 3. *Dipnoſ. p.* 72. Lotus faba Græca, Servio faba Syriaca nominatur.

Ferula Kinnifera Syriaca. *Velſchius de Ægagropilis p.* 38.

Fiscus e Syria allata. *Plinius cap.* 19. *lib*, xv. Omnia hæc

in Albenſe rus e Syria intulit Luc. Vitellius, qui poſtea cenſor fuit, cum legatus in ea provincia eſſet, noviſſimis Tiberii Cæſaris temporibus.

FOLIUM SYRIUM. *Vid. Salmaſii Hylen Jatricen, pag.* 126. *b. A.*

FUCUS TERRESTRIS, Syriaca radicula.

G.

GALBANUM ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopion vocant. *Dioſcor. lib.* III. *cap.* 81. Dat & Galbanum Syria, in eodem Amano monte e ferula, quam ejusdem nominis reſinæ modo, ſtagonitin appellant. *Plin. lib.* XIII. *cap.* 25.

GALLÆ Syriacæ memorantur a *Plinio Hiſt. Nat. lib.* 26. *cap. ult.* Optima Comagena, deterrima ex robore. *Idem lib.* XVI. *cap.* 7.

GINGIDION in Syria & Cilicia plurimum naſcitur. Herbula eſt ſilveſtri paſtinacæ ſimilis, tenuior & amarior, a radice parva, candicante, ſubamara. *Dioſc. lib.* II. *c.* 131. Syria in hortis operoſiſſima. Indeque eſt proverbium Græcis: Multa Syrorum olera. Similimam ſtaphylino herbam ſerit, quam alii Gingidion vocant, tenuius tantum & amarius, ejusdemque effectus. *Plin. lib.* XX. *cap.* 5.

GLAUCIUM eſt ſuccus herbæ, quæ ad Hieropolin Syriæ naſcitur, foliis fere corniculati papaveris. *Dioſcor. lib.* III. *c.* 84.

H.

HELENIUM COMAGENUM. *Dioſcor. lib.* I. *cap.* 15.

HEMEROCALLIS, naſcitur ad litora maris prope Tripolin Syriæ. *Rauwolf. Itinerar. p.* 51.

HORMINUM SYRIACUM. Planta eſt Sclareæ forma, caulibus cubito altioribus, anguloſis, læviſſime hirſutis, in alas diviſis. *Caſp. Bauhinus, Addition. ad Dioſc. lib.* 3. *cap.* 128.

HYACINTHUS TRIPOLITANUS deſcriptus a *Matthiolo & C. Bauhino ad Dioſc. lib.* 4. *c.* 58.

HYOSCYAMUS SYRIACUS, de quo *Camerarius ad Dioſcoridem*; peculiaris flore purpuraſcente, *Vid. Johan. Bauhinus ap.*

Zuin-

Zuingerum, *Theatro Botanico p.* 886. Nigro Hyoſcyamo Syria ſcatet. *Scaliger Exercit. p.* 446.

J.

Juncus Syrius additur in unguentum regale. *Plin. cap.* 2. *lib.* XIII.

Juncum odoratum Syria Cœle gignit. *Plin. lib.* XIII. *cap.* 2.

L.

Labruscæ circa Tripolin. *Rauwolfius Itinerar. p.* 54.

Ladanum, fit jam & in Syria atque Africa, quod toxicon vocant. *Plin. lib.* XXVI. *c.* 8.

Lapathum acetoſum, Orientis ſcilicet maximum & montanum. Syris ريباس *Ribäſon* adpellatur. *Beith. ap. Golium.*

Larix. Reſina liquida fit e Terebinthino, Larice, Lentiſco, Cupreſſo. Nam & eæ ferunt in Aſia & Syria. *Plin. l.* XXIV. *c.* 6.

Laserpitium Syriacum. Differt a Laſerpitio cujus ſuccus vocatur Laſer medicum, in officinis Aſa fœtida. *Vid. Dioſc lib.* III. *c.* 78. *Lex. Golii Arab. p.* 667. *Salmaſius Exercit. Plinian. p.* 254, 255.

Ligustrum oleæ foliis. Optimum naſcitur in Canope & Aſcalone. *Dioſc. lib.* I. *cap.* 107.

Lilii purpurei copia in Syria. *Cœl. Rhodig. p.* 1418. Eſt & rubens lilium, quod Græci Crinon vocant. Alii florem ejus cynorhodon. Lautiſſimum in Antiochia & Laodicea Syriæ, mox in Phaſelide. *Plin. lib.* XXI. *cap.* 5.

Limonum Silvestrium arbores, in Syria, Ægypto, Africa, frequentes, pomis admodum exiguis, acidiſſimis. *Scalig. Exercitat.* CLXXXI. *p*, 561.

Lonchitis. Ea ثومتين *Tſaumathinon* a Syris appellatur. *Vid. Dioſcor lib.* IV. *c.* 173.

Loupha Syriacum, unde Luf Arabicum; de Aro ſeu Dracontea minore *Salm. Hyl. Jatr. p.* 50. *a. F.*

M.

MALOBATHRON. Dat & Malobathron Syria, arborem folio convoluto, arido colore *Plin. lib.* XII. *cap.* 26. Juxta *Scaligerum* autem *Horatius*, cum vocavit Syrium Malobathrum, non a natalibus, ſed ab Officinarum loco deduxit adpellationem. *Exercit.* CXI. I. *&* CXLVI. 2. Ita Syrius ros (apud *Tibullum*, *Stillabat Syrio myrrhea rore coma*,) ſtacte dicta eſt, non quod in Syria naſceretur: nusquam enim ibi inveniebatur, niſi advectitia: & Nardus Syriaca, quod e Syria aliunde in illam advecta ad Romanos deferretur. Quod minime novum, cum hodieque merces ab emporiis, æque ac natali ſolo, denominationes ſumere ſoleant.

MARUK SYRIACUM a *Lobelio* & *Tabernæmontano* deſcriptum. *lib.* II. *pag.* 56.

MEDICA MALA circa Tripolin. *Rauwolfius Itinerar. pag.* 52.

MELANTHIUM Damaſcenum deſcribunt *Dodonæus*, *Camerarius*, & *Fuchſius* noſter *in Icon.*

MELONIS genus parvum, colocynthidis inſtar rubro & flavo eleganter ſtriatum. In Syria & Ægypto frequens, Arabice ضغابيرون *Tſagariron*, Perſice *Daſtanbujah* ab odore. *Golius Lexic. Arab. pag.* 429.

MOLY Syris Beſaſa. *Salmaſ. Hyl. Jatric. p.* 43. *b. E.*

MUSA, quæ ex palmarum genere cenſetur Serapioni, & Avicennæ Muſa, Maum, & Amuſa, in Syria Moſc: ubi Græci Chriſtiani & Judæi eam dicunt arborem eſſe, cujus fructus edit Adam in Paradiſo, quare *Ludov. Romanus libro navigationum ſuarum* poma Paradiſi nominat. At *Garzias* hanc opinionem ridet. *C. Bauhin. ad Dioſc. lib.* I. *cap.* 126.

MYRICA ſeu Tamarix cum ad pigras & ſtagnantes aquas enaſcatur fructum quaſi florem ferens, compage muſcoſum. Ægyptus Syriaque alteram gignunt mitiorem, ſilveſtri cætera ſimilem. *Dioſc. lib.* I. *cap.* 99.

MYROBALANUM glans arboris, Heliotropio ſimilis folio. In Arabia naſcens Syriaca appellatur. *Plin. Hiſt. Natur. lib.* XI. *cap.* 21.

N.

Nardum montanum, quod ab aliquibus thylacitis & niris adpellatur, in Cilicia & Syria naſcitur. *Dioſcor. lib.* I. *c.* 8.

Narcissum ſunt, qui ut lilium, lirium adpellarint. Probatiſſimus naſcitur in montibus, ſuavi odore. *Dioſcorid. lib.* IV. *cap.* 160.

O.

Oenanthe vocatur vitis ſilveſtris fructus, cum floret. Laudatiſſima in Syria, Cilicia, & Phœnice. *Dioſcorid. lib.* ſ. *cap.* ſ. Oenanthe, quam vites ſilveſtres ferunt, laudatiſſima in Syria circa Antiochiæ & Laodiceæ montes. *Plinius Proœmio libri* XXIII.

Olivæ Decapoli Syriæ perquam parvæ, nec cappari majores, carne tamen commedantur. *Plin. lib.* XV. *c.* 3.

Othone in Syria naſcitur ſimilis erucæ, perforatis crebro foliis, flore croci, quare quidam anemonen vocarunt. *Plin. lib.* XVII. *c.* 12.

Oriza naſcitur etiam in inferiore Syria. *Strabo Geograph. lib.* XV.

P.

Panacis genera quatuor: Syrium; Chironium folio rumici non diſſimile: Æſculapium folio Thapſiæ; Herculanum, folio magno & amplo, ut quoquo verſus tres palmas perficiat. *Theophraſtus* IX. *Hiſtor. plant.* Panacen & unguentis eadem *Syria* gignit. *Plin. lib.* XIII. *cap.* 26.

Papyrus naſcitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus locum. *Plin. l.* XIII. *c.* XI.

Peganon Syri beſaſa vocant. *Oribaſius lib.* XII.

Persion ſeu Perſicum malum. Poſidonius Stoicus tertio hiſtoriarum, referente *Athenæo lib.* XIV. *Dipnoſ.* Φέρει δὲ καὶ τὸ Πέρσιον ἡ Ἀραβία, καὶ ἡ Συρία, καὶ τὸ καλούμενον βισάκιον.

ΦΥΚΟΣ herba Syriaca & Purpuriſſum, quomodo differant, exponit *Salmaſ. Hyl. Jatric. p.* 100. *a. b. E.*

Pilosella Syriaca maxima. *Tabernæmont. Part.* I. *pag.* ſ14.

PIRORUM Syria ferax. *Plin. lib.* XV. *cap* 15. Colore nigro pira donat, quæ & lactea. *Virgilius lib.* II. *Georg.* ubi de Horto Alcinoi:

Pomaque & Alcinoi ſilvæ: nec ſurculus idem
Cruſtamiis Syriisque piris, gravibusque volemis.

PISTACIA, conſtat in Syria gigni, pineis nucibus ſimilia & ſtomacho amica. *Dioſcor.* I. *c.* 140. Quoniam Halebi agro propria pene ſunt piſtacia, alibi rariſſima, notandum, quæ prope Halebum urbem naſcuntur, hortenſia eſſe, & educata rigando: alia eſſe montana, & per ſe nata, pluviæ ſolius ope, qualia mons Kinneſrinæ vicinus fert, Scuhaan dictus, pars Amani, alteris illis minora minusque ſucculenta. *Golius Notis in Alferganum, p.* 273. Syria præter palmam peculiares habet arbores. In nucum genere piſtacia nota. *Plin. l.* XII. *c.* 5.

PRUNUS. Syriaca pruna, & præcipue, quæ Damaſci gignuntur (in Damaſco monte, ut *Plinius* refert *H. N. lib.* 13. *c.* 5.) exſiccata, ſtomacho utilia ſunt. *Dioſcor. lib.* I. *c.* 137. Palma datur, ut *Galenus*, inquit, Damaſcenis, quæ ſicca Venetias importantur. *Matthiolus ad Dioſc. locum laudatum.*

R.

RAPHANI genus præcipuum eſt, quod e Syria non pridem advectum apparet, quoniam apud auctores non reperitur, ſuaviſſimum fere ac tenerrimum, hyemisque, patiens. *Plin. l.* XIX. *c.* 5.

RESINA SYRIACA Attici mellis ſimilitudinem habet. *Plin. l.* XIV. *c.* 20.

RHUS etiam Syriæ maſcula fert, ſterili fœmina, folio ulmi paulo longiore & piloſo. *Plin. l.* XIII. *c.* 6. Non differt genere aut ſpecie a communi, ſed bonitate, *Salmaſ. Hyl. Jatr. pag.* 76. Eadem obſoniis aſpergitur. Cujus uſus, ut audio, inquit *Matthiolus*, apud Syros & Ægyptios in hunc usque diem durat. Memoratur & *apud Galenum lib.* VI. *de compoſitione medicamentorum.*

RUTA SILVESTRIS. Arabes eam حرمل *harmalam* vocant, Syri *beſaſam*, id eſt, tineis inimicam; qui Cappadociam incolunt

colunt moly, quoniam quandam cum moly ſervet ſimilitudinem.

S.

Satyrium erythronium. Illius radicem, mali effigie, cortice tenui & rufo, candida intus pulpa, ſapore dulci, Damaſco Syriæ miſit ad me Cechinas Martinellus, Ravennas, Pharmacopœus præſtantiſſimus. *Matthiolus ad Dioſcor. lib.* III. *c.* 127.

Scammonium natione Syriacum & Judaicum, deterrima habentur gravia denſa ervi farina, & tithymalo vitiata. *Dioſcorides lib.* IV. *c.* 165. Scammonium ſuccus eſt ex Scammonia herba. Scammonium Antiochenum optimum. *Meſue de ſimplicibus.*

Siliqua, quam Iönes Ceraunïam vocant, in Syria Iöniaque naſcitur, & circa Gnidem. *Plin. lib.* XIII. *c.* 8. Vinum fit e ſiliqua Syriaca. *Plinius.*

Sillybum chamæleonti albo ſimilem, æque ſpinoſam, ne in Cilicia quidem aut Syria, aut Phœnice, ubi naſcitur, coquere tanti eſt: ita operoſa ejus culina traditur. *Plin. l.* XXII. *c.* 22.

Silphium ſeu laſerpitium naſcitur in Syria, Armenia, & Libya. *Oribaſius lib.* XII. Silphii genus eſt, quod magydaris vocatur ſine ſucco, quod circa Syriam naſcitur, non proveniens in Cyrenaica regione. *Plin. lib.* XIX. *c.* 3.

Sinon ſemen parvum eſt in Syria naſcens, apio ſimile, oblongum, nigrum, fervens. *Oribaſ. lib.* XII.

Sisarum Syriacum *Rauwolſii*, quod & vulgo Secacul dicitur. *Gol. Lex. p.* 2841.

Sison ſemen exiguum in Syria naſcitur, apio ſimile, obnigrum & molliter longum, ferventis naturæ. *Dioſc. l.* III. *c.* 55. Siſon Hippocrati Sinon ſive Senon dicitur a שנן pungendo vel acuendo: quum ſit ut dictum, ferventis naturæ & linguam pungens.

Spina Syria, dicitur & Acacia. *Ruellius l.* I. *c.* 137.

Spinosa herba, quæ radicula vel lanaria Latinis, Struthion Græcis. Naſcitur ſativa ubique, ſed ſponte, præcipue in Aſia Syriaque, ſaxoſis & aſperis locis. *Ruellius l.* 2. *c.* 93.

Staphylino herba Syria abundat. *Plin. l.* XX. *c.* 5.

Styrax arboris cotoneo malo ſimilis lacryma eſt, excellit

cæteros

cæteros, flavus, pinguis, reſinoſus, grumos habens albicantes, quamplurimum in odoris bonitate permanens, & dum emollitur melleum quendam humorem emittens. Talis eſt Gebalites Piſidiacusque & Lycius. *Dioſcorid.* Gebalites a Gabala Syriæ Promontorio ſupra Sidonem, *Plin. lib.* XII. *c.* 75. Proxima Judææ Syria ſupra Phœnicem, ſtyriacem gignit, circa Gabala & Marathunta & Caſium Seleuciæ montem. *Idem l.* XII. *c.* 17. Ex Syria ſtyrax in Arabiam advehitur, acri odore ejus abigentes ſuorum faſtidium. Adeo nulla eſt voluptas, quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat.

SYCOMORI in regione Tripolitana prolixe *à Rauwolfio* deſcriptæ, *Itinerar. p.* 54, 55.

SYRIACA HERBA, ab autoribus cum aſphodelo confuſa. *Vid. Lexic. Golii Arab. p.* 112, 113.

T.

TAMARICE, in Syria & Ægypto copioſa eſt. *Plin. l.* XIII. *c.* 21.

TAMARISCUS SYRIACA. *Vid. Hieron. Velſch. de Ægagrop. p.* 38.

TEREBINTHUS. In Syria frequens arbor. *Plin. l.* XIII. *c.* 6.

THEANGELIDA in Libano Syriæ, Diete Cretæ montibus & Babylone & Suſis Perſidis naſci ajunt, qua pota Magi divinent. *Plin. l.* XXIV. *c.* 17.

THYMELÆA eſt, ex qua granum Gnidium, quod eſt ſemen ipſius colligitur. Hoc Syri apolinum vocant, quoniam ſativi lini frutex ſuapte natura ſimilitudinem referat. *Dioſcorid. l.* IV. *c.* 167.

TRITICUM Syriæ laudat *Plin. Hiſt. Nat. l.* XVIII. *c.* 10.

V.

VINA SYRIA. A Lesbio, Clazomenio, Tmolite, dignatio eſt Tripolitico, Berytio, Tyrio. *Plin. l.* XIV. *c.* 7. Vino Chalybonis negotiabatur in nundinis Tyriis Damaſcus. *Ezech.* 17: 11.

Z.

ZIZIPHUS. Non alia quam alba zizyphus, in Syria naſcitur. *Salmaſ.*

Salmaſ. Hyl. Jatric. pag. 91. Zizypha primus ex Syria in Italiam attulit Sextus Papinius, Auguſti noviſſimis temporibus, in caſtrorum aggeribus ſata, baccis ſimiliora quam malis, ſed aggeribus præcipue decora. *Plin. l.* XIV. *c.* 15.

Zea. Ægypto ac Syriæ, Ciliciæque & Aſiæ, ac Græciæ, peculiares Zea, olyra, tiphe. *Plin. l.* XVIII. *c.* 8.

CAPUT XLV.

HODEGUS HOMILETICUS.

PRO EXORDIIS CONCIONUM.

Dominica I. Adventus.

Matth. 21:8. *Abſciſſos ab arboribus ramos per viam ſternebant.*

Ramos cædebant arborum, quibus veſtiebatur Mons Olivarum. Is autem præter oleas, ſi Rabbinis credimus, ferebat etiam ficos & cedros. Bethghage enim ad latus montis ſitum oppidum, dictum putant *locum groſſorum*, id eſt, immaturarum ficuum; atque in eodem exſtitiſſe tradunt duas ſtupendæ magnitudinis cedros, ſub quarum una quatuor fuerint tabernæ, ubi vendebatur quicquid ad purificationes lex requiſiverat: ex altera produxiſſe Hieruſolymitanos unoquoque menſe ſata, id eſt, ſeſquimodios quadraginta columbarum, unde ſuppetebant fæminis omnibus purificandis. *Hieruſol. Taanith, fol.* 69. 1.

Palmorum igitur ſpathæ in viam a populo ſtratæ, quam aſina Chriſti calcatura erat, ſymbolum fuerint contemtæ gloriæ humanæ; Rami ficulni, ſpretæ dulcedinis ſecularium voluptatum; Olearum termites vitiorum notaverint faſtiditam pinguitudinem; Cedri autem frondes, poſitum faſtum ac ſuperbiam. Hoc, nimirum modo Chriſto Regi noſtro paranda via. &c. De monte Oliveti, *Vid. Hierophyt. Parte* I. *cap.* XVIII. *De Bethphage. Part.* I. *c.* XVII.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Luc. 21: 29, 30. *Cernite ficum & omnes arbores, quum jam frondeſcunt, id per vos ipſos cernentes, cognoſcetis jam prope eſſe æſtatem &c.*

Jeſa. 34: Deciduus e ficu fructus extremi judicii inſtantis monumentum eſt. *Hieroph. Part.* 1. *cap.* XVII. *ſect.* 19.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Matth. XI: 7. *Quid exiiſtis in deſertum ſpectaturi? arundinem a vento agitatam?*

Joannes vir immoti animi non eſt calamus a vento agitatus. *Hieroph. P.* II. *cap.* 37.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Joh. 1: 27. *Illius, qui & poſt me venit, & ante me fuit, ego non ſum dignus, qui calcei corrigiam ſolvam.*

Myrtus humilis arbuſcula, ſed quæ baccas parit optimi ſaporis. *Hieroph. Part.* 1. *c.* 24.

FESTO NATIVITATIS.

Luc. 2: 4. *Chriſtus nutus ex Maria Virgine, quæ Davidicæ domus atque familiæ fuit.*

Jeſai. XI: 1. *Prodibit ſurculus infra truncum Iſai, & ab ejus radicibus pullulabit ſtolo.*

Exod. 3: 2, 3. Rubus ardens typus Incarnationis. *Vid. Walth. Poſtil. Moſaic. p.* 195. *&c.*

DOMINICA POST NATIVITATEM.

Luc. 2: 25. *& ſeq.* *vſ.* 36. *& ſeq.* Simeon & Hanna in Senio fructum ferentes Deo.

Pſal. 92: 13. *Juſtus ut palma germinabit, ut Cedrus in Libano creſcet. Plantati in domo Domini Dei noſtri, in atriis Dei noſtri, germina profundent. Adhuc abundabunt in canitie,* pingues & virentes erunt, ad annunciandum rectum eſſe Dominum, *neque eſſe ullam iniquitatem in eo.*

FESTO

Festo Circumcisionis.

Luc. 2: 21. *Quum advenisset dies octavus ad circumcidendum puerulum vocatum eſt nomen ejus Jeſus.*

Balſami Arbuſcula, Imago Chriſti recens nati & circumciſi. *Hierophyt. Par.* 1. *c.* 46.

Cant. 1: Odor nominis Chriſti, ut unguenti fragrantis vel olei pretioſi fragrantiſſimus.

Dominica post circumcisionis Festum.

Matth. 2: 13. Jeſus Herodem fugiens, ſeceſſit in Ægyptum, ex ea revocandus, ut impleretur quod ait Dominus per prophetam: Ex Ægypto vocavi filium meum.

Pſal. 80: 9. *Vitem ex Ægypto tranſtuleras* &c. *Operiebantur montes umbra ejus &c.* Id etiam in Chriſto impletum, cujus typum geſſit Iſraël. Vitis eſt Chriſtus *Joh.* 15: 1. quæ ex Ægypto reducta, actis radicibus, id eſt, verbi ſui cognitione, non Judæam tantum, ſed omnem terram habitabilem implerit. Umbra montes operuit & palmites ejus æquabant cedros maximas, factus eſt rex regum & dominus dominantium. Montibus enim & cedris reges comparantur. Emiſit palmites ſuos usque ad mare, & ad flumen teneros ramos ſuos, id eſt, fidelibus ſuis, qui dicuntur palmites ejus, orbem terrarum implevit.

Festo Epiphanias.

Matth. 2: 12. *Magi ab Oriente venerunt Hieruſolymam, dicentes, ubi eſt Rex Judæorum, qui natus eſt?*

Jeſai. XI. 10. *Erit tempore illo, ut radicem Iſai, quæ exſtat in ſignum populorum, gentes quærant; eritque locus quietis ejus in gloria. Hieroph. Part.* 1. *cap.* 2.

Dominica I. post Epiphan.

Luc. 2: 47. *Percellebantur omnes, qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis ejus.*

Cant. 5: 13. *Similia ſunt labia ejus liliis ſtillantia myrrhinum. part.* 1. *c.* 24. *Jeſai.* XI: 1, 2. *Prodidit Virgula e trunco ſucciſo Iſai, & ſurcu-*

ſurculus e radicibus ejus efflоreſcet. Super quo quieſcet Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ &c. Ezech. 17: 22. In Cedrum excreſcens turio, Chriſti ſervatoris Hieroglyphicum. *P.* I. *c.* XLI.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Joh. 2: 9, 10. Jeſus vinum miraculo productum nuptialibus donat convivis.

Ut Iſraëlitis feliciorum temporum ſpem faceret Deus, & pacem, eis & fœcunditatem terræ & vitis fertilitatem promittit, *Zach.* 8: 12. Sementis pacis eſt; Vitis edit fructum & terra edit proventum ſuum, cœlique edent rorem ſuum; denique facio, ut poſſideant reliquiæ populi hujus omnia iſta. Impletum eſt vaticinium ea tempeſtate, qua Judæi ſub Auguſti & Tiberii Cæſaris imperio tranquilla pace fruerentur & fructuum varietate opima & fertilis eſſet Judæa. Super omnia fuit vera Vitis quam cœleſtis pater plantaverat, Jeſus Chriſtus, quæ ubertatem & præſtantiam omnium ſtirpium ſuperavit, quæ vivos innumeræ multitudinis genuit palmites, quæ potum cœleſtis gaudii cauſam, gignit. Illa etiam vitis quum nuptialibus convivis in Cana, vinum deeſſet, vinum dedit, generoſum, quod aliis prælatum convivantium corda lætificavit. *Vid. Hieroph. Part.* I. *cap.* 28.

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Matth. 8: 2. *Dico vobis multos ab oriente & occidente venturos & diſcubituros cum Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo, in regno cœlorum; filios vero regni ejectum iri. &c.*

Jeſai. 29: 17. *Fiet Libanus arvum & arvum ſilva. part.* I. *c.* X. *Rom.* XI: 24. Oleaſter inſitus in veram oleam. *part.* I. *c.* 19.

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Matth. 8: 24. *Concuſſio magna facta eſt in mari, adeo ut navis operiretur fluctibus.*

Jon. 2: 5. *Circumiverunt me aquæ usque ad animam. ... Alga alligata erat capiti meo. part.* II. *cap.* XXXVIII. Jonas Chriſti typus, Chriſtus fidelium in hoc mundi mari periclitantium. Arca Noæ ex ligno dedolato. *Gen.* 6: 14.

Do-

Dominica V. post Epiphan.

Matth. 53: 24. *Simile eſt regnum cœlorum homini ſerenti bonum ſemen, in agro ſuo.* vſ. 46. *Triticum congregate in horreum meum.*

Jac. 3: 17. *Congregabit triticum in horreum ſuum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Part.* 11. *c.* 20.

Ob periculum eradicandi triticum non evellenda ſunt zizania *ibidem vſ.* 20.

Dominica VI. post Epiphan.

Matth. 5: 1 —— 12. De Beatitudinibus octo; *Beati qui lugent; quoniam ipſi ſolamen recipient.*

Pſal. 126. *Qui ſeminant cum lacrymis, cum cantu metent. Portans tractum ſeminis cum indeſinenter it flendo, rediturus cum cantu, reportans manipulos ſuos. Part.* 11. *c.* 17.

Alii huic Dominicæ tribuunt textum ex *Matth.* 13: 31, 32. De grano ſinapis, de quo agitur *Hieroph. Parte* 11. *cap.* XIV.

Dominica Septuagesimæ.

Matth. 20: 1. *Simile eſt regnum cœlorum Patrifamilias, qui exiit cum prima luce ad conducendos operarios in vineam ſuam.*

Johan. 15: 1. *Pater meus eſt agricola. p.* 1. *c.* 28. *Jerem.* 2: 21. Vinea & vitis Eccleſia. *part.* 1. *cap.* 32. 1 *Cor.* 9: 7. Vinitores Eccleſiæ Miniſtri. *part.* 1. *c.* 32.

Dominica Sexagesimæ.

Luc. 8: 5. *Quidam ſator exiit, ut ſereret ſemen ſuum.*

Semen eſt triticum, Dei verbum. *Jerem.* 23: 28. *Penes quem eſt ſomnium, enarret ſomnium; & penes quem eſt verbum meum eloquatur verbum meum. Quid paleæ cum tritico? Part.* 11. *c.* 20. *& cap.* 18. Seminis Ager, via, petra, ſpinæ, bona terra. *Part.* 11. *cap.* 18.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Luc. 17. *Filius hominis tradetur gentibus &c. & poſtquam eum flagellaverint, interiment; & tertia die reſurget.*

Johan. 12: 24. *Amen, amen dico vobis, niſi granum tritici ceciderit in terram, ſeminatum fuerit, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. P.* 11. *cap.* XX.

DOMINICA INVOCAVIT.

Matth. 4: 3. *Acceſſit ad Jeſum tentator.*

Vitibus imprimis infeſtus eſt Eurus. Is arefeciſſe dicitur vitem illam frugiferam & frondoſam, regiæ matris typum. *Ezech.* 19: 12. Item luxuriantem illam & humilem ſtatura, Tzedekiæ regis imaginem. *Ezech.* 17: 20. *Hieroph. P.* 1. *c.* 30.

Vitem veram, turbinis inſtar violenti Diabolus invaſit, nefariis ei tentationibus diffidentiam, temeritatem & ambitionem, inſinuaturus. Sed fruſtra fuit.

DOMINICA REMINISCERE.

Matth. 15: 28. *O mulier magna eſt fides tua.*

Radix arboris emblema firmitatis, Conſtantiæ, Spei & Fiduciæ. *Epheſ.* 3: 17. *Ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati. Coloſſ.* 2: 7. *Radicati & ſuperſtructi in Chriſto Jeſu Domino, ac confirmati fide. part.* 1. *c.* 2. Palma perſeverantiæ, roboris, patientiæ & victoriæ ſymbolum. *Hierophyt. part.* 1. *c.* 15.

DOMINICA OCULI.

Luc. XI. *Beati, qui audiunt ſermonem Dei, & eum obſervant.*

Arbor perpetui folia & frugifera ſimilis ei, qui verbum Dei diligit. *Pſalm* 1: 2. *Part.* 1. *c.* 34.

DOMINICA LÆTARE.

Johan. 6: 10. *Diſcubuerunt viri numero quaſi quinquies mille, quos quinque panibus hordeaceis ac duobus piſciculis ſaturavit Jeſus.*

2 *Chron.* 2: 10. Ingens fuit numerus hordei, quod cæſoribus lignorum in Libano Salomon rex miſit. *Part.* 11. *cap.* 21.

Do-

Dominica Judica.

Johan. 8. *Reſponderunt Judæi & dixerunt ei; Nonne bene dicimus te Samaritanum eſſe & dæmonium habere?*

Pſal. 120: 3, 4. *Quid datura eſt tibi, quidve adjectura tibi lingua doloſa? Verba ſimilia ſagittis robuſtis, comparanda prunis Juniperorum. Part.* 1. *cap.* 26.

Festo Palmarum.

Joannes cap. 13: *vſ.* 13. ſcribit, quod populus, qui Jeſum Hieruſolymas ingreſſurum comitabatur, ramos palmarum manibus acceperit. Fiebat hoc ex uſu Judaico, ubi moris fuit & in feſto tabernaculorum, & in aliis ſolennibus gaudiis, ramos virides, maxime palmarum, ferre manibus, ut videre licet in fundatione arcis Hieruſalem, 1 *Maccab.* 13: 51. & in purificatione. Sed & victoriæ ſymbolum palma fuit, *Apocal.* 7: 9, 14. Auguſtus Cæſar devicta Ægypto, monetam cudi juſſit auream, inque ea ſignari Crocodilum, palmæ alligatum, cum inſcriptione: Colligavit nemo. Eaque re ſignificavit, ex omnibus Romanis primam ſe ſuperaſſe Ægyptum. De Chriſto, Domino noſtro, jure dixeris, Colligavit nemo. Is enim inferni draconis victor, armis quibus confidebat ablatis, ſpolia diſtributurus venerat. *Luc.* 2: 22. Solus igitur meruit, in quo ſpem ſalutis ponerent homines, & cui, tanquam omnium liberatori a populo Hoſanna accineretur. &c.

Festo Resurrectionis.

Marc. 16: 6. *Quæritis Jeſum Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.*

1 *Cor.* 15: 20. Chriſtus ſuſcitatus ex mortuis, primitiæ eorum, qui obdormierunt factus eſt. *Hieroph. p.* 11. *c.* 26.

Num. 17: 7, 8. Amygdalus Chriſti reſurgentis typus. *Parte* 11. *cap.* 22.

Dominica quasi modo geniti.

Johan. 20: 22, 23. *Accipite Spiritum Sanctum; ſi quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Zach. 4. Apoſtoli & Evangelii Præcones ſunt oleæ, qui oleum

oleum Evangelii, remiſſionem peccatorum, in cordium reſipiſcentium canaliculos infundunt. *Part.* 1. *cap.* 19.

DOMINICA MISERICORDIÆ.

Johann. 10: 2. *Ego ſum Paſtor ille bonus.*

Pſalm. 23: 1, 2. *Dominus paſtor meus eſt, non poſſum egere. In caulis teneræ herbæ facit ut recubem. Hierophyt. Part.* 11. *cap.* 1.

DOMINICA JUBILATE.

Joh. 16: 4. *Triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra evadet in gaudium.*

Cant. 2: 11. *Ecce hyems tranſiit, abiit. Flores conſpiciuntur in terra.*

DOMINICA CANTATE.

Johann. 16: 7. *Confert vobis ut ego abeam; Niſi enim abiero Paracletus ille non veniet ad vos.*

Pſalm. 17: 20. *Pluviam liberaliſſimam ſtillas Deus, poſſeſſionem tuam, eamque defeſſam, tu reficis.*

Terra ſolis ardore indurata, pluvia irrigante emollitur. *Pſalm.* 65: 1. Porcas terræ irrigando, deprimendo liras ejus imbribus, diſſolvis eam. Eadem vis eſt divini Spiritus, qui indurata vitiis corda verbo ſuo emollit deprimitque a facie Dei. 2 *Chron.* 34: 27. Porro, ut pluvia terram fœcundat, ita animos credentium Spiritus Sanctus juſtitiæ fructibus implet. *Jeſai.* 55: 10, 11. Quum deſcendit pluvia de cœlo, non revertitur, ſed inebriat terram, facitque, ut pariat ipſa, & germinet, & producat ſemen ſeminanti, & panem comedenti: ſic erit verbum, inquit Spiritus Sanctus, quod egreſſum fuerit ex ore meo, non revertetur ad me vacuum. Denique, ut arbores & herbas tempeſtiva pluvia recreat ſuſtentatque: ita Spiritus Sanctus corda fidelium reficit & confirmat. Ipſe enim eſt in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium. Paracletus eſt, qui intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8: 26. Cœcis reddit lucem, infirmis animum, egentibus dat conſilium, ſegnes ad precandum excitat, ſuſpirantes roborat, precibus alas addit, quibus ad Dei thronum evectæ, optata impetrent.

Dominica Rogationum.

Joan. 16: 23. *Quæcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis.*

Thus, Sanctorum preces. *Hierophyt. Part.* 1. *cap.* 44.

Festo Ascensionis.

Marc. 16: 19. *Dominus poſtquam loquutus fuiſſet eis ſurſum receptus eſt in cœlum, & ſedit ad dextram DEI.*

Exod. 26: 3. E byſſo torta & intexta cæruleæ, purpureæque & coccineæ lanæ factum eſt Velum, per quod e Sancto Sacerdos ſummus in Sanctum Sanctorum intraverat. Velum hoc, ut Apoſtolus docuit *Hebr.* 9: 20. adumbrat carnem Chriſti, quæ ad inſtar byſſi candida eſt per innocentiam, cœrulea per ſanctitatem, coccinea per ſanguinis meritum. Per hoc velum viam dedicavit nobis Dominus vivam, cœlumque aſcendens cœlum nobis patefecit. *Hieroph. Part.* 1. *c.* 24.

Dominica Exaudi.

Johan. 16: 2. *Movebunt vos Synagogis: imo veniet tempus, quum quisquis vos interemerit, putet ſe cultum præſtare Deo.*

Ezech. 2: 6. *Fili hominis, ne timeto ab iſtis, quod refractarii & ſpinei ſint in te, & inter rhamnos habites. Hieroph. Part.* 1. *cap.* LXII.

Festo Pentecostes.

Joan. 15: 26. *Paracletus ille Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.*

1 *Johan.* 2: 20. *Habetis unctionem a Sancto & noſtis omnia.* Oleum ex myrrha ingenua, cinnamomo, calamo odorato, caſia & divæ oleo paratum, *Exod.* 30: 23, 24. quo Sacerdotes, Prophetæ & Reges ungebantur, præterquam, quod hos a vulgo diſtinctos ſanctificavit, collatorum quoque chariſmatum erat Symbolum, quæ, quo dignius officio perſungerentur, a Spiritu Dei unctis conferebantur. Et quum omnes fideles Chriſtus Jeſus fecerit reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo *Apoc.* 1: 6. eoſdem etiam Spi-

ritu ſuo ungere dignatur. Unguentum ſummi Sacerdotis capiti ſuperfuſum deſcendit etiam in membra ejus, per oram veſtium ejus, *Pſal.* 133: 2. *Vid. Hieroph. Part.* 1. *c.* 20. *Habetis*, inquit Apoſtolus, *unctionem*, id eſt, ſapientiæ & revelationis Spiritum, quo impleamini agnitione voluntatis divinæ, cum omni ſapientia & intelligentia Spirituali, *Coloſſ.* 1: 9. ad ſciendum, quæ ſit ſpes illa vocationis Dei, & quæ opes gloriæ hereditatis in Sanctis. *Epheſ.* 1: 18. *Habetis unctionem hanc a Sancto*, id eſt per gratiam illius; qui Sanctus per excellentiam appellatur, *Luc.* 1: 35. *Apoc.* 3: 7. qui Sanctus Sanctorum eſt, *Dan.* 9: 24. *& noſtis omnia*, quæcunque ad ſalutis veſtræ negotium ſpectant, per Spiritum, qui vos ducit in omnem veritatem.

FESTUM TRINITATIS.

Johan. 3: 5. *Niſi quis fuerit iterum genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.*

Job. 14: 7, 8, 9. *Arbori ſpes eſt ſi exſcindatur, regerminaturam & tenerum ramum ejus non deſtiturum. Si in terra valde ſenuerit radix ejus, & in pulvere jam moriturus eſt caudex ejus. Ex odore aquarum regerminat, agitque plantarum more ramum.*

In negotio regenerationis ſuæ non aliter ſe habet homo, atque arbor exciſa, & caudex in pulvere moriturus, quæ ſibi relicta intereunt, aquæ autem humore regerminant ac reviviſcunt. In peccato enim natus & filius iræ, id eſt, iram Dei & exciſionem meritus aliter ſervari nequit, quam ex aqua & verbo, ſive, ut Chriſtus loquitur, ex aqua & Spiritu ſi regeneretur. *Coloſſ.* 2: 12, 13.

DOMINICA I. TRINITATIS.

Luc. 16: 19. *Quotidie homo dives laute voluptatibus indulgebat.*

Lenticula vendidit primogenituram, ut Eſav. *Gen.* 25: 32, 33, 34. *Part.* II. *cap.* XXII.

DOMINICA II. TRINITATIS.

Luc. 24: 17. *Miſit ſervum ſuum hora cœnæ, ut diceret vocatis, venite, quia jam parata ſunt omnia.*

Prov. 9: 5. *Sapientia miſſis puellis ſuis invitat fatuos: Venite, veſci-*

veſcimini cibo meo, *&* *bibite de Vino*, *quod miſcui. Hieroph. Part.* I. *cap.* XXXIV.

Dominica III. Trinitatis.

Luc. 15: 2. *Iſte peccatores recipit & edit cum eis.*

Jeſai. 42: 3. *Arundinem quaſſatam non franget & linum fumigans non extinguet. Part.* II. *c.* 35.

Dominica IV. Trinitatis.

Luc. 6: 37. *Ne judicate & non judicabimini. ne condemnate, & non condemnabimini.*

Hoſe. 10: 12. *Seminate vobis ad juſtitiam; metite ad benignitatem. Hieroph. Part.* II. *c.* 18.

Dominica V. Trinitatis.

Luc. 5: 10. *Ne metue, ab hoc tempore capies homines.*

Quantum laboris & operæ Deus ab iis requirat, quos ad Eccleſiæ ſuæ vocavit miniſterium, id varietate nominum declaratur, quibus a populo diſtinguuntur. Vinitores vocat Chriſtus. *Matth.* 21: 35. *Vid. Hieroph. Part.* I. *c.* 28. Paulus agricolas & aratores qui arvum Dei verſent, ſeminent, rigent, metant. I *Cor.* 3: c. I *Cor.* 9: 11. Idem boves vocat triturantes, I *Cor.* 3: 10. Milites Jeſu Chriſti 2 *Tim.* 2: 3, 4. Pro animabus excubias & vigilias agentes *Hebr.* 13: 17. In Evangelio hominum piſcatores nominantur.

Dominica VI. Trinitatis.

Matth. 5: 21, 22. *Audiviſtis dictum eſſe veteribus. . . . Ego vero dico vobis, &c.*

Malach. 3: 2. *Ipſe ut ignis conflatoris, & ut Borith vel ſmegma fullonum eſt. Hieroph. Part.* II. *c.* 16. *p.* 532.

Dominica VII. Trinitatis.

Marc. 8: 1, 2, 8. *Permagna hominum multitudo quæ tres dies comitata Chriſtum, non habuit quod comederet, curante Chriſto ad ſatietatem epulatur.*

Amoſi. cap. 8: *vſ.* 11. Graviſſima Iſraëlitis damna his verbis Deus denunciat: *Ecce dies venturi ſunt, dictum veriſſimum Domini, Jehova Dei, quibus immittam famem in terram; non famen habendi panis, neque ſitim aquarum, ſed audiendi verba DOMINI.* Impletum fuit hoc vaticinium ſub adventum Jeſu Chriſti in carnem, quo tempore pretioſum fuit verbum Domini, & populus ovium inſtar vagus & errans, & a paſtoribus ſuis neglectus cœleſtis panis famem ferebat. Igitur quam verbo ſuo Chriſtus populum erudiens benignam Patris ſui voluntatem exponeret ingens cum turba ſequebatur, ut ſermone illius audito animas ſuas paſcerent. Sic eſurientibus non defuit etiam corporis alimonia. Expleti enim omnes & ſaturati ſunt panibus, eſuique multum ſuperfuit; ut 1 *Reg.* 4: 43, 44.

DOMINICA VIII. TRINITATIS.

Matth. 7: 18. *Non poteſt arbor bona fructus edere malos, neque arbor mala fructus proferre bonos. . . . Nempe igitur ex fructibus ipſorum agnoſcetis eos.*

Infeſtantur & Arbores morbis. *Quid enim genitum* (inquit Plinius) *caret his malis?* Nam & cœli vexantur perturbationibus; pluviarum ſcilicet penuria, igne item cœleſti, grandine ventorumque injuria. Vel ægrotare incipiunt negligentia hominum, non ab illis putatæ, non foſſæ, non ſtercoratæ, vel nimium interlucatæ. Vel inſectorum morſibus & contactu intabeſcunt, ut locuſtarum, erucarum, & vermium, quæ arboribus maxima & exitialis lues. *Hieroph. lib.* 1. *cap.* 8. Sic affectæ arbores, &, vel malos & putres, vel nullos omnino fructus ferentes, comparantur Irregenitis, quorum animus totus morbus eſt. Nunc enim propter ſcelerum ardorem, defectum gratiæ cœleſtis, roris & pluviæ inſtar eos refectura, marceſcunt, nunc iræ divinæ ſenſu velut fulmine atque grandine tacti languent tremuntque; Nunc acerrimis curis moleſtiſſimisque de ſalute ſua dubiis jactantur, & ceu vento concuſſi fluctuant. Nunc denique Vermis conſcientiæ non moriturus ad perniciem cruciat mordetque. Morbidas vel malas arbores in Evangelio Chriſtus Pſeudoprophetis ſive falſis Doctoribus comparavit quos facile externa ſpecie impoſituros, non ex factis ſed ex doctrinæ ſuæ fructibus vult judicari, quam bonam atque ſalubrem ex bona, malam vero & exitioſam

ex

ex mala putrique arbore edi in confeſſo ſit.

Exordium aliud, ad verba: *Non quisquis dicit mihi Domine, Domine &c. Ex Matth.* 21: 19. *& ſeqq.* de Fico folia duntaxat ferente, ideoque a Domino maledicta. *Hierophyt. part.* I. *cap.* XVII. *ſect.* 14.

Dominica IX. Trinitatis.

Luc. 16: 8. *Seculi hujus filii ſunt prudentiores, quam filii lucis in ſuo genere.*

2 *Sam.* 16: 1, 2, 3. De Tziba Mephiboſethi ſervo narratur, quod Davidem Regem ab Hieroſolymis ſecedentem viatico proſequutus fuerit. David ecce, verba ſunt divini Scriptoris, tranſierat paululum præter verticem montis (Olivarum) quum ecce Tziba, puer, id eſt, famulus Mephiboſethi venit obviam ei, & par aſinorum inſtratorum, quibus impoſiti erant ducenti panes, & centum uvæ paſſæ, centúmque æſtivi fructus, & uter vini. Largum a ſervo viaticum, Par aſinorum dorſualibus & clitellis ſtratorum ad vehendam regis familiam; Ducenti panes & centum uvæ, non ſane viliores aut magnitudine inferiores Damaſcenis, quas Arabica voce *Zibeben* dicimus: Centum æſtivi fructus, id eſt, Poma centum, vel, juxta Seniorem Septuaginta verſionem, *Palathas*, ad alendos juvenes, & vinum generoſum, ad bibendum, ſi quis in deſerto erat defatigatus. Palatha, ut Hieronymus in primum Hoſeæ expoſuit nomen *Debelim*, dicitur maſſa ficuum caricarum, quos in morem laterum figurantes, ut diu illæſæ permaneant, calcant, atque compingunt. Sine dubio commeatum hunc abduxerat Tziba ex fundo ſive prædiis Mephiboſethi hereditariis, inſcio Mephiboſetho, ex alieno futurus liberalis; & quia verebatur, ut hoc viaticum ſufficeret, ſpei, quam de bonis heri acquirendis ceperat, furto ſuo aliud ſcelus addidit, deteſtabili calumnia innocentem virum onerando, quo apud credulum Regem facile obtinuit, ut, quod tantopere diſcupiverat, in poſſeſſionem herilium bonorum immitteretur. Tam ſolerti prudentia fortunis ſuis Tziba providit, ſtudiumque & curam in hoc convertit, ne quis egeret. Utinam in quærendis cœleſtibus bonis tam acres & tam conſiderati eſſent Chriſtiani, quam in ſectandis terreſtribus & caducis rebus homines ſeculi. Fere enim hi ſunt prudentiores filiis lucis in ſuo genere, quod in prælecto E-

 vangelio

vangelio Chriſtus etiam teſtatur, ſolertiam & mores iſtorum exemplo diſpenſatoris callidi apertiſſime planiſſimeque explicans, qui cum bona heri dilapidaſſet, advocatis ſingulis ejus debitoribus corruptisque eorum ſyngraphis, olei frumentique debitiones minuit, ut abdicatus a diſpenſatione perfugiva ac domicilium apud ipſos reperiret.

DOMINICA X. TRINITATIS.

Luc. 19: 43, 44. *Veniet tempus adverſum te, quo circumjicient tibi inimici tui vallum, & circumcingent te, & conſtringent undique, teque ſolo æquabunt & filios tuos intus, neque relinquent in te lapidem ſuper lapidem.*

Ezech. 21: 46, 47. *Fili hominis, diſpone faciem tuam dexteram verſus, & fac ut ſtillet verſus auſtrum: ac prophetato in ſilvam agreſtem, meridiem verſus, dicens ſilvæ meridianæ; ſic ait Dominus, Jehova DEUS, ecce ego accenſurus ſum in te ignem, qui conſumat in te omnem arborem viridem, & omnem arborem aridam,* (id eſt juſtum & improbum, ut conſtat ex *cap.* 21. *verſu tertio.*) non extinguetur flamma inflammatiſſima, non ceſſabit gladius, e vagina ſua, ignis inſtar conſumturus populum. *Hieroph. Part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* IV. & *c.* 10. *ſect.* 29.

Exordium aliud, ex *Luc.* 13: 6. *Ficum habebat quidam plantatam in vinea ſua; & venit quærens fructum in ea, neque invenit. Dixit autem vinitori. Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in vite iſta, & non invenio: exſcinde eam, quorſum enim terram inutilem reddit? Ille vero reſpondens dixit ei, Domine, ſine eam etiam hoc anno usque quo fodero circum eam, & miſero ſtercus.* Expoſitionem parabolæ invenies. *Hierophyt. lib.* 1. *cap.* 17. *ſect.* 13.

DOMINICA XI. TRINITATIS.

Lucæ 18: 14. *Deſcendit iſte juſtificatus domum ſuam, potius quam ille; Quia, quicumque ſe extollit, deprimetur, & qui ſeſe deprimit, extolletur.*

2 *Reg.* 14: 19. *Quædam Spina, quæ in Libano erat, miſit ad Cedrum, quæ erat in Libano ad dicendum, da filiam tuam filio meo in uxorem: interea præteriens beſtia agreſtis, quæ in Libano erat, conculcavit Spinam illam. Part.* 1. *c.* 59. *ſect.* 2. *Hierophytici.*

Do-

Dominica XII. Trinitatis.

Marci 7: 37. Qui ſurdum ægre loquentem a Chriſto ſanitati viderant reſtitutum ſupra modum percellebantur, dicentes. Bene omnia fecit; Facit ut & ſurdi audiant, & muti loquantur.

Pſal. 148: 9. *Laudate Dominum Arbores, omnesque Cedri.* Hac voce arbores ad laudem Dei excitantur. Non eſt ſermo, neque verba eis, & ſine his intelligitur vox earum, ut de Cœlis gloriam divinam enarrantibus dictum *Pſal.* 19: 4. Concelebrant enim arbores infinitam conditoris ſui ſapientiam, qui poſt tot ſecula vim eis genitalem conſervat. Adde quæ ſequuntur *Hieroph. part.* 11. *cap.* 1. *ſect.* 14. Si inanimes creaturæ tantopere Deum concelebrant, quanto magis hominem decet ad divinam imaginem conditum, Dei admiranda opera extollere laudibusque gratiam evehere, quam ſibi, atque proximo per Chriſtum contulit. Hoc idem exemplo ſuo etiam docuerunt, qui quantopere poterant Chriſti miraculum ſurdum difficulter loquentem deprædicarunt, &c.

Dominica XIII. Trinitatis.

Lucæ 10: 28. *Hoc fac, & vives.*

Gen. 2: 16, 17. *Interdixit Jehova Deus homini, dicendo: De fructa quidem omnis arboris horti libere comedes: De fructu vero Arboris Scientiæ boni & mali, de iſto ne comedas: nam, quo die comederis de eo, utique moriturus es.* Fuit Arbor vitæ illa, quæ homini de fructu ſuo conſervaret vitam, & vires corporis, donec abſoluta periodo terrenæ vitæ transferretur in cœleſtem. Arborem vero, quæ ſcientiæ boni & mali dicitur creavit Deus, ut homo abſtinentia fructus ejus ſuam Conditori reverentiam & obedientiam probaret, & experientia diſceret, quantum maneret bonum præcepta ejus obſervantibus quantumque malum transgreſſores. Ut igitur ejus animo vehementius ſtudium, majoremque legis implendæ curam injiceret, inſignem obſequio promiſſionem, interitum vero inobedientiæ denunciavit. Quo die, inquit, comederis de fructu illius arboris certo moriturus es: Periturus morte non tantum naturali, quæ vitam naturæ tollit, animamque a corpore ſeparat, ſed quam maxime ſpirituali, quæ vitam gratiæ inte-

interimit, totumque a Deo hominem ſeparat, & æterna, quæ vitam avertit æternam hominemque a Deo in æternum disjungit. Pariter, quum legem in Sinai monte promulgaret, ut populi ſtudium atque curam ſervandæ legis acueret, exerciturum ſe pollicetur benignitatem in milleſimos *a patribus*, iis, qui eum diligunt & obſervant mandata ejus; viſitaturum autem peccata Patrum in filios, in nepotes & in abnepotes, in eos, qui odio proſequuntur ipſum. *Exod.* 20: 5, 6. Idem huic populo denunciat, *Deut.* 30: 19. Conteſtor hodie contra vos Cœlum & terram, me vitam ac mortem propoſuiſſe tibi, benedictionem & maledictionem, ut vitam electurus vivas tu cum ſemine tuo. Licet ergo ex nativis viribus poſt lapſum homo perfectam legibus divinis obedientiam præſtare nequeat, ea tamen de cauſa regenitorum eorumque quos Patri ſuo Chriſtus reconciliavit ex vera fide profecta opera, quia ſunt fructus Spiritus Sancti, non averſatur DEUS. Nam & hac opera ſalus animarum ſequitur. 1 *Pet.* 1: 9. & ſanctificationis finis eſt vita æterna. *Rom.* 6: 22. quæ ſanctimoniæ vitæ, ut dictum, ratione ſequelæ adſcribitur, quoniam in ſtudio Sanctitatis, tanquam in ſtadio divinitus propoſito ad metam illam pervenitur. 1 *Cor.* 9: 24. Interim ſola fide, ut ſancto organo, in Chriſto redemtore vitam æternam obtinemus. Ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus. *Rom.* 3: 20. Qui autem infirmitatem ſuam & nativam legis implendæ ἀδυναμίαν non agnoſcunt, vel externam duntaxat obedientiam requirere legem, vel actu quodam exteriori Juſtiſſimo Legiſlatori ſatisfieri putant, eis omnem juſtitiam derogat. Cujus rei exemplum præbuit Chriſtus cum falſa & inani juſtitia turgentem legis interpretem, temeritatis & inſcitiæ, ex illa ipſa Lege, quam ſervaſſe crediderat, potentiſſime convicit: dicere Fac hoc, & vives, id eſt, dilige Dominum, Deum tuum ex toto corde &c. & proximum, id eſt, amicos atque inimicos tuos, ut te ipſum.

DOMINICA XIV. TRINITATIS.

Lucæ 17: 14. *Profecti oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, ut inter eundem purificati ſint.*

Levit. 14: 6. In ritu, quo leproſus ſanitatem adeptus in cœtum populi recipiebatur, præceptum etiam Sacerdoti fuit, ut aviculam

aviculam vivam acciperet lignumque cedrinum, & dibaphum coccineum, & hyſſopum, & intingeret illa ſimul cum avicula viva in aviculæ ſanguinem jugulatæ ſuper aquam vivam. &c. Explicationem loci hujus *vid. Hierophytici. p.* II. *cap.* VIII. Morem de ſanitate leproſorum hominum judicandi, ad ea tempora duraſſe quibus in terris Chriſtus obumbulavit, ex eo patet, quod a ſe miraculo Sanctos ad Sacerdotes Hieruſolymitanos miſit, qui de munditia eorum judicarent.

Dominica Trinitatis XV.

Matth. 6: 28. *De indumento quod ſoliciti eſtis? Diſcite quomodo lilia agrorum augeſcant, non fatigantur, neque nent. Sed dico vobis; ne Salomo quidem cum univerſa gloria ſua ſic amictus fuit, ut unum ex iſtis.* &c.

Cantic. 2: 1, 2. *Ego inquit* ſponſus Eccleſiæ, *ſum Aſphodelus Scharonis; lilium convallium. Ut lilium inter ſpinas, ita eſt Amica mea inter filias.* Omnium ex herba naſcentium florum facile principatum tenet *Lilium. Ut mirum adeo non ſit Sponſum in Cantico Solomonis comparari lilio convallium. *Hierophyt. Part.* II. *cap.* 3. *ſect.* 2. & Amicam ejus Lilio inter ſpinas. *Part.* I. *c.* 59. *ſect.* 5. Tantis igitur dotibus, tantoque ornatu florem quum inſtruxerit Deus, an filiis regnum ejus quærentibus veſtitum negaret. *vid. Hierophyt. Part.* II. *cap.* 3. *ſect.* 10.

Dominica XVI. Trinitatis.

Luc 7: 12. *Ut appropinquavit Jeſus, portæ civitatis Naim, tum ecce defunctus efferebatur, qui unigenitus fuerat matris & ipſi quidem viduæ.*

Ijob. 14: 2. *Homo ut flos, ſimulac egreſſus eſt, ſucciditur. Hierophyt. Part.* I. *c.* 4. *ſect.* 16. Novit Deus ipſius mortalis ſimiles fœno dies eſſe, ſicut flos agri ſic florere ipſum. *Hieroph. Part.* II. *cap.* 2. *ſect.* 3. & 8.

Dominica XVII. Trinitatis.

Luc. 14: 11. *Quisquis ſe extollit deprimetur, &, qui ſe depreſſerit, extolletur.*

Zachar. 1: 8. *Myrti in profundo humilium ſunt imago. Hieroph. Part.* I. *cap.* 24. *ſect.* 4.

DOMINICA XVIII. TRINITATIS.

Matth. 22: 42. *Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt.*

In vaticiniis de Chriſto, ex Davidis regia ſtirpe naſcituro, eximium eſt illud *Ezechielis* 17: 22. *& ſqq. Sic ait Dominus, Jehova Deus, attamen accipiens ego e ſummo calamo illius cedri proceræ* de domo Davidica, *reponam*; *e ſummitate tenerorum ramorum ejus tenellum*, Chriſtum, *decerpens plantabo ego ſuper montem altum & aggeſtum*, *in* Eccleſia, quæ montis inſtar excelſa, & quia accumulat, auget & extollit eam Deus, Mons aggeſtus. vſ. 23. *In monte celſitudinis Iſraelis.* In Eccleſia Iſraëlitica, Dei monte, *Pſal.* 68: 17. *plantabo eum, & proferens ramum faciet fructum*, proferet cœtum fidelium & fructificabit in ſingulis membris, & abibit in Cedrum excellentem, Regum Rex & Dominus dominantium fiet; *habitabuntque ſub ea omnes aves cujuscunque alæ:* Judæos intelligit & gentes, ac præſertim Sanctos, qui cœleſtia cogitant & è terra in cœlum mente evolant, in umbra palmitum ejus habitabunt, ad eum confugient præſidio ejus fruituri. Fuſiorem loci explicationem. *vide Hierophytici Part.* 1. *cap.* 41. *ſect.* 6. *cap.* 3. *ſect.* 3. *& cap.* 1. *ſect.* 10.

DOMINICA XIX. TRINITATIS.

Matth. 9: 6. *Paralyſis verbo Chriſti ſanatur.*

Galbanum ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ, in pluribus Italiæ locis & hodie venalis, ſuffitui olim ſacro miſcebatur, *Exod.* 30: 34. *Vid. Hierophyſ. Part.* 1. *cap.* 53. Galbanum, ſi uratur, nidore ſuo ſerpentes fugare, neque pati perunctum eo feriri, ſerpentes quoque cum oleo & ſphondylio circumpoſitum necare tradit Dioſcorides lib. III. cap. 81. Utiliter etiam adhiberi paralyticis, ſi membra & vertebræ eo perungantur noſtri temporis perhibent Medicorum peritiſſimi. *Vid. Zuingerus in Theatro Botanico pag.* 697.

Ut Serpentium ictus, id eſt, virulentas hoſtium linguas averteret & paralyſin ſanaret, non Galbano, aut alia quavis herba indiguit Servator noſter, Chriſtus, malignas hominum mentes graviſſimumque morbum verbi ſui exquiſitiſſimo remedio curans.

Dominica XX. Trinitatis.

Matth. 22: 4, 5. *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altitia mactata ſunt, & omnia parata: adeſte ad nuptias. Illi autem quum hoc neglexiſſent abierunt &c.*

Num. XI: 4, 5, 6. Iſraëlitæ ad cœleſte manna nauſeantes cucumenes, pepones, porra, cæpas & allia præoptarunt. *Fleverunt filii Iſraelis dicentes: ô ſi quis daret nobis comedendam carnem, Recordamur piſcium, quos edebamus in Ægypto gratis, cucumerum, & peponum, & porrorum, & cæparum, & alliorum. Et nunc anima noſtra arida eſt, nihil quicquam eſt, tantum Man ob oculos noſtros.* de quo etiam *Num.* 21: 5. querebantur: *Tædet animam noſtram hujus cibi viliſſimi.*

Dominica XXI. Trinitatis.

Johann. 4: 47. *& ſqq. Recenſentur Reguli Capernaitici. virtutes & lapſus.*

Non eſt malogranatum in quo non inſit granum nequam. Renatorum virtutes vitiis non raro ſociantur. Sic in multis quidem Reguli virtus enituit 1. Ad Chriſtum venit. 2. Patienter tulit reprehenſionem. 3. In fide progreſſus fecit. 4. Verbo Dei perſtitit obſequium. 5. Familiam docuit. Sed idem ſuis quoque vitiis urgebatur. Non enim 1. niſi rebus deſperatis ad Chriſtum venit. 2. Chriſto præſcribit modum & tempus. Deſcende, inquit, priusquam moriatur puerulus meus. 3. Fide laborabat infirma.

Dominica XXII. Trinitatis.

Matth. 18: 33. *Nonne oportuit & te miſereri, ut & ego tui miſertus ſum.*

Sudant Myrrhæ arbores ſponte ſtacten dictam, cui nulla præfertur, ſudant etiam inciſæ ſuccum haut ignobilem. Si tamen poſt inflictum vulnus ſtillare ſuccum deſinant, earum ligno, ceu inutili, focus extruitur. Quæ poſt inciſionem ſtillat myrrha ſymbolum eſt hominis, qui a proximo læſus & offenſus ipſi benigne facit, uti Rex, qui ſervi ſui ingenti debito offenſus, & miſertus eſt illius ac debitum remiſit. Sterilis & defecta ſucco myrrha repræſentat homines, ad miſericordiam haut pronos, qui-

bus, quia miſericordiam non præſtiterunt damnatio erit absque miſericordia. *Jacob.* 2: 13. quod utique expertum habuit ſervus nequam, qui conſervi precibus & ærumna ad miſericordiam non adductus, ob id ab irato Rege tortoribus tradebatur, donec redderet omne quod ei debuit.

DOMINICA XXIII. TRINITATIS.

Matth. 22: 21. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari.*

Dan. 4: 17, 18, 19. Daniel Nabuchodonoſori ſomnium interpretans, Arbor illa, inquit, quam vidiſti, quæ crevit & roborata eſt, cujus altitudo pervenit ad cœlum, aſpectuque ſuo ad finem terræ, &c. *Tu es, ô Rex, qui proximam inter homines dignitatem & faſtigium tenes, & Dominium tuum extenditur ad finem totius terræ.* Sub qua umbram captarunt beſtiæ agri, *ſub gratiæ tuæ præſidio ac tutela degunt hactenus Leones & Urſi, hoc eſt, viri militares, Boves agricolæ, Cervi & lepores, imbelles timidique cives, Simiæ, adulatores ac ſimulatores, Vulpes, homines vafri.* In cujus ramis ſidebant aves cœli, ii, quibus res ſublimiores curæ ſunt, Magi, Aſtrologi, Aruſpices, de quibus *Daniel.* 4: 4. vel qui ſummo loco nati aut poſiti Regni primores, Satrapæ, Antiſtites, Præfecti, Senatores, Legis periti, Juſtitiæ exſecutores, de quibus *Dan.* 3: 2. Quæ autem eximia & præſtantia de hac arbore prædicantur, ea ſubditos, quid muneris erga Regem fungi & ſuſtinere debeant accuratiſſime commonent. Proceritas arboris, quæ ad cœlum pervenit, & aſpectu ad finem totius terræ, reverentiam verecundiamque Majeſtatis populo commendat. Fructus ac cibus ex arbore perceptus ad amorem ſubditorum impellit, quibus de amictu, de nutricationibus & alimoniis atque ſalariis Principis ſolicitudo proſpicit. Rami, ſub quorum umbra quietem captare & tranquille placideque traducere vitam licet, promptæ referendæ gratiæ ſubditis inſinuat; ne pigeat ipſos pro regum tutela & præſidio tributum pendere ac vectigal, & quod Chriſtus præcipit, *reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Vid. Hieroph. Part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 19.

Dominica XXIV. Trinitatis.

Matth. 9: 24. Secedite : non enim mortua eſt puella, ſed dormit ; & deridebant eum.

Eccleſ. 7: 8. Ut crepitus ſpinarum ſub olla, ita eſt riſus ſtolidi. Part. 1. cap. 14. Hierophytici.

Dominica XXV. Trinitatis.

Matth. 24: 15. ſqq. Quum ergo videritis abominationem illam vaſtatricem quæ dicta eſt per Danielem prophetam &c.

Amos 8: 1, 2. Oſtendit viſionem mihi Dominus, Jehova Deus, quod ecce cophinum æſtivorum fructuum. Quumque dicenti, quid vides Amos? dixiſſem Cophinum æſtivorum fructuum, dixit Dominus mihi, advenit finis populo meo Iſraëli, non pergam amplius præterire ipſi. Vid. Hierophyt. Part. 1. c. 17. ſect. 5. & cap. 5. ſect. 9. & Part. 11. c. 26. ſect. 21.

Dominica XXVI. Trinitatis.

Matth. 25: 34. Adeſte benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.

Cantic. 2: 10, 11, 12. Surge Amica mea, Pulcra mea & veni. Nam ecce hiems tranſiit, pluvia præteriit, abiit. Flores conſpiciuntur in terra, tempus minuritionis [cantillationis avium] *advenit, & vox turturis auditur in terra noſtra. Ficus protulit groſſulos ſuos, & vites prima uva edunt odorem. Surge amica mea, pulcra mea, & veni.*

Non *Origenes* tantum ſed & ex noſtris Doctoribus quidam textum hunc ad ſecundum ſeu ultimum Chriſti adventum retulerunt ; exiſtimantes Jeſum Chriſtum Amicam ſuam, Eccleſiam, quam ut eſſet absque macula & irreprehenſa ſibi Patrique ſuo proprii ſanguinis effuſione ſanctificavit & mundavit, *Epceſ.* 5. ad ſe blandiſſimis invitaſſe verbis, ut poſt hiemem tranſactam, id eſt, poſt ærumnas vitæ hujus poſt imbrem lacrymarum cælique noxiam temperiem, lætaretur flo-

rum apparitione vernorum, turturum cantillatione, ficuumque & uvarum germinatione, id eſt, ut voluptatem caperet de electis Dei filiis è terra ad æternam vitam reſurgentibus, Deum ſuum cantu celebrantibus, & accepto glorioſo atque incorruptibili corpore, iterum germinare incipientibus.

INDEX DICTORUM,

Quæ vel explicantur, vel nove ex Hebræorum ſermone vertuntur, vel ab interpretatione falſa vindicantur.

Numerus I. *indicat partem Primam.* II. *Secundam.*

GENESIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	11.	I.4
	29,	I.6
II.	3.	I.193
	12.	I.127
	4,5,6.	I.75
	8,9.	I.89
	9.	I.107,116
III.	2.	I.4
	8.	I.97
	7.	I.155
	17,18.	I.462
	22.	I.108,109
IV.	3,4,5,6.	I.51,52. II.112
VI.	14.	I.376
VIII.	11.	I.37,180
IX.	20,21.	I.280
XII.	6.	I.358
XIV.	3.	I.344
	13.	I.4
XVIII.	1.	I.359
XIX.	25.	I.37
XXI.	33.	I.80
XXV,	29—34.	II.125, 126
XXVII.	15.	I.448
	27.	I.70
	39.	I.70,71
XXX.	14.	I.257—270

Cap.	Verſ.	Pag.
	37.	I.365,366
	37,38,	I.22,24
XXXVII.	7.	II.154
	24.	I.12
XL.	10	I.40,58,285
XLI.	17,18	II.216.
XLIII.	11	I.47,212,224
XLIX.	11	I.274,315,330, 340
	12	I.325
	20	II.168
	22	I.65,3[illegible]4
L.	10,11	I.482

EXODI.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	3	II.211,215
III.	2	I.476
IX.	3	II.122
	31	II.50
XII.	18	ibid.
	18,19	II.1[illegible]9
	22	II.42
XV.	25	I.99,101
	27	I.137
XVI.	31	II.174
XXII.	5	I.316
	29	I.44
XXIII.	10	II.73,148
XXV.	10	I.428.

XXV.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXV.	33, 34, 35	l. 148
XXVI.	3	ll. 142
	33	l. 193
XXVII.	1, 6	l. 428
XXVIII.	33, 34	l. 146
	36	l. 193
	40, 42	ll. 139
XXIX.	40	l. 95
XXX.	26	l. 193
	1	l. 428
	22, 23	l. 193, 446. ll. 206
	24	l. 238
	25	l. 193
	26	ibid.
	34	l. 4,0

LEVITICI.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	1	l. 407
	4	ll. 174
	11	l. 125
	11. 12	ll. 179
	14	ll. 100
	14, 15	l. 407
V.	1	l. 193
	11	l. 408
VI.	10	ll. 180
IX.	10	l. 290
X.	12	ll. 175
	9	l. 321
XI.	37	ll. 81
XIV.	4, 5, 6	l. 392
	6, 7	ll. 42
	15—18	l. 203
XIX.	9	ll. 101
	10	l. 302
	19	ll. 80
	23	l. 61
	23, 24, 25	l. 52
XXI.	6	ll. 164
XXIII.	10, 11	ll. 154
	39	l. 436
	40	l. 31, 133

Cap.	Verſ.	Pag.
XXIV.	5, 6, 7	ll. 182
	7	l. 408
XXV.	5	ll. 148
	4, 5	ll. 143
	22	l. 43
XXVI.	36	l. 35
XXXIII.	14	ll. 100

NUMERORUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	7, 8	ll 183
V.	15	l. 193, 393.
VI.	3	l. 294, 321
IX.	10, 11	ll. 175
XI.	5, 6	ll. 37, 58—60
	7	ll. 50
XIII.	23 vel 24	l. 284
XV.	20	ll. 173
XVII.	8	l. 40, 216—222
	46, 47	ll. 394
XVIII.	12, 13	l. 155
XIX.	6	l. 393
	18	ll. 42
XXII.	24	l. 199
XXIV.	6	l. 398
XXVIII.	1—7	ll. 164
	7	l. 321
XXIX.	12	l. 193
XXXIII.	9	l. 137

DEUTERONOMII.

Cap.	Verſ.	Pag.
VIII.	8	l. 125, 145 ll. 115
XI.	10	ll. 17.
	11	ll. 105
XVI.	3	ll. 175
	21	l. 81, 83, 99
XIX.	19	l. 35
XX.	6	l. 282, 317
	19	l. 49, 50
XXI.	23	l. 99
XXII.	9	l. 44, 315
	10	ll. 72

Cap.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXII.	11	II. 234
XXIII.	24	I. 316
XXIV.	1	I. 302
XXVIII.	40	I. 175
XXIX.	18	I. 15. II. 10
XXXII.	2	II. 5
	13	I. 177
	32	I. 2, 94, 318, 343
	33	I. 329. II. 55
	38	I. 329
XXXIII.	13,14,15	I. 45, 47
	28	II. 103

JOSUAE.

II.	6	II. 131
V.	11	II. 99
XXIV.	26	I. 360

JUDICUM.

IV.	5	I. 4
	11	I. 362
V.	14	I. 16
VI.	25	I. 8.
VIII.	2	I. 302
	7, 16	I. 485
IX.	8, 13, 15	I. 97
	8, 9, etſqq.	I. 311
	8. 9	I. 190
	11	I. 42, 157
	14	I. 477
	15	I. 478
	37	I. 11
XI.	40	I. 152
XIII.	13, 14	I. 276
XV.	4, 5	I. 175
	5	I. 342

I. SAMUELIS.

VI.	5	II. 112
X.	3	I. 359

Cap.	Verſ.	Pag.
XIV.	2	I. 144
XV.	12	II. 76
XVI.	20	II. 169
XVII.	7	I. 97
XXI.	5, 6	II. 183
XXII.	7	I. 317
XXIII.	15,16,19	I. 78
XXV.	18	II. 172
XXXI.	vſ. ult.	I. 358

II. SAMUELIS.

V.	18	I. 513
XIV.	2	I. 193
XVI.	1, 2	I. 44
	2	II. 169
XVII.	28	II. 128
XVIII.	9	I. 29, 30
XXIII.	1	II. 126
	4, 5	II. 5
	6	I. 163

I. REGUM.

IV.	25	I. 159
	33	II. 43, 44
VI.	2	I. 391
	9, 10	I. 390
	34	I. 373
	29	I. 135
	31, 32	I. 175
	34	I. 135
	35	I. 391
VII.	2	I. 389
	20	I. 103
	26	II. 27
	36	I. 136
X.	11, 12	I. 103
	27	I. 252, 390
XII.	14	I. 485
XIV.	3	II. 175
XVIII.	21	II. 200
XIX.	5	I. 254

Cap	Verſ.	Pag.
XXII.	27	II. 190

II. REGUM.

III. 8	19	I. 70
IV.	1	I. 206
	3	II. 17, 218
	41	II. 78, 101
VI.	6	I. 101
	25	II. 129
XIV.	9	I. 466
XVII.	10	I. 82
XIX.	23	I. 83. II. 77
	29	II. 144
	30	I. 16
XX.	6	I. 57
	13	I. 212
XXIII.	4	II. 71
	6	I. 82

I. CHRONICORUM.

IV.	2	II. 133
	8	I. 464
X.	2	I. 4
X. vel XI.	12	I. 11

II. CHRONICORUM.

I. 15. & IX.	2	I. 389
II.	6	I. 362. II. 78
	10	II. 122
	8	I. 103, 104
	ibid.	II. 114
III,	5	I. 373
	14	I. 78
XXVII.	7	I. 79
XXXI.	5	I. 125
	6	II. 156

NEHEMIAE.

II.	8	I. 89

Cap.	Verſ.	Pag.
VIII.	16	I. 37, 175
XIII.	31	I. 102

ESTHERAE.

II.	12	I. 195, 242

IJOBI.

III.	23	II. 172
IV.	8	II. 74
V.	3	I. 16
	5	I. 471. II. 151
	25	II. 9
	26	II. 151
VI.	7	II. 167
VIII.	2	II. 211
	11	II. 216, 217
	14, 15	I. 20.
	16	I. 27, 57
	18	I. 39
IX.	25, 26	II. 201
	30, 31	II. 68
XIII.	25	I. 35. II. 160
	27	I. 18
XIV.	2, 3	I. 40
	7, 8, 9	I. 7, 64
	10	I. 29, 39
	25	I. 35
XV.	30	I. 27, 56
	33	I. 40. 192, 293
XVIII.	16	I. 18
XIX.	28	I. 17
XXI.	18	II. 159, 161
XXIV.	5, 6	II. 167
	6	I. 347
	20	I. 70
	24	II 99
XXV.	5	I. 395
XXIX.	19	I. 14, 29
XXX.	1, 4	I. 457
	4	I. 256
	7	I. 75. II. 196

Cap.	Verſ.	Pag.
XXXI.	59	I.48
	ult.	I.467
XXXII.	18,19	I.323
XXXIII.	20	I.169
XXXVI.	30	I.18
XXXVIII.	37	I.37
XXXIX.	40	II.123
XLI.	18	II.161
	20	II.160
XLII.	14	I.447

PSALMO.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	2,3	I.8,33,34,64
	4	II.158
IV.	8	I.323
XIV.	4	II.170
XVI.	2	I.275
	4	I.334
XXI.	11	I.55
XXIII.	1,2	II.4
	5	I.199
XXIX.	6	I.388
	9	I.83,85
XXXV.	5	II.158
XXXVII.	2	II.5,12
	25	II.98
XLV.	8	I.198
	9	I.241,398,447
LII.	7	I.18
	10	I.182
LVIII.	8	II.100
	10	I.479—482
LXV.	10,11	II:106
	11	I.37
LXVIII.	19	I.199
	31	II.200
LXXIX.	22	II.55
LXXII.	6	II.12,13
	16	II.13,115
LXXV.	9	I.328
LXXVIII.	25	II.165
	46	I.70.II.111
	47	I.253,296,346

Cap.	Verſ.	Pag.
LXXX.	6	II.190
	9	I.313
	11	I.25,284
	12	I.28,286
	13	I.78,296
	15,16	I.272
LXXXIII.	14	II.160
	15,16	I.69,85
LXXXIV.	7	I.173
XC.	6	II.16
XCII.	8	II.9,11,12
	13	I.128,387
XCVI.	12	I.9
XCVII.	11	II.92
CII.	5	II.11
	10	II.170
	12	II.11
CIII.	15,16,17	II.14,16
CIV.	14	II.11
	15	II.170
	15,16	I.8,67,331
	17	I.372
CV.	15	I.198
	32	I.70
	33	I.296
	35	II.11
CIX.	18	I.209
CXII.	9	II,90
CXVIII.	12	I.463
CXX.	3,4	I.255
CXXVI.	5,6	II.93,94
CXXVII.	2	II.190
CXXVIII.	1	I.314
	3	I.189
CXXIX.	3	II.75
	6,7,8	II.15
CXXXII.	6	I.79,84
CXXXIII.	2	I.207
CXXXVII.	1,2,3	I.436
CXLVII.	9	II.167
CXLVIII.	9	I.9

Cap.	Verſ.	Pag.
PROVERBIORUM.		
III.	18	I.116
IV.	17	II.191
V.	3	I.209
	4	II.40
VI.	18	I.73
VII.	17	I.243, 398, 446
IX.	1—5	I.331. I.1, 192
X.	5	II.151
XI.	28	I.34
	30	I.116
XII.	3	I.15
	12	ibid.
XIII.	12	I.116
XIV.	3	I.57
XV.	4	I.70, 116
	17	II.18
	19	I.485
XX.	1	I.322, 337
	17	II.192
XXII.	8	II.98
XXIII.	6	II.193
	29 etſq.	I.336
XXVI.	8	I.467
XXVII.	16	I.209
	18	I.42, 158
	25	II.8
XXVIII.	3	II.108
XXX.	13	I.136
XXXI.	4	I.338
	6	II.322
	16	I.281
ECCLESIASTIS.		
II.	6	I.37, 65
VII.	1	I.210
	7	I.468
IX.	8	I.202
X.	1	I.210

Cap.	Verſ.	Pag.
	18, 19	I.330. II.168
XI.	1	II.82, 165
	3	I.72
	4	II.82
	6	II.81,82
XII.	5	I.220
CANTICI.		
I.	3	I.207
	6	I.303
	12	II.65
	14	I.451
	vſ. ult.	I.376
II.	1	II.21, 30
	2	I.476
	3	I.4, 98, 119
	5	I.119, 332
	11	I.41. II.12
	13	I.153, 288
	15	I.297
	16	II.24
III.	6, 7	I.240
	9	I.96, 391
IV.	3	I.364
	ibid.	I.146
	5	II.24
	6	I.244, 297
	10	I.326, 331
	11	I.41, 84, 288
	12	I.88
	13	I.46, 147, 398, 446. II.36
	14, 15	I.93
	16	I.66
V.	1	I.239
	5	I.242
	13	II.25
	14	I.379
VI.	1, 2	II.27
	7	I.146

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	11 etſq.	I.223
VII.	3	II.25,116
	6	I.364
	8	I.129
	ibid.	I.131
	9	I.30,119
	10	I.327
	13	I.147,288
	14	I.50
	ibid.	I.257—270
VIII.	2	I.147
	5	I.120
	8,9,10	I.392
	12	I.303,341
	13	I.94

JESAIAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	6	I.202
	8	I.318
	18	I.364
	22	I.328
	30	I.35,69
II.	12,13	I. 360,380
IV.	2	I.38
V.	1	I.210,304,305
	2	I.293
	10	I.301
	24	I.18. II.15
VI.	3	I.203
	13	I.361
VII.	23,24	I.465
IX.	10	I.252
	14	I.25. II.210
	18	I.464
X.	10	I.17
	13	II.166
	71,18	I.85,470
	27	I.205
	33	I.28,32
	34	I.88
	39	I.71
XI.	1	I.21
XIV.	18	I.372
	19	I.56
	30	I.17
XVI.	1,8	I.347. II.71
	9	I.44. II.152
	10	II.77
XVII.	5	II.152
	6	I.49,191
	9	I.26,76
	10,11	I.71
XVIII.	2	II.211
	4	II.18
	5,6	I.41,292
XIX.	6	II.201
	7	II.214
	9	II.133
	15	I.25
XXIII.	3	II.152
XXIV.	13	I.191
XXV.	2	II.77
	10	II.162
XXVI.	19	II.18
XXVII.	2	I.306
	4	I.465
	6	I.16
	10	I.28
	11	I.29
XXVIII.	7	I.322
	24	II.79
	25	II.53,113
	27	II.49
	28	II.165
XXIX.	5	II,159
	17	I.83. II.77
XXXII.	13	I.464
	15,16	II.77
	17	I.42
XXXIII.	9	I.85,388
	11	II.160
	12	I.463
XXXIV.	1	I.43
	4	I.35,167,287
	13	I.468

Cap.	Verſ.	Pag.
XXXIV.	13	II. 195
XXXV.	1,2	II. 31
	7	II. 199
XXXVI.	6	I. 200
XXXVII.	24	I. 83,372
	27	II. 18
	30,31	II. 144
XXXVIII.	21	I. 157
XL.	6,7,8	I. 40. II 13
	24	I. 19
XLI:	2	II. 160
	15	II. 159
	19	I. 402, 427
XLII.	3	II. 136,201
	5	I. 44
	19	I. 233
XLIII.	23	I. 408
XLIV.	4	II. 15
	14	I. 100. 368, 432
	19	I. 43
	23	I. 9
XLV.	1	I. 198
	8	I. 52, 53
XLIX.	26	I. 323
LI.	21	I. 339
LIII.	2	I. 27
LV,	10,11	II. 64,107, 108
	12	I. 10
	13	I. 76, 487
LVI.	3	I. 8
LVII.	4	II. 98
	5	I. 375
	9	I. 198
LX.	13	I. 402
LXI.	11	I. 37, 94
	3	I. 357
	5	I. 280
LXIII.	1,2	I. 346
LXIV.	5	I. 35
LXV.	22	I. 10
LXVI.	3	I. 399
	14	II. 5
	17	I. 94

JEREMIAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	11	I. 220
II.	7	II. 77
	22	II. 67
	20	I. 100
	21	I. 307, 309
III.	9	I. 101
IV.	3	I. 462
V.	24	II. 148
VI.	9	I. 302
VII.	18	II. 173
	20	I. 72
VIII.	13	I. 167
	22	I. 395
X.	5	I. 136
XI,	16	I. 27, 185
	19	I. 47, 48, 165
XII.	2	I. 17
	4	II. 10, 108
	13	I. 463
XIII.	24	II. 161
XIV.	4, 5, 6	II. 10
XVII.	5,6	I. 87
	8,9	I. 65
XXI.	14	I. 69
XXIII.	5	I. 39
	28	II. 118, 161
XXIV.	1,2	I. 166
XXV.	2	I. 275
XXVI.	18	I. 83
XLVI.	18	II. 76
	22,23	I. 84
XLVIII.	6,7	I. 96
	32	I. 273
XLIX.	9	I. 302
L.	19	II. 77
LII.	12	I. 149

THRENORUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	5	II. 55

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	19	II. 39, 40
IV.	9	I. 42

EZECHIELIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	6	I. 485
IV.	9	II. 120
VI.	13	I. 156
XIII.	19	II. 124
XV.	2	I. 282, 283
	6	I. 274
XVI.	7	I. 37
	19	I. 204
XVII.	3, 4	I, 26, 28, 273, 274 285, 387
	7	I. 27
	8	I. 25, 295
	9	I. 37
	10	I. 297
	22	I. 386
	23	I. 27, 42
	24	I. 8
XVIII.	2	I. 29
XIX.	11—14	I. 312
	11	I. 285
	12	I. 296
	14	I. 26
XX. 47. vel XXI.	3	I. 6
	44	I. 84
	47	I. 69, 86
XXI.	14—18	I. 102
XXIII.	11	I, 204
XXVII.	5	I. 373
	6	I. 385
	12	I. 391
	15	I. 437
	17	II. 51, 113
	18	I. 346
	19	I. 230. II. 205
XXVIII.	24	I. 464, 469
XXXI.	3—18	I. 79, 380—386
	5	I. 28, 29
	6, 13	ibid.

Cap.	Verſ.	Pag.
	16, 17, 18	I. 4
XXXIV.	25	I. 84
XXXVI.	8	I. 25
XXXVII.	28	I. 193
XL.	3	II. 137
XLV.	13	II. 118
XLVII.	12	I. 34, 47, 50

DANIELIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	7, 8	I. 8
	9	I. 25
	12	I. 14, 20
	17, 18, 19	I. 12
X.	5	II. 140
XI.	7	I. 58

HOSEAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	8	I. 469
	9	I. 323
	14	I. 165
	16, 17	I. 306
	21, 22	I. 62. II. 103
III.	1	I. 289
	2	II. 123
IV.	11	I. 289, 336
	12	I. 102
	15	I. 98, 360
	13	I. 98, 365
	18	I. 328
VII.	5	I. 338
	8	II. 173
VIII.	7	I. 37. II, 92, 97
IX.	4	II. 193
	6	I. 468
	10	I. 157
	16	I. 18, 294
X.	1	I. 300
	4	II. 54, 55
	12	II. 83
	13	I. 55. II. 74
XIII.	3	II. 159

Cap	Verſ.	Pag.
XIV.	6	l. 14, 183. ll. 27
	7	l. 26, 85
	8	l. 372
	ibid.	l. 388
	ibid.	l. 313

JOELIS.

Cap	Verſ.	Pag.
I.		l. 159. ll. 111
	7	l. 159, 160, 285
	17	ll. 96
II.	22	ll. 43
III.	13	ll. 250
	18	ll. 307
IV.	10	l. 427

AMOSI.

Cap	Verſ.	Pag.
II.	9	l. 361, 386
IV.	7	ll. 108
	9	l. 70, 300
V.	7	ll. 40
VI.	6	l. 204
	12	ll. 74
VII.	14	l. 253
VIII.	1	l. 44, 156. ll. 157

OBADIAE.

Cap	Verſ.	Pag.
	verſ. 9	l. 302

JONAE.

Cap	Verſ.	Pag.
II.	6	ll. 216
IV.	6, 7, 8	l. 453

MICHAE.

Cap	Verſ.	Pag.
I.	11	l. 144
II.	11	l. 322
III.	12	ll. 75
IV.	6	ll. 10
	12	ll. 153

Cap.	Yerſ.	Pag.
VI.	5	l. 429
VII.	1	l. 45, 294
	1	l. 47
	4	l. 486

NACHUMI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4	l. 77
	10	l. 468
II.	3	l. 373
III.	12	l. 167

HABACUCI.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	5	l. 338
III.	17	ll. 72

SEPHANIAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	3	ll. 159
	14	l. 149, 150

HAGGAJI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	10	ll. 108
II.	17	ll. 110

ZACHARIAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	8	l. 233
III.	8	l. 37
IV.	1, etſqq.	l. 186, 187
	12	l. 86
VI.	12	l. 38
VIII.	11, 12	l. 42
IX.	15	l. 330
	17	ll. 104, 323
X.	1	ll. 107
	11	l. 330
XI.	1	l. 388
	2	l. 307

MALACHIAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	2	I.42
III.	4	II.67
IV.	1	I.18

SAPIENTIAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	7,8	I.474

SIRACIDIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	19	II.75
VII.	3	II.98
IX.	13	I.324
XIX.	2	I.338
XXIV.	14	I.375
	15	I.403,487
	16	I.241,349
XXXIII.	17	I.301,302
XXXIX.	17	I.475

MACCABAEORUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
2. VI.	7	I.460
3. II.	21	I.461

MATTHAEI.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	11	I.398
III.	8	I.55
	10	I.18,71
IV.	4	II.170
VI.	11	II.185—188
	28,30	II.27
VII.	16	I.51,471
IX.	17	I.324
	19	I.72
XI.	7	II.200,211
XII.	1	II.101
	20	II.201
	33	I.51
XIII.	7,22	I.471
	13,31	II.61
	19	II.87
	20	II.87,88
	22	I.88
	23	II.89
	24, et ſqq.	II.96
	25,26,&c.	II.119
	39	II.150
XV.	13	I.19
XXI.	1	I.154
	8	I.31
	19—22	I.161
	33	I.305,306
	ibid.	I.281
XXIII.	23	II.46,47
XXIV.	4,8	I.200
	32	I.154
XXV.	17	II.176
XXVI.	27	I.333
	29	I.320
XXVII.	34	I.244
	29	I.473
	48	II.45
	59	II.138

MARCI.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	26	II.83
	28	II.105
VI.	12	I.203
VIII.	15	II.182
XIV.	3	II.65,66
	25	I.320
XV.	23	I.244

LUCAE.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	14	I.170
	17	II.116
	23	I.154
IV.	23	I.297
V.	37	I.324

Cap.	Verſ.	Pag.
VIII.	6	II.87
	11	II.84
	12	II.87
	14	II.83
	15	II.89
XIII.	6, 7, 8	I.66, 159, 162
	20, 21	II.181
XIV.	15	II.194
XV.	16	I.430
XVI.	19	II.146
XVII.	6	I.250, 251
XIX.	4	I.171
	8	I.170
XXI.	29	I.154
XXIII.	31	I.7

JOHANNIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	33	II.149
VI.	9, 10	II.172
	35	II.194
XII.	13	I.31, 141
	24	II.94, 116
XV.	1, 2	I.277, 278, 307. II.79
	5	I.286
	6	I.287
	16	I.54
XIX.	2	I.362
	29	II.45
	39	I.249, 398. II.198
	40	II.138

EPIST. AD ROMANOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	5	I.53, 60
	21	I.52
VII.	5	I.54, 55
XI.	16	I.13
	17	I.30
	18	I.20, 182
	24	I.58, 59, 183
XIV.	2	II.18

Cap.	Verſ.	Pag.
XV.	28	I.54

I. AD CORINTHIOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	12, 13	I.96. II.161
V.	6	II.181
IX.	7	II.178
	7	I.279
XV.	19	II.155
	35, 36, 37, 38	II.94, 95, 117

II. AD CORINTHIOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	10	I.54. II.90

AD GALATAS.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	7	II.90
	9	II.153

AD EPHESIOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	15	I.16

AD PHILIPPENSES.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	11	I.53
II.	17	I.334
III.	8	II.163
IV.	10	I.8

AD COLOSSENSES.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	7	I.16

I. TIMOTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	10	I.14

AD HEBRAEOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	7, 8	I.473
XI.	23	II.212

Cap.	Verſ.	Pag.
	I. PETRI.	
I.	24	II. 13
	JACOBI.	
V.	14	I. 203
	APOCALYPSEOS.	
V.	5	I. 17
V.	8	I. 394
VI.	13	I. 153
VII.	9	I. 32, 142
VIII.	7	I. 69
XI.	3, 4	I. 191
XIII.	18	I. 169
XVIII.	11, 13	I. 446
XIX.	8	II. 143
XXII.	1, 2	I. 110
	2	I. 36
	26	I. 17

INDEX
RERUM & VERBORUM
CUJUS

Prior numerus, Libri Partes, *alter* capita, *tertius* denique, in margine ſcriptus, paginas indicat.

A.

Abbirim Dei nomen ll 28. 166
Abel Sittim h. e. Abela acaciarum. l 48, 427
Abies, hebr. Beroſch, quod male vertunt alii buxum, vel fraxinum & laricem. l 39. 371
—— a Dioſcoride deſcripta. ibid.
Abietis perpetuus viror, vivax Dei gratia. l 39 372
—— Proceritas. l 39. 373
—— Pulchritudo: Regum ſplendor. ibid.
—— Uſus ad opera fabrilia (1) ad ſtructuram templi. (2) ad tegendum templi ſanctum, (3) ad templi portas. 4) ad navium tabulata, (5) ad haſtas & lanceas. ibid.
Abietum cedrorumque lætitia. l 39 372
—— lectiſſimarum denunciata clades. l. 39. 372
Ἀβροχία infeſta vitibus. l 30. 297
—— & ſiccitas herbarum pernicies ll 1. 10
Abſinthium à Syr. אב שנתא non à Græcorum ἅψεσθαι derivandum. ll 7. 40
Abſinthium cum triſtiſſimis, odioſis & ſummopere faſtiditis rebus comparatur. ll 7 39
Abſinthii dotes. ll 7. 40
Abuſus arborum. l 12. 99
Acacia. ejus genera & uſus. l 48. 426
—— copioſe reperitur in agro Thebano, in deſerto Arabiæ & campeſtribus Moabitarum. ibid.
Acacia in deſerto poſita: rerum ſtatum florentiorem lætioremque denotat. l 48. 428
Achu, Sparganium; rejicitur græcorum verſio & eorum qui Achupratum reddunt. ll 38. 216
Acer, a buxo differt, arbor eſt umbroſa, gloria quoque dicitur Libani. l 43. 401
Acervus tritici venter tuus: ſymbolum fœcunditatis. ll 20. 116
conf. ll 3. 25
Adeps Tritici i. e. Triticum laudatiſſimum. ll 10. 113
Adventus Dominici monumentum: ficus germinans. l 17. 154
Adverſis caſibus agitatus: arundo jactata. ll 35. 200
Adulterium cum ligno. l 13. 101
Ægyptus pluviarum fere expers eſt. ll 2. 17
Æmorræus Amoræus ſive Emoræus cum cedro procera comparatus

ratus. l 41. 386
Æſtus inſolitus arboribus infeſtus. l 8. 69
—— torrens olera. ll 2. 18
Æthiopicæ Silvæ Ebeni feraces. l 51. 438
Ævi longioris ſymbolum palma. l 15 128
Afflictio cum centauro comparat... ll 11. 55
Afflictionis Symbolum abſinthium. ll 7. 39
Agallochum lignum Aloes raſum. l 42. 399
Ager lentibus ſeminatus contra hoſtes ab uno ſolo homine defenditur. ll 22. 127
Agmon, Arundo gracibis aquatica, infirmitatis ſymbolum
Agri Jaharis Pſ. 132: 6. l 10. 84
Agricola Deus. ll 17. 79
Agricolæ ignavia vitibus inimica. l 30. 295
Agricolatio. ubi & de terra agris colendis idonea. ll 17. 70
Ahalim ſive Ahaloth nomina ſunt arboribus earumque fœtui data, dicta a ſplendore, non itaque notant ſantalos neque curcumam, non coſtum neque Aloen aromaticam, ſed cedrum majorem & cedrium. l. 42. 394
Aharonis virga germinans quid præfiguravit. l 22. 216
Alga vel fucus marinus quid? non eſt mulierum purpuriſſa vel radicula. ll 38. 215
Algæ & ulvæ differentia. ll 38 216
Algummim vel Almuggim, non ſunt pini, non ligna Braſiliana, non coralina, non thyma (niſi ſi hæc fuerint ligna Atlantica Cedri magnæ Libanicæ Theophraſto & Plinio) non Ebenum nec denique arbor Magath, ſed arbor gummifera ex Libano vel India allata, inſtrumentis muſicis & ædificiis aptiſſima. l 13. 103
Alkali quod vocant Arabes non eſt ex fruticum genere. l 56. 459
Alla & Allon, robur ſ. Æſculus. l 37. 351
Allium, ejusque virtutes in Talmude celebratæ. ll 6. 36
vide cepa.
Aloe, arbor & herba, arbor ab Iſidoro, herba à Dioſcoride deſcripta. ll 34. 197
—— Aromatica & vulgaris deſcripta ex Dioſcoride & Jonſtone. l 42. 398
—— Aromatica erat ex mente Salmaſii, qua corpus Chriſti pollingebatur à Nicodemo. l 42. 399
—— Vulgaris ad curandum corpus Chriſti allata fuit a Nicod. ex ſententia authoris. ll 34. 198
—— vulgaris aculeata. ll 34. 197
Altare cedrinum. l 41. 390
—— ſuffitionis, ſacræ unctionis unguento tinctum, Jeſum deſignat à Spiritu Sancto unctum. l 20. 199
Amicus Sponſæ ſub malo excitatus. l 14. 119
Amici Veteris figura Vinum vetus. l 34. 324
Amoris & gratiæ Jeſu Chriſti hieroglyphicum, Lectica Salomonis Cedrina. l 41. 391
Amygdalus hebr. Schaked & Luz, Schaked ob maturatum florem; Luz a receſſu tunicæ. l 22. 215
—— —— amygdali etymon Syriacum.

cum. ibid.
Amygdalus Symbolum Dei judicium ſuum maturantis. I 22. 220
Amygdala credentium typus. I 22. ibid.
Anethum. II 9. 47
Anethi decimationem an ſuperſtitio ſuaſerit. II 9. ibid.
Angeli & homines Chriſto dotibus ſuis inferiores ſub imagine arborum Silveſtrium. I 1. 4
Angeli induti lineis. II 23. 140
Angelus à S. Joſeph de herba Chali. I 56. 459
Animus fractus: herba tempeſtatibus perculſa. II 1. 11
Animi inconſtantis imago Arundo. II 27. 211
Animum intendere in divitias & voluptates, idem ac inter ſpinas ſerere. I 58. 463
Apologus: ſpes nuptiarum libanicæ ſpinæ fruſtrata. I 59 466
Apoſtatarum blaſphemiæ in Spiritum S. ſpinæ ſunt & tribuli. I 60 473
Aquæ amaritudinem corrigens arbor. I 12. 99
Aquarum penuria arboribus infeſta. I 8. 69
—— proximitas, emblema gratiæ divinæ vigorem ſuppeditantis contra carnis infirmitatem. I 7. 64
Arare afflictionem: parare alteri excidium. II 17. 74
—— & ſerere dicitur qui ſpe magna fretus aliquid aggreditur. II 17. 75
—— iniquitatem, idem quod moliri. II 17. 73
—— tergum eſt viliſſimo ac laborioſiſſimo ſervitutis genere defatigare, cruciare, emaciare. II 17. 75
—— rupem: eſſe inſanum ac furioſum. II 17. 74
Arbor de arboribus in genere earumque ultima origine. I 1. 3
—— arida: Eunuchus. I 1. 8
—— Judæi. I 1. 7
—— Senex. ibid.
—— cadens: hominis conditio. I 8. 73
—— Emblema Regis Chaldæorum. I 1. 12
—— exſcindenda, homo non ferens converſionis fructum. I 8. 71
—— indigena, comparata cum improbo. I 1. 6
—— perpetuifolia: (1) divinæ legis ſtudioſus, (2) imago fidelium qui in Charitatis exercitiis & vitæ Sanctimonia non deficiunt. I 5. 34
—— procera, firmiterque radicata, ſed funditus tandem evertenda, incrementa & res impiorum ſtabilitas notat. I 2. 29
—— regerminans, oppoſita homini in hanc vitam non redituro. I 4, 39
—— revireſcens itidem oppoſita homini in hanc vitam non redituro. I 1. 7
—— rivalis, verbi divini ſtudioſus. I 1. 8
—— Scientiæ boni & mali. I 14 118
—— —— —— non fuit vitis. I 28. 271
—— vel ad meridiem vel ad aquilonem ſine Domini ſui jactura cadens: Eleemoſynæ imago. datori proficuæ ſive in dignum ſive in indignum aliquem conferatur. I 8.

18. 72
Arbor viridis Chriſtus. l 1. 7
—— vitæ, l 14. ab ea cur Deus hominem prohibuerit, an una fuerit in ſpecie ſua. ibid. 108
—— Vitæ, Chriſtus, & arboris vitæ fructus. l 14. 108
—— vitæ, ſapientia, juſtitia, expleta deſiderii exſpectatio, ſermo denique ſanus. ibid. 116
Arboris definitio. l 1. 3
Arbores ad altare Domini. l 12. 99
—— Dei & angelorum cœnaculum. l 12. 97
—— Domini. l 1. 8
—— Domini, quæ absque cultura hominis proveniunt. l 7. 67
—— Edenis, notant Reges Babylonios. l 1. 4
—— Excelſæ: imperia mundi quæ Chriſto ſe opponunt. l 1. 8
—— humiles: Eccleſia vel Regnum Chriſti. l 1. ibid.
—— Juvantia & fœtificantia (1) benignitas creatoris, (2) Sol & luna (3) Pluviæ (4) Nix (5) Rivorum & aquarum proximitas. (6) piſcinæ. (7) Venti. (8) cultura. l 7. 62
—— laudantes. l 1. 9
—— nomina dederunt locis quibusdam. l 1. 10
—— Reſinæ laudatiſſimæ l 44. 404
—— Reviriſcentes dicuntur, ſtudium ac ſolicitudinem ſuam manifeſtantes. l 1. 8
—— Silveſtres, imaginem præbent hominum & angelorum qui dotibus ſuis Chriſto ſunt inferiores. l 1. 4
Arborum culturam in homine peragit verbi miniſterio Deus. l 7. 67
—— differentiæ. l 1. 4
—— diverſæ ſpecies. l 14. 107
Arborum ortus. l 1. 5
—— præputia. l 6. 61
—— propagatio l 6. ſc. (1) ex ſemine proveniunt, (2) oriuntur e plantis radicis (3) ſeruntur propagine. (4) ſurculo inſititio. ibid. 55
—— radices l 2. 13
—— ſexus. l 6. 60
—— ſilveſtrium cantus & plauſus, commune notat gaudium. l 1. 10
—— vivacitas & longævitas. l 1. ibid.
Arboribus frugiferis divina lege cautum. l 12. 95
—— infeſta. l 8. 68
Artificium Jacobi virgas populeas decorticantis. l 2. 23
Ἄρτος ἐπιούσιος, diſſidentes recenſentur doctorum ſententiæ, de origine & ſignificatione hujus nominis, alii ſc. reddunt transſubſtantialem, alii conſubſtantialem, accipientes de pane eucharistico: Nos: convenientem ſ. congruum. ll 30. 185
Arundo, de ea in genere & quid ſit arundo? Calamus? culmus? ll 35. 199
—— agitata: adverſis jactati ſymbolum. ll 35. 200
—— marceſcens hieroglyphicum excidii. ll 35. 201
—— quaſſata infirmorum imago. ll 35. ibid.
—— imago incurvati. ll 37. 210
—— ventis agitata, inconſtantis & animo vacillantis imago. ll 35. 200
Arundineæ naves hieroglyphicum vitæ celeriter transactæ. ll 35. 201

Arun-

Arundineus Scipio infirmum ac periculoſum præſidium. II 35. 200
Arvum, Dei populus. I 10. 83
Aſchera non eſt Idolum Luci. I 10. 82
Aſinus ad vitem. I 32. 314
Aſphalathus, ejus genera. I 62. 487
Aſpalathi ſpinis, tyrannos lacerari apud inferos Plato refert. I 62. 488
Aſper & durus homo, prunus Silveſtris. I 62. 486
Aſphodelus, cujus flos authericon. II 4. 30
Aſphodelo Vetuſtiſſimi Sanctiſſimique hominem victitabant. II 4. 32
Aſſyria Vino fertilis. I 36. 347
Atad: Cynobatus. I 61. 477
—— vim nominis hujus Arabes videntur ignorare. ibid.
Atadi area plangentium Ægyptiorum locus. I 61. 482
Avarities vel amor pecuniæ radix perniciosa. I 2. 14
Aven, urbs Iſraëlitica Hoſ. 10: 5. non confundenda cum Beth aven Benjaminitica Joſ. 17: 11. I 16. 145
Auſtria Crocum mittit laudatiſſimum, quod olim ex Cilicia, Lycia & Ægybo afferebatur; Perſea quoque, Inſula Madagaſcar, Gallia & Hiſpania idem proferunt. II 5. 38
Azymus panis, panis afflictionis. II 28. 175
Azymorum octo dies ſicut paſchatis. II 28. 177
—— primus dies. II 28. 176

B.

Baal Thamar. I 15. 138
Baculus panis. II 28. 170
Balſamum an in Sacro codice reperiatur dubium. I 46. 422
Balſamum, ejus deſcriptiones ex Dioſcoride, Pauſania, Plinio, Strabone, Juſtino. I 46. 419
Balſamum, qua menſura fuerit collectum. I 46. 420
—— colligendi modus. I 46. 421
Balſami arbuſcula, imago Chriſti recens nati & circumciſi. I 46 424
—— Locus natalis Vallis Hiericuntina. I 46. 420
—— plantam prima in Judæam Sabæ Regina intulit. I 46. 421
Barkanim ſpina alba ſ. fulgida & fulguris inſtar penetrans. I 62. 483
Beroſch non notat buxum, non fraxinum & laricem, non noctuam, non cypariſſon, pityn, myrtum, vel juniperum; ſed abietem. I 39. 371
Bethphage Evangeliſtarum non eſt Talmudicum Bethphage. I 17. 153
Beüſchim, omphaces ſ. uvæ tardantes, tardatæ converſionis Symbolum. I 29. 293
Bdellion Chavillæum. I 15. 127
Bdellifera palma, aliis Mokl dicta diſtincta a Bdellio Charillæo. I 15. 127
Bor & Borith, à nitore dicta nomina lomentum ſonat, neutrum v. eſt halymus. II 16. 68
Botnim, Avellanæ, non piſtacium, non dactyli non terebinthi. I 23. 224

Urbium

Cap.	Verſ.	Pag.
MALACHIAE.		
I.	2	I. 42
III.	4	II. 67
IV.	1	I. 18
SAPIENTIAE.		
II.	7,8	I. 474
SIRACIDIS.		
VI.	19	II. 75
VII.	3	II. 98
IX.	13	I. 324
XIX.	2	I. 338
XXIV.	14	I. 375
	15	I. 403, 487
	16	I. 241, 399
XXXIII.	17	I. 301, 302
XXXIX.	17	I. 475
MACCABAEORUM.		
2. VI.	7	I. 460
3. II.	21	I. 461
MATTHAEI.		
II.	11	I. 398
III.	8	I. 55
	10	I. 18,71
IV.	4	II. 170
VI.	11	II. 185——188
	28, 30	II. 27
VII.	16	I. 51,471
IX.	17	I. 324
	19	I. 72
XI.	7	II. 200, 211
XII.	1	II. 101
	20	II. 201
	33	I. 51
XIII.	7, 22	I. 471
	13, 31	II. 61
	19	II. 87
	20	II. 87, 88
	22	I. 88
	23	II. 89
	24, etſqq.	II. 96
	25, 26, &c.	II. 119
	39	II. 150
XV.	13	I. 19
XXI.	1	I. 154
	8	I. 31
	19——22	I. 161
	33	I. 305, 306
	ibid.	I. 281
XXIII.	23	II. 46, 47
XXIV.	4, 8	I. 200
	32	I. 154
XXV.	17	II. 176
XXVI.	27	I. 333
	29	I. 320
XXVII.	34	I. 244
	29	I. 473
	48	II. 45
	59	II. 138
MARCI.		
IV.	26	II. 83
	28	II. 105
VI.	12	I. 203
VIII.	15	II. 182
XIV.	3	II. 65, 66
	25	I. 320
XV.	23	I. 244
LUCAE.		
III.	14	I. 170
	17	II. 116
	23	I. 154
IV.	23	I. 297
V.	37	I. 324

Cap.	Verſ.	Pag.
VIII.	6	II. 87
	11	II. 84
	12	II. 87
	14	II. 88
	15	II. 89
XIII.	6, 7, 8	I. 66, 159, 162
	20, 21	II. 181
XIV.	15	II. 194
XV.	16	I. 430
XVI.	19	II. 146
XVII.	6	I. 250, 251
XIX.	4	I. 171
	8	I. 170
XXI.	29	I. 154
XXIII.	31	I. 7

JOHANNIS.

IV.	33	II. 149
VI.	9, 10	II. 172
	35	II. 194
XII.	13	I. 31, 141
	24	II. 94, 116
XV.	1, 2	I. 277, 278, 307. II. 79
	5	I. 286
	6	I. 287
	16	I. 54
XIX.	2	I. 362
	29	II. 45
	39	I. 249, 398. II. 198
	40	II. 138

EPIST. AD ROMANOS.

VI.	5	I. 53, 60
	21	I. 52
VII.	5	I. 54, 55
XI.	16	I. 13
	17	I. 30
	18	I. 20, 182
	24	I. 58, 59, 183
XIV.	2	II. 18

Cap.	Verſ.	Pag.
XV.	28	I. 54

I. AD CORINTHIOS.

III.	12, 13	I. 96. II. 161
V.	6	II. 181
IX.	7	II. 178
	7	I. 279
XV.	19	II. 155
	35, 36, 37, 38	II. 94, 95, 117

II. AD CORINTHIOS.

IX.	10	I. 54. II. 90

AD GALATAS.

VI.	7	II. 90
	9	II. 153

AD EPHESIOS.

III.	15	I. 16

AD PHILIPPENSES.

I.	11	I. 53
II.	17	I. 334
III.	8	II. 163
IV.	10	I. 8

AD COLOSSENSES.

II.	7	I. 16

I. TIMOTH.

I.	10	I. 14

AD HEBRAEOS.

VI.	7, 8	I. 473
XI.	23	II. 212

Cap.	Verſ.	Pag.
I. PETRI.		
I.	24	II.13
JACOBI.		
V.	14	I.203
APOCALYPSEOS.		
V.	5	I.17
V.	8	I.394
VI.	13	I.153
VII.	9	I.32, 142
VIII.	7	I.69
XI.	3,4	I.191
XIII.	18	I.169
XVIII.	11,13	I.446
XIX.	8	II.143
XXII.	1,2	I.110
	2	I.36
	26	I.17

INDEX
RERUM & VERBORUM
CUJUS

Prior numerus, Libri Partes, *alter* capita, *tertius* denique, in margine ſcriptus, paginas indicat.

A.

Abbirim Dei nomen II 28. 166
Abel Sittim h. e. Abela acaciarum. I 48, 427
Abies, hebr. Beroſch, quod male vertunt alii buxum, vel fraxinum & laricem. I 39. 371
—— a Dioſcoride deſcripta. ibid.
Abietis perpetuus viror. vivax Dei gratia. I 39 372
—— Proceritas. I 39. 373
—— Pulchritudo: Regum ſplendor. ibid.
—— Uſus ad opera fabrilia (1) ad ſtructuram templi (2) ad tegendum templi ſanctum, (3) ad templi portas. (4) ad navium tabulata, (5) ad haſtas & lanceas. ibid.
Abietum cedrorumque lætitia. I 39 372
—— lectiſſimarum denunciata clades. I. 39. 372
Ἀβροχία infeſta vitibus. I 30. 297
—— & ſiccitas herbarum pernicies II 1. 10
Abſinthium à Syr. אב שנתא non à Græcorum ἄψεσθαι derivandum. II 7. 40
Abſinthium cum triſtiſſimis, odioſis & ſummopere faſtiditis rebus comparatur. II 7 39
Abſinthii dotes. II 7. 40
Abuſus arborum. I 12. 99
Acacia. ejus genera & uſus. I 48. 426
—— copioſe reperitur in agro Thébano, in deſerto Arabiæ & campeſtribus Moabitarum. ibid.
Acacia in deſerto poſita: rerum ſtatum florentiorem lætioremque denotat. I 48. 428
Achu, Sparganium; rejicitur græcorum verſio & eorum qui Achupratum reddunt. II 38. 216
Acer, a buxo differt, arbor eſt umbroſa, gloria quoque dicitur Libani. I 43. 401
Acervus tritici venter tuus: ſymbolum fœcunditatis. II 20. 116
conf. II 3. 25
Adeps Tritici i. e. Triticum laudatiſſimum. II 10. 113
Adventus Dominici monumentum: ficus germinans. I 17. 154
Adverſis caſibus agitatus: arundo jactata. II 35. 200
Adulterium cum ligno. I 13. 101
Ægyptus pluviarum fere expers eſt. II 2. 17
Æmorræus Amoræus ſive Emoræus cum cedro procera comparatus

ratus. l 41. 386
Æſtus inſolitus arboribus infeſtus. l 8. 69
—— torrens olera. ll 2. 18
Æthiopicæ Silvæ Ebeni feraces. l 51. 438
Ævi longioris ſymbolum palma. l 15 128
Afflictio cum centauro comparat.. ll 11. 55
Afflictionis Symbolum abſinthium. ll 7. 39
Agallochum lignum Aloes raſum. l 42. 399
Ager lentibus ſeminatus contra hoſtes ab uno ſolo homine defenditur. ll 22. 127
Agmon, Arundo gracibis aquatica, infirmitatis ſymbolum

Agri Jaharis Pſ. 132: 6. l 10. 84
Agricola Deus. ll 17. 79
Agricolæ ignavia vitibus inimica. l 30. 295
Agricolatio. ubi & de terra agris colendis idonea. ll 17. 70
Ahalim ſive Ahaloth nomina ſunt arboribus earumque fœtui data, dicta a ſplendore, non itaque notant ſantalos neque curcumam, non coſtum neque Aloen aromaticam, ſed cedrum majorem & cedrium. l. 42. 394
Aharonis virga germinans quid præfiguravit. l 22. 216
Alga vel fucus marinus quid? non eſt mulierum purpuriſſa vel radicula. ll 38. 215
Algæ & ulvæ differentia. ll 38 216
Algummim vel Almuggim, non ſunt pini, non ligna Braſiliana, non corallina, non thyma (niſi ſi hæc fuerint ligna Atlantica Cedri magnæ Libanicæ Theophraſto & Plinio) non Ebenum nec denique arbor Magath, ſed arbor gummifera ex Libano vel India allata, inſtrumentis muſicis & ædificiis aptiſſima. l 13. 103
Alkali quod vocant Arabes non eſt ex fruticum genere. l 56. 459
Alla & Allon, robur ſ. Æſculus. l 37. 351
Allium, ejusque virtutes in Talmude celebratæ. ll 6. 36
vide cepa.
Aloe, arbor & herba, arbor ab Iſidoro, herba à Dioſcoride deſcripta. ll 34. 197
—— Aromatica & vulgaris deſcripta ex Dioſcoride & Jonſtone. l 42. 398
—— Aromatica erat ex mente Salmaſii, qua corpus Chriſti pollingebatur à Nicodemo. l 42. 399
—— Vulgaris ad curandum corpus Chriſti allata fuit a Nicod. ex ſententia authoris. ll 34. 198
—— vulgaris aculeata. ll 34. 197
Altare cedrinum. l 41. 390
—— ſuffitionis, ſacræ unctionis unguento tinctum, Jeſum deſignat à Spiritu Sancto unctum. l 20. 199
Amicus Sponſæ ſub malo excitatus. l 14. 119
Amici Veteris figura Vinum vetus. l 34. 324
Amoris & gratiæ Jeſu Chriſti hieroglyphicum, Lectica Salomonis Cedrina. l 41. 391
Amygdalus hebr. Schaked & Luz, Schaked ob maturatum florem; Luz a receſſu tunicæ. l 22. 215
—— —— amygdali etymon Syriacum.

eum. ibid.
Amygdalus Symbolum Dei judicium ſuum maturantis. I 22. 220
Amygdala credentium typus. I 22. ibid.
Anethnm. II 9. 47
Anethi decimationem an ſuperſtitio ſuaſerit. II 9. ibid.
Angeli & homines Chriſto dotibus ſuis inferiores ſub imagine arborum Silveſtrium. I 1. 4
Angeli induti lineis. II 23. 140
Angelus à S: Joſeph de herba Chali. I 56. 459
Animus fractus: herba tempeſtatibus perculſa. II 1. 11
Animi inconſtantis imago Arundo. II 27. 211
Animum intendere in divitias & voluptates, idem ac inter ſpinas ſerere. I 58. 463
Apologus: ſpes nuptiarum libanicæ ſpinæ fruſtrata. I 59 466
Apoſtatarum blaſphemiæ in Spiritum S. ſpinæ ſunt & tribuli. I 60 473
Aquæ amaritudinem corrigens arbor. I 12. 99
Aquarum penuria arboribus infeſta. I 8. 69
—— proximitas, emblema gratiæ divinæ vigorem ſuppeditantis contra carnis infirmitatem. I 7. 64
Arare afflictionem: parare alteri excidium. II 17. 74
—— & ſerere dicitur qui ſpe magna fretus aliquid aggreditur. II 17. 75
—— iniquitatem, idem quod moliri. II 17. 73
—— tergum eſt viliſſimo ac laborioſiſſimo ſervitutis genere defatigare, cruciare, emaciare. II 17. 75
—— rupem: eſſe inſanum ac furioſum. II 17. 74
ARBOR de arboribus in genere earumque ultima origine. I 1. 3
—— arida: Eunuchus. I 1. 8
—— Judæi. I 1. 7
—— Senex. ibid.
—— cadens: hominis conditio.
—— I 8. 73
—— Emblema Regis Chaldæorum. I 1. 12
—— exſcindenda, homo non ferens converſionis fructum. I 8. 71
—— indigena, comparata cum improbo. I 1. 6
—— perpetuifolia: (1) divinæ legis ſtudioſus, (2) imago fidelium qui in Charitatis exercitiis & vitæ Sanctimonia non deficiunt. I 5. 34
—— procera, firmiterque radicata, ſed funditus tandem evertenda, incrementa & res impiorum ſtabilitas notat. I 2. 29
—— regerminans, oppoſita homini in hanc vitam non redituro. I 4. 39
—— revireſcens itidem oppoſita homini in hanc vitam non redituro. I 1. 7
—— rivalis, verbi divini ſtudioſus. I 1. 8
—— Scientiæ boni & mali. I 14 118
—— —— —— non fuit vitis. I 28. 271
—— vel ad meridiem vel ad aquilonem ſine Domini ſui jactura cadens: Eleemoſynæ imago. datori proficuæ ſive in dignum ſive in indignum aliquem conferatur. I 8.

18. 72
Arbor viridis Chriſtus. l 1. 7
—— vitæ, l 14. ab ea cur Deus hominem prohibuerit, an una fuerit in ſpecie ſua. ibid. 108
—— Vitæ, Chriſtus, & arboris vitæ fructus. l 14. 108
—— vitæ, ſapientia, juſtitia, expleta deſiderii exſpectatio, ſermo denique ſanus. ibid. 116
Arboris definitio. l 1. 3
Arbores ad altare Domini. l 12. 99
—— Dei & angelorum cœnaculum. l 12. 97
—— Domini. l 1. 8
—— Domini, quæ absque cultura hominis proveniunt. l 7. 67
—— Edenis, notant Reges Babylonios. l 1. 4
—— Excelſæ: imperia mundi quæ Chriſto ſe opponunt. l 1. 8
—— humiles: Eccleſia vel Regnum Chriſti. l 1. ibid.
—— Juvantia & fœtificantia (1) benignitas creatoris, (2) Sol & luna (3) Pluviæ (4) Nix (5) Rivorum & aquarum proximitas. (6) piſcinæ. (7) Venti. (8) cultura. l 7. 62
—— laudantes. l 1. 9
—— nomina dederunt locis quibusdam. l 1. 10
—— Reſinæ laudatiſſimæ l 44. 404
—— Revireſcentes dicuntur, ſtudium ac ſolicitudinem ſuam manifeſtantes. l 1. 8
—— Silveſtres, imaginem præbent hominum & angelorum qui dotibus ſuis Chriſto ſunt inferiores. l 1. 4
Arborum culturam in homine peragit verbi miniſterio Deus. l 7. 67
—— differentiæ. l 1. 4
—— diverſæ ſpecies. l 14. 107
Arborum ortus. l 1. 5
—— præputia. l 6. 61
—— propagatio l 6. ſc. (1) ex ſemine proveniunt, (2) oriuntur e plantis radicis (3) ſeruntur propagine. (4) ſurculo inſititio. ibid. 55
—— radices l 2. 13
—— ſexus. l 6. 60
—— ſilveſtrium cantus & plauſus, commune notat gaudium. l 1. 10
—— vivacitas & longævitas. l 1. ibid.
Arboribus frugiferis divina lege cautum. l 12. 95
—— infeſta. l 8. 68
Artificium Jacobi virgas populeas decorticantis. l 2. 23
Ἄρτος ἐπιούσιος, diſſidentes recenſentur doctorum ſententiæ, de origine & ſignificatione hujus nominis, alii ſc. reddunt transſubſtantialem, alii conſubſtantialem, accipientes de pane eucharitico: Nos: convenientem ſ. congruum. ll 30. 185
Arundo, de ea in genere & quid ſit arundo? Calamus? culmus? ll 35. 199
—— agitata: adverſis jactati ſymbolum. ll 35. 200
—— marceſcens hieroglyphicum excidii. ll 35. 201
—— quaſſata infirmorum imago. ll 35. ibid.
—— imago incurvati. ll 37. 210
—— ventis agitata, inconſtantis & animo vacillantis imago. ll 35. 210
Arundineæ naves hieroglyphicum vitæ celeriter transactæ. ll 35. 201

Arundineus Scipio infirmum ac periculoſum præſidium. II 35. 200
Arvum, Dei populus. I 10. 83
Aſchera non eſt Idolum Luci. I 10. 82
Aſinus ad vitem. I 32. 314
Aſphalathus, ejus genera. I 62. 487
Aſpalathi ſpinis, tyrannos lacerari apud inferos Plato refert. I 62. 488
Aſper & durus homo, prunus Silveſtris. I 62. 486
Aſphodelus, cujus flos authericon. II 4. 30
Aſphodelo Vetuſtiſſimi Sanctiſſimique hominem victitabant. II 4. 32
Aſſyria Vino fertilis. I 36. 347
Atad: Cynobatus. I 61. 477
—— vim nominis hujus Arabes videntur ignorare. ibid.
Atadi area plangentium Ægyptiorum locus. I 61. 482
Avarities vel amor pecuniæ radix perniciosa. I 2. 14
Aven, urbs Iſraëlitica Hoſ. 10: 5. non confundenda cum Beth aven Benjaminitica Joſ. 17: 11. I 16. 145
Auſtria Crocum mittit laudatiſſimum, quod olim ex Cilicia, Lycia & Ægybo afferebatur; Perſea quoque, Inſula Madagaſcar, Gallia & Hiſpania idem proferunt. II 5. 38
Azymus panis, panis afflictionis. II 28. 175
Azymorum octo dies ſicut paſchatis. II 28. 177
—— primus dies. II 28. 176

B.

Baal Thamar. I 15. 138
Baculus panis. II 28. 170
Balſamum an in Sacro codice reperiatur dubium. I 46. 422
Balſamum, ejus deſcriptiones ex Dioſcoride, Pauſania, Plinio, Strabone, Juſtino. I 46. 419
Balſamum, qua menſura fuerit collectum. I 46. 420
—— colligendi modus. I 46. 421
Balſami arbuſcula imago Chriſti recens nati & circumciſi. I 46. 424
—— Locus natalis Vallis Hiericuntina. I 46. 420
—— plantam prima in Judæam Sabæ Regina intulit. I 46. 421
Barkanim ſpina alba ſ. fulgida & fulguris inſtar penetrans. I 62. 483
Beroſch non notat buxum, non fraxinum & laricem, non noctuam, non cypariſſon, pityn, myrtum, vel juniperum; ſed abietem. I 39. 371
Bethphage Evangeliſtarum non eſt Talmudicum Bethphage. I 17. 153
Beüſchim, omphaces ſ. uvæ tardantes, tardatæ converſionis Symbolum. I 29. 293
Bdellion Chavillæum. I 15. 127
Bdellifera palma, aliis Mokl dicta diſtincta a Bdellio Charillæo. I 15. 127
Bor & Borith, à nitore dicta nomina lomentum ſonat, neutrum v. eſt halymus. II 16. 68
Botnim, Avellanæ, non piſtacium, non dactyli non terebinthi. I 23. 224

Urbium

Urbium vocabula ab avellanis derivata. ibid.
Brathys à cupreſſi ſimilitudine nomen obtinuit. l 40. 375
Buxus & Acer אשר & תאשור a criſpantis materiæ nitore dictæ. l 43 401
—— ejus uſus. ibid.
Byſſus h.b. Scheſch Veſtium Regiarum, Velorumque Tyriorum materia. ll 24. 141
—— in Judæa facta. ll 24. 142
—— Juſtificationes Sanctorum. ib. 143

C.

Cæpæ earumque genera Aſcalonia & Githan. ll 6. 37
Cæpas, porrum & allium, Ægyptiorum ſc. Deos, Iſraëlitæ degeneres, Mannæ prætulerunt. ll 6. 37
Calamus Aromaticus, non eſt Veterum Acorus, non radix; Natale ejus ſolum India, Sabæorum terra & Parthia; in Syria illum quoque naſci Theophraſtus author eſt. ll 36. 205
Calami aromatici duo genera. ll 36. 209
Calamitate Chriſtianus fit melior ut linum injuria. ll 23. 140
Canitiem ſenum notat flos amygdali. l 22. 220
Canna vel Cena Pſ. 80. l 28. 272
Cantus ſ. plauſus arborum, commune gaudium l 1. 9
Caphtor, malogranatum artificio factum. l 16 148
Carbones juniperi vivaciſſimi. l 26. 255
Carmel nomen proprium & appellativum. ll 17. 78
Caro Chriſti nulli obnoxia corruptioni, veſtimentis comparatur quæ ſunt ex myrrha cedrio & Caſia. l 42. 398
Caryophillorum feraces Silvæ. l 10. 78
Caryoſæ in Judæa. l 15. 126
Caſſia, tria illius genera. l 52. 443
Ex caſſiæ & cinnamomi generibus, quorum veteres meminerunt, nulla hodie vel in uſu vel in notitia noſtra, deficientibus ac incenſis Silvis in quibus naſcebantur. ibid. 444
—— ſecundo genita filia Jobi, cur ſic dicta. l 52. 447
Caſſiæ genera Veteres nominibus diſtinguebant. l 72. 445
—— an Salmaſius diſcrimen eorum recte indicaverit disquiritur. ibid.
Caſſiæ Chriſti Veſtes: dotes Spiritus Sancti humanæ Chriſti naturæ collatæ. l. 52. 447
Caſtitas & fœcunditas Sponſæ Chriſti, Ventre liliis ſepito denotatur. ll 3. 25
Cedrelate & Cedrium quid ſit exponitur. l 4. 395
Cedrium aromatis odoratis annumeratum. l 42. 398
Cedrus, ejus deſcriptio. l 41. nomen obtinuit apud hebræos a firmitate. ibid. Ejus diſtinctio, homonymia, ſpecies. ibid. 377
—— Exciſa, pereuntis ad internecionem Aſſyriæ Regis emblema. l 41 380
—— imago Juſti. l 41. 387
—— ſpecioſa cum Chriſto comparata. l 41. 379
Cedri proceritas: faſtus imago. l 41 380

Cedri turio in Chaldæorum terra poſitus: Regis Judæ ſimilitudinem habet. I 41. 387
Cedrorum noxæ. I 41. 388
—— proceritas comparata cum Amoræo ſc. Ogo Baſanitidis Rege. I 41. 386
—— Uſus: Regum domibus dant utile lignum. I 41. 380
Cedros an Judæa protulerit? I 41. 389
—— magnas plantare dicitur Dominus. I 42. 398
Cedrinum altare. Cedrina Domus. Cedrina lectica. Cedrinum lignum. Cedrinæ navium mali. I 41. 390 ſqq.
Centaurum, hebr. Roſch vocatum propter felleam amaritiem. II 11. 54
—— cum afflictione comparatum. ibid. 55
Ceraſa, quia in omnibus conveniunt, ſunt Dudaim. I 27. 257 ſqq.
Chabbatſeleth, nominis interpretatio, enodatur etymon, oſtenditur ad bulbonum genera ſpectare, locus indicatur natalis, denique, Aſphodelum eſſe probatur. II 4. 30
Chalaphon ſ. Chilaſon cur Salix dicatur Arabibus. I 51. 435
Charul herba ſpinoſa quæ mordaces habet lanugines ut urtica. II. 33. 195
Chatſir, porrum. II 6. 36
Chedek, non eſt Lycium nec paliurus ſed prunus Silveſtris. I 62. 485
Chios inſula, unde nomen acceperit, ſc. à Chi vel Kic quod eſt maſtix non à Chivjan Serpentibus. I 47. 425
Chittim; Inſulæ Chittæorum ſunt inſulæ Græcorum Macedonia eadem quæ terra Chittim. I. 43. 401
Choach ſpina hamata. I 59. 465
Chomer menſura quantum capiat? II 21. 124
Chorejonim, obſcœnum a maſorethis cenſetur vocabulum, videntur voce hac notari columbarum viſcera. II 22. 129
CHRISTUS Arbor viridis. I 1. 7
—— cum ſpecioſa cedro comparatus. I 41. 379
—— Germen Domini germen juſtum. I 4. 38
—— Granum tritici mortuum & fructum edens. II 18. 94
& II 20. 116
—— Indutus lineis. II 23. 140
—— recens natus & circumciſus ſub imagine arbuſculæ balſamicæ. I 46. 424
—— reſurgens, virga Aharonis. I 22. 217
—— reſurgentium primitiæ. I 26. 155
—— Virgula infra truncum Iſai. I 2. 21
—— Vitis. I 28. 277
& I 32. 307
Chriſti labia cum liliis comparata. II 3. 25
—— Redemtoris corona ſpinea. I 60. 473
—— Redemtoris humilitas, lilio convallium comparatur. II 3. 21
—— Servatoris hieroglyphicum in cedrum excreſcens Turio. I 41 386
—— Veſtimenta, Caſſia. I 52. 447
Chriſto Vinea ſua non eſt lucrativa.

va. I 32. 304
Chriſtiani ἐφήμεροι: fungi terræ. II 39. 221
—— Humiles myrti in profundo. I 24. 233
Cibus oleris Saginato bovi prælatus. II 2. 18
Cicer, frictum eſt Kali. II 22. 128
Cinerem tanquam panem comedere & potiones fletu miſcere. II 28. 170
Cingulum lineum corruptum, Judaicæ corruptionis & abjectionis ſignum. II 23. 136
Cinnamomum in unguento ſacro. I 52. 447
ex cinnamomi & caſſiæ generibus, quorum Veteres meminerunt nulla hodie vel in uſu vel in notitia noſtra. ibid. 444
Cinnamomi & caſſiæ hiſtoria ex Theophraſto Dioſcoride Plinio & Galeno. I 52. 440
—— locus natalis ex Strabone. ib. 442
—— feraces ſilvæ. I 10. 78
—— ſuffitus. I 52. 446
Cinnamon Babyloni venditum. ib. 447
—— ex Bauhini deſcriptione. ibid. 442
Ciſtus ex quo Ledum ſ. Ladanum. I 53. 448
Citharæ ad ſalices ſuſpenſæ. I 51. 436
Coccineum pro purpureo ſumtum. I 37. 364
Coccineus color, Chermeſinus quoque Carmil & Carmel vocatur. I 37. 363
Cognitio Dei fructus prædicationis. I 5. 54
Collis thuris & mons myrrhæ: Ecclesia. I 44 413
Colona vineæ mulier ſtrenua. I 28. 281
Communio fidelium & Chriſti: Κοινωνία panis & corporis Chriſti. II 31. 189
Compenſatio beneficiorum, meſſis. II 26. 153
Conciliantur loca 2 Sam. 13: 11. & 1 Par. 11: 13. II 22. 128
Conſummatio ſeculi Meſſis. II 26. 150
Contemtus emblema: virgultum relictum. I 9. 76
Convivantes accumbebant hedera coronati. I 57. 460
Copher ſive Cyprus liguſtrum & Ægyptiacum. I 54. 452
—— Copher pagum quoque notat præſertim Cant. 7: 12. qui locus aliter omnino interpretandus, ac a Junio & Tremellio factum. I 54. 452
Cophinus æſtivorum fructuum figura finis & exitii. II 26. 157
Coriandrum hebr. Gad ab inciſuris vocatum. II 9. 49
—— Syris Carejan dicitur. ib. 49
Cornu filius Olei-locus vel clivus feraciſſimus. I 21. 210
Corona Chriſti ſpinea. I. 60. 473
Corruptionis & abjectionis Judaicæ ſignum cingulum lineum corruptum. II 23. 136
Corſica inſula buxi craſſiſſimæ ferax. I 43. 401
Cortex arborum. I 2. 23
—— punici mali pudoris ſymbolum. I 16. 146
Corus menſura quanta? II 21. 122
Creanomia. I 57. 460
Credentium typus: amygdala. I 22. 220

Crepitus ſpinarum: riſus ſtulti. I 59. 468
Crocum, cur Syri ab operiendo vocaverint? II 5. 34
Ejus deſcriptio & locus natalis. ibid.
Crocus & Nardus propagines Sulamitidis i. e. Spiritus S. fructum humilitatis in ea producit, II 5. 36
Cucumeres hebr. Kiſchuim a duritie concoctionis appellantur. II 13. 58
Cum botris palmarum ubera Sulamitidis comparantur. I 15. 131
Cuminum a latendo cur dictum, it. de ſeminis ejus excuſſione. II 9. 48
Cum ſæv'tia hoſtium Grando, Eurus, & ignis comparati. I 30. 296
Cupreſſus, hebr. Berothim à perpetuo nitore appellata, arbor annoſa, naſcitur in Hermone, ex minimo ſemine ad maximam aſſurgit proceritatem. I 40. 374
Cupreſſum dici lignum Gopher fruſtra contendit Bochartus. I 40. 376
Cynosbatus, idem qui Cynarus. I 61. 477
non ſatis accurate à Dioſcoride & Plinio deſcribitur. ib.
—— emblema inopinato pereuntis malefici. I 61. 479
—— Tyranni hieroglyphicum. I 61. 478
Cyprus, hebr. Copher non eſt Caphura nec Cyprus ligaſtro vulgari ſimilis. I 54. 451

D.

Dan cum calamo aromatico in nundinis Tyriorum. II 36. 208
Dardar ſpinoſa herba & foliata, qualis tribulus, Ononis, hippopheos. II 33. 194
Decimæ fructuum. II 26. 56
—— olerum viliorum an debitæ ex legis præcepto fuerint. II 8 47
De columnis Jazin & Boaz. I 16. 149
Definitio arboris. I 1. 3
—— Fruticis. I 9. 74
—— Herbæ. II 1. 5
Deflagratum oleæ decus: pernicies principum virorum. I 19. 185
Delith, vitis pergulana Thalmudicis. I 28. 271
De non efferendis uvis ex vinea. I 33. 316
De numero malogranatorum 1 Reg. 7:20. & Jer. 52:12. tollitur contradictio. I 16. 149
Déſche herba tenera. II 1. 3
Deſcriptio urbis deſertæ, in cujus deſtructæ ſolo vituli paſcuntur ramis. I 2. 28
Deſolationis ſignum ſpina. I 58. 464
Deus Agricola. II 17. 79
—— in rubo. I 61. 476
quid ſignificaverit illa viſio. ib.
—— non tentans hominem ſupra vires ſub ſymbolo Melanthii. II 11. 54
—— Vinitor. I 28. 278
Dei populus olivæ comparati: Oleaſter exteris. I 19. 182
Dibjonim non eſt ciceris fricti genus. II 22. 128
Dicaſterium Salomonis cedro tectum. I 42. 291
Dilectus inter lilia. II 3. 24

Diffi-

Diſſimile: à ſole & pluviis promovetur herba tenera; rebus vero non florentibus Davidicis familiæ ſalus. II 1 5
Divites qui nullos miſericordiæ fructus ferunt ſimiles Tiliæ pulcræ ſed ſterili. I 50. 434
Defunctorum corpora ſemen. II 18. 94
Doctrina falſa ſtramen. II 27. 161
Doctrinæ falſæ ſymbolum abſinthium. II 7. 40
Doctrina frivola & vacua ſtramen ac ſtipula. II 27. 161
Dogmata corrupta, Vinum aqua dilutum. I 34. 328
Dolor odioſus: ſpina in oculis. I 60. 470
Domus cedrina Regis habitaculum. I 41. 389
—— ſaltûs Libani. ibid.
Dormire in Silvis, eſt ſecuritate & pace publica gaudere. I 10. 84
Duæ olivæ Apoc. 11: 3, 4. Evangelii præcones. I 19. 191
DUDAIM deſcribitur à pulchritudine & amabilitate, à cœli temperie, ab odoris exhalatione, à tempore floris & fructus, à communi ſolo, ab eorum ad calathos uſu, à vulgi notitia, à diſcrimine ab herbis, denique a ſervandi cura. I 27. 257 etſqq.
—— —— non ſunt amabilium florum generale nomen, non ſunt mandragoræ, non lilia, non terræ tubera, non vidæ non ſampſuchus, non germinus, non ſolanum veſicarium, non Satyrion, non mora rubi, non ſolanum ſoporiferum, non melonis ſpecies, non cornus arbor, nec Manzon vel muſa, nec perſicæ mali flores, neque nux piglans, nepue balſamum nec denique Philtra. I 27. 261 etſqq.
—— ſunt Ceraſi arbores vel ceraſa fructus. I 27. 268 etſqq.

E.

Ebenus, arbor cujus neque fructum neque flores memorant authores, ſunt qui omnino arborem eſſe negant. I 51. 437
—— & Ebur tributum Æthiopum perpetuum. I 51. 438
Ebenum dici Hobnim Ez. 17: 15. Bochartus probat contra Chaldæum & Jarchium qui pavones eſſe crediderunt. I 51. 437
Ebeni pretio mercabantur opera ſua Tyrii I 51. 438
Eccleſia Judæorum, infœcunda vinea Chriſti. I 31. 304
Ebria ſed non vino. I 35. 339
Ebrietatis IV. genera. ib. ibid.
Ebrius qui nihil conſulte facit, ſicera dicitur. I 34. 322
Eccleſia Lychnuchus. I 19. 187
—— mons myrrhæ & collis thuris. I 44. 413
—— ſentium i. e. gravium pœnarum, libera. I 58. 465
—— vel Regnum Chriſti, arbores humiles. I 1. 8
—— Vitis. I 32. 309
Eccleſiæ incrementum cum gramine collatum. II 2. 15
El. איל Gen. 14: 6. non notat planitiem. I 37. 350
Ela nomen Virorum Illuſtrium. ibid.
Elatha urbs; cui nomen inditum a Quercuum copia. I 37. 358
Electi comparantur tritico. II 20. 116

Eleemoſyna fructus juſtitiæ. l 5. 54
—— fructus prædicationis. ibid.
—— ſementis. ll 18. 90
Eleemoſynæ imago, arbor vel ad meridiem vel ad aquilonem cadens. l 8. 72
Elephantorum latibula ſalices. l 51. 438
Elias ſub junipero. l 26. 254
Elon more, quæ & Elon mamre. l 37. 358
—— Sichymorum. ib. 359
—— præſtigiatorum. ib.
—— Thaboris. ib.
El-Paran Quercetum Paranis. l 37. 357
Emblema Regis Chaldæorum arbor. l 1. 12
Epha menſura, quanta? ll 20. 119
Eradicatio funditus deletorum exitium. l 2. 18
Eſavi intemperantia, levitas primogenituræ jus contemnentis, temeritas, jurantis ingratitudo. ll 22. 125
Eſcol copher Cant. 1: 14. non eſt botrus ſeu fructus cypri, ſed flos in morem botri figuratus. l 54. 452
Eſculus fletu nobilitatus. l 37. 362
—— Reſtitutionis Symbolum. ibid. 361
—— Viri nomen. ib. 362
Eſculi robur faſtum & potentiam Regum repræſentat. ib. 361
E ſilveſtre vite, ſimulacra, templi columnæ, ſcalæ. l 28. 283
Eſtheræ nomen a myrto. l 24. 232
Evangelium frumentum juvenibus importans fœcunditatem. ll 19. 104
—— ſimile fermento. ll 28. 181
—— Verbum vitæ: muſtum generans virgines. l 34. 323
Evangelii miniſtri, Oleæ. l 19. 186
Evangelii prædicatio, Meſſis. ll 26. 149
—— Verbum, Oleum. l 19. 187
—— —— —— panibus facierum adumbratur. ll 29. 183
Euchariſticæ comeſtionis typus, paſcha cum azymis comeſtum. ll 28. 175
Eunuchus arbor arida. l 1. 8
Excidium Antichriſti & Edomi horrendum. l 17. 169
Excidii hieroglyphicum, arundo marceſcens. ll 35. 201
Exemplum pravum, fermento ſimile. ll 28. 181
Ex literarum ſimilitudine & cognatione non ſemper repetenda eſt nominum ſignificatio. l 11. 178
Exterminationis emblema ſeges demeſſa. ll 26. 152

F.

Faba, Phul a ſeminis magnitudine appellata. ll 22. 129
Fabarum eſus ſacerdotibus interdictus. ll 22. 130
Fagus hebr. Libne quod non eſt populus nec Styrax. l 38. 365
Faſtidientes verbum Dei ſimiles Iſraelitis pepones & cucumeres mannæ præferentes. ll 13. 60
Faſtus imago: Cedri proceritas. l 41 380
Faſtum & potentiam Regum Eſculi robur repræſentat. l 37. 361
Felicitas improborum brevis, flos herbæ. ll 1. 11
Felicitates hypocritarum facile evaneſcentes deſignantur Sparganio luto deficiente marcido. ll 38. 217
Fera arundinis, i. e. in arundineto inſidians. ll 35. 200

Fermentum a ſacrificiis removendum. II 28. 179
—— in paſchate interdictum Judæis. II 28. 182
Fermenti vis: pravum exemplum. ibid. 181
Fermento peccatum comparatur. ibid. 178
—— ſimile Evangelii verbum. ibid. 181
Fermentatæ reliquiæ oblationum vetantur coqui. ibid. 180
Ficetorum & vineorum deſolatio, peccatorum pœna. I 17. 165
Ficus a Domino maledicta: ſymbolum eſt probitatem mentientis populi, eaque de cauſa a DEO rejecti. ibid. 162
—— bonæ bonorum, malæ malorum homines figuræ. ib. 166
—— germinans, adventus Domini monumentum. ib. 154
—— ſpoliata, exſtirpationis typus. I 17. 167
—— ſterilis tolerata longanimitatis divinæ hieroglyphicum. I 17. 162
Fici ablaqueatio, ſtercoratio. ib. 159
—— nomen. ib. & genera. 150
Ficorum pernicies eruca & locuſta, Joelis locus c. 1: 7. fuſius explicatur. ib. 159
Ficus ulceri Hiskiæ impoſita. ibid. 157
Ficuum dulcedo. ibid. 156
—— varia genera: Beroth Schikma, Parſaoth, Benoth Suach, ficus Kehilæa & Aſcalonis. ib. 152
Ficubus abundavit Palæſtina, in hac præcipue Genneſaritis. ib. 150
Fidelis qui in Charitatis exercitio & vitæ Sanctimonia non deficit: arbor perpetuifolia. I 4. 34
Fides miraculoſa: grano ſinapis aſſimilatur. II 14. 63
—— infirma linum fumigans. II 23. 136
Filii degeneres, ſemen falſum cui opponitur ſemen veritatis i. e. fideles, probi. II 18. 98
Filii, plantæ olearum. I 19. 189
Firmitatis ſimilitudinem radix declarat. I 2. 15
Fidei hieroglyphicum Nardus. II 15. 65
Finis & exitii figura, cophinus fructuum æſtivorum. II 26. 157
Flos, florum diſtincta nomina: Perach Nittza & Tzitz. I 4. 39
—— amygdali ſenum canities. I 22. 220
—— Vitis, Symbolum ſpei de lætitia in Spiritu S. perfruenda. I 28. 288
Flori caduco ſimilis homo. I 4. 39
Flores poſt hyemem, temporis in melius mutati Symbolum. II 1. 12
Fœmina princeps linum tractans. II 23. 136
FOLIUM, de foliis arborum. I 4. 32
—— agitatum, perſecutionis emblema. ib. 35
—— à vite demiſſum, labentium ſiderum imago. I 28 287
—— deciduum, ſignum interitus. I 4. 35
—— decuſſum, imbecillitatis ſymbolum. ib.
—— marceſcens ſenſim pereuntis figura. ib.
—— Olivæ Noacho allatum, typus Evangelii. I 19. 180
—— perpetuo virens, juſtus. I 4. 34

—— pro

— pro ramo folioſo. ib. 37
Folii ſtrepitus caſſa formido. ib. 35
Folia ſiculnea protoplaſtorum perizomata. I 17. 155
FRUCTUS arborum, XVI. diverſa reperiuntur fructuum nomina qui ex arboribus proveniunt. I 5. 41—49
— Fructus arboris novellæ interdicti. ib. 52
— arborem commendat, doctrina doctorem. ib. 51
— arborem, opus auctorem arguit. ib.
— digni pœnitentia ſive convenientes pœnitentiæ. ib. 55
— exitialis & pudendis improbitatis. ib. 53
— juſtitiæ, bona opera. ib.
— juſtitiæ, Eleemoſyna. ib. 54
— labiorum ſacrificium laudis. ib.
— Liberi. ib. 55
— mendacii. ib.
— morti editus, opera æterna morte digna. ib.
— prædicationis, DEI cognitio. ibid. 54
— prædicationis, Eleemoſyna ibid.
— recentes & veteres reconditi virtutis priſtinæ & novæ cuſtodia. ib. 50
— ſalutis: Verbum divinum. ib. 52
— ſingulorum menſium, ἀείκαρποι ſunt non intermiſſa virtutum ſtudia. ib. 50
— terræ DEO dicati. I 5. 51
Frugiferæ arbores in hoſtico non exſcindendæ. ib. 49
FRUMENTUM hebr. Dagan a multiplicando dictam II 19. 99
— quid? & quomodo diſtinguatur. ibid.
Frumentum à terra exauditum. II 19. 103
— juvenibus importan fœcunditatem: Evangelii verbum. ib. 104
— munus DEI oblatum. ib. 112
— Sacerdoti conſecrandum ib. 103
Frumenti generatio, ſimilis paulatim creſcentis gratiæ. ib. 105
— terra, i. e. frumento abundans. ib. 103
Frumenta in tribus proficiunt. ibid. 106
Frumentis quæ noceant? ib. & quæ proficua ſint. 108
Fruſtrari labore ſuo & ſpe, idem ac ſeminare triticum & metere ſpinas. I 58. 463
FRUTICES, illorum definitio. I 9. 74
quomodo primi ſuerint procreati? ib.
Fruticum differentiæ. I 52. 440
Fruticis loco abies enata, temporum meliorum reſtitutionem notat. I 9. 76
Frutices pauperum latibula. ib. 75
Fungus, fungorum ejus noxius, colliguntur ex vite agreſti aliisque ſtirpibus II 39. 218
Fungi ſunt Chriſtiani ἐφήμεροι. ib. 221

G.

Galbanum quid ſit? quodnam optimum? ubi naſcatur? cur ſacro ſuffitui additum cum tetri ſit odoris? I 53 450
Gaudium Spirituale: Vinum ſapientiæ cœleſtis. I 34. 331
Gaudia mundi vana ſimilia Ionæ ricino I 55 455
Gemma & flos palmitis, florem juven-

juventutis de nota. I 28. 287
Genialis thorus Salomonis e lignis Libani. I 12. 96
Gens omnium abjectiſſima, ſtramen in ſterquilinio trituratum. II 27. 162
GERMEN Domini, germen juſtum, vocatur Chriſtus. I 4. 38
—— Tzemach dicitur omnis terræ fœtus, herba, frumentum, palmes vitigineus. ib. 37
Germinare ex pulvere, idem eſt ac ex humili loco ad honorem & dignitatem venire. ib. 39
Germinans Aaronis virga typus fuit (1) patientis ac reſurgentis Chriſti. (2) Miniſterii ſacri. (3) Renovationis. (4) Credentium. (5) DEI judicia ſua maturantis, Flos denique (6) Senum canitiem quoque notat. I 22. 216
Gopher ſive Hetz Gopher ſignificat lignum runcinis ſive dolabris lævigatum. I 40. 376
Glumæ, paleæ, ſtipulis comparantur improbi. II 27. 158
Græci uti in etymologiis fere ineptiunt ita in explicatione vocis abſinthii. II 7. 40
item in explicatione vocis Sinapi. II 14. 60
GRAMEN. II 2. 12
—— cum incremento Eccleſiæ comparatum. ib. 15
—— Imbribus ſparſum, refectorum ſymbolum. ib. 13
—— inopinato demeſſum ſubito pereuntium impiorum imago. ib. 12
—— tectorum, hoſtes Eccleſiæ. ib. 15
Gramini homo comparatus & hominum frequentia. ib. 13 & 15
Grando hebr. Chanamal & cur ſic dicta. I 25. 253
Grando arboribus infeſta. I 8. 70
—— herbis noxia. II 1. 11
—— Vitibus infeſta. I 30. 296
Granum tritici mortuum & fructum edens. II 18. 94
Gratia DEI hominum conſervatrix, ut cœni humor, junci alimentum. II 37. 211
—— —— paulatim creſcens, ſimilis frumento procreſcenti. II 19. 105
—— —— vivax ſub abietis perpetuo virore delineata. I 39. 372
Groſſi ficorum, concuſſionibus ventorum dejecti, Symbolum ſunt ſubitæ dejectionis. I 17. 153

H.

Habitare ſub ficu. I 17. 158
Hackrabbim non ſonat cynosbatos, ſed rhamnos eſſe probatur. I 62: 484
Hadad Rimmon à Syrorum DEO appellata. I 16. 144
Halimus hebr Malluach quod perperam exponitur malva; ineptius alii urticam alii ciceris genus intelligunt. I 56. 457
—— à Dioſcoride Galeno & Caſp. Bauhino deſcriptus. ibid. 448
Hanab, urbs filiorum Judæ ab uvis nomen ſortita. I 36. 341
Happiſchta gibhol Ex. 9: 31. quid? II 23. 134
Harmon non eſt caſtanea ſed platanus, a nuditate appellata. I 43. 402
He demonſtrativum etiam nominibus propriis præfixum. I 61. 482
Hedera, hanc Bacchi feſto ferebant ethnici, item ad viſcerationem

ſive creanomiam i. e. Idolothytorum diſtributionem. I 57. 460
—— coronati accumbebant discumbentes. ib.
—— Judæorum in plebem dejectorum character. ib. 461
Hederæ ſimilis impudica mulier. ib.
Heker ſtirps radicis. I 2. 14
Hen-gedi, palmarum ferax. I 15 139
Hephrajim oppidum ſtraminis copia celebratum. II 27. 162
HERBA, de herbis in genere. II 1. 3
—— adultior. ib. 6
—— ante & poſt lapſum ad uſum hominis condita. ib.
—— exareſcens, vigoris ſenſim fugientis imago. ib. 10
—— multiplicationis ſymbolum. ib. 9
—— pubeſcens. ib. 4
—— tempeſtatibus perculſa. ib. 11
—— tenera, citio pereuntium maleficorum imago. ib. 5
—— tenera refloreſcens reſtitutionis Symbolum. ibid.
—— tenera pluviis rigata, imago hominis verbo divino plenius inſtituendi. II 1. 5
Herbæ flos brevis impiorum felicitas. ib. 11
—— montium, explicatur ſimul ſenſus nominum Choſen & Nezer & verborum Gala & Nira. ib. 8
—— umbelliferæ. II 9. 47
—— Spinoſæ, cujus tria genera. II 33. 194
—— Verticillatæ. II 8. 41
—— Virentes, verbum DEI. II 1. 4
Herbas juvantia. ibid.
Heſeb, herba adultior. ib. 6
Hinnulis inter lilia paſcentibus ſimilia ſponſæ Chriſti ubera. II 3. 24
Homo convertendus: truncus. I 2. 22
—— gramen. II 2. 13
—— verbo DEI plenius inſtituendus ſub imagine herbæ teneræ pluviis rigatæ. II 1. 5
Homines aſperi qui quærunt nocere ſimiles rhamnis. I 62. 485
HORDEUM, hebr. Sehora a hirſutie dictum. II 21. 121
—— Ægypti grandine percuſſum. ibid. 122
—— Equorum pabulum. ibid.
Hordei loco herba mala. ib. 123
—— multitudo temporibus Salomonis. ibid. 122
conf. quæ de tritico extant. II 20 .115.
—— ſesqui chomer dimenſum uxoris Hoſeanæ. II 21. 123
HORTUS. I 11. 88
—— Ahasveri. ib. 92
—— Chriſti Eccleſia. ib. 93
—— DEI, Eccleſia. ib. 91
Hortus Edenis, illius ſitus. I 11. 89
—— Gethſemane. ib. 92
—— in Golgatha. ib. 93
—— irriguus: animus in lætitiam effuſus. ib. 93
—— proferens ſata: DEUM adumbrat nomen ſuum manifeſtantem. ib. 94
Horti Genneſareth. ib. 91
—— Regis Huzzæ. ib.
—— Salomonis. ib.
Hortos inhabitans ſponſa, Chriſti Eccleſia. I 11. 94
Horticultura verbi divini miniſterium. ib.
Hoſtes Eccleſiæ ſicut gramen tectorum. II 2. 15

Hoſtium

Hoſtium copiæ Vepres. I 60. 470
Hyssopus, non derivatur ab hebr. אזוב ſed a vagandi verbo Zabab. II 8. 41
—— de qua diſſeruit Salomo Judæorum Rex, nova illius loci verſio. II 8. 43
—— & ſpongia in arundine porrecta Chriſto. II 8. 45
—— Hyſſopi faſciculus pro aſpergillo fuit in leproſi mundatione. II 8. 42
Humilitas Sulamitidis; propagines Nardi & croci. II 5. 36

I.

Jah zer pro mijahzer. I 28. 273
Ibbe hannahal quid ſignificet Cant. 6: 11. I 23, 223
Idola ut palma ſolida. I 15. 136
Idolorum materia eſculus. I 37. 362
—— ſimulacra ex pinis. I 38. 368
Idololatræ in hortis. I 11. 94
Idololatriæ apoſtaſias & hæreſeos author: radix fel & abſinthium proferens. I 2. 14
Ignis maxime cœleſtis arboribus infeſtus. I 8 69
—— ſentium; malefica improbitas. I 58. 464
—— ſpinarum ſubito pereuntis typus. ib. 463
Ilex tinctoria vel coccifera. I 37. 363
Imbecillitatis emblema, ſtupa. II 27. 163
Impiorum ſubito pereuntium imago, gramen inopinato demeſſum. II 2. 12
Improbus comparatur cum arbore indigena. I 1. 6
Improbi comparantur glumæ, paleæ, ſtipulis. II 27. 158
Improbitas malefica ignis ſentium. I 58. 464
Improbitatis fructus exitialis & pudendus. I 5. 53
Incolumitatis emblema, radix. I. 2. 15
Inconſtans & animo vacillans, arundo ventis agitata. II 35. 200
In diverſa lingua vox eadem aliud quoddam ſæpe ſonat, quin & in eadem I 26. 256
Inedia Spiritualis, ſiliquæ. I 49. 431
Infermentati Corinthii. II 28. 178
Infeſta herbis. II 1. 10
Infeſta frumento. II 19. 108
Infeſtant Oleum intempeſtivæ pluviæ, fertilitas nimia, Erucæ; flos oleæ dejectus. I 19. 91
Infirmum ac periculoſum præſidium, ſcipio arundineus. II 35. 200
Infirmorum imago arundo quaſſata. II 35. 201
Infirmitatis ſymbolum arundo gracilis aquatica Agmon dicta. II 37. 210
—— olus. II 2. 18
Injuſtitiæ ſymbolum abſinthium. II 7. 40
Inopum cibus olera. II 2. 17
Inſitio, Κοινωνία fidelium cum Chriſto. I 6. 60
Interitum tempeſtivum indicat omphax cum palmite amputatus ante meſſem. I 29. 292
Interlucatio nimia arboribus infeſta. I 8. 71
Inter rhamnos habitare, proverbium. I 62. 485
Jonæ, ricinum miſerantis, ſtupor. 155

I 55. 456
Iſrael florens ut lilium. II 3. 27
Iſraelitæ qui nauſeantes ad cœleſtem cibum pepones & Cucumeres præoptarunt ; imago ſunt eorum qui Dei verbum faſtidientes terreſtria ſapiunt. II 13. 60
Judæa frumenti ferax. II 19. 105
Judæi arbor arida. I 1. 7
—— qui in plebem Ægyptiacam adſcribebantur characterem accipere hederam jubebantur inuſtum ferro ignito. 2 Macc. 2: 21. I 57. 461
Judæorum typus ſarmentum vitigineum. I 28. 274
Judiciorum divinorum tempus, meſſis. II 26. 150
Junci alimentum cœni humor, ut gratia Dei hominum conſervatrix. II 37 211
Junceis navibus navigatum mare: ibid.
Juniperus. I 26. 253
ejus nomen & genera ibid.
Juniperi radix cibus inopum Job. 30: 34. non innuitur Orobanche geniſtæ radix. I 26. 256
Juſtificationes Sanctorum byſſus. II 24. 143
Juſtus folium perpetuo virens. I 4. 34
Juſtus ut cedrus incremento acuta. I 41. 387

K.

Kajitz fructus æſtivus. I 17. 156
Ketſach plerique reddunt melanthion ſive nigellam. II 11. 53
Kidda, ab arbore dicta, incenſum ſonat vel θυμίαμα; non eſt lilium nec coſtum, neque caſia ut vulgo reddunt, ſed ſtorax arbor malo cotoneæ ſimilis, quæ, quod parvas profert nuces ab Johanne Rajo nuciferis arboribus accenſetur. I 23. 228
Kidron torrens cedrorum. I 42. 397
Kikajon, græcis Croton, Ricinus Jonæ, a vomitu nomen traxit, deſcribitur. I 55. 453
Kimoſech ſpina capitata, cujus folia interdum, caput & caules ſemper armantur ſpina, ut Camæleon, branca urſina, carduus benedictus, labrum Veneris &c. II 33. 195
Kippod, non eſt Ericius, ſed noctua. I 16. 150
Kirjath Jeharim, Urbs Silvarum. I 10. 79
Kodeſch vocabuli vis explicatur & Kadeſch. I 20. 193
Kotz communiſſimum ſpinæ vocabulum a tædio appellatum. I 58. 462
—— genuit hanubum 1 Chron. 4: 8. nomina propria ; proverbialiter : ſpina genuit uvam de filii probi improbo patre. I 58. 464

L.

Labia Chriſti cum liliis comparata. II 3. 25
—— Sponſæ filium coccineum. I 37. 364
Labrum æneum Baptismi typus. I 20. 199
Ladanum unde & quomodo colligatur. I 53. 448
apud hebræos a convoluto in foliis lentore dictum. לוט. ibid.
Latantes Dei beneficentia, ſimiles lætantibus vino. I 34. 330

La-

Lahana hebr. non eſt cicuta ſed abſinthium. II 7 39
Largior ſummi Pontificis unctio typus fuit Chriſti ſupra conſortes uncti. I 20. 198
Lavare in vino veſtimentum, inſignem vini copiam notat. I 34. 320
—— in ſanguine uvarum operimentum ſuum in ſenſu myſtico explicatur: cunctis ſc. qui ante thronum agni ſtabunt ſatis eſſe occiſi ſanguinis in quo lavent ſtolas ſuas. I 34. 321
Lavari nitro, ſmegmate & nivalibus aquis, in ſenſu ſpirituali idem eſt ac peccata ſua negare, extenuare, excuſare. II 16. 69
Lechem, explicantur nominis hujus ſignificata, ſonat carnem, ſemen, fructum arboris, frumentum, victum ſive cibum. II 28. 164
conf. II 11, 54.
—— Jehovah quid dicatur. II 28. 164
Lectica Salomonis cedrina, hieroglyphicum amoris & gratiæ Jeſu Chriſti perpetuæ. I 41. 391
Lecythus olei beneficia juſtorum manus vel animus. I 21. 206
Lens, iniquum primogenituræ pretium. II 22. 125
Lenticula primogenituram vendere, Prov. ib. 126
Lentiſcus. I 47. 424
Leproſi mundatio Levitica myſtice explicata. I 41. 393
II 8. 42
Letech, ſive ſemichomer menſura quanta? II 21. 124
Lex de acinis. I 29. 290
—— arando. II 17. 72
Lex cultura agri anno ſeptimo intermittenda. II 17. 73
—— eo qui ob vineam plantatam a militia vacat. I 33. 317
—— fermento in paſchate non comedendo. II 28. 179
—— frugiferis arboribus in hoſtico non exſcindendis. I 5. 49
—— Heterogeneis in vineam non inferendis. I 33. 315
—— immiſſo in vineam jumento. ib. 316
—— lucorum plantatione illicita. I 10. 81
—— revertendis ex acie vinitoribus. I 28. 282
—— ſponte natis. II 25. 143
—— veſcendis in paſchate picridibus. II 12. 58
—— de veſtibus lino & lana commixtis. II 23. 134
—— vinearum racematione. I 31. 302
—— uvis a Nazিræo non comedendis. I 29. 294
—— —— ex aliena vinea non efferendis. I 29. 294
Legis graviora: Judicium; miſericordia, fides. II 8. 46
Leges ſationis. II 18. 80
Libanus. I 12. 84 & 97
—— abietum ferax I 39. 371
—— pudefactus. I 10. 84
Liberi fructus. I 5. 55
—— Uvæ. I 29. 291
Lignatio lapidatione punita. cur & alibi memorata. I 13 103
Lignum acaciarum, ex iſto ligno factæ naves onerariæ, ſcriniaria, ſacri tabernaculi opera; fœderis arca, altare ad ſacrificia, Thymiaterium, aſſeres tabernaculi &c. I 48. 428

Lignum Aloes arboris triplex; præſtantiſſimum quod in arbore medium, Tambac vel Catambac vocatum. II 34. 197
—— —— munus Regium. I 42. 399
—— Aſpalathi, hodie vocamus lignum roſeum quod ex inſula Cypro ad nos devehitur. I 62. 488
—— Cedrinum, deſignat nulli corruptioni obnoxium corpus Chriſti. I 41. 393
—— Cedrinum in leproſi purgatione ſanguine tinctum. I 41. 392 habetur quoque ibidem expoſitio myſtica illius purgationis.
—— Cedrinum in rogum junicis combuſtæ injectum quid ſibi voluerit? I 41. 393
—— Cupreſſi odoratum cælaturis aptum. I 40. 376
—— ex aquis attrahens ferrum. I 13. 101
—— in ædificio Spirituali ſunt materia ignobilior. I 12. 96
—— Moſi oſtenſum. I 13. 101
—— vitis debile, & quo ſenſu accipiendum quod lignum ſceptris aptum fiat. I 28. 283
Ligni Braſiliani feraces Silvæ. I 10. 78
Liguſtrum Ægyptiacum, ejus flos & uſus. I 54. 452
Lilium hebr. שושן non dicitur a ſenario foliorum numero ſed a candore, hinc mulierum nomina Schuſchan & Schuſchanna. II 3. 20
—— convallium Chriſti Redemtoris humilitatem ſignificat. ib. 21
—— inter ſpinas præſtantiam d ſignat. I 59. 467
Lilia labri lacus ænei. II 3. 27
—— i. e. virtutes ſponſæ, carpens amicus. ibid.
Liliorum incrementa & dotes conſiderare nos jubet Dominus. II 3. 28
—— nomine comprehenſæ tulipæ. II 3. 28
—— veſtitus. ib. 27
Liliis ſepitus venter ſponſæ: caſtitatis vel fœcunditatis hieroglyphicum. ib. 25
Linum, illius nomen &c. II 23. 131
—— a principe fœmina tractatum. ib. 136
—— Dei donum. ib. 134
—— fumigans: infirma fides. ib. 136
—— injuria fit melius: Chriſtianus calamitate. ib. 140
Lino & lana commixta veſtis lege interdicta. II 23. 134
Lina foſſa, idem quod cannabis. ib. 133
Lineus metientis funiculus. ib. 137
Linteamina Chriſti ſepulchralia. ib. 138
Lobni Arabum, non a Laban hebraico nomine ſed a libna thure appellatur. I 38. 366
Loca ab arboribus denominata. I 1. 10
—— abſinthii feracia. II 7. 40
—— oleæ feracia. I 18. 176
—— vitibus aut vino celebrata. I 36. 339
Locuſta arboribus infeſta. I 8. 70
—— & bruchus herbarum peſtes. II 1. 11
—— vitibus pernicialis. I 30 300
Lomenta Veterum Kali vel ſapo

ex

ex Uſnen herba. ll 16. 67
Longævitas. ſignificatur arborum vivacitate. l 1. 10
Lucus. l 10. 80
—— Bahalis juſſu divino a Gideone ſuccenſus. l 10. 82
—— in colle. ib.
Luci divina lege interdicti. ib. 81
—— ſtatuarum oſſibus humanis repleti. ib. 83
Lychnuchus aureus quid notet? l 19. 187

M.

Mali punicæ deſcriptio, nomen, locus natalis. l 16. 143
Mala punica in fimbriis ſummi ſacerdotes. ib. 146
Maledictionis Symbolum ſpina. l 58. 462
Maledictus ager opponitur fertilibus. ll 17. 72
Malefici inopinato pereuntis emblema Cynosbatus. l 61. 479
explicatur fuſius locus Pſ. 58. ibid. 479
Maleficorum cito pereuntium imago herba tenera. ll 1. 5
Mali navium cedrini. l 41. 391
Malluach halymum appellari probatur. l 56. 457
Malus inter ſilveſtres arbores: Chriſtus angelis & hominibus antepoſitus. l 14. 1?8
Malogranatum multarum rerum Symbolum præbet. l 16. 145
Mammæ Sulamitidis vini pulchritudinem & præſtantiam ſuperantes, omne id ſignificant quod ex probo & bono corde enatum Chriſtum oblectat. l 34. 326
Manipulus in aream congregatus: ſecuritatis emblema. ll 26. 153
—— primitiarum. ib. 154
quæ oblationis hujus cauſa. ib.
Manna ut ſemen Coriandri. ll 9. 50
Maria Lazari ſoror, quo fine Chriſtum unxerit Nardo. ll 15. 65
Materia ignobilior in ædificio Spirituali ſunt ligna. l 12. 96
Matthæus cum Marco conciliatur. l 24. 244
Melanthion Symbolum Dei non tentantis hominum ſupra vires. ll 11. 54
Mel arundinum, mel ſilveſtre quod ſponte manat, etiam ſaccharum. ll 35. 203
Melones, Melopepones. ll 13. 59
Mendacii fructus. l 5. 55
Menſa & tegumentum duplex cui panes faciei impoſiti. ll 29. 182
Menta decimata, decimatæ cauſa. ll 8. 46
Mergi & malleoli, per quos propagantur vites. l 28. 273
Merges in medio ſtans, indicium venerationis ll 26. 154
Merorim ſive picrides hebræorum cum quibus panem azymum comedere jubebantur. ll 12. 56
Meſſis, apud hebræos quando cœperit &c. ll 26. 147
—— à famelico rapta. ll 26. 151
—— beneficiorum compenſatio. ib. 153
—— divinorum judiciorum tempus. ib. 150
—— Evangelii prædicatione facienda. ib. 149
—— in prædam ceſſura. ib. 152
—— neglecta: ignavia. ib. 151
—— ſeculi conſummatio. ib. 150
—— Nili. ib. 152

Meſſem

Meſſem anni ſeptimi non metebant Judæi. ib. 148
Meta frugum tempeſtive collecta, mors ſenis. II 26. 151
Mincha cum azymis comeſta. II 28. 175
Miniſterii Sacri typus, virga Aharonis germinans. I 22. 218
Miniſtri Evangelii vinitores. I 28. 279
Mons oliveti qua parte aſcenditur vocatur Mahale Zethim. I 18 176
—— Gethſemane in monte olivarum ſita non vocata eſt a torcularibus olivarum. ib.
Mons myrrhæ locus ubi peragitur cultus divinus. I 24. 244
Mora negotio injecta: ſepimentum ex pruno ſilveſtri. I 62. 486
Mor Deror, myrrha libera, i. e, proba. I 24. 241
Mors ſenis; meta frugum tempeſtive collecta. II 26. 151
Morus ab armentino lecta. I 25. 253
Moro ſuffecta cedrus. ib. 852
Mors ut gramen proſternit homines. II 2. 16
Moſes in arca juncea expoſitus; utrum factum illud parentum Moſis conveniat cum fide quam Paulus in iis dilaudat. Ebr. 11: 23. II 37. 213
Monita de ſatione. II 18. 81
Mulier impudica ſimilis hederæ. I 57. 461
—— ſtrenua colona vineæ. I 28. 281
Multiplicationis Symbolum herba. II 1. 9
uti & ſtellæ, arena maris, locuſtæ, aquæ, nubes, pili capitis, piſces, guttæ pluviæ. ib.
MUSTUM. I 34. 322
—— a DEO ereptum. ib.
—— fervens DEI ſermo in animo preſſus. ib. 323
—— generans virgines: Evangelium verbum vitæ. ib.
—— hoſtium ſanguini comparatum. ib.
Muſti copia lætabilis. I 34. 322
MYRRA. I 24. an ſit Benſoinum officinarum. 235
legitima hodie extat ſed rariſſima. ib. 237
Ejus IV genera quæ inter ſtacte ſua ſponte promanat. ib. 238
—— in labiis ſponſi: verbi div. ſolatia. ib. 243
—— ſuffumigata: vitæ ſanctimonia. ib. 240
—— tranſiens, i. e. genuina. ib. 242
Myrrhæ & Aloes centum libræ a Nicodemo ad pollingendum corpus Chriſti allatæ. I 24. 249
—— lacryma: decerptæ charitatis & beneficentiæ fructus. ib. 239
—— liquor per thalamos ſparſus. ibid. 243
—— odor ſapientiæ ſuavitas. ib. 241
—— oleo in regum thalamos ducendæ Virgines ungebantur. ibid. 242
—— potus Domino cum exſecrationis affectu propinatus non eſt, nec ut ſtuporem membris induceret, nec ut vires ad tolerandum crucis ſupplicium firmaret. I 24. 244
—— theca, beneficiorum Chriſti memoria. ib. 240
Myrtus inter urticas: Iſraël. II 33.

II 33. 196
Myrti feraces Silvæ. I 10. 78
—— genera; proceritas. I 24. 232
à myrto nigro Eſtheræ nomen. ibid.
myrtus in Chamælææ locum data. ibid.
Chamælææ nomen hebraicum ab urendo dictum. ibid.
myrti & Chriſtianorum comparatio. ibid.

N.

Nahatſuts frutex circa truncum arboris copioſus. I 9. 76
NARCISSUS, flos candidus vel niger exiſtimatur; nomen trahit ἀπό τῆς νάρκης, a torpore quem odorantibus creat. II 4. 34
—— floris & viri vocabulum. ib. 33
voci chabbatſeleth non ſubjicitur. ib.
NARDUS ſpicata radix eſt, vera & ſincera ad Gangum fluvium enaſcitur. II 15. 64
—— ſigna optimæ. ib.
—— hieroglyphicum fidei. ib. 65
Nardo diſcumbentium caput pedesque veteres ungebant. ib.
Nardinum unguentum Laodiceæ laudatiſſimum. ib.
Naſcebantur oleæ in montibus collibusque. I 18. 175
Navium materia pini. I 38. 368
Necoth, olea tuſa. I 21. 211
Nemus ab Abrahamo plantatum. I 10. 80
Netiſcha Jer. 48: 32. I 28. 273
Nix ſymbolum verbi DEI non rediturі ſine fructu. I 7. 64
Nive ſata: divinis promiſſionibus homines juvantur. II 19. 107
Nohatzutz nominis expoſitio. I 62 487
Noctua in ædium ſphærulis pernoctans. I 16. 149
Novale pauperum. II 17. 79
Numerus beſtiæ Apocalypticæ 666 per Gematriam Cabbalæ ſpeciem explicatur. I 17. 168
NUX. אגוז hebræis à detondendo appellata. I 23. 223
—— myriſtica in terra ſancta non gignitur. ibid.
Nucis moſchatæ feraces Silvæ. I 10. 78
Nucetum Sulamitidis oblectatio. I 23. 223

O.

Oculi nigri vino nigro comparati; animum Chriſti acerrime omnia videntem notant. I 34 326
Odor cinnamomi: e virtute percepta voluptas I 52. 446
—— florum Libani, famæ celebritas. I 4. 41
—— Libani. I 10. 84
—— nominis Chriſti, ut unguenti, id eſt, ſuaviſſimus, fragrantiſſimusque. I 21. 207
OLEA deſtricta paucis remanentibus olivis emblema eſt relictæ in populo paucitatis. I 19. 191
—— dicitur ab ardendo. I 18. 174
—— prorſus deſtricta, exitium gentis deſignat. I 19. 191
—— ut vitis & ficus; Principis emblema. I 19. 190
Oleæ Canaanitis fertiliſſima. I 18. 175
—— duæ apud Zach. 4: 1. Miniſtri Evangelii. I 19. 186

Oleæ in deſertæ Arabiæ glareoſis rupibus Job 29: 6. in Genneſar teſte Joſepho, in Argob ſive Trachonitide juxta Hebræos. Apud eosdem ab olivarum bonitate celebratur Thecoa, Ragab trans Jordanem, Kehila, Netopha, Gaſchchalab urbs Aſeritica. l 18. 177
—— Viror; perpetua ſanctorum felicitas. l 19. 185
Olearum feraces Silvæ. l 10. 78
Oleaſter, oleæ matrici inſitus: Gentilis eſt in Eccleſiam Dei adoptatus. l 6. 58
conf. l 19. 185
Oleum diffluens; jugum amovendum. l 21. 205
—— Oleum divini Spiritus dona ſignificat. l 20. 199
—— Evangelii verbum. l 19. 181
—— & mulier contentioſa. l 21 209
—— oſſa penetrans: Efficax maledictio. ibid.
—— Sacrum fraternæ aſſimilatum concordiæ. l 21. 207
—— verba blanda. l 21. 209
Olei cum aromatis non permixti uſus multiplex. l 20. 205
abuſum olei vid. ib.
Olei ſacri uſus. ib. 197
Olei ſanctificationis præparatio; ingredientia, ut loquuntur, myrrha libera, Cinnamomon, Calamus odoratus, aromaticus Kidda vel caſia hodie ignota, niſi fuerit Storax. l 20. 193
Oleoſa ligna præter oleam erant, ex quibus Cherubos & binas Adyti fores fecit Salomon. l 18 176
Olivæ decus perpetuum: Eccleſiæ honor Iſraeliticæ. l 19 183
Olivæ tempeſtatibus dejectæ; ſpem interceptam ſignificant. l 19. 192
Oliveta Philiſtæorum accendit Simſon immiſſis trecentis vulpibus, non ſtraminis manipulis ut non nemo interpretatus eſt. l 18. 178
Olus. ll 2. 10
—— cibus fratrum in fide infirmorum. ib. 19
—— infirmitatis Symbolum. ib. 18
Olera cibus innoxum viliſſimus. ib. 17
—— cœleſti rore refecta: reſurgentium typus. ll 2. 18
Omphax a palmite ablatus; deſerentis ſpei argumentum eſt. l 29. 292
Omphax cum palmite amputatus ante meſſem, intempeſtivum indicat interitum. l 29. 292
Omphacem comederunt patres & filiorum dentes ſtupent: i. e. parentum culpam liberi luunt. ib. 291
Opera bona fructus juſtitiæ. l 5 53
—— Iſraelitarum mala; Vinum Draconum veneno pernicioſius. l 34. 329
Oxykanthæ hebr. Barkanim, ſpinæ fulgidæ ſive fulguris inſtar penetrantes. l 62. 483

P.

Palatha ficuum. l 17. 157
Palma hebr. Thamar ab admiratione dicta, ejus figura, ſolum natale, radix, caudex, coma, rami frondes, folia l 15. 123
—— longioris ævi ſymbolum. ib. 126

Pal-

Palma opere continente: gentilium idola. ib. 136
— Victoriæ ſignum. ib. 134
— ſimilitudinibus a proverbiis compluribus argumentum præbet. ib.
— Hieroſolymitanæ. ib. 141
Palmæ fructus, I 15. 124
— ſexus. ib. 125
palmarum differentiæ. ib. 126
— in baſibus laterum templi Salomoni quid ſignificent. I 15. 136
— ſtatura Eccleſiæ Chriſtianæ ſpecies; rectitudinis, roboris, patientiæ & victoriæ ſymbolum. ibid. 129
— utilitates innumeræ; innumeræ etiam verbo divino. I 15. 131
Palmarum cæduæ ſilvæ. ib. 136
— cælaturæ in parietibus templi; emblema principum qui ad Eccleſiam oculos intendunt. ib. 135
— civitas Hierichus. ib. 138
— loca genitalia Elim. I 15. 137
palmetum in monte Ephraim. ib. 138
— Rami in ſolennibus gaudiis & in pompa geſtati. I 15. 133
PALMES. I 28. 284
palmites vitis dicuntur hebræis hanaph, zemona, Bathim, ſarigim, habothim, dalijoth de quibus vid. ib.
Palmitis Sagittæ rami decurtari ſoliti. ib. 286
Palmites a Chriſto ſejuncti ſterileſcunt. ibid.
— complicati, dierum hieroglyphici. ib. 285
— denſi & excelſi. ib. 286
— robuſti, incrementum opum, authoritatis. ib. 284
— ſive Renati a Chriſto ſeparabiles. I 28. 287
PANACIS deſcriptio. II 10. 51
Parmag ſc. apud Ezechielem non eſt caſia non balſamum, non phœnices, ſed panax ſive panaces heraclenm. ib
Panicum hebr. Dochan. II 21. 124
PANIS hebr. Lechem, cujus nominis ſignificata explicantur, vid. Lechem. Ii 28. 164
— genera ſunt: Huga vel mahog, panis ſubcinericius; Challa, panis conſoſſus, ne ſc. bullaret; Cawana græcis Πόπανα: Rekikim placentæ tenues ex ſimilagine in oleo frixæ; Lebiboth, quaſi cordis refectoria dicas lat. libæ; Tzappichit placenta in latum diducta; Nikkudim punctatus panis; azymus &c. II 28. 176
— anguſtiæ. II 32. 190
— dolorum. ib. 191
— clandeſtinus. ib. 192
— & corporis Chriſti, fideliumque & Chriſti κοινωνία. II 31. 189
— Euchariſticus. ib. 188
— fabaceus Ezechielis. II 22. 130
— falſitatis. II 32. 192
— improbitatis. ib. 191
— in regno Chriſti. ib. 193
— lacrymarum. ib. 190
— lugentium. ib. 192
— mali oculi. II 32. 192
— non mutatur in corpus Chriſti conſecratione Sacerdotis. II 31. 189
— optimus in Aſeritide. II 28. 168
— Quotidianus in oratione Dominica quid. II 30. 185
— Sapientiæ. II 32. 192
— Triticeus. II 28. 171

—— hordeaceus. ib.
Panis vitæ. II 32. 193
Panem projicere ſecundum aquas Eccl. 11: 1. quid ſignificet. II 18. 82
Pane cor hominis fulcire. II 28. 170
—— in Sacramento cœnæ cur ſit uſus Dominus noſter. II 31. 188
Panes faciei; illorum diſpoſitio. II 29. 182
— — — res Sanctiſſima. ib. 183
quo ſenſu dicantur profani. ib. 184
—— facierum Evangelii verbum adumbrant. II 29. 183
—— non fermentati in feſto Pentecoſtes Deo oblati. II 28. 180
ſenſus oblationis hujus myſticus. ib.
Papyrus, hebr. haroth planta in paluſtribus Ægypti nata, ex qua conficiebatur charta quam etiam condebant Ægyptii. II 35. 214
Papyri uſus. ib. 215
Papyriaceæ naves. II 38. 215
Paradiſus, hortus ſecretus & diviſus. I 11. 88
Paſcha cum azymis comeſtum. typus comeſtionis Euchariſticæ. II 28. 175
Paſchatis feſtum initium meſſis hordeaceæ. II 26. 146
Pauper pauperem ſupprimens; inſtar pluviæ eſt fruges evertentis. II 29. 108
Pauperes vagi ſimiles onagris. II 28. 167
Pauperum cibus, olera. II 2. 17
—— latibula, frutices. I 9. 75
Peccatum comparatur ſiliquis. I 49 431
—— fermento ſimile. II 28. 178
Peccata ſua negare, extenuare, excuſare, idem quod nitro, ſmegmate, & nivalibus aquis lavare. II 16. 69
Peckuhim non ſunt colocynthides, ſed vox illa idem notat quod Beckarim 2 Chron. 4: 5. nempe fungos. II 39. 220
Petecoſtes feſtum meſſis triticeæ initium. II 26. 146
Pepones Abattichim dicti, cibus quem in deliciis habuerunt Iſraelitæ. II 13. 59
Phœnix in græca verſione Pſ. 9: 13. non eſt avis. I 15. 128
Picrides hebræorum, quales erant Chazereth lactucæ peſſimum genus: Intubum, ſeris vel cichorium: Thamca marrubium vel gingidion Charchobenim chamæleones. II 12, 56. 58
Pilo piſta frumenta. II 20. 114
Pinus, pinorum genera, reperitur arbor hæc in Palæſtina, conficiebantur ex illa Idola, ſuppeditabant quoque aptam ædificiis navibusque materiam. I 38. 376
Pix, eſt vel liquida vel ſpiſſa. I 38. 370
—— arida vel ſpiſſa ea eſt qua Noachus arcam picavit. ib.
—— & reſina cupreſſi. I 40. 375
Picca arbor, hebr. Tidhar à perpetuitate dicta. I 38. 369
Piccæ fructus, reſina, pix. ib.
Platanus arbor. I 43. 402
aquis & mero proficit. ib. 403
Platani proceritas, ramorumque amplitudo inſignis. ib.
Platani memorabiles. ib. 403
Pluvia everrens fruges, comparatur pauperi pauperem ſupprimenti.

menti. ll 19. 108
Pluviæ aſſiduæ vel intempeſtivæ arboribus infeſtæ. l 8. 68
—— Symbolum ſunt verbi divini non redituri ſine fructu. l 7. 64
Pomorum fragrantia; ſolatia jucundiſſima. l 14. 119
Populeæ virgæ a Jacobo decorticatæ. l 2. 23
Populus qui deſciſcit à fide, vitis degener. l 32. 307
Porcæ agrorum centauri fertiles. ll 11. 55
Porcus, Chazir mijahar Pſ. 80: 13, 14. male vertitur, porcus Silveſtris. l 30. 299
Porci vineas devaſtantes: hoſtes Eccleſiæ. ib.
Porrum, duplex capitatum & ſectile. ll 6. 36
Præputia arborum. l 6. 61
Precum ardor, thure in voluntaria oblatione incenſo deſignatur. l 44. 407
—— ſuffitus. ib. 410
Primitiæ fructuum Sacerdotibus conceſſæ. ll 26. 155
—— Reſurgentium Chriſtus. ib.
Primitiarum oblatarum cauſæ & tempus ibid.
Primitivus in fico fructus, ſymbolum rei gratiſſimæ. l 17. 157
Primogenitura eximia prærogativa. ll 22. 125
Principum emblemata ficus, olea vitis. l 19. 190
Pro lignis æs. l 13. 100
Promiſſio divina, ſub imagine radicis. l 2. 21
Promiſſiones divinæ homines juvant ſicut nix ſata. ll 19. 107
Propheta honoratur ſpicarum primitiis. ib. 101
Proverbia à palmis ducta. l 15. 142
Providentiæ paternæ ſignum erat, ſpontenatum, Iſraelitis in terra Canaan. ll 25. 145
Prunus ſilveſtris hebr. Chedek ab ure do vel pungendo; non eſt Lycium nec paliurus. l 62. 485
Pruno Silveſtri ſimilis homo aſper & durus. l 62. 485
Pudoris ſymbolum cortex punici mali. l 16. 140
Pugillus hordei, quæſtus levis. ll 21. 124
—— tritici, verbum Dei. ll 20. 115
Punicæ flos. l 16. ſtudium & ardor proficiendi in bono.
Punica mala in fimbriis pallii ſummi Sacerdotes quid ſignificaverint. l 16. 146
Punicæ vinum. ib.

Q.

Quæ tranſpoſitis literis ſcribuntur nomina ab eadem radice deſcendere queunt. l 18. 179
Quercus, diſtincta quercuum genera, latifolia, haliphlœon &c. l 37. 348
—— Abrahami non fuit Terebinthus. ib. 359
—— Baſaniticæ proceritas, potentiorum faſtui comparatur. ib. 360
—— Idololatris pro templis fuere. ib. 360
—— Juſtitiæ; homo in juſtitia & fide roboratus. ib.
—— prope ſicyma, quercus Hophræ, quercus parum diſſita à Bethelæ, quercus Jabeſi, ib.
Quercuum vallis prope ab Socunta

ta & Azeka urbe diſtans, in qua & Goliatus cæſus. ibid.
Quercus a qua pependit Abſalom. ibid.
Quercuum ubi Scriptura faciat mentionem. ib. 357 & ſqq.
Quisquiliæ frumenti. II 27. 163

R.

RACEMARE, Racematio. I 31. 301
—— poſt vindimiatores, eſt relicta colligere. ib.
Racematio interdicta, interdictæ rationis Leges. I 31. 302
—— melior vindemia, notat ſuper alios eximium. ib.
—— non relicta, illatæ vaſtitatis Symbolum. ib.
Radicari eſt firmari, ſtabiliri. I 2. 16
RADIX. I 2. 13 ſqq.
—— ad aquas explicata: ubertatis & affluentiæ Symbolum. ib. 14
—— arboris fundamentum: promiſſio DEI. ib. 21
—— arefacta & tabeſcens: interitum deſignat. ib. 13
—— cæſa arbore ſuperſtes; generis notat reliquias. I 2. 17
—— exciſæ arboris relicta: ſymbolum ſpei ad priſtinum ſtatum revertendi. ib. 20
—— fel & abſinthium proferens: Idololatriæ, apoſtaſias & hæreſeos author. ib. 14
—— firmitatis ſimilitudinem declarat. ib. 15
—— incolumitatis emblema. I 2. 15
—— pernicioſa, Avarities vel amor pecuniæ. ib. 14
—— res infima. ib. 18
—— ſedis fixæ emblema. ib. 16
Radix ſpei & fiduciæ emblema. ib. 15
Rami filius: Joſephi Jacobi filius. I 32. 314
RAMUS, ramorum nomina & differentiæ. I 2. 24
Rami defracti; ex populo DEI excluſi. I 2. 30
—— denuo arbori ſuæ inſerti: denuo Eccleſiæ uniti. ibid.
—— Liberorum ſimilitudinem ſuppeditant. ib. 29
Ramorum multitudo affluentiæ Symbolum. ib.
—— uſus. ib 31
Ramos eximios amputare; Viros ſummos ad interitum redigere. 32
Ramuſculi tutelæ & quietis ſymbolum.
Redundantia bonorum DEI; vino comparata. I 34. 330
Refectionis ſymbolum, gramen imbribus ſparſum. II 2. 13
Refellitur Grotius & Maldonatus. II 26. 147
Refractariorum imago ſpinæ. I 58 463
Regenerationis & renovationis Symbolum res herbam reficiens. II 1. 10
Regenerationis ratio, procreatione herbarum innuitur. II 1. 4
Regnum cœleſte ſimile grano ſinapis. II 14. 61
Regum ſplendor ſub imagine abietis pulchræ. I 39. 373
Reliquias generis notat radix cæſa arbore ſuperſtes. I 2. 17
Renovationis icon ſurculus inſititius. I 6. 59
—— Symbolum virga Aharonis. I 22. 219

Resina. I 38. 369
Reſina Gilhaditidis Jer. 8: 22. I 45. 417
—— Lentiſci, propria & impropria, Chia & Creteuſis, alia ex humili ſpina nata. I 47. 424
Ejus quæ ad nos ex Chio vel Scio deportatur hiſtoria. ib. 425
—— Terebinthi, quæ copioſe reperitur in Gilhaditide Arabiaque Petræa. I 45. 417
Res infima radix. I 2. 18
—— moleſta & inexſtirpabilis, ſpina. I 58. 464
—— viliſſimæ ſtipulis comparantur. II 27. 160
Reſtitutionis ſymbolum Eſculus. I 37. 361
—— —— —— herba tenera refloreſcens II 1, 5
Reſurgentium primitiæ Chriſtus. II 26. 155
—— typus, olera cœleſti rore refecta. II 2. 18
Reſurrectionis figura triticum progerminans. II 20. 117
Ricinus Jonæ non eſt hedera, Talmudicis dicitur Kik, Arabibus & Pœnis Elſcherva, officinis palma Chriſti. I 55. 453
Ricinus Jonæ: vana mundi gaudia. ib. 456
Rimmon Benjaminitarum. I 16. 144
Rimmon urbs Judæ. ib. Hadad a Syrorum Deo dicta.
Riſus ſtulti, crepitus ſpinarum. I 59. 468
Rhamnus, tria ejus genera. I 62. 484
Rhamnorum ictus, tyrannicum Regimen. ib. 486
Rhoites punicæ vinum. I 16. 147
Ros frumento utilis. II 19. 107
Ros herbarum refectio, regenerationis & vivificationis ſymbolum. II 1. 10
Rosa ad flumen. I 61. 475
—— flos principalis. ib. 474
Roſæ comparata ſapientia. ib. 475
—— Voluptariorum deliciæ. ib.
Roſch, centaurum notat non cicutam, quæ quippe nihil fellis vel amaritudinis habet. II 11. 55
Rubus, ejus genera. I 61. 475
Rubus ardens, Dei ſervatoris gratiam præfiguravit. I 61. 476
Ruscus. I 62. 486
Ruta Decimata. II 9. 48

S.

Saba Regio ad Erytræum mare usque pertingens thuris ferax. I 44. 404
Sabæ Regina balſami plantam prima in Judæam intulit. I 46. 421
Saccharum eſt mel arundinum. II 35. 203
Salix: hebræi ſalices a trama vel ſubtegmine dixerunt. I 51. 434
Salices Elephantorum latibula. I 51. 435
—— torrentium, ad feſtum tabernaculorum petitæ. ibid. 436
Saltus profugorum refugium. I 10 79
Saltum obumbrans cedrus. ib.
Sanctificati ſunt oleo (1) Sacerdos ſummus & filii. (2) Tabernaculum & ab eo contenta. (3) Reges. (4) Prophetæ ante tempora legislatæ vid. Pſ. 105: 15. poſt legem latam ſolus Eliſa Propheta legitur fuiſſe unctus. Jacobus Patriarcha lapidem quoque unxit

xit. I 20. 197, 198
Sanguis hoſtium muſto comparatur I 34. 323
Sapientia cum Platano comparata. I 43. 403
—— roſæ comparata. I 61. 475
Sata lux ; i. e. gaudium multum paratum eſt juſto. II 18. 92
Satio. II 18. 80
Satrapæ Regis Aſſyriorum latiſſime imperantes ſpecioſis Platani ramis comparantur. I 43. 403
Schabbat Schabbaton, i. e., Sabbatum magnum. II 25. 144
Schajith, ſpina foſſilis. I 60. 470
Schamir ſpina alta & denſſo. I 58. 464
Schamma unus ex robuſtioribus Davidis ſolus agrum ſuum lentibus conſitum contra Philiſtæos defendit. II 22. 127
Schittim vel Sittim ligna, lignum Acaciæ. I 48. 428
Schora idem quod adeps tritici, triticum ſc. laudatiſſimum. II 20 113
Schoſchannim in titulo Pſalmi XLV. non notat hexachordum. II 3. 21
Schuhalim vulpes dicuntur à mordacitate, Bocharto à tuſſiendo. I 18. 178
Schum, Allium. II 6. 36
Scirpus vel juncus Gome. II 37. 211
Securis ad radicem imminens exitium. I 2. 19
Securitatis emblema, manipulus in aream congregatus.
Sedis fixæ emblema, radix. I. 2. 16
Seges demeſſa exterminationis emblema. II 26. 152
SEMEN : corpora defunctorum. II 18. 94
—— cum fletu ſatum. ib. 93
—— falſum ; filii degeneres. ib. 98
—— in agro vitiatum. ib. 96
—— operum. ib. 96
—— pacis. ib. 90
—— Verbo DEI comparatum. ib. 84
Seminis aucti vis à DEO. ib.
Semina infeſtans mucor. ib. 96
Sementis: Eleemoſyna. ib. 90
Seminare ad juſtitiam, metere ad benignitatem, & novellare novum. quid ? ib. 83
—— injuſtitiam : operari iniquitatem. ib. 98
—— triticum & metere ſpinas eſt labore & ſpe ſua fruſtrari. I 58. 463
Seminans Ventum turbinem metet i. e. inanium operum calamitoſa erit merces. II 18. 92, 97
Seminatum in viam, in petram, in ſpinas, in terram bonam. ib. 86
Senex arbor arida. I 1. 7
Senium & mors arboribus ut hominibus exitioſa. I 8. 72
Senticetum vaſtitatis indicium I 58. 465
Sentium i. e. pœnarum metu libera Eccleſia. ib.
Sepimentum ex pruno Silveſtri ; negotii mora. I 62. 486
Serere in ſpinas: eſt, in divitias & voluptates intendere animum. I 58. 463
Sermo DEI in animis preſſus : muſtum fervens. I 34. 323
Servi fidelis emblema. I 17. 158
Sexus arborum diverſi ; an reperiantur in hebraismo veſtigia ſexus arborum. I 6. 60
Scelera cum coccino dibapho compa-

pa-

parata. l 37. 363
Sicchim ſpinæ agrum obtegentes. l 60. 470
Siccitas ad reſipiſcentiam invitat. ll 19. 109
Sicera ebrius dicitur, qui nihil conſulte facit. l 34. 322
—— mendacium prophetarum pacta merces. l 34. 322
—— potus inebrians, Vinum quoque factitium. ib. 321
—— tumultuoſa. ib. 322
—— vitæ moleſtias lenitura. ib.
Siderum caſus cum ficu decidua comparatus Jeſ. 34: 14. ad interitum Edomi referendus non eſt; in Edomo depictus Anti-Chriſtus. l 17. 167
Siliqua arbor, ejus nomen, ſpecies & uſus. l 49. 429
Siliquæ ſilveſtres porcorum pabulum. l 40. 430
Siliquæ, peccatoris inedia ſpiritualis. ibid. 431
Sillon ſpina recta. l 59. 469
Silva. l 10. 78
—— arvi. ib. 83
—— Bethelitarum. ib. 78
—— Cherethæ. ibid.
—— Copiæ militares. ib. 84
—— Ephraim. ib. 78
—— Hominibus abundans Judæa. ib. 84
—— Kirjath Jeharim. ib. 78
—— Libani i. e. gentiles. ib. 83
Silvæ denudatæ. l 10. 84
Silvæ feraces: caryophyllorum, Cinnamomi, Dactylorum, Ligni Braſiliani, myrti, nucis moſchatæ, olearum, Tamarindi. l 10. 77, 78
Silvis nocent (1) ignis, (2) grando, (3) æſtus, (4) ferrum Dei l 10. 85—88
Similitudines ab herbis deſumtæ. ll 1. 5
—— à vite ductæ. l 32. 303
—— ab uvis deſumtæ. l 29. 291
Simon filius Oniæ Pontifex maximus cupreſſo ad nubes exaltatæ comparatur. l 40. 375
Simulacra Deorum ex arboribus. l 12. 99, 100
—— ex Tilia fabricari ſolebant. l 50. 432
Sinai mons ruborum. l 61. 475
Sinapi, vox originis Syriacæ, naſi odium ſonat. ll 14. 60
—— ex minimo ſemine in arboream creſcit altitudinem quod & in aliis arboribus obſervare licet quas vero ſuperat, celeritate creſcendi, ſemen Sinapi. ll 14. 62
Sinapis granum fidei miraculoſæ aſſimilatur. ib. 63
—— grano ſimile Regnum cœlorum. ib. 61
Sindon idem quod linteum. ll 23. 137
Sirim ſpinæ recurvatæ ſive lunatæ. l 59. 468
Sirpad Symmacho dicitur urtica, τοῖς ὁ, κόνυζα, Tremellio, Paliurus, Arabi Ebulus, Syro hyſſopus nobis ruſcus a ſeparando & recedendo. l 62. 486
Sittim & Gilgal monimentum flagitia vindicantis Dei. l 48. 429
Σκύβαλα retrimenta & purgamenta frumenti ſunt. ll 27. 163
Sodoma in lacu Aſphaltite falſo creditur ſubmerſa. l 36. 343
Solvitur quæſtio: quomodo cum libris XII olei poſſit è libris LXII ſemis oleum ſive unguentum fieri liquidum. l 20. 195

Sparganium græcis βούτομον vaccarum pabulum, ejus deſcriptio. II 38. 216
—— luto deficiente marcidum, felicitates hypocritarum deſignat facile evaneſcentes. ib. 217
Spelta vel Zea hebr. Chuſſemeth ab occultando nomen tenet. II 21. 120
Spes ad irritum cadens: ſpina tritici loco nata. I 59. 467
Spei & fiduciæ emblema, radix. I 2. 115——120
Spe magna aggrediens negotium, ſimilis homini aranti & ſerenti. II 17. 75
Spica annonæ hieroglyphicum. II 19. 100
—— hebes telum. ib.
Spicæ in primitiis. ib.
—— fricata in Sabbatho. ib. 101
Spicilegium interdictum colono. ib.
Spina communis. I 58. 462
—— alba. I 62. 483
—— alta & denſior. I 58. 464
—— deſolationis ſignum. ib.
—— hamata. I 59. 465
—— in oculis: dolor odioſus. I 60. 370
—— in manu ebrii: res quam tractare nequeat. I 59. 467
—— maledictionis ſymbolum. I 58. 462
—— recurva ſive lunata. I 59. 468
—— res moleſta inextirpabilis. I 58. 464
—— tritici loco nata: ſpes irrita. I 59. 467
—— vaſtitatis nota. ib. 468
Spinæ acutæ: I 60. 470
—— agrum obtegentes. ib.
—— & tribuli: apoſtatarum in Sp. S. blaſphemiæ. I 60. 473
Spinæ exuſtæ: imago penitus peremti. I 58. 463
—— famelicorum latibula. I 60. 471
—— fructus. ibid.
—— improborum technæ. ib.
—— perduellium ſupplicia. I 58. 463
—— perplexæ. perturbatorum hominum ideæ. I 59. 468
—— refractariorum imago. I 58. 463
—— uvas non proferunt. I 60. 471
Spinis obſtructum iter dicitur, quibus in tutum evadendi occaſio eſt erepta. I 59. 469
Spineta latibulum ab hoſtibus. ib. 466
Spineus pro maligno. ib. 469
Spinea Chriſti corona. I 60. 473
Spinus contumax: vicinus odioſus. I 59. 469
Spiritus S. ventus expurgans animos, recreans, fœcundans, imperceptus. I 7. 66
Sponſus amicæ carpens lilia. II 3. 27
Sponte natum. II 25. 143
—— duobus annis continuis comedendum. II 25. 144
Statuta meſſis. II 26. 148
Sterilitatis ac deſolationis ſignum vepres. I 60. 470
Stipulæ collatæ rebus viliſſimis. II 27. 160
Stipulam parere. II 27. inanis labor. 160
Storax veterum, vel ſiccus vel liquidus, ſiccus convenit ei qui Kidda vocatur pro thymiamate uſurpatur. Nomen in Syria natum. Odoratiſſimus colligebatur etiam in Ægypto, in Pamphilia;

philia, Piſidia, Arabia, India &c. l 23. 229
STRAMEN cum re debili ac infirma comparatum. ll 27. 161
—— doctrina falſa. ib.
—— & ſtipula, doctrina frivola & vana. ib.
—— in Sterquilinio trituratum, gentem notat omnium abjectiſſimam. ib. 162
Straminis copia celebratum Hephrajim oppidum. ib.
Studioſus legis divinæ: arbor perpetuifolia. l 4. 34
—— verbi divini arbor rivalis. l 1. 8
Stupa imbecillitatis emblema. ll 27. 163
Subditi depauperati vinea depaſta. l 32. 213
Subito pereuntis typus, ignis ſpinarum. l 58. 463
Succus panacis. ll 10. 51
Suffitus Sacri ingredientia illorum expoſitio myſtica. l 44. 406
Suffitus precum. ib. 410
Summum ramum ſive vertex ætatis teneræ princeps. l 2. 26
Suph alga vel fucus marinus ll 38. 215
Supplicia perduellium ſpinæ. l 58. 463
Surculus inſititius renovationis icon. l 6. 59
Suſpecta ſunt pleraque ea, quæ ex Gentilium Scriptis ad illuſtrandum codicem Sacrum afferuntur. l 18. 179
Suſpenſus ab arbore exſecrationi eſt DEO. l 12. 99
SYCAMINUS ſive morus ut recte Latinus, Syrus & Arabs, vocabulum hoc in Syria vel Judæa natum, ubi frequentes naſcebantur. l 25. 250
—— apud Lucam 17: 6. non eſt Sycomorus. ib
Synonymum Sycamini eſt hebr. Gamſa. ib.
Sycomorus hebræis dicitur Bacha. Bacha. l 17. 172
Συκοφαντεῖν. l 17. 170
Symbolum ubertatis & affluentiæ radix ad aquas expoſita. l 2. 14

T.

Tabernaculum typus Eccleſiæ Chriſtianæ in terris adhuc peregrinantis. l 20. 199
Tabulæ cedrinæ in muro atrii. l 41. 391
Tabulatum cedrinum, vires animi novumque robur. ib. 392
Tamarindi feraces Silvæ. l 10. 78
Technæ improborum ſpinæ. l 60. 471
Temporis in melius mutati ſymbolum: flores poſt hyemem. ll 1. 12
Temulentia principum juris legumque diſpendium. l 35. 338
Terminatio ןי ſervilis intenſivæ eſt ſignificationis. l 37. 352
Terra pinguis, lacte & melle fluens, i. e. quæ imbribus rigata ſuavem ſpirat odorem. ll 17. 70
Terræ Agallochi ſive Aloes aromaticæ feraces. l 42. 398
Thamar palmæ nomen ab admiratione dictum. l 15. 122
THAMAR ſive Thadmor, i. e. Palmirene, palmifera Thamar. ib. 140
THEREBINTHUS, ejus deſcriptio, Reſina fructus. l 45. 415
—— nomen therebinthi hebraicum in Scrip-

Scripturis Sacris non repertum. ib. v. d. Botnim.
— prope Quercetum Mamre. l 45. 417
Therebinthorum longævitas. ib.
Thirza non eſt cupreſſus, non pinus, nec abies, nec fagus, nec eſculus, neque etiam Ilex ſed Tilia. l 50. 432
Thus hebræis à candore dictum לבנה, arbor hodie incognita, in Sabæis & Indis gignitur. l 44. 404
— Deo quandoque inviſum. ib. 410
— Expiatorium expoſitio illius myſtica. ib.
— impoſitum panibus facierum cur fuerit? ib. 408
— in munere primitiarum oblatum quid deſignaverit. ib. 407
— in ſuffitu ſacro. ib. 406
— in voluntaria oblatione adolendum myſtice exponitur. l 44. 407
— in urendis defunctis uſurpatum. ib. 410
— oblationi ejus qui peccavit & piacularem victimam obtulit non fuit impoſitum, ex ratione quæ indicatur. l 44. 409
— oblationi Zelotypiarum non fuit impoſitum, rationem vide. ib.
— Puero Jeſu muneri datum cultus ſinceri & piæ venerationis ſignum. ib. 414
Thuris ſuffitum Deus non exegit. l 44. 409
Tilia hebr. Thirza arbor infrugifera cujus lignum ſimulacris aptum. l 50. 431, 432
— in Muteto Helvetiæ monte, Bauhino videtur eſſe mas Tilia Theophraſti. ib.
— mas & fœmina. ib.
— pulchra ſed ſterilis imago divitum qui nullos miſericordiæ fructus ferunt. ib. 334
Torcular irati Nummis ultionem ſignificat. l 29. 293
Triticum, ejus genera. ll 20. 113
— Dei verbum. ib. 118
— Minnithæ verbis. ib. 113
— progerminans reſurrectionis figura. ib. 117
Tritici ferax terra Canaanitidis. ib. 115
— Granum Chriſtus. ib. 116
Tritico comparantur Electi. ib.
Trituræ hebræorum. ll 9. 49
Truncus. l 2. 21
— homo convertendus. ib. 22
Tsin deſertum palmis minoribus fertile. l 15. 141
— genus palmarum humile in deſerto Cadeſch. l 15. 126
Tugurium in vinea typus vaſtitatis. l 33. 318
Turio in cedrum excreſcens Chriſti Servatoris hieroglyphicum. l 41. 386
Turio ſive ſummum rami ut vertex arboris ætatis teneræ princeps. l 2. 26
Turres in Saltibus. l 10. 79
Tutelæ & quietis Symbolum, ramuſculi. l 2. 28
Tyranni hieroglyphicum Cynosbatus. l 61. 478
Tyrannicum Regimen: ictus rhamnorum. l 62. 485
Tzedekia mater vitis. l 32. 312
Tzinnim ſpinæ auctæ quales in palma humili. l 60. 470

Vallis

V. U.

Vallis Acaciarum. l 48. 427
—— Hierichunthina balſamo natalis. l 46. 420
—— Olearum vel pinguedinum. l 21. 211
Vaſtitatis indicium ſenticetum. l 58. 465
—— nota ſpina. l 59. 468
Ubera Sulammitidis cum botris palmarum comparatæ Cant. 7: 8. l 15. 131
Ubertas terræ vocibus Schadmoth Schedemoth & Scheremoth innuitur. l 17. 71
Ubertatis & affluentiæ Symbolum radix ad aquas explicata. l 2. 14
Velum tabernaculi coccineum. l 37. 364
—— —— —— ex byſſo. ll 24 142
Venerationis indicium, merges ſtans in medio. ll 25. 154
Ventus; Spiritus Sancti figura, expurgantis animos ſolantis, recreantis & fœcundantis. l 7. 66
Ventorum injuriæ arboribus inimicæ. l 8. 70
Vepris deſolationis ſignum. l 60. 470
Vepres hoſtium copiæ. ibid.
Verbum Dei cum ſemine comparatum. ll 18. 84
—— herbæ virentes queis delectatur animus. ll 1. 4
—— Vinum ambulans & loquens. l 34. 327
—— Triticum & tritici pugillus. ll 20. 115—118
Verbum divinum fructus ſalutis. l 5. 52
Verbi divini utilitates, ut palmæ, ſunt innumerabiles. l 15. 131
Verticillatæ herbæ. ll 8. 41
Veſtes coccineæ. l 37. 364
Veſtes myrrham olentes, carnis Chriſti majeſtatem denotant. l 24. 241
—— regiæ, velaque Tyriorum ex byſſo. ll 24. 141
—— Sacerdotum lineæ. ll 23. 139
Veſtimenta Chriſti quæ ſunt myrrha cedrum & caſia, carnem illius indigetant, nulli corruptioni obnoxiam. l 42. 398
Veſtitus liliorum. ll 3. 27
Vicinus odioſus, ſpinus contumax. l 59. 469
Victu uti tenuiſſimo eſt vivere urticis. ll 33. 196
Vigoris ſenſim fugientis imago herba exareſcens. ll 1. 10
Vindemiæ Silva. l 32. 307
Vinea Baalhammonis. l 39. 341
—— Dei elocata. l 32. 306
—— depaſta: ſubditi depauperati. l 32. 313
—— incuſtoditæ: Judæorum Eccleſia relicta. l 32. 303
—— meri. ib. 306
Vineæ à peragrato deſerto incipientes. ib
—— Abelkeramim. l 36. 342
—— in Arabia deſerta cultæ. ib. 347
—— Philiſtæorum. ib. 342
—— Regum dona. l 33. 317
—— Samaritanæ. l 36. 341
—— Siluntinæ. ibid.
Vinearum feracitas: ubertas bonorum in Eccleſia. l 32. 307
—— Sterilitas. l 30. 301
Vineas colere, quo tempore cœperit Germania. l 34. 319
Vineta Libani. l 36. 341

—— Sibmæ & Heſbonis. ib. 344
—— Sodomæ. ib. 343
VINUM, nominis Etymologia, Synonyma. l 34. 319, 320
—— ambulans & loquens: ſermo DEI. l 34. 327
—— aqua dilutum: corrupta dogmata. ib. 328
—— Chelbonis. l 36. 346
—— cum redundantia bonorum DEI comparatum. l 34. 330
—— Diis fruſtra libatum. l 35. 335
—— Draconum, veneno pernicioſius ſunt: mala Iſraelitarum opera. l 34. 329
—— evanidum: virtus obſoleta. ib. 328
—— immoderate ſumtum, gravibus malis onerat & animi vigorem interimit. l 35. 336
—— in manu DEI & calix vini quod ferbuit, i. e. non deeſt DEO, quo vel reficiat vel affligat hominem. l 34. 328
—— libaminis, & libamina ſanguinolenta. l 34. 334
—— nigrum, oculorum nigredine comparatum. ib. 325
—— novum utresque veteres, res incongrua ibid. 324
—— refectio ægrorum. ib. 332
—— Sanguinis Jeſu Chriſti vehiculum in Sacramento cœnæ. l 34. 333
—— Sapientiæ cœleſtis, gaudium ſpirituale. ib. 331
—— ſecuritatis parens. ib. 330
—— Seductor. l 35. 339
—— Vetus, amici Veteris figura. l 34. 324
—— violentiæ bibere, i. e. vinum ex bonis violenter oppreſſi acquiſitum. l 24. 329
Vini ferax Idumæa. l 36. & Aſſyria 346
Vino jucundius eſt quod amatur in ſponſa Chriſti. l 34. 331
—— lætantibus ſimiles, DEI beneficentia lætantes. ib. 330
Vina Canaanitiits a profanis authoribus celebrata: Tyrium, Sidonium, Sareptanum, Gazeticum, Aſcalonites. l 36. 347
Vinitores extranei. Jeſ. 61: 5. l 28. 278
—— ſcelerati. ib. 281
Vinitoribus militiæ data vacatio, legis illius ratio. ib. 282
Vir bonus inter improbos: myrtus inter urticas. ll 33. 196
Viri illuſtres quibus a quercubus nomen. l 37. 350
Virorum nomina a Ziph pice ducta. l 38. 369
Viri ſummi; rami eximii. l 2. 31, 32
Virga ſperniens omne lignum. l 13. 102
Virgula infra truncum Iſai: Chriſtus Jeſus. l 2. 21
Virgultum relictum, contemtus emblema. l 9. 70
Virtus obſoleta vinum evanidum. l 34. 328
Viſceratio. l 57. 460
Vis hoſtilis arboribus inimica. l 8. 70
Vita celeriter transacta, ſub imagine navis arundineæ. ll 35. 201
—— hominis caduca; gramen. ll 2. 16
Vitæ ſolicitudo cum ſpinis comparata. l 60. 471
VITIS arbor. l 28. 271

— Chriſtus. l 32. 307
— degener, populus qui deſciſcit à fide majorum. ib.
Vitis Eccleſia. ib.
— Eximia, cui opponitur humilis ſtatura. id.
Vinitor Chriſtus, Vinitor Deus, Vinitores miniſtri Evangelii. l 28. 278
Vitis fructifera: uxor. l 32. 314
— incrementum aqua. l 30. 295
— incrementorum gentis Judaibæ Symbolum. l 32. 313
— malleolis propagata. l 28. 273
— reflorescens: Reſtaurationis ſymbolum. l 32. 313
— Regnum recuſans: emblema. ib. 310
— Sibmæ i. e. cives illius urbis. l 36. 345
— Sodomæ ſignificat animum gentis flagitiis ſceleribusque Sodomæorum more obſtrictum. l 33. 318
— Tzedekiæ Regis mater. l 32.
— vacua ſterilis bonorum Iſrael. l 30. 300
Vites Ægyptiæ. l 36. 346
Vitibus mimica. l 30. 295
Vitigineum Vitis Sarmentum Judæorum typus. l 28. 274
Umbelliferæ herbæ. ll 9. 47
Umbra arboris frugiferæ, refrigerium animæ. l 12. 98.
Umbræ gratia electæ arbores. l 12 98
Unguentum pretioſum: egregia fama. l 21. 210
Voluptas è virtute percepta, Cinnami ſuffitus. l 52. 446
Voluptatum illecebræ cum ſpinis comparatæ. l 60. 472
Urbs arata i. e. æquata ſolo. ll 17. 75
— deſerta, in cujus deſertæ colo vituli paſcuntur ramis. l 2 28
Urbes a pomorum ubertate nomen ſortitæ. l 14. 122
Uredo & rubigo deprecandæ. ll 29. 110
Urticis vivere, eſt tenuiſſimo uti victu. ll 33. 195
Uſus abietum. l 39. 373
Uva hebr. hanab à conjungendo dicta. l 29. 289
— in deſerto; res ob raritatem æſtimata. ib. 294
— quæ non eſt uſus. l 29. 294
Uvæ felleæ opera tetra. ib.
— liberi. ib. 291
— torculis expreſſæ ſignificant hoſtes a Chriſto devictos. ib. 293
Uvarum cortex, Botri, uvæ ſiccæ hebr. Tzi. l 29. 289, 290
— lagenæ Hoſ. 3: 1. l 29. 289
— ſanguis. l 34. 320
Vulpes, doloſis operariis ſimiles.
Vulpibus Simſon Philiſtæorum ſata & oliveta vaſtavit non manipulis ſtramineis. l 18. 178
Uxor vitis fructifera. l 32. 314
Uziæ Regis Vinitores. l 28. 281

X.

Xylomantia & Xylophoria. l 13. 102

Za-

Z.

Zaphran Arabibus Crocum a colore dicitur. II 5. 35
Zemora palmes putari ſolitus cum uva ex Canaanitide in palanga deportatus typus verbi divini. I 28. 284
Zizania non evellenda ob periculam eradicandi triticum. II 20. 119
Ζήτινον δένδρον Dioſcoridi eſt Acacia. I 48. 427

FINIS.